I

# LVCILLI PHILALTHAEI MEDICI ATQVE PHILOSOPHI SVA AETATE PRAESTANTISSIMI.

*IN LIBROS TRES ARISTOTELIS DE ANIMA*

*Commentaria absolutissima.*

Cum Indice omnium disputationum, quæ hisce commentarijs explanantur.

*Post eius obitum à D.* GREGORIO BENVENVTO *Lucensi Theologiæ, & Philosophiæ professore, ac DD. Mauritij, & Lazari presbitero Milite publicæ vtilitatis causa nunc primum edita.*







Cum Priuilegio Serenifs. Ducis Sabaudiæ &c. per decennium.

Augustæ Taurinorum, anno Domini M D LXXIX.

SERENIS.^MO EMAN. PHILIBERTO
SABAVDIAE DVCI,

GREGORIVS BENVENVTVS LVCENSIS,
presbyterque eques Sacræ Religionis SS. Mauritij,& Lazari, Hierosolymitanæ. S. P.



*ERVM Omnium, Serenißi. Dux, quas natura in huius mundi theatrum inducit, ac suis incrementis adauget, illæ, inter omnes alias, felicitatis, ac Diuinæ cuiusdam beatitudinis encomio celebrari possunt, quibus contigit eas dotes, & præcipuas qualitates consequi, quæ omnibus expetibiles, & exoptabiles reddant; Ut in plantarum, animalium, hominum, ciuitatum, prouinciarum, ac regnorum contemplatione videre licet, in quibus alia aliam eo ipso antecellit, quo pluribus fauoribus, & bonis à natura exornata est. Duas autem; (cæteris prætermißis,) ob oculos ponere nobis visum est, quæ ad rem nostram optime faciunt: quarum altera uersabitur circa ciuitatum, ac prouinciarum ditionis tuæ; altera tui ipsius singulares, & admirabiles fælicitates expendendas: ob quas omnes intelligere poterunt, naturam in te, ac res tuas, matris optimæ, & non nouercæ officium expleuisse. Quis enim; ut cæteras non commemorem; Subalpinarum prouinciarum, quas in Italia poßides, agri fertilitatem, aeris salubritatem, situs constitutionem, fluuiorum, collium, & montium amænitatem, & copiam non admiretur? Quis Urbium frequentiam, artium studia, uirorum fortium multitudinem, ac nobilitatem, & cætera pacis, ac belli ornamenta non collaudet? Quis tuam excelsam fortunam, & domi, & foris fortia facta, heroicas uirtutes, autoritatem, prudentiam, rei militaris scientiam, ac fælicitatem non maxime suspiciat? Tu enim à puerilibus annis aduersam fortunam expertus, prius te à patrio regno penè expulsum, quàm Principem agnouisti: & in maximis angustijs uersatus, continuis bellorum fluctibus*

*bus agitatus, tua uirtute, (Deo opitulante,) ita paulatim surrexisti, ut ex præfectura militari domus Imperialis, in Imperatoriam totius exercitus dignitatem sub auspicijs Maximi Caroli Quinti Imperatoris inuictissimi auunculi tui uocatus fueris. Vbi fortiter pugnando, prudenter imperando, heroice uincendo, & hostes debellando; tandem pace parta, ac Regis Gallorum filia in uxorem accepta in patrium regnum restitutus fuisti, tot, ac tantis cum laudibus, ut singulare posteris exemplum reliqueris; teq; omnibus maioribus tuis Principibus laudatissimis maiorem, & augustiorem ostenderis. Sed quid de pacis artibus referam? cùm & tot arces, ac præsidia pro regni tutela, & securitate struxeris, & studiorum, ac scientiarum totius Italiæ exemplaria in tuam Taurinensem accademiam introduxeris: quibus animi ciuium, & subditorum tuorum excoli, & exornari possent. Quid de militaribus exercitijs? quid de iusticiæ studio? Quid de religionis zelo dicendum? quibus omnibus animus tuus flagrare cernitur. Dicendi exitum non inuenirem, si ex tam multis aliqua pro dignitate recensere uellem. Sed de hijs præstat mihi silere, quàm pauca dicere. Certissimum igitur est (ut ad id, quod initio dixi, reuertar,) naturam in tuis prouincijs exornandis, plurimisq; alijs anteponendis, nihil prætermisisse, sed omnia ferè, quæ desiderari possint, liberaliter esse largitam; Sicuti te unicum, & singulare felicitatis, Virtutis, & Nobilitatis, supra omnes huius ætatis principes exemplar esse uoluit. Quo fit, ut optimo iure horum temporum Augustus nobis dici possis. Nam sicut ille Romanam rempublicam ciuilibus bellis dilaceratam, & penè collabentem subleuauit, ac cum lateritiam accepisset, marmoream reliquit: ita & tu, (Serenissime Princeps,) hanc rempublicam bellis diuturnis uexatam, ac ultimos uitæ spiritus quasi emittentem suscipiens ita recreasti, fouisti, ac ampliasti, ut eam ornatissimam, ac munitissimam Carolo Emanueli Regio filio, tanto patre digno, (quod utinam serò) sis relicturus. Omnia itaq;, quæ supra memorauimus, mente percurrens Lucillus Philaltheus philosophus huius ætatis primarius, & medicus;*

*cus;nihil antiquius habuit,quàm ad te ſe recipere,& in tuæ uniuerſitatis accademiam adſcribi, ſtudia omnia ſua tibi uiuens deuouere, ac impendere. Et cum ſuperiori anno ei è uita decedere contigiſſet; omnia bona ſua Chriſti pauperibus relinquens, autoritati tuæ, & meæ diſpenſationi reliquit,ut eius fidei,ac pietatis memoriam perpetuò ſtabiliret. Et cum, inter alia,commentarios in treis Ariſtotelis libros de anima compoſuiſſet; quos in lucem à me edi uoluit; neminem eius famam,ac honorem melius, & maiori cum dignitate defenſurum putaui, quàm tui nominis celſitudinem. Cui hos libros dicans; te rogo,ut Lucilli tutelam ſuſcipiens, etiam ſeruuli tui Gregorij hoc ſummæ in te obſeruantiæ leue monumentum ea fronte excipere digneris, qua omnia ad uirtutem facientia accipere ſoles. Deum Opt. Max. enixiſſimis precibus oro,atque obſecro,Optime, & Maxime Princeps, ut fœlicitatem iſtam tibi, Carolo Emanueli filio, totiq; poſteritati tuæ confirmet, atq; augeat.*

*Perlecto diligenter opere, cum nihil inuenerim, quod aut bonis moribus, aut sanctæ Religioni Catholicæ repugnet, licentiam imprimendi, concedimus.*

*Ex Aug. Taur. ex domo propria die ult. Iulij.* 1578.

*Ego frater Dionisius Cislaghus Inquisitor Taur. manu propria.*

# INDEX IN PRIMVM LIBRVM DE ANIMA.

***



*In secundum librum de anima.*



De

F I N I S.

# *PRÆFATIO*

# LVCILLI PHILALTHAEI

## IN TRES LIBROS

## De Anima,

### ET COMMENTARII EIVSDEM

nuper in lucem editi ad Dei gloriam.



ARISTOTELES Macedo Stagirita patria donatus iussu Alexandri Magni post varios casus rediit in patriam, seque abdidit in suis bibliothecis persecutus tria scribendi genera. Vnum exotericon populare apertũ, perpolitum tamen, quale vel mediocri diligentia legendo videlicet possis consequi. Alterum verò organicũ Logicæ, & Dialecticę subtile, & conditum, quo vt cæteris alios Physiologos superauit, ita seipsum vicit. Nam in ea methodo demonstrandi nemo exquisitius omnia genera, & loca argumenti tractauit, & reddidit, & si aliæ quatuor methodi desiderantur arte elucubratæ. Et diuidendi, ac resoluendi, nec non componendi, & diffiniendi, quibus cum Platone passim visus est, sed neuter tradidit posteris artem. Tertium auscultatorium partim diuinum, partim naturale, & huius octo partes digessit. Primam de principijs, & motu. Secundam de mundo, & partibus eius quinque cœlo, igne, aere, aqua, & terra. Tertiam de communi ortu, & interitu rerum. Quartam de uisis in sublimi. Quintam de mixtis. Sextam de plantis. Septimam de historia animalium, deque partibus eorum, de affectibus, motu, & incessu ac spiratione, nec non de partu eorundem, de somno vigilia, de morte, vitaque, de longa & breui lucis vsura, de iuuentute, senectute. Octauam de anima, deque sensu, sensili, ac memoria, & reminiscentia. Nunc in manibus est historia de anima, quam nisi perlectis sæpe græcorum interpretum, Auerrhoidis, & Latinorum commentarijs putauissem etiam me, atque etiam illustraturum, non suscepissem onus. Viderint lectores, si æquo iudicio, & animo gustauerint, ingrediar Dei magni auspicio referre consilium scriptoris. Hoc de omni anima non cœlesti, sed plantarum, ferarum, hominum, nec de sola humana, sicut veteres tractauerunt, atque de omni facultate cuiusque, de altrice, auctrice, genitrice, vegetalis animæ, de quinque sensibus, aspectu auditu, gustu, odoratu, tactu, deque communi sensu, & interno, imaginatrice, cogitatrice, memoratrice postea, qui sensus, facultates, potentiæ, vires sensitiuæ animæ dicuntur. Denique de intellectrice, & facultatibus, intellectu contemplatiuo, practico, appetitu, & de potestatibus speculatiui, ceu de illa potentiæ, agente, in habitu, adepto, seu actu, Atque de obiectis actionibus ipsarum facultatum, & muneribus seriatim, sicut processus operis te faciet certiorem, expectabis fore. Quamobrem materia historiæ totius expressa est breuiter. Inscriptio eius in fronte græcè περὶ τῆς ψυχῆς de anima, alij vertunt de animo. Verum insigniti frontes voluminum nominibus suis à Theophrasto auditore putantur, cui moriens author suppellectilem librorum suorum, & hæredem filium Nicomachum plurimum commendauit. Inscriptio & scopus ostendunt materiam subiectam tractandam. Nam de anima. Ethymologia græcæ vocis, psyches accipienda est à Platone in cratylo de recta nominum ratione. Hæc ibi ille reliquit. Quærendum primo de anima putas, vt recte psyche nominata fuerit? Deinde de corpore; Herm. Equidem hoc. vt igitur subito exprimam quod mihi nunc se offert, arbitror illos, qui ,, sic animam vocitarunt, hoc potissimum cogitasse, quod hæc quoties adest corpori causa est, ,, illi viuendi, respirandi, refrigerandi vim exhibens, & cum primum deserit quod refrigerat, ,, dissoluitur corpus, & interit, Vnde psychim nominasse videatur, quasi anapsychen, id est re pu-

» rando refrigerans. At verò si placet, siste parumper. Videor mihi aliquid inspicere probabi-
» lius apud eos, qui Euryphrontem sequuntur. Nam istud quidem aspernarentur, vt arbitror, &
» durum quid esse censerent, sed vide an hoc sit tibi placiturum. Herm. Dic modo. Soc. Quid
» aliud, quam animæ tibi videtur corpus habere, continere, vehere, vt viuat, & gradiatur. Herm.
» nil aliud. Soc. An non anaxagoræ credis rerum naturam omnium mente quadam, & anima
» exornari simul, & contineri. Herm. Credo equidem. Soc. Par est igitur eam potentiam no-
» minare physechin, quæ physin, id est naturam, & echi, id est vehit, & continet, politius autem
» psyche profertur. Herm. Sic est omnino. Ex his triplicem habes rationem nominis, ex secun-
da Arist. deprompsit illud nouum nomen entelechiis, & animam entelechiam non entelechiam vocauit indicans animam esse internam perfectionem continentem corpus, ab entos intus & telos perfectio, & echo contineo, ob id quoad est in corpore continet illud in vita, ne decidat, & dissoluatur. Desiderat corpus contineri, & anima melius quam suilla caro sale, aut Balsamo, vel myrrha aloe apud persas corpora defunctorum. Latine dicitur anima ab opere, Animat, iccirco in lypopsichia, defectione animi, videntur mulieres, exanimari, sicut in sincope, hoc est in præcipiti casu virium, de quibus apud Medicos, nunc de ratione nominis, & quomodo animus ab anima differat hæc legantur primo Tusculanarum quæstionum libro, Animum autem
» alij animam, vt fere nostri declarant nominari. Nam & agere animam, & efflare dicimus, &
» animosos, & bene animatos, & ex animi sententia. Ipse autem animus ab anima dictus est. Ve-
» rum enimuerò cum dicimus despondere animum, recipique animos non profecto animum in-
» telligimus, qui sit entelechia, sed [illegible] græce, vim in corde audaciæ, & fortitudinis facultatem,
Vnde nomen animi fusius vsurpatur, Nunc anima est perfectio continens corpus in vita causa operationum animalium, quam inficiari, vt Dicearchus ausit in tribus libris introducto pharecrate phthiota sene à Deucalione orto animum, & animam negante in hominibus, & bellius, hæc quia non vana, & inania esse, animal, animum, animam asserente absurdum est. Constat vim quandam inesse animalibus, quæ mouet, & sentit. In vtero mulieres fœtum moueri sentiunt postquam non mouebatur, sentire fœtus, & affici aduersis, & appetitionibus genitricum euidens ante septimum mensem, & in octauo, vt author est Hippocr. libellis de septimo octimestrę partu, atque subscribente Arist. septimo de historia animalium ergo vis ibi est, atque in morte quid est quod recedit? Appelles, vt libet, nos animam nominamus, & in vita quid illud est, vnde tanquam à fonte tot motiones animalium proficiscuntur? Non enim corpori tribuendæ, propterea quod in recessu & separatione animi corpus aliquandiu absolutum manet functum omnibus vitæ muneribus, Et si quid asserendum est operationibus cognitis, certe non solum animã, sed multiplex inesse saltem triplex apud Platonem in eodem homine, sed apud Aristot. inest in plantis vna vegetalis, altera sensitrix in feris, tertia in homine. Et certe pudendum est multis asserere animam esse, sicut egregium, & homini docto præclarum inuestigare quid sit, & quamobrem sit, attamen principio licuit affirmare, ne quis à vero omnino auersus audeat insaniam senis pthiotæ persequi, & amplexari. Cæterum ad naturalem pertinet hæc indagatio quid sit anima, etiam intellectrix. Et anima vegetalis est natura apud Arist. Platon. Stoicos, & Galenum medicum. Et sensitrix est natura vtraque quidem insita animalibus origo per se motionum, cuius assertionis est author Aristot. in primo libro huius operis, & primo de partibus animalium, Ac intellectrix est natura non qualis infima elementorum, mixtionum ad vnum mobilium; sed qualis est perfectorum animalium, verum suo id loco disputandum venit. Ante tamen occupari lectorem paucis oportuit, quoniam nonnulli eo peruenerunt; vt censuerint hanc historiam scientiam mediam esse, & Mathematicam. Dogma attribuunt Themistio, Simplicio. Sed hi forte similẽ illi fatentur, non aũt Mathematicã reuera, non enim de quãtitatibus est hic liber, sed similis videtur ex eo, quod sicut illa agit res partim contentas materia, partim ratione abiunctas, ita hæc lectio de anima partim inseparabiles tractat vegetalem, & sensitricem, partim separabilem intellectricem, & præcipue agentem intellectum. Quo iure malim ego dici mediam scientiam, quia particeps est rerum omnino in materia, & rerum separatarum. Alias vero partes institutionis physicæ reperies omnes de rebus omnino in materia excepta parte quadam exigua de primo motore in octauo physicorum, vbi, si est, medijs argumentis è motibus physicis concluditur verum, quia maior pars est de anima duplici vegetali, & sensitrice, & minor de intellectrice, & quatenus est corporis humani perfectio, & ornamentum, ob id dicitur naturalis. Postremo partitio historiæ in tria volumina. Primum his continetur capitibus. Primo, vbi exordium.

Secun-

Secundo de multiplici via, & præcipue triplici diuidendi, demonstrandi, componendi ad constandam animæ definitionem. Tertio de partibus eius genere, & differentia. Quarto ne sit vna ratio, & definitio omnium animarum procudenda. Quinto, an in texenda definitione auspicari oporteat a tota anima, vel à partibus. Sexto vtrum prius ab actionibus, vel ab obiectis, vel à facultatibus ordiendum. Septimò, an sit ex proprijs affectibus perquirenda definitio. Octauo, nunquid proprij sint affectus animæ. Nono si definitio animæ componenda sit ex materia, vel forma, vel vtraque. Hinc de omni anima physici est dicere. Decimo antiquorum narrantur opiniones. Vndecimo confutantur. Duodecimo quædam generatim præmittuntur. His fere comprehenditur volumen primum, De secundi, & tertij sectionibus erit monimentum suis locis.

## *Caput secundum præfationis de vsitandis nominibus in opere.*



OPERAEPRETIVM fecero, si notitia lectoris ante imprimatur vsu nominum, ne interpelletur, aut anceps subsistat, quam persequatur auspicatã lectionem nouitate forte verborum, his aut non antea perceptis. De inscriptione ipsa breuiter supra. Definitio est oratio euoluens naturam rei definitæ, quæ quæritur quid sit. Demonstratio sillogismus vel ratiocinatio necessarijs, & primis, causisque conclusionis per præmissas expressis. Methodus est via perbreuis ordinata ad inuestigandum aliquid, & inuentum persequendi arte, & ratione. Essentia est rei natura. Esse dicitur res constans substantia, natura, essentia solent ad idem referri. Et maxime prima substantia ceu Soc. Cicero, philander, mox vniuersale homo, animal, anima, quicquid subsistat subsistit vna, & eadem non in alio substantia dicitur, Accidens in alio est, nec velut pars, nec vniuersalis substantia, nec ratio. Totum quod plura, vt partes complectitur, pars totius pars. Actus perfectio dicitur, Potentia dupliciter vel patibilis, vel actiua patibilis ab alio, & significat habilitatem quandam habendi aliquid, quod non habet, ceu cera cum potest sigilli forma imprimi nondum impressa. Potentia actiua dicitur facultas efficiendi aliquid in aliquo. Potentiæ animæ hæ facultates dicuntur, quia exercere possunt sua munera, & actiones reddere; & potentiæ, cum patiuntur ab obiectis, patibiles, cumque suis organis vtuntur, actiuæ. Plato nomen facultatis ad agendum retulit. & ea est vis, qua quicque agere, & efficere potest aliquid. Potentia actiua huiusmodi est. Organum Græce, sed Latinæ instrumentum est communiter quicquid ad vsum pertinet agendi, vel patiendi. Iccirco Galenus medicorum facile princeps vocauit rationem, & experientiam instrumenta Medicinæ, sed propriè instrumentum est quid diuersum existens ab efficiente primo facultate vel potentia exercendum, vt securis, ascia, & manus, & singulæ corporis partes, cum omnes sint alicuius editæ gratia, proinde partes dicuntur relatæ ad totum corpus, organa vero quatenus ad vsum operandi facultates animæ vtuntur. Quædam sunt facultatibus vegetalis attributa, iecur, vena, ventriculus, & fere omnes præcipue intra abdomen, & peritoneum, quæ aluntur, & præsunt officio alendi cætera alia in corpore. Vegetalis autem anima est qua vegetat corpus alit, auget, procreat, icciréo illi adsunt tres facultates primariæ, Auctrix, Genitrix; quæ ab officio suo nomen acceperunt, His pedisseque, ac ancillæ, Alteratrix ab alterando, Retentrix a retinendo alimento, vel succo, vel Expultrix ab expellendo quod non vtile, Assimilatrix, quæ conuertit escam in alimentum actu. Additur formatrix, quoniam fœtum format, De his facultatibus Arist. in hoc libro, & de partibus animalium, atque Galenus passim, sed vberrime in tribus libris de facultatibus naturalibus, simili modo sensitricis animæ facultates externi quinque sensus, Visus qui a visili mouetur lumine, vel colore, Auditus ab auditili sono, vel strepitu. Odoratus ab odoratili, Gustus à sapore gustatili. Tactus à calore, gelu, humiditate, siccitate duro, aspero tactili, Quatuor interni, sensus communis, qui præest communiter iudicandis, & discernendis obiectis propriorum seu sinum, phantasia quasi statio motionum a sensibus receptrix phantasmatum. Estimatiua in belluis discernens hostilia a prosperis, & cogitatiua in homine cognitrix singularium & primarum substantiarum, & accidentium propriorum. Memoria Thesaurus, & penu specierum de rebus præteritis, Reminiscentia est recordatio rerum, quasi obliuiscimur soli homini pro-

pria. Hæ facultates, & potentiæ in suis organis collocantur, vt visus in oculo & præcipue in humore christallino, & pupilla, Auditus intra corneolos auris, & meatibus, odoratus intra nares, & ossa colatoria, Gustus in apice linguæ. Tactus fusus per omne corpus, sensus communis in corde, vel cerebro sub sincipite, phantasia intra ventriculos cerebri anteriores, cogitatiua in medio cerebri, Memoria in postremo ad cerebellum, tametsi omnes facultates hæ in corde apud Arist. reponantur. Aduerte organa propria habere instrumentarias alias partes sibi subiectas, atq; tria membra primaria cor, cerebrũ, iecur, tres spiritus vicarios animarum, naturalem vegetalis, vitalem sensiticis, animalem cogitatiuæ, atque venas iecori seruire ad fundendum, aut transmittendum alimentum per omne corpus, arterias cordi ad spiritum perfrigerantem communicandũ omnibus partibus corporis, Neruos cerebro ad sensum, & motum. Non me latet Plat. Arist. à corde venas, neruos arterias oriri dixisse. Galenum autem à iecore venas, a sinu læuo cordis arterias, a cerebro neruos sensificos, & motorios, Ego à primordijs fœtus à venis cotylidonum venas, & ab arterijs desinentibus impudendum muliebre vbi concipitur fœtus arterias adnasci vsq; ad connexum vmbilicarem, inde progerminare venas ad iecur, & arterias ad cor ita, vt potius conuehãt venæ materiam a matre in vtero ad formandum iecur, & has, atque arterias ad cor struendum, sicut nerui subnascuntur ad cerebrum colligendum, Quare potius membra primaria his vasibus traiectorijs materiæ condita sunt, quæ scilicet vasa iunguntur his primarijs, & eorum gratia primum edita, mox ad reliqua formanda peridonea, sicut ad absolutum animal alendum augendum, tuendumque in vita, de quibus isagogico modo hæc sufficiant, reliquum ad intellectricem animam, cui vel nullum instrumentum dicatum est, vel omne corpus humanũ, cuius fabrica excellens præbet admirationem sui, in quo nisi diuinum inesse potest, & diuinam animam nostram vocat Arist. libro secundo de partibus animalium cap. iij. Hæc anima pura essentia apud Diuum Thomam, Simplicium Philoponum Plutarchum non emergens è temperamento, vt commentus est Alexander Aphrodiseus, neque à materia seminali orta & dependens sed deforis, & diuinitus accedens authore Arist. loco citato perficit corpus humanum, sed ab eo non constituitur inesse, iccirco vtitur eo, vt placuit Platoni in Alcibiade neque in alio organo certo est, nisi primum in corde, hinc fuso facultatibus non mole, neque extensione per omne corpus à quo corde non constituitur, sed eo pacto, quo diuinitus deforis accedit, eodem recedere possit immortalis. Hæc pluribus fulcta est facultatibus primum inferioribus, quas continet sensificas, & vegetales. Humani enim sensus dicuntur, qui quia rationi inseruiunt, & voluntati parent plurimum differunt a sensibus ferarum, Quocirca anima nostra adueniens corpori nostro in se conuertit omnem vim animæ inferioris, & velut binus triangulus potestate continetur in quadrato, vt sola diametro producta euadant actu bini trianguli. Aeque potestate duæ vegetalis, & sensitrix animæ in corpore sunt vna diameter, idest vna intellectrix anima essentia pura, & entelechia proprias habens & ipsa facultates, intellectum potentiæ, & intellectum agentem, atque intellectum potentiæ in habitu factum per species intellectiles rerum, & habitus, denique in actu operantem, nec non practicum intellectum cum voluntate, vt imaginatio in feris cum irascibili, & cupiditate, de quibus erit sermo. Sicut porro facultates proditæ sunt, etiam explicentur obiecta & actiones, seu operationes. Obiectum accipiunt philosophi quod obijcitur facultati cognitrici, aut operanti, vt alimentum obiectum altrici, genitrici proles, & visu color, visile, Græci vocant obiectum oppositum, quod est oblatum, & efficiens oppositum facultati, Refertur ad potentiam. Iccireo visile, auditile, nutribile, ac similia nomina philosophi fabricant relata ad facultates, Intellectile est obiectum intellectui, sensile sensui, obiectum ergo vel est in quo facultas operatur, vel a quo patitur, Actio est quo agens agit in patiens motus, veluti alere, augere, sentire, videre, olficere, intelligere, passio, motus ab agente in patiente dicitur. Actio, passio mutuo referuntur, & quia facultates actiuæ referuntur ad organa, quasi fabri ad instrumenta actiones eorum vocantur operationes, vt videre operatio visus, auditio auditus, intellectio intellectus. Hæc breuiter, & concisim, dabitur occasio explicandi latius, sed ne lectorem imparatum futura offendat lectio, & in processu moretur verborum difficultas, placuit præuidere ad hunc modum. Sed age auspicemur ab exordio non sine Dei ope inuocata, cui omnia debeo, fateborque me semper debiturum, qui pro sua immensa bonitate concedat mihi, vt cygno iam seni facto suauiter occinere, & præclare de anima, qua nihil melius, & maius in vita dari potuit.

Con-

## Contex. I.

*COGNITIONEM esse bonarum, & honestarum rerum, ac alteram alteri excellere, vel quia exacta est, vel quia melioratus, magisque admirabilibus nititur opinati, ob vtraque hac historiam de anima iure inter primas reponimus.*



XORDIVM. Primum laude historiæ redditur beneuolus lector. Dein attentus ex duplici eius communi & propria vtilitate. Tertio docilis expresso dicendi consilio. Magna historiæ laus est inter primas referri scientias, quam hoc argumentum colligit, omnis scientia, vel quia exacte, vel quia melioribus, magis admirabilibus nititur inter primas numeranda est. His continetur hæc præmissa oratio, ac alteram alteri excellere, vel quia exacta est adhibita diligentia scriptoris videlicet, vel quia melioribus si de agendis efficiendis est, magis admirabilibus, si de contemplandis solum differit. Est enim hæc oratio & regula præferendi vnam scientiam alteri communibus disciplinis moralibus, ciuilibus, effectricibus, velut medicinæ, & speculatiuis communis. Sed historia de anima est exacta videlicet cura, & studio scriptoris, quale adhibitum nusquam inuenies librorum æque, ac in hoc præ manibus inuestigandæ definitioni, cum tot dubitationes moueat de procudenda hac ipsa, vt id erit tibi in processu clarius, & de melioribus, magis admirabilibus est, nihil enim melius anima, & vita, nihil admirabilius intellectu duplici, & vno potentiæ, qui intelligendo fit omnia, & altero agente, qui cuncta facit, iccirco his breuiter continetur hæc minor oratio ob vtraque hæc simul historiam de anima non simplicem narrationem, sed scientificam demonstratiuam, ergo historiam de anima iure inter primas reponimus. conclusio argumenti laudem conclusit. Quæ autem sint primæ, & quis ordo earum postea, interea declaretur propositio prima gratia argumenti conscripta maiorum, Pythagoræ, Socratis, Platonis consensu. Cognitionem humanam esse de numero rerũ bonarũ, & honestarum, vel de rebus bonis, & honestis. Bonũ est quodcunq; honestum, sed non omne bonum honestũ est. Honestum vel contra turpe, vel ad honorem refertur. Panætius Stoicus cum Chrysippo primum sequitur modum, secundum Aristoteles cum Platone, cuiusmodi nunc intelligitur, quia scientia est bona, cum eam omnes appetant primo metaphy. libro, atque bona, si quidem bonos efficit possessores, Et bona, quia eius contraria ignorantia mala, Necnon bona, cum inter tria genera bonorum, corporis scilicet, fortunæ, animi, hæc vnaquoque extet, quæ si aliquando de malis, vt moralis de vitijs, Medicina de venenis, Dialectica de elenchis cauillosis agit iccirco bona censeatur quia docet vitare. Ergo breuiter scientia est bona, atque honesta, non turpis, atque honestanda, præferenda, & ipsa honores cõfert, nisi fortuna ceca e diametro omnes vires in eam intendat. ob id Galenus facile medicorum princeps in oratione sua adhortatoria Mercurium pingit cinctum libris, & pauperibus studiosis supposito quadrato, quia scientia est firma possessio, huic contraria fortuna agitata vento altero pede innixa globo mutabilis fœmina, sed alias nunc cognitionem accipe non solum partem demonstrationibus, sed etiam definitionibus, & solo lumine agentis intellectus, vt est illa principiorum scientiæ, & omnino scientiam, quæ ociosas superstitiosas, aniles detegit, & pellit quo vitentur, vt doctissimus Hippocr. in libro de prisca medicina, de ornatu medici accusat. In hoc genere sunt. Illa medica magia Zoroastri apud Persas, atque illa præstigiorum, Fucatoriaque, & sortilegiorum, Astrologia, Genethliaca, & Mantica, Pyromantia, Aeromantia Hydromantia, Geomantia, Nomantia, Arithmomantia Nigroman. quæ omnes ociosæ vanæ ad conterendum tempus, & nihil ad ornamentum animi, iccirco horum cognitio non est rerum bonarum, & honestarum, quinimo iure inuiolabili explodendæ, & prohibendæ, Hæ autem bonæ, & honestæ sunt seriatim honore dignæ, & honorificæ.

Theologia ad animi salutem, mysteriorum notitiam etiam lumine reuelato.
Philosophia metaphisicorum lumine naturali.
Philosophia legalis ad ius cuique tribuendum.
Philosophia ciuilis de administratione Reipub. & Imperij.
Philosophia naturalis ad secreta naturæ.
Philosophia moralis ad institutionem boni viri.

Philoſophia œconomica de regenda re familiari.
Medicina de ſalute habita tuenda, vel omiſſa recuperanda.
Aſtronomia Theorica ad celebranda Dei prępotentis opera,& ad vſum medendi,& agriculturę.
Geometria ad ędificandum, & dimetiendum.
Coſmographia ad deſcribendum vniuerſum.
Geographia ad deſcriptionem orbis terræ, & itinerum.
Muſica ad Dei laudes celebrandas.
Arithmetica de numeris ad vſum mercandi.
Dialectica ad dignotionem veri per organa, & methodos ibi traditas.
Rethorica ad diſſuadendum, & perſuadendum.
Poetica ad morum imitationem.
Grammatica ad vſum loquendi,& ſcribendi rectiſſimè.

Quarum vſum in Repub. bene ordinata Plato oſtendit ſeptimo dialogo de legibus, & de Repub. Hæ honeſtæ ſunt quoque ita, vt Conſtantinus profeſſorem annos viginti in aliqua facultate cenſeri vnum voluerit perinde, ac de ſuis ſcribis aulicis, nunc comitem aiunt. Mechanicæ artes, quæ non ingenio ſolo, ſed etiam corpore homines fatigant bonæ quidem ſunt ad vſum vitæ, ſed non honorificæ, ceu illæ primæ inuentæ Agriculturæ piſtoria, Teſtrix, Lanificia, Edificatoria, Nauifactiua,& illa veterinaria Medicina. Et omnino artes, quæ corporis exercitio, & aſſuetudine diſcuntur, inferiores ſunt his, quæ animo coluntur, cenſura Galeni in oratione adhortatoria, & fere communis ſcriptorũ, Vnde liberales dictæ, quas habere ingenuos, & liberos decet. Verum quiſque ſummis laudibus ſuam profeſſionem afferat, Nempe nunquam erit ſatis laudata, Habes præterea ſexto ethicorum habitus quinque ſic excellentia digerendos ſapientiam, intelligentiam, ſcientiam, prudentiam, artem. Habes item bonum viſum & reuera bonũ. Scientia bonum reuera, hoc cupiunt omnes natura ducti. Cæterum ad hanc regulam præferendi vnam alteri ſcientiam, Vel quia exacta, vel quia materia ſubiecta eſt melior, & admirabilior. Poteſt res vilis abiecta exactè tractari, vt a Theophraſto de plantis. atque contra res amplæ, nobiles, diuinæ non exacte perquiri poſſunt, vt ſe geſſit Ariſt. duodecimo metaphy. confiſus ſolo naturali lumine, qui & pauca,& tenuiter de rebus diuinis ſcripſit. Poſſunt item perſcribi exacte omni adhibito ſtudio ſcriptoris res illuſtres, ſicut hæ de anima, quo in operæ oſtentauit Ariſtot. ſuam diligentiam in perquirenda definitione animæ, quod erit tibi poſtea compertum, cum fere hoc primum volumen implicuerit dubitationibus perquirendæ definitionis, & narrarit varias ſcriptorum opiniones, vt eliceret ex eis formam, & materiam definiendi. Et fuit elucubranda definitio magnopere, quia illa mediũ eſt demonſtrandi proprios affectus de anima. Non immerito Simplicius. Philoponus verbum illud acribia, ex actu trãſtulerũt ad genus demonſtrationis exquiſitum, & ſi labor diligens verſetur in procudendo definitione communi,& propria cuique generi animarum. Et iccirco fieri poteſt, vt vna ſcientia alteri antecedat certiore demonſtrandi facultate, vt Geometria, Arithmetica, Aſtronomię, cuius tamen materia ſubiecta ſit præſtantior. vt cœlum in Aſtrologia curſibus ſpectabile æqualibus præſtantius eſt magnitudine ſubiecta in Geometria, Verum vel nulla, vel hæc ſola hiſtoria de anima ſe offert, quæ vtroque ſimul excellat modo. Et genere demonſtrandi euidentiori, & ſubiecta materia digniore. Cedit ſcientiæ, metaphyſ. Deo obiecto ſcientiæ primario, ſed non genere demonſtrandi clariore, cæteris præſtat vtroque modo. diſciplinis hominum, etiam Geometriæ, Mathematicæ, cui ſi modum demonſtrandi circino, abaco, & præ oculis adductis figuris demas demonſtrationes illæ ſunt longe inferiores hiſce demonſtrationibus de anima non ſolum quia mathematicę verſantur omnino in accidẽtibus ſine ſubſtantia, & hę meditentur ſubſtãtias, & corrogent ad concludendum, ſed etiam quia actiones, operationes animæ ſunt eidem animæ notiores, quam quæuis alia accidentia, & affectiones aliarum rerum. Ecce conferamus accidentia illa abſtracta, dimenſiones, angulos, figuras in Geometria, cum nutritione, accretione, ſentire ipſo, videre, audire, &c. atque obiecta, cibum prolem, molem maiorem, colores, lumen, ſonum, odorem, calorem, ſaporem confer cum mathematicis, quæ videbuntur notiora, an cibus, nutritio, an linea, angulus? Obiecerit quis forte obiecta, & actiones animaliũ, & hominũ notiora, q̃a ꝯnaſcuntur nobis, & ſemper p̃ſto ſunt animæ, atq; præſentes ingenitę ita, vt cognoſcens ſemper cognitũ habeat intra ſuos parietes, tñ non ita conſtant firmiter ſicut mathematicæ, res demonſtratæ, & ideo in primo gradu certo collocantur ab Auerrhoe. Verum obiectio

nullius

nullius momenti est, si quidem mathematica nullam constantiam habent, nisi qua sunt a materia, & qua considerantur a cogitatione, & phantasia, & intellectu, At vero si hæ facultates præbent constantiam rebus mathematicis, quanto magis erunt constantes illæ. Et verius sunt in materia, quam quantitates mathematicæ. Deinde demonstrationes mathematicæ non fiunt ex causis vel materiatis, vel effectricibus vel finalibus, vel formalibus, quæ sint substantiæ, sed omnem constantiam reposcunt a petitionibus, effatis communibus dignitatibus suis, vel a primis conclusionibus ita, vt secundæ valeant ob primas, tertiæ obsecundas, & primas, quasi tota Geometria, & Arithmetica maxime sic demonstrent, vt ex hypothesibus procedant colligatæ seriatim, ne ordo intercipiatur, quæ diligentia non est petenda in omnibus disciplinis, vt causa exempli centesima conclusio in Geometria ope plurimarum præcedentium fiat, quocirca tanta connexio, & diligens forma disciplinæ non est flagitanda in physicis, quod voluit dicere Arist. ad extremum secundi libri metaphysicorum, vbi non postulandam ait acribologiam in reliquis disciplinis, quæ vsitatur in Geometria. Alioquin ipsæ demonstrationes quo ad genus rerum longe inferiores istis de anima, & quoad nos, & quo ad naturam, quinimo quo ad nostram cognitionem, cum singuli demonstrationes etiam in metaphysicis lumine intellectus agentis, cuius naturam in tertio volumine author explicabit, confirmentur, his de anima tenuiores dici debent. Quod si intellectus potest est omnia fieri, & agens omnia facere intellecta actu, nulla demonstratio erit non reposcens cognitionem harum facultatum in his libris, quare ex his confirmantur. Ergo historia hæc exacta est quo ad definitionem animæ communem, & propriam inuentam, & quo ad demonstrationes, in quibus medium erit definitio. Adhuc exacta diligentia scriptoris, cum omne studium adhibeat explicandi hæc omnia. Exacta item, quia de familiaribus rebus & domesticis animæ agitur. Reliquit hanc sententiam Arist. quinto cap. libri primi de partibus animalium eam scientiam compensare cum dignitate scientiæ de rebus diuinis ob euidentiam, quia nobis familiaria sunt animalia, & ante conspectum nostrum, æque hæc nunc disputata sunt inter domesticos parietes animæ cognitricis cum omnia sensilia per sensum dignoscantur, & intellectulia per intellectum, de quibus tertio libro perspicuum erit, collige hanc historiam quo ad exactam notitiam superiorem Metaph. doctrina, licet subiecto inferiore, atque cæteris disciplinis, quia cum Themistio omnes reposcunt constantiam ab ista ob intellectum agentem, excepta Theologia, quæ lumine diuino non naturali agentis intellectus tradita est. Hæc exactioribus demonstrationibus, & altissima dignitate subiecti omnes superat. Et quo lector habeat multa paucis, attendat gradus exactiorum & exquisitiorum scientiarum.

Theologia lumine diuino cunctis exactior.
Metaph. quæ confirmat aliorum principia virtute huius.
Quæ habet subiectum simplicius, & sincerius, vt Arithmetica exactior musica.
Quæ obtinet demonstrationes propter quid exactior illa demonstrante quia.
Quæ alterius probat principia exactior illa.
Quæ subalternat, subalternata exquisitior, vt Geometria prospectiua.
Quæ euidentissima docet.
Quæ vniuersaliora.
Quæ docendi modo exquisitiore vtitur, ac methodo, & ordine.

Postremo hæc scientia est de melioribus disputabit de vita, de anima, per quam viuitur, sentitur, & scitur, & bonum efficitur voluntate. Nihil vita, & ipso esse melius. Nihil mains homini, quàm id quo proxime accedit ad Deum, vno intellectu agente accedit, qui omnia edit. Sicut Deus omnia efficit, quo argumēto Alexander Aphrodiseus censuit intellectum agētem Deum, & si id omnino absit à vero, in vtroque dogmate ille atheus, & quia animam mortalem asseruit nostram, & quia agentem intellectum animæ nostræ potentiam Deū Max. Opt. eminentissimū censuit, attamen eo intellectu similes reddimur. Bonum, quod omnia appetunt. Viuere omnes appetunt, & ab anima vita manat. Et quæ hac melior scientia, cum de principio, hoc est de intellectu practico & voluntate differat, quæ omnis boni est origo, & mali ob appetitum irrationalem? Eadem item historia de admirabilibus differit. Quid eo admirabilius, quod fit omnia, sicut anima nostra, quid præstantius ingenio, industria animæ, qua conscendimus cœlestia, metimur cursus, & interualla, dinumeramus mente, ac intra recessus terræ penetramus, cunctis animalibus imperamus, & fere nihil est, quod non ausimus pertentare? Tanta est vis ingenii. Cogita tecum bene animo disciplinas, innumeras artes, machinas infinitas, quarum ingenium

nium animi dux, author est, sed de diuinitate animi nostri post Deum, & mentes diuinas nihil humana anima mirabilius, vnde homo dicitur miraculum naturæ, & minor mundus, cuius fabrica corporis indicat excellens quanta sit animi excellentia, & præstantia. Hæc disciplina nunc vocata historia non simplex narratio etiam à Cicerone laudata, quod testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, nec cuius modi est illa de animalibus, sed demonstrationibus condita, & constructa magnopere. Denique inter primas referenda venit, cum Theologia, Metaph. quibus solis est hæc inferior de anima non cælesti, non mundi apud Platonem, non dæmonum, sed de plantarum, ferarum, hominum essentia: Icirco materia subiecta complexa est eo verbo historiam de anima, vt irrideas Albertum, qui non contemnendus interpres incidit in hoc subiectum, corpus animatum. Quod si subiectum scientiæ, definitur, plane anima quid sit, non autem corpus animatum, quale non dicitur entelechia corporis organici, ne sui met entelechia asseratur, sed quoniam breuitati studendum, vt potui, hæc breuiter scripsi.

## Contex. II.

H*VIVS quoque cognitio ad omnem veritatem multum conferre videtur, & maxime ad naturam. Quippe cum animantium sit quasi principium.*



TTENTVM reddit lectorem duplici vtilitate historiæ, communi, cum dicit. (Huius quoque cognitio ad omnem veritatem multum conferre videtur) & propria in his: & maxime ad naturam, seu naturalem scientiam vtens subiecto scientiæ loco ipsius. Secundæ vtilitatis affert causam. Quippe cum animantium sit quasi principium. Argumentum. Cognitio perfecta ducitur à principijs. Anima est principium plantarum, ferarum, hominum formale, efficiens, & finale, vt in secundo libro decernetur, ergo cognitio harum rerũ perfecta ducenda est ab anima, sed cur non primum de hac, quam de plantis, animalibus disputatum est, cum cognitio principiorum præcedat oportet? Nisi quia sat fuit de corpore animante altero principio materiali prius tractauisse in historia de plantis, & animalibus, vbi opera potius pertinentia ad corpus, quam ad animam tractantur, simile fuit peractum in libris de physico auditu, vbi prius de materia, quam de forma sermo absolutus fuit. Reliquum ad verba cont. Cognitio accipienda non solum parte demonstrationibus, sed etiam quæcunque vel definitione, vel probabili opinione, vel inuenta ab authore, vel ab alijs recepta. Veritatem omnem intelligunt Themistius, Philoponus. Simplicius Auerh. omnem philosophiam tripartitam moralem, diuinam, naturalem. Omittunt organicam Logicæ, Dialecticæ certe inconsulto. Nos ad omnem veritatem in quacunque scientia conferre hanc historiam censeamus. Philosophia communi vocabulo complectitur omnem contemplatiuam, & ciuilem disciplinam ita, vt & mathematicæ liberales artes, ac Medicina scientia adnumerentur, prodesse autem morali Philosophiæ, ac ciuili, ac legali cognitione, de anima apud Philop. propterea quod de virtutibus, de iustitia, fortitudine, temperantia non possunt ciuilis, legalis, moralis fari sine potentijs animæ asserente prius Platone in libris de Repub. & legibus, & subscribente Arist. in libris ethicorum ad Nichomacum filium, apud Themist. confert, quia actuosas virtutes facilius consequemur, si vim animæ perspectam habuerimus. Auerrh. ad moralem conferre hanc historiam affirmat dupliciter, quia moralis suscipit ab hac finem hominis, hoc est fœlicitatem in contemplatione versantẽ decimo ethicorum, qua homo est, quia huic soli talis contemplatio competit. In tertio libro huius historiæ de contemplante intellectu, & eius actione sermo erit, & quia recipit ab hac scientia moralis substantiam hominis quia est animal rationale appetitu, & voluntate pronum ad bonũ. Vtilem etiam dicit diuinæ scientiæ, & Theologiæ sed vtilitate serui ad dominum, cum ad alias scientias ceu dominus ad seruum se habeat, quia diuina constantiam sui subiecti accipit ab hac scientia. Substantiam diuinam separatam primarium subiectum appellat, quæ stabilitur esse ex assertione intellectus potentiæ vnius numero in omnibus hominibus apud commẽtum Aueth. in quinto contex. sui commentarij asseuerans nisi esset hoc genus entium, scilicet intellectus potentiæ non affirmaretur illæ diuinæ substantiæ, quare ex auili commento suo de vno intellectu

traditur

truditur in alterum ausus non esse deum dicere nisi esset intellectus potest, de quo errore alias, nunc paucis perstringam hanc historiam adiumento esse organo philosophiæ, quale sine expressis in tertio libro de veritate, & falsitate non potest suppeditare methodum nobis veri dignoscendi à falso, cum intellectus sit receptaculum veritatis & author. Ob id in Logica, & Dialectica incidit sæpe mentio de anima, deque intellectu, cum omnia in organo huiusmodi sint opera animi tametsi (quod valde demiror) hæc intellectilia, quæ dicuntur secundi conceptus, secundæ intentiones prætermissa sint ab authore. Liceat vniuersum volumen tertium legere nusquam reperies monimentum de his intellectilibus, sola naturalia, Mathematica, & separata quomodo intelligantur monet, quasi non de omni intellectili dixerit, & mancam historiam fecerit. Verum id suo loco annotandum erit. Iuuat rursus hæc lectio Mathematicas disciplinas, quia reuera anima cogitatiua Mathematica abstrahit à materia, & intellectus ope agentis intelligentię nostræ ea vniuersaliter comprehendit. Quare multum refert agnoscere authorem horum intellectilium. Rursus ad moralem confert, vt vterque Themistius, Philoponus sentiunt. Quin etiam ad diuinam conducit, quia ex conclusis in tertio libro de intellectu potest, & agente assuescimus percipere diuina omnino separata: Dubium est de hac vtilitate ad diuinam, quia Aristot. tertio libro proposuerit quæstionem, vt intellectus magnitudine, & in corpore adiunctus possit illa diuina intelligere, & non declarabit, sed dimittet postea considerandum, ergo hæc historia non iuuerit diuinam, si percipi non potest quo ad intellectus inest in corpore. Crediderim saltem elici quædam attributa, videlicet actum simplicem inmixtum, omnia cognoscentem, immortalem sempiternum, cuius actio substantia intelligens eadem sine, quæ attribui Deo possunt multo perfectius, quam nostro intellectui: Veruntamen illam dubitationem, an intellectus in magnitudine queat speculari separata intellectilia silentio inuoluit author diuinitus forte impulsus dimittens hoc Theologię munus, & pręsentiens lumini naturali non fidendū in cognoscendis tam abstrusis substantiis, & si quædam coegit ille octauo phys. libro, & duodecimo valde perpauca de Deo, sed confugiendum ad diuinum lumen, & reuelatum, quale compleuit totam Theologiam altissimis, & reconditis mysterijs eius scientiæ: Tu vero perpende mysterium, cur Aristot. dimiserit tam grauem, & summopere expetendam dubitationem de cognitione in hoc statu substantiarum diuinarum, & dixerit postea considerandum, nec alibi considerauit. Ego (vt vere, ingenueque fatear) cum id sæpenumero meditatus sim, & norim perpauca de rebus diuinis à philosophis tractata, facilè adducor, vt sentiam infirmam esse aciei nostræ facultatem ad suspicienda natura euidentissima, nisi subleuetur altiori lumine: Reliquum communiter confert vsum ad omnem scientiam hic liber, quia vim intellectus agentis refert, cuius lumine prima scientiarum principia fulciuntur, & ita quodammodo confirmat omnes scientias, nec ob id omnes alias scientias sibi subalternas reddit, quoniam est hoc lumen causa communis non propria propter quid, sed affirmans quia est dignitatum, & principiorum scientia: Addidit illud (multum) in contextu, quia scientia quælibet suam veritatem potest declarare, verum cum tradatur princeps veri inquirendi, & author in hoc libro intellectus, iure multum confert. Consueueram etiam illud (multum) referre ad majorem partem huius historiæ, quæ confert ad omnem veritatem cum illa de vegetali anima nihil conferat: subdidit, videtur, non ambigui verbi loco, sed pro euidentia vsurpari. De verbo (conferre) intellige hanc historiam multum conferre ad omnem veritatem, sed necessariam esse alicui veritati, vt historiæ de animalibus, de plantis, & opusculis de motu animalium, & operationibus eorum, cum sit causa earum, & iccirco adiecit & maxime ad naturā. An animalia constent natura non dubium est libro secundo phys. tametsi octauo distinguit mobilia ad differentias loci plures ad dextrum læuum, pone, & ante, supra, infra contra naturalia ad vnam solam differentiam naturaliter mota. Nisi mere naturam, & infimam distinguat contra sublimem animalium. Nunc ea asserit naturalia esse secundum altiorem naturam, vt est vtraque præcipue anima vegetalis, sentitrix. Quas dubitationes soleo conferre in hunc locum bona fronte prætermitto. Nam in lecturis annorum fere quinquaginta meæ professionis publicæ plurimas reposui. Nunc aliquando opportuniores admonebo suis locis,

## Contex. III.

**A**C *tius naturâ, & substantiam contemplari, & cognoscere perquirimus, & deinceps quæcunque ei competunt, quorum alia videntur propria animæ affectiones, alia vero communes, necnon in animalibus inesse propter illam.*



DOCILEM scopo, & consilio expresso facit lectorem. Bipertitum consilium, partim ad conficiendam definitionem animæ, quæ illius naturam, & substantiam prodat, & non describat, partim ad demonstrandam propriam animæ actionem hoc vtpote modo quæ sit peculiaris animæ per se, siue antequã labatur in corpus more Socratis & Platonis in Timeo, siue in hoc statu, siue post mortẽ. Tria tamen proponuntur. Primũ quoad definitionem veram hæc. Ac eius animæ naturam, idest apud Philoponum genus animæ, & substantiam, idest definitionem seu differentiam. Ex vtroque conditur definitio, secus sentit Simplicius interpres non consueuisse inquit authorem cæpisse naturam pro genere. At vero oblitus est libri sexti Topicorum, vbi naturam pro genere sumit, & alibi itidem, nihilominus verbum naturam refert ad vegetalem animam, & sensitricem, quas naturas affirmat, & substantiam alterum verbum scilicet refert ad animam intellectricem, quam dici malit substantiam, quam naturam, sed Simplicius verba applicanda partibus definitionis redigit ad res definiendas inconsulto quidem. Multo melius alij ea verba accommodant duplici definitioni tradendæ. Verbum naturam ad communem, verbum substantiam ad propriam. Ego censuerim verbum illud naturam commune etiam definitionibus accidentium, quorum natura apud Aristot. septimo Metaphys. declaratur definitione, & eo magis quod Plato definiuit animam apud Xenocratem numerum seipsum mouentem per accidentia, vt ergo contrahat illud verbum latius fusum ad essentialem animæ definitionem subiunxit (& substantiam) Inquit item (contemplari) verbum relatum ad naturam, & illud, cognoscere, ad substantiam apud aliquos Simplicius autem vtitur verbo contemplari ad euidentiam terminorum simplicium cognitorum, & cognitionem ad demonstrationem, sed quia vtrunque verbum ad definitionem redactum est, & vtrunque ad eandem referendum venit, vt contemplari pertineat ad partes separatim inueniendas definitionis sicut facturus est Aristoteles via diuidendi, & illud cognoscere attineat ad totam definitionem collectam via compositionis. Quare inquirimus diligenter diuidendo, & componendo naturam & substantiam animæ, idest essentialem definitionem contemplari, & cognoscere. Hactenus primum. Secundum proponitur demonstratio in his. Et deinceps quæcunque ei competunt accidun tue supple inquirimus contemplari, & cognoscere. Quæ accidunt cognoscimus perfecte quoties per definitionem subiecti medium in demonstratione colligimus propria accidentia. Veruntamen si precedunt accidentia pro adipiscenda definitione substantiæ cum magna ex parte conferat ad cognoscendum, quid sit illa, illa antecedens cognitio accidentium leuis est, ex phantasiæ opera, & cogitatiuæ auxilio, vt processus operis explicabit, nunc inquirimus perfecte cognoscere, quæ animæ competunt. De verbo hoc (inquirimus) expedit scire quinque numerandas esse quæstiones, si est, quia est, quid est, propter quid est, & quot sunt, quam prætermissam à philosopho miramur. libro secundo posteriorum, cum præcipue ab eodem vsitetur, nec redigi ad quæstionem, quia est contenderis, ideo prætermissa est, siquidem omnes rediguntur ad vnam propter quid, nec ob id aliæ tacendæ fuerunt. Sed de hac alias, nunc quæstione, si est, prætermissa, quid sit anima, & quia est proponuntur. Nisi iure fuit contemnenda propterea quod euidentissima res est anima, & constans, & in Dicearchi cum suo phthiota sene demen tiam dudum mutati sumus, qui ausit inficiari animam, atque animal esse, dum tamen loquendo, audiendo, edendo, intelligendo eandem asseueraret similis sane illi, qui negauisset motum labra aperiens, & dentibus percutiens linguam. Re quidem affirmabat dogmate suo pertinaci negabat, in quos fere idem proferendum, quod in Heraclitum Diogenes protulit, si non esset motus, cur illi nauicularij clamant ô Athenas ex Thebis, cur hi è somno experrecti vigilant, & cernunt, nisi animus constet. Quare illud recte in libris de postera resolutione conscriptum fuit, quasdam scientias despicere suum subiectum, quia adeo euidens est, vt temere esse declaretur.

Silentio

Silentio ergo prætereunda fuit quæstio si est anima, & tractanda illa quia est, quæ de proprijs accidentibus fit, seu de competētibus animæ, quæ bipertito diuiduntur in communia, & propria: Tertium iccirco proponitur. Quorum alia videntur propriæ animæ affectiones, vt secundo loco per illud verbum( deinceps ) contemplanda dicit, quæ competunt animæ, quia definitio substātia præcedat oportet cum substantia sit prior omni accidente natura, cognitione perfecta, & accidentia ex principijs substantiæ oriantur, statim hæc dupliciter diuidit, in proprios affectus animæ sicut videntur Platoni Socratico in Phædro viuere per se, moueri ex se, in Memnone scientia, habitus animæ nostræ coæterni, quæ lapsa in corpus nostrum ab astro obliuiscitur impedita humoribus infantis, & in dies reminiscitur vel sensus auxilio, vel voce magistri, quæ vt illustrius habeantur tres sunt animæ status ante lapsum eius in corpus apud Platonem Socraticum in Timeo cum in suo astro plena omnibus scientijs est, quem statum risit Aristoteles, & si animam nostram de foris accedere statuerit capite tertio secundi libri de part. animalium, nihilo minus nuper ortam diuinitus ad eius corporis perfectionem, quem perficit. Iccirco damnauit etiam illam reminiscentiam. Secundus status est in corpore vbi Socrates in Phædone intellectum separabilem facit, & hanc separationem meditari philosophi est hic persuadebat auditoribus sibi non fore grauem mortem, quia quoad philosophari cępit, semper animam intellectricem separatam tenuit, huic proprias actiones decernit viuere, & moueri ex se, exstasim, diuinationem, præsensionem futurorum, libertatem, imperium voluntatis, quæ sæpe repugnantibus sensibus & appetitu irrationali ira, & cupidine mandat, & iubet rectè agendum. Hanc animi separationem à corpore, duntamen est in corpore quandam mortem philosophis meditandam statuit. Vnde impulsus Cleobrotus arbitratus de morte dici à corpore animi recessu, se in mari præcipitem dedit ignarus qua de morte Socratis esset sermo, cuius dialogum si totum legisset in Phedone cum mandat nemini ante supremum fatum sibi manum inferre debere, proculdubio abstinuisset suo pręcipitio. Aristoteles igitur vbique dubitauit, an anima nostra in hoc statu secundo separabilis esset, vt nauta à naue solum vterq; corpore, & ob id dicit( Videntur) quia proprios affectus animæ ex opinione Platonis Socratici fatetur, ipse vero ambigit donec in tertio libro statuerit ipsum intellectum vtrunque immixtum, separatum tam potentiæ, quam agente. Tertius status animæ est post mortem, de quo nunquam dubitauit Aristot. nisi apud sciolos, qui quo videantur noua philosophari paradoxa aliquod dogma aucupantur. Alexander Aphrodiseus nusquam tenuit suam opinionem Aristotelicam esse, satis sibi fuit ostendisse deprauans varia loca authoris non eundem suæ phantasiæ repugnantem fuisse, de quo statu erit occasio differendi, nunc perpende verbum( Videntur) Socrati, Platoni certe videntur. Aduerte de verbo illo ( Propriæ)quoniam soli animæ intellectiuæ affectus proprij sic videntur, vt nulli à corpore auxiliante emanent, sed alijs animabus istiusmodi sunt proprij, quia cuique animæ sui impertiuntur corpori, ita, vt non alterius sint animæ, vel potentiæ. Equidem sic operatio vegetandi, & altrici nutriendi, & auctrici augendi, & sensitrici sentiendi, & oculo videndi, & intellectuali intelligendi propria, vt alteri non conueniat. Nam sic nutrimur vegetali anima, vt non possit hoc opus tribui nobis per sensitricem, sic sentimus, vt per intellectiuam nobis hæc actio non competat. Verumtamen si proxime hæc verba, ( aliæ vero communes ) attendamus cum hoc annexo, necnon in animalibus inesse propter illam, proculdubio nouerimus intelligere sic proprias affectiones animæ, vt corpori non sint tribuendæ, quandoquidem contra eas distinguantur communes, quæ insunt corpori propter animā, ceu nutritio, accretio, sensus, &c. corpori insunt ob animam perficientem corpus, quæ nascuntur in ipso congressu animæ cum corpore, vnde quibus erit organis corpus preditum, talis erit anima. Hinc etiam in cecis, surdis à natalibus suis anima manca videtur, quia mutilum instrumentum enascens è semine, vel materia inuenit, & quando aliquæ actiones insunt vni per alterum, potius nobiliori tribuendæ sunt, & causæ, cum anima sit animatorum triplex causa efficiens, forma, & finis secundo postea libro. Verum enimuero veteres hic communes affectiones animæ tribuebāt, vt inessent animæ, per se, quas postea impartiebat corpori accedens, id recusat Arist. in animabus plantarum, & belluarum, siquidem hæ animæ nascendo cum corpore, vel è corpore eductæ actiones obeunt, non quia illa per se alatur, sentiat, nec quia corpus seorsum alatur, sentiat, sed in coniunctione, & contentione, aut compositione enascente anima, quæ format corpus operationes prodeunt animatis, & plures dicuntur inesse ob animam animati præcipue cognitrices, & si nonullæ vt somnus, vigilia, spiratio, progressus videantur à corpore ad animam traduci, sed reuera omnes tribui debent nobiliori, & si

neutri separatim adsint. Attamen videtur author in hac parte contextus loqui de humana anima sola ad mentem antiquorum, cui partim dicebantur affectus proprij, vt supra numerati, partim communes corpori, vt irasci, cupere, cum anima nostra contineat sensum, & vegetalem facultatem. Cæterum persuadebant auditoribus actiones inesse animalibus propter animam quatuor coniecturis, Prima, quod cernitur nullus mortuis inesse sensus, nulla cogitatio, quia anima recessit, etiam si diu corpore integra seruaremur, vt est mos apud persas balsamo, vel mirrha aloe intestinis excisis seruare, quare anima quoad fuit in corpore harum motionum fons erat. Secunda, quia in somno sensus vinctus externus nulla editur actio. Signo quidem, quod anima sensitrix est earum actionum causa. Tertia in fabrica corporis in vtero vbi nullus sensus, nec motus efficitur ante perfecta organa, ad quorum perfectionem accedere sensitrix mox animales functiones oriuntur communes vtrique, & neutri solitario precipue condito corde. Quarta de imaginatione cogitatione, ratiocinatione, de ipso velle, & nolle euidens est dici, quemadmodum ab anima proficiscantur, quam intellectionem, & imperium voluntatis proprias animæ intellectrici asseruimus cum Aristot. libro secundo de part. animalium cap. iij. affirmante animam nostram non è semine ortam, sed de foris accedere cui nihil sit commune cum corpore. Quare bipertitum consilium habes inuestigandæ definitionis animæ & demonstrandi proprios affectus, & communes animæ cum corpore, qui & si communes sint vtrique, tamen demonstratione concludi possunt, quia sunt proprij habent quatenus differunt ab accidentibus communibus animalium, vt proprium est vegetabili ali, augeri, quæ actio propria est differtque à figura plantæ, à densitate, amplitudine, quæ sunt accidentia communia. Postremo in græco codice est verbum (pathe) quale arguit Andronicum in suis commentarijs de interpretatione, vbi ex eo verbo ibi reperto quod voces, scripta sunt signa passionum animi suspectum habuit librum, ne esset Aristotelicus, quia oblitus fuerat huius loci, vbi Arist. dicit pathe affectus animæ nostræ. Nisi Andronicus se defenderet affirmans non inueniri illud totum, voces & scripta signa esse passionum animæ, quia nusquam id totum offendes in libris de anima, sed hæc pauci momenti.

## *Libri primi caput secundum de multiplici uia, & methodo inuestigandæ definitionis animæ.*

### Contex. IIII.

***VNDIQVE, & omnino inter difficillima est aliquam fidem de ipsa sumere, etenim cum sit plerisque communis quæstio & pluribus alijs dico de ea, quæ pertinet ad substantiam, & quid est, forte alicui videbitur vna quædam subesse omnibus methodus, quorum substantiam cognoscere volumus sicut enim est vna propriorum, quæ accidunt, demonstratio, & ita quærenda esset hæc methodus: Quod si non est vna qualam, & communis methodus ad ipsum quid est, adhuc difficilius erit nobis negociari. Sumere enim operæpretium fuerit qui sit cuique modus, & quando perspicuum esset numquid demonstratio, aut diuisio, aut quædam alia methodus sit, rursus alias multas dubitationes haberet, & plures errores ex his, quæ sunt quærenda. Nam aliorum ceu numerorum, & planorum diuersa sunt principia.***



RRANT, qui dehortari ignauos putant ab hac lectione. Nam quisque cõmentarius Arist. auscultatorius maxime rudes, hebetes ingenio deterret a labore legendi, Quinimo absoluto exordio stat author promissæ diligentiæ in primo contex. cum dicebat vnam scientiam alteri, excellere, quia exacta, est, se exactam tradere pollicitus primum præmittit varias dubitationes de perquirenda, & conflanda definitione communi, & propria animæ, Et primas de methodo, & via communes etiam pluribus alijs rebus definiendis, vt secundo libro de postera resolutione patet, hæc generatim enumerat. Vnam de numero methodorũ an vna sit, vel plures. Alteram vbi sint plures quales modi sint isti, & viæ? Et quando affirmarentur

tur solitæ, vsitatæque maioribus, ceu illa demonstrandi Hippocrati medico probatur, vnde ignari illi habeantur, qui iudicant Hippocratem Coum Medendi parentem ignarum dialectices fuisse, non solum, quod in libro de arte profitetur definire quid sit Medicina, & demonstrare contra Gorgiam; & alios dicentes fortuna omnia effici, sed quia planè docti tribuunt hanc viam demonstrandi Hippocrati vsitatam, aut illa diuidendi in dialogis Platonis vbique Socrati gratissima, qui in Philebo Dialogo de summo bono humano generi donatam Prometheo diuinitus prodidit, aut aliqua alia ceu componendi, resoluendi, adhuc non cessaret dubitatio hæc. Tertia, quia siue demonstratio, siue diuisio, siue compositio, siue resolutio quæuis vna, vel simul plures, rursus multæ emergent dubitationes, quinimo plures errores possunt incidere ob diuersa rerum principia, ex quibus conduntur definitiones, ceu ex materia, seu genere, & forma, seu differentia, cum enim res differant genere, differentiis non desunt quæstiones de generibus, & differentiis eorum, velut de generibus numeri, & plani, quæ ambo quantitates, sed vna continua planorum, superficierum æqualium, altera discreta, vt conclusum est in cathegoria quantitatis. Hæc summa verborum, sententiæ, restat singula examinare. proponitur communis conclusio omnibus citandis dubitationibus in hunc modum. Vndique quo ad omnes difficultates de via inueniendæ definitionis, de partibus eius, de rebus definitis, & omnino, quo ad ordinem procedendi, an incipiendum à tota anima, vel a partibus, & quo ad reliquas in præfatione nostra recitatas dubitationes inter difficillima, & secreta naturæ, vt supra historiam reponebat author inter primas ita inuestigationem definitionis animæ inter difficillima, cum priscorum nemo exacte quid illa sit euoluerit, & illi sint in magna dissensione versati alij aliam secuti descriptionem, ob id inter difficillima est aliquam fidem de ipsa natura, & substantia animæ sumere, siue fides sumatur ex lumine intellectus agentis, siue ex authoribus alioqui famosis, & receptis. Nam contenderunt discordes, siue ex probabilibus rationibus perarduum est, cum propter rei difficultatem, tum ob vim ingenij nostri perexiguam. Et dixit fidem pro habitu fixo in anima, quæ longe maior est fide acquisita per demonstrationem, & hæc fides vtcunque genita sit, ardua est. Tantum potest fides, vt hac sublata concidat omnis scientia oportet, ob id primo libro de posteria resolutione credendum conclusioni asseruit author, quia credimus præmissis. Quinimo nec magis affectus, & dispositus, quam sciens nouerit melius, quam vbi sit certa, & inculpata fides, quæ certe vel lumine intellectus agentis paratur, vel lumine diuino. Fides ergo est habitus certus in animo de rebus verissimis confirmatis hoc vel illo lumine, aut vtroque simul. Theologia vtroque, sed maxime primario diuino nititur, iccirco nec magis dispositus, quam sciens calluerit maiorem notitiam, ea quidem, quam fides præclara parit. Præmissa igitur communi conclusione de difficultate parandæ fidei, protinus triplicem de methodo perquirendæ definitionis animæ adducit, occasionem dubitandi communem accipiens, si quidem de multis aliis definiendis, inquirendisq; quid sint, & quæ sit eorũ substantia solet dubitari qua methodo eorũ definitiones cudendæ & procudẽdæ sint, non ergo mirum, si quoq; de definienda anima similes incidant dubitationes, nec mirum si de methodis fiat sermo, quas tradere dialectici est Arist. teste primo libro topicorum, & Galeno in libellis de pulsibus, & alibi non semel subscribente, quia asserta dialecticorum possunt applicari diuersis scientiis. Inquit. Etenim cum sit quæstio communis etiam compluribus alijs definiendis. Plura enim definiri non possunt nec indiuidua hæc, & illa, quorum ob fluxam materiam, & fluentem nulla est definitio apud Heraclitum, & Cratillum. Nam elabuntur, & intereunt, & quia infinita sunt iubet ob id Plato sisti definitiones ad ideas, seu species. Nec genera generalissima diffiniuntur, nec equiuoca, nec falsum, aut imaginatum, non mere simplex, non ens ex accidente, & plura alia. Exponitur quæ sit illa quæstio, Dico autem de ea, quæ pertinet ad substantiam præcipue, cum item accidentia definiantur, vt in mathematicis, & alibi metaph. septimo libro, & quid est, ad interrogationem quid est respondetur non solum species, vt quid Philander? homo est, & genus, ceu quid leo? animal est. Sed etiam definitionem, vt quid homo? Animal sane rationale, verum definitio declarat quid sit totam rei substantiam ex vtroque principio, cum genus a materia, differentia a forma sumatur, sed species, vel genus, vel partem, vel totum quid confuse, non expresse, vt definitio indicat. Nec mirum si definitio habens quoque differentiam, quæ asserit quale quid, non satisfaciat interroganti quale, sed quid, propterea quod interrogans petit essentiam rei totam, quam ipsum quid ostendit. Data igitur occasione communi dubitandi de methodo condendæ definitioni: cuiusque primam difficultatem affert de numero viarum, dicens, fortasse videbitur alicui v-

qui

quidem quo ad numerum, & quædam quo ad qualitatem viæ, id est qualis sit ex pluribus subesse omnibus methodus idest via cum ratione. Quid sit methodus dudum in primo commentario exordij phys. expressi. vbi Simplicius tradit quid sit etiam apud Alexandrum. Galenus placuit describens methodum esse viam quærendorum à natura acceptam duodecimo methodi cap. septimo, sed conquisitius censui methodum appellari debere conuiam nõ vsitato vocabulo, quia modus procedendi recte riteque in scientia, & in gerendis rebus petit ordinem, ob id Gal. longe exquisitius. cap. quarto primi libri de methodo medendi definiuit methodum hoc modo, Est habitus inquirendi, & docendi cum quadam via, & ordine disquirendi quid primum, quid secundum, tertium, quartum, & deinceps donec quod est ab initio propositum. Quæritur icicirco ne vna sit quædam methodus de omnibus, quorum substantiam, id est definitionem. & quinto metaphy. de significationibus nominis substantiæ, quod item definitionem significat, cognoscere volumus. Vnum adducitur argumentum pro hac opinione de vna via à similitudine viæ concludendi propria accidentia de subiectis, vt est vna methodus demonstratiua propriorum, ita erit vna perquirendę definitionis, sed vna est propriorum, ergo etiam definitionis. Sicut enim vna est propriorum, quę accidunt, id additur, quia etiam definitio substantię dicitur propria, sed non accidit. Demonstratio causæ, seu propter quid, à prioribus est illa, quę concludit propria accidentia per causas eorum, & definitionem subiecti, cum ex principiis eius oriantur. Definitiua methodus non colligit propria accidentia, nisi loco differentiarum, cum latent. Demonstratio in cuius arte tradenda omnem operã posuit Arist. dialecticę est sillogismus ex primis necessarijs, &c. Et triplex est, causæ prima, & secunda effectuum, tertia causarum, quæ sint nobis, & natura notiores, quod tertium genus demonstrationis, quia non legerim in libro de postera resolutione aperte recusaui alias, nunc perlecto sępe sexto topicorum libro vidi Arist. citasse tria genera definiendi à notioribus nobis, à notioribus natura, & vtroque simul modo facile adducor si triplex est medium demonstrandi fateri tria genera demonstrandi. Quare si vna est via concludendi propria accidentia demonstratiua, vna quoque erit peruestigandæ definitionis. Adde tu quia etiam est vna substantia quærenda, vna quoque via erit, vt rei quæsitæ conformis sit methodus quęrendi. Adde rursus vnum lumen intellectus agentis esse circa principia scientiarum, ergo vna quoque methodus. Atque vna est quæstio, quid est omnium definitionum secundo libro posteriorum, ergo etiam vna methodus. Subscribunt Hippocr. qui vnam demonstrariuam secutus est, & Socrates Plato, quibus placuit diuisiua. Verum non sufficit vna inuestigandi, & componendi definitionem, & si vna sufficiat concludendi propria propterea quod vna sola inhærentia proprij accidentis suo subiecto concluditur demonstratione, sed in componenda definitione ex genere, & differentia opus est diuidere prius vt ex diuisione eliciatur propinquum genus, cum sua differentia, & deinde componere, ob id & si vna sit substantia quęrenda, tamen hęc est composita ex genere, & differentia icicirco & diuisiua, & compositoria opus est. Quod de vno lumine intellectus agentis dicitur puerile est. Hoc enim modo nisi vnam scientiam esse colligeremus, At diuersæ sunt ob diuersas materias subiectas, pari passu diuersę methodi ob diffidentia principia definitionis. Nec concluditur recte de vna methodo, quia vna quæstio quid est, si quidem quæstio pertinet ad formam quærendi, Methodus ad materiam colligendam definitionis, vbi non sufficit vna. Reliquum de sententia authorum, quos citauit obiectio postea. Addit author addubitationem, quoniam quando vna sola methodus suppeteret, quærenda esset hæc methodus, qualis sit. Cęterum ad secundam quæstionem accedit contex. Vbi nam vna non esset methodus, sed plures communes de ipso quid est adhuc esset difficilius negociari quo ad inuentionem definitionis, Et operosi negocij causam docet, quia sumendus esset quis modus cuiusque sit. Aduerte interim diuisionem per contradicentia effici cum dicitur vna, non vna methodus, vnde si plures, difficiliores emergunt dubitationes, prima, quot sint, secunda quales sint, tertia quomodo applicandæ, & nunquid plures genere vel specie, vel numero, & quomodo vni rei definitæ plures accomodentur, ac quæ prior sit, & quæ posterior, necnon vna generi inueniendo, altera differentię constituendæ, simili modo si quot quærerentur, an finitę, an infinitę? & si finitę quo numero sint, duæ tres quatuor, sex? Atque itidem si quales quærantur, quæ sint hę? & quomodo nominentur, & tandem quomodo applicandæ sint, postremo ad tertiam deuenit author dicens, Et quando perspicuum esset, nunquid demonstratio, vt placuit Hippocrati Coo, non Chio Geometrę, aut diuisio, vt Socrati, Platoni, aut quędam alia methodus compositiua, resoluti-

solutiua, rursus aliæ multæ dubitationes haberentur, & plures errores. Dubitatio est anceps opinio de re opinabili ex impotentia, & defectione prudentiæ, vel scientiæ. Hinc Græci aporiã vocant dubitationem. Aporia est quędam ignorantis, & suspicantis animi defectio. Error autem metaphora desumpta ab his, qui iter faciunt cum vagantur incerti, & sępe eos semita inuia ludit, & fallit. Vnde vero plures dubitationes, & errores scateant, inquit ex his, quæ sunt quęrenda. & quæ sint ista exemplo numerorum, parium, imparium, &c. ac planorum docet, siquidem quęrenda sunt primum definita, nunquid par vel impar definiendus sit, atque si par aut pariter par &c. simili modo si planum, id est superficies an recta, an rotunda, an connexa, concaua definiatur. Deinde quærenda sunt eorum definitorum principia, per quæ traduntur diffinitiones, quę & qualia sint, & quo in genere, & quibus differentijs constituantur, & separentur ab alijs, ceu si numerus sit substantia, an quantitas, vel qualitas, & si eius sit vnitas principiũ, & quomodo sit multitudo ex vnitatibus collecta septimo Euclidis libro, quę de his dicuntur intellige de cęteris, Quomodo vero contingat errare circa definitionis partes legeris sextum librũ de sedibus argumentorum, quæ gręci topica vocant, & nos in commentarijs paruæ artis Galeni plura disputauimus de erroribus circa definienda, & partes definitionis. Cęterum mandabis hęc memorię. Primum quinque methodos esse. Diuisiuam, resolutiuam, compositoriam, definitiuam, demonstratricem, huius demonstratiuæ locupletissime Aristot. artem tradidit in Dialectica, Reliquis vsus est methodis, sed artem non condidit nec diuidendi, resoluendi, & si sępe vsus sit diuisione in libris passim, & resolutione in libris de priori, & posteriori resolutione, nec componendi, quam tamen in conficiendis definitionibus, & conscribendis libris exercuit. Quinimo nec de arte diffiniendi quid reliquit, nisi tractauit locos promendos à definitione, & partibus eius in sexto topicorum, & septimo metaphy. contra Platonem de diffiniendis ideis, & secundo libro posteriorum qua definitio medium in demonstratione. Siluit ergo artem definiendi, quæ esset, & quomodo omnis descriptio, & definitio absoluenda esset, deque eius vsu, & potestate. Secundo accipe quid sit demonstratio ex primo libro poster. & quid sit diuisio cum sit partitio semper communis per proprias diff. rentias vsque ad genus propinquum contentum recte sub illo. Sed multiplex est diuisio alias explicanda. Methodus diuisiua est habitus diuidendi recto ordine secanda, methodus demonstratiua recte concludẽdi, cõpositiua ex proprijs initijs, aut velut initijs quicque componendi. Methodus resoluendi posteriora ad principia Methodus definitiua componendi, & resoluendi composita, & componentia cum explicatione rei definitæ. Demonstratiua non colligit definitionem sine petitione principij libro secundo poster. ergo spernenda, Definitiua vtitur compositiua, diuisiua, resolutiua.

## *Caput iij. de genere, & de re definita dubitandi.*

## Contex. V.

*PRIMVM ideirco necesse est forte diuidere quo in genere illa sit, & quid est. Dico autem an hoc aliquid, & substantia, vel quale, vel quantum, vel quadam etiam alia chategoriarum, quas diuisimus. Ac nunquid sit eorum, quæ potestate, aut potius entelechia quædam quærendum est. Non enim parum interest, præterea considerandum est ne partibilis, vel impartibilis sit. Atque vtrum omnis anima sit similis speciei, necne. Quinetiam si non similis specie, an specie vel genere differat. Verum qui nunc inquiunt, & quærunt de anima, de sola humana videntur habere solicitudinem.*



XACTAM scientiã de anima pollicitus versatur potissimũ in construenda definitione eius, quæ sit mediũ demonstrationis operũ, & affectuum eiusdẽ. Cępit dubitare de methodo construendi illam, nunc de partibus definitionis ceu de genere remoto, & propinquo tres dubitationes profert, & de re definita duas, atque indicat suam professionem exactiorem illa antiquorum, qui non de omni anima, sed de sola humana, vt Socrates, Plato in Phædro, Phedone, decimo de Rep. in Timæo solliciti fuerunt Ergo sex habes in hoc contextu, quorum primum quęstio est de genere definitionis. Primum de genere, quia hoc est prima pars definitionis, aut primum necesse

cesse est diuidere, hoc est de Methodis vti diuisione, quæ prior est compositoria Methodo, cum illa diuidendi suppeditet compositoriæ genus propinquum diuidendo communiora genera per proprias differentias diuisiuas vsque ad proximum genus, velut si vis indagare genus propinquum homini dicatur, homo substantia aut corporea, aut incorporea, & si corporea, aut animata, aut inanimata, & animata, aut rationalis, aut irrationalis &c. His habitis compositoria Methodus connectit homini animal rationale, & perficit definitionem, & ob id aduerbium illud forte, dubitandi adiectum est, quia erat dubium de via, quare vti forte illa diuisiua necesse est primum, quia postea vtendum erit compositoria. Quæritur primum genus in definitione, ceu diuisiuum diuidente, & contractum contrahente differentia, & notius natura, & quod à materia sumitur, quę est natura prior forma à qua differentia ducitur. Iure ergo primum est diuidere, idque forte necesse, quo in generę illa sit, idest in qua chategoria, quæ est quędam assertorum, seu prędicatorum ordinata collectio, vt constituto genere supremo communiora sequantur diuisa suis differentijs vsque ad athomas species, quas vocant specialissimas. Vltra est infinitum execrabile naturę, & cognitioni nostrę actu. Et quid est, cum plura collocentur in genere, quæ non definiuntur, vt suprema genera, & differentię, nisi qua species, & indiuidua, ob id traditur cur genus animę inquiratur, vt quid sit anima explicetur. Ac genus prędicatur, asserturus sub hoc titulo quid est, sicut differentia sub illo quale quid. Quamquam substantię secundę per modum appellationis significant quale quid, tamen interroganti quid species sit, per genus satisfaciunt. Hęc fusius explanato author. Dico autē, an hoc aliquid, idest vtrum sit res existens in natura quędam, & substantia, & non idea, sicut in Phædro disputauit de idea animę Plato, nec quid apparens, vt Parmenides cecinit nil reuera esse pręter vnum, quod vere est, nec sicut Dicearchus inficiatus animam esse, eiusque asserens vocabulum inane, sed qui animam posuerint substantiam Pythag. Socr. Plato. Aristot. Empedocles, & omnes siue corpus, siue incorporeum quid dicerent, vt Stoici, & similes. Preponitur substantia, quia est cęteris prior accidentibus natura, & per secta cognitione, siquidem substantia sine accidentibus his, & illis esse potest, accidentia vero nulla sine substantia. Quinimo accidentia ideo sunt, quia insunt in substantia septimo Metaphy. libro, subditur item alia Cathegoria vel quale, ceu Aristoxenus Musicus arbitratus illam esse harmoniam reprehensus ob id à Socrate in Phędone, atque ab Aristotele postea in hoc libro. Atq; Medici, Alexander Aphrodiseus reposuere illam in qualitate dum complexionem esse quandam, aut accedere ex temperamento opinamur, vel quantum, vt Xenocrates auditor Platonis, & publicus lector in Academia post Speusippum generum Platonis statuit animam esse numerum. Necnon Plato visus est conflauisse animam ex interuallis, quem oppugnabit Arist. in processu, vel etiam quędam alia Cathegoriarum, quę decem numerantur reliquæ septem sunt Relationis, Agendi, Patiendi, Situs, Quando, Vbi, quas diuisimus in libro de pręd icamentis, vel communibus assertis, & septimo, quinto Metaphy. Hęc de prima dubitatione in contextu vbi duo obseruentur, primū cur expressit solū tria prędicamēta, substantiā. Qualitatē, Quātitatē, & non alia? Respondet Simplicius, quia veterum opiniones de genere animę aperte in aliquo triū reposuere. Obijcitur in hunc interpretem, quia fuere assertores de anima dicentes illam proportionem elementorum & ita collocarunt in genere relationis, Quinimo Aristoteles actum entelechiam affirmabit, quod verbum relatiuum est, ergo debuit etiam mentionem facere de ipsa Relatione, Nisi famosę magis fuerint illæ opiniones de vno trium genere, secundo obseruabis preponi qualitatem quātitati, contra quam in chategorijs, & quinto metaphys. fecit author. Nisi id factum, propterea quod magis qualitas anima, cum sit principium operandi, quam quantitas videatur. Secunda quæstio succedit de genere proximiore, quoniam concesso, vt sit substantia, quærendum est nunquid sit substantia potestate, id est materia, vel corpus potentia vel actu, de vtroque erit in secundo libro declaratio, si quidem declarabitur nec materia esse, nec corpus etiam animatum. Error est asserere solum per illud (quod est potestate) corpus ipsum duntaxat ob id, quia materia non est potestate in ablatiuo, sed in recto potentia, si quidem vtroque modo Arist. vocat materiam potentiam, & quod est potestate sępe, & maxime secundo libro huius negocij. Ait. Ac numquid sit eorum, quæ potestate materia, vel corpus etiam animatum, quod saltem est potestate ad operationem an potius entelechia quędam, id est actus continens internus, atque perfectio, Nomen id nouum (entelechia) ab authore inuentū, de quo multi dixere, sed primum aduerte aliud nomen endelechia per d prolatum, cuiusmodi Cicero in Tusculanorum primo libro transtulit in continuatam motionem, Deceptus animę applicuit,

plicuit. Nec omnis anima est continuata motio, non sane vegetalis. Quocirca omissa illa Luciani difficultate an per d. vel per t. scribi debeat persuasersim legendum, vt iacet in contextu, ego vero conflatum nomen è tribus opinor ex entos græce, intus, atque ex telos, perfectio scilicet, necnon echo, contineo, vt ex his omnibus liceat circumscribi intima perfectio continens, sic anima erit asserta, cum sit interna perfectio animalis continens, quia quoad in corpore est, continet animal, recedente animal dissoluitur. Quęritur ergo, ne anima sit collocanda in genere proximo, vt sit quędam entelechia. Et quędam; propterea quod & alię formæ corporum dici possunt entelechiæ, quę non sunt animę. Aut forte adiecit illam particulam (quędam) quia duplex actus erit in secundo libro expressus, primus velut scientia, & secundus, velut scire, & quia anima est primus, dicitur quędam perfectio. Confirmat quęrendum esse hoc modo, quia non parum refert asserere animam substantiam, quę sit potestate, hoc est materia, corpus, aut entelechia. Dicebat Auerrh. actum potentiam primas entis differentias quinto, & nono metaphys. libro, Philoponus opinatus est per hęc quęri, vbi anima sit substantia nunquid corporea, vel incorporea, sed non vidit hęc referenda esse ad ea, quę postea libro secundo in fabricanda diffinitione author seriatim lecturus est, Nam ibi de materia, forma, & composito erit sermo, an anima sit aliqua harum substantia. Quoties sui Arist. est interpres ab eo non discedendum, Hactenus de secunda dubitatione. Tertia sequitur vbi sit anima entelechia, an partibilis, vel impartibilis sit. Preterea considerandum est, ne partibilis, vel impartibilis sit? quorum verborum interpretationes octo afferuntur, sed ante harum recitationem verba ambigua lucem desiderant, impartibile dicitur carens partibus, vt punctus in continua, vnitas in discreta quantitate, partile ergo, quod partes obtinet, Impartile item dicitur vnum numero, vt Soc. Philander, ac species specialissima athoma quia cum sit species, non potest esse genus. Huic oppositum dicitur uniuersale, quod multa continet partile in illis. Rursus impartibile dicitur primo libro de generatione quod non interire potest, cuiusmodi cęlum impartile dicitur. Quarto impartile quicquid caret omnino diuisione, ut Deus, Adde impartibile actu, ut linea continua, sed potestate partibile, atque impartibile ratione, ut ea, quorum una ratio, Impartile quod sibi undique simile, & ne plura narrentur, prima interpretatio est, ubi anima sit substantia formalis, an sit partibilis, id est extensa toto corpore, vt aliæ formæ, sicut in plantis, & insertis animalibus lacertis, anguillis, aut impartilis inextensa, vt sit tota in corde? Secunda an sit partilis, id est corporea, vel impartilis, incorporea. Tertia, vtrum sit partilis, idest an habeat partes more Platonis, rationem in capite, iram in præcordijs, cupiditatem subter præcordia. an impartilis, id est sine partibus? Quarta an impartilis, &c. idest, an vna sola in quouis animante, an plures in animalibus insint, vt Philoponus putat. Quinta, nunquid partibilis, id est habens plures potentias, an impertilis, hoc est sine potentijs, ceu Democritus, & Epicurus eandem naturam sentiendi intelligendi arbitrati sunt. Sexta vtrum partibilis, hoc est, animæ plures, cuilibet singulari data sua, an impartibilis, videlicet quod vna sit in omnibus animalibus, vt vna est totius mundi apud Platonem in Timæo. Septima an sit partibilis, id est plures humanę, an vna sola. Octaua, nunquid partibilis specię, videlicet specięs plures animæ, an impartilis, vt sint omnes eiusdem speciei. Ego statuo intelligi nunquid plures sint potentiæ, vel partes eius, an vna sine facultatibus, & potentijs de quo erit dubium. Quarta dubitatio, Atque vtrum omnis anima vegetatiua, sensitrix, intellectrix, aut omnis vegetatiua, vel omnis sensitiua, vel omnis intellectualis sit similis specie, necne, si similis specie, ergo in eodem sunt genere, vt Socr. Philander similis speciei, & si etiam non similes specie possunt esse in eodem genere, vt leo homo. Verum hæc dubitatio potest effici de animabus in diuersis animalibus vt, de sensitiua bouis, & sensitiua leonis, & aliorum, vel de vegetatiuis huius generis plantæ, & illius, atque de triplici in eodem animante, vt de vegetali, sensili, intellectuali. Et crede mihi nondum hæ dubitationes sunt explicatæ, sed hæc quarta dubitatio hactenus de re diffiuienda, de qua etiam sequens. Quinta dubitatio. Quin etiam si non similis specie omnis anima, an specie, vel genere differant. Specie differunt indiuidua diuersarum specierum, ac species ipsæ, ceu æquus, elephas, sed hæ sunt eiusdem generis, & quia possunt esse diuersa specie, vt homo, & linea rotunda, quæ etiam sunt diuersa genere, vt substantia, & quantitate, ob id subdidit, an specie, vel genere differrant, si animæ vegetalis, sensilis, intellectualis non sunt similis speciei, an saltem differant specie, vel genere propinquo, & remoto, Verum hæ dubitationes non occurrebant priscis, quia de sola humana conati sunt dicere, iccirco manca, & mutila fuit eorum

C doctrina.

doctrina. Quare sextum in contex. exponitur. Verum qui nunc inquiunt Socrates, Plato in Phædro, in phedone in Timæo, in libris de Repub. de legibus, & quærunt tractare de anima de
„ sola humana videntur habere solicitudinem, & videntur, sed tamen indicauit Plato in Timæo
„ his. (Quippe humani generis naturam quandam cognatam alijs formis, sensibusque miscentes
„ quasi animal aliud quoddam plantauerunt. Talia sunt domesticę arbores, semina, & cętera lege vsque ad orationem de venis) anima plantarum vegetali aliud construi animal. Errauit Plato Pytagoreus ibi vocans plantas animalia, cum, cum sensu careant, attamen indicauit diuersas esse animas plantalem, sensilem, & rationalem, Aristoteles has differre docebit, hisque commune nomen animę esse, quale analogum sit, & prius asserendum de rationali, quam de reliquis.

## *Caput quartum primi libri an sit una communis definitio animæ, uel cuique propria elaboranda continet.*

## Contex. VI.

*CAVENDUM præterea, ne nos lateat, an sit eius vna ratio, velut animalis, an cuiusque vt equi, canis, hominis, Dei alia. Animal autem vniuersale aut nihil est, aut posterius, similique modo & si fuerit aliud commune assertum.*



HOC caput nectitur supra cum quærebatur, ne anima omnis sit similis spetie, vel genere & cauet vbi tres hę vegetalis, sensualis, intellectrix essent dissimiles spetie, ceu Plato Socraticus in quarto, & sexto de Rep. atque in Timeö dixisse videtur rationem. iram, cupiditatem diferre, & in Timeo cum locis disclusit rationem à reliquis tanquam genus alterum animæ separauit, ne nos lateat quomodo adhuc sit dubitandum, an sit struenda vna communis definitio cuique animæ vninoca, vel analoga saltem exemplo, velut vna traditur animalis communis substantia sensus capax, vel sensu predita cognoscens, an cuique animæ edenda propria. Exemplo velut equi, canis hominis, Dei, hoc est cęli, aut dęmonis, aut intelligentiæ separatæ. Est igitur cautio, vbi animę differant spetie, & coueniant genere, ne lateat quo adhuc dubitatio oriatur sit necne condenda communis definitio animæ, velut generis, an cuique spetiei sua, vt vegetali, sensitrici, intellectuali propria. Sed cur dixit cauendum, quia erit sibi cautum in secundo vbi dixerit, si quid commune de anima dicendum &c vbi loquitur cum conditione. Et cautum esse oportet, quia anima analogicę competit animalibus, cum longe prestantior cęteris & prior sit nostra, & quia videtur Philopono equiuoca & si falso, & Aristoteli dicturo in typo dicta, & adumbrata est illa definitio, de quo in eo loco sermo, sed cur cauendum sit, ostendit dicens ab exemplo non digressus, animal autem vniuersale, aut nihil est, si more Platonis sit idea, aut posterius est, si sit conceptus, & sola animi molitio, & ne de animali solo dici videatur, & sub eodem prætextu de anima, quę vniuersalis more Platonis in Phædro idea nihil est, cum ideę apud authorem sunt velut vani ictus chordarum secundo libro posteriorum toties con futatæ, vel posterior est spetiebus suis vegetali, sensitrice, intellectuali, etiam refert simili modo dicendum & si fuerit aliud commune assertum, predicatum, quia aut nihil, aut posterius est. Cęterum perpende hęc verba, Animal vniuersale, ne intelligatur singulare vel spetiес, sed vniuersale, velut genus, nihil est, quinimo nec idea est genus, sed tantum spetiei apud Plat. atque vniuersale animal per se subsistens non est, sed posterius existens in singularibus prioribus, quia genera secundæ substantię sunt in primis, si secundę sunt, ergo sunt posteriores primis.
Atque alio modo dicunt animal adde vniuersale, vt quoddam prędicatum de spetiebus aut nihil est, aut posterius idest aut est pars definitionis, & non definitum, vt homo est animal rationale. Atque rursus diuidunt vniuersale ante rem, vt Deus, cęlum, in re, vt homo, animal, superficies, Calor. Post rem ceu genus, spetiеs &c. Themistius ergo, & Auerh. sentiunt animal vniuer-
sale

fale ante in re siue post rem protenui quadam similitudine, & fabra animi, meraque notitia vel nihil esse, quia merus, nudusque conceptus, ceu animalis non est ipsa substantia animata sensitrix, sed hoc, vel illud animal, & ob id Auerh. asseruit definitiones esse rerum singularium, vel posterius est, quia sunt collecta ex singularibus in quibus intellectus facit vniuersale apud Auerhoem, quare vniuersalia pro primis, secundisque notitijs asserunt posteriora esse. Verum enimuero Themist. Auerh. cum sua breuitate dicendi sępe fallunt bonos animos, qui verius erudirentur. Iccico quam paucis expediam tantam difficultatem de rebus vniuersalibus. Tria sunt, singulare cognitum à cogitatrice facultate ceu Socr. hoc album, illud calidum. Commune, quod est in singularibus, velut humanitas in singulis hominibus, quod commune reuera est, sed aptũ effici vniuersale, & quod nõ aptum est, vocatur intellectile potẽtia, & quia singulare cernitur, & hoc commune minime, nisi intellectu aptum cognosci ob id ille dicebat Socratem video, sed humanitatem & ideam minime, attamen hæc forma communis, & ratio est in singulis hominibus, apud Arist. apud Platonem Socraticum hoc commune non est in singularibus, sed in Deo vti exemplar, & in natura, velut ratio producendi, & in ipso intellectu, ceu ratio cognoscendi, contra quos modos idearum author primo libro metaphys. & septimo, atq; passim inuectus est. Sanciuitque communem illam rationem esse in singularibus aptam intelligi ab intellectu potentiæ vbi agens intellectus separarit eam a conditionibus singularibus, & fecerit illud commune actu vniuersale, Facere autem actu vniuersale hoc tertium est illud apertius sic in singulis existens dicere, & asserere prædicatum de illis pluribus, & ideo humanitatem in singularibus hominibus repertam abstrahens facit eam actu vniuersalem, datque nomen (homo) qui asseritur de Socrate, Philandro, Cicerone, Iacobo, Lucillo, Laurentio, & hoc modo humanitas communis intellectilis actu facta intellecta recipitur ab intellectu potentiæ, & sic scientia habetur de ipsa re communi, quæ est, & non tenuis similitudo Aristoteles ergo cum scribit animal vniuersale intelligit illo modo, sicut Plato Socraticus prodidit separatum à singularibus omnino, & solum esse in ipso intellectu aut nihil esse, sicut secundo libro poste. affirmauit ideas esse teretismata græce, sed latinæ vanos ictus cordarum, aut posterius esse, hoc est non suapte natura separatum sed ab intellectu agente abstractum à singularibus, & factum actu vniuersale, quod in illis suis singularibus inest, & de illis prædicatur, & ob id tertio libro comparabit intellectum agentem, quoad communitates in rebus percipiendis ab intellectu potentiæ lumini ad colores, qui sunt. sed in tenebris non mouent visum, vt lumen affulget, continuo mouet, ita communitates in singularibus non mouent intellectum potentiæ actu, nisi agens intellectus eas separet suo modo, non quod eas faciat existere seorsum à singularibus, sed in singularibus repertas illustrando, nudando à conditionibus singularibus, quas cogitatiua comprehendit, & ita tanquam meras, & denudans actu facit vniuersales cuiusmodi intellectus potentiæ eas comprehendit, & hoc modo primę notitiæ, quas vocant primas intentiones fiunt. Secundæ vero notitiæ, seu intentiones efficiuntur postea ab intellectu potentiæ vbi actu, & in habitu factus est, qui format, & affingit, ceu animalis hunc conceptum, hoc nomen (genus) & de homine, leone (species) & de rationali, differentiam, & sic de alijs, quod genus intellectilium prætermissum ab Aristotele tertio libro admiramur, de quo nusquam mentio est, cum semper tria intellectilia sit persecutus, naturales formas, mathematicas, diuinas, attamen tota Logica, & Dialectica, ac Rethorica, & omnis ars ingenua, & liberalis de sermone, & forma dicendi his secundis notitijs referta, & completa est. Sed tu cogitabis, quoniam sat mihi est notauisse. Hæc de vniuersalibus apud Arist. sunt decreta, Ausim dicere, si qui aliter sentiunt, hos toto Aristotelis negocio aberrare.

## *Caput quintum primi libri de dubitatione, an in texenda definitione à tota anima definienda, uel à partibus ordiendum.*

### Contex. VII.

*Ac si non multa sint animæ, sed partes, an quærere oporteat prius totam animam, an partes, Atque ex his decernere quænam diuersæ sint, difficile est.*




VONIAM quis cautioni supra diceret recte cauendum esse, si plures animæ essent, atqui vna est desclusa partibus, iccirco illius vna struenda definitio, Ob id subiecit author hanc dubitationem, Ac si diceret aliquo non multæ sunt animæ vegetalis, sensilis, intellectualis, vel verbis Platonis ratio, irascibilis, cupiditas, quod omnino mendacium puto, & censeo varias in diuersis animantibus, in plantis, feris, hominibus, sicut verum fateor in eodem animante, vt in bellua vna est anima sensitrix, quæ continet vegetalem, vt potentiã atque altricem, auctricem, genitricem velut facultates, & in homine vna rationalis, quæ complectitur facultates vegetalis, & sensitricis, ne sint animæ in vno animante, velut plures in æquo Troiano, sed partes, vt Plato dixit, vel potentiæ, vt Aristotelici aiunt & melius, quia pars pertinet ad quantitatem totius, anima non est quid quantum. An prius totam animam quærere oporteat, an partes? pars est totius vel actu, vel potentia, & totum constat è partibus, Quot modis totum, & pars quinto metaphysicorum. Anima nunc tota est, velut res definita, quæ constat è partibus definitione explicandis. Anima tota est essentia, & vniuersalis, quæ continet plures animas, vt animal hominem, leonem &c. Anima tota est prædita multis potentijs, vt partibus, Themistius dubitationem laudat, quia rationes sunt in vtranque partem. Nam a tota sumendum initium videtur, quia totum notius suis partibus, & quia ab vniuersalibus vtpote notioribus auspicandum. Ex altera vero parte ducendum videtur initiu .a a partibus, quia à simplicioribus, & initijs inchoandum. Reliquum author subiunxit difficultatem, quoniam vbi essent plures partes, & non animæ, adhuc difficile foret dignoscere quænam diuersæ sint. Hanc difficultatem mouit & Plato in quarto de Repub. & officijs, affectibus diuersis distinxit.

## *Caput sextum de dubitatione an prius opera partium quam ipsa, & adhuc, si prius obiecta, quam opera tractanda.*

### Contex. VIII.

*NECNON an primum quærendæ sint partes, vel opera ipsarum, ceu intelligere, vel intellectum, & sentire, vel sensitiuum; simili queque modo in alijs, atque quis ambigeret vbi opera essent quærenda, nunquid ante opposita inuestiganda essent, velut sensile prius quidem, quam sensitrix, & intellectile, quam intellectrix.*



DHVC citat dubitationes de modo procedendi in tractandis definitionibus. Et duas nunc mouet, cum quælibet pars animæ vel facultas operetur, actionem habet, & obiectum vel a quo mouetur, vel in quo agit, Nutrix agit in alimentum, sensus patitur à sensili, Prima quæstio est, an primum quærendæ sint definitiones partium, & facultatum animę, quam operationes earum duplici exemplo vtitur sensilium, & intellectilium notiore, quam vegetalium verbum illud, opera, & si pro rebus effectis vsitatius euenit, quam pro operationibus, tamen communiter vtitur, siquidem sentire, & intelligere dici possunt quoque opera, cur non appellauit affectus passiones? Quia loquitur more Platonis arbitrantis animam agere, & si animalia patiantur. Sed de appellationibus non magna nunc cura sit. Secunda quæstio est, vbi opera tanquam euidentiora prius definiri debeant, quam facultates & partes, an saltem opposita, obiectaue prius definienda sint, quam vtraque opera, & partes quoniam notiora vtrisque sunt. Appellat author obiecta opposita, quia agens, & patiens opponuntur. Sensile obiectum est cuique potentiæ sensitrici. & intellectile intellectui. Hoc quoque loco dubitationes proferri possunt in vtranque partem, si quidem à partibus ante incipiendum, quia priores, siquidem ingrediuntur definitiones operationum, non tamen operationes adeunt definitiones partium, ex altera parte operationes notiores partibus sunt ergo ab eis ordiendum. Atque in vtranque partem dubitatur de obiectis & partibus, atque actionibus, quia illa euidentiora sunt actionibus, ac partibus, ex

alio

alio latere si sequamur naturam à causis ordiendum iccirco à partibus incipiendum, quia sunt causæ, cum anima sit forma, afficiens, finis actionum, & obiectorum, qua cognoscenda, sed hæc sunt argumenta Dialectica. Vnum attende in verbo hoc (Intellectile) quoniam Deus intellectilis, sed non notior actione, nec intellectu, præcipue quoad quid est.

## *Septimum caput, an ex proprijs affectibus sit inuestiganda definitio animæ.*

### Con. IX.

*COGNITIO ipsius quid est non solum vtilis videtur ad contemplandas eorum causas, quæ accidunt substantijs, velut in mathematicis quid rectum, quid obliquum, quid linea, quid superficies conferunt ad perspiciendum quot rectis anguli trianguli sint æquales, verum etiam econtra quæ accidunt magna ex parte conferunt ad cognoscendum quid est. Vbi enim de omnibus, aut plurimis accidentibus phantasiæ opera aliquid tradere poterimus, tum etiam quid de substantia maxime nobis erit facultas dicendi. Nam ipsum quid omnis demonstrationis est principium, Quare liquet quascunque definitiones dialecticas, vanasque dici, per quas non contingit cognoscere, aut coniecturare quæ accidunt.*



VM veteres sentiendi actione, & motu naturam animæ tradere conarentur, iccirco quæritur, an e proprijs, vel alijs affectibus animæ posit inueniri eius definitio, præmittitur accidentia conferre plurimum phantasiæ ope ad cognoscendum quid est. attamen præfert quomodo definito substantiæ vtilis sit ad contemplandas causas propriorum maxime accidentium, & hoc comprobatur ex eo, quod definitio est principium demonstrationis, vbi causæ conclusionis, & rei conclusæ sunt, si quidem primo libro posterum demonstratio ex causis quoad esse, & ad inferendam conclusionem componitur, ideo dicitur demonstratio à causa, propter quid, & à priore natura & ob definitionem quid, denique inducit corollarium, vt sint vanæ, dialecticæque definitiones, ex quibus vel cognitio, vel indicium coniecturandi accidentia propria non suppeditetur. Hic legeris quatuor seritiam. Primum. Cognitio incomplexa ipsius quid est definitionis substantię. De hac nunc sermo. Et si accidentia vere definiantur in Mathematicis, & Physicis. non solum vtilis, descriptio, notionalis definitio, quid nominis non vtilis, sed essentialis videtur Socrati, & Platoni in sexto de Rep. & alibi ad contemplandas eorum causas, formales, materiales, effectrices, finales, quæ accidunt proprie, quia communium accidentium non est demonstratio. Accidentia in Mathematicis habent causas formales. Accidentia naturalia obtinent materiales, in qua sunt, vel e qua oriuntur, & quas sequuntur, & efficientes, ac finales, vt in medicina, & artibus mechanicis si demonstrarent. Diuina quia non habent accidentia, sed sunt efficientes causæ, & finales, vt motuum cęlestium, earum definitiones indicabunt non ipsarum, sed aliorum accidentia quorum sunt causæ effectrices, & finales. Subditque quæ accidunt substantijs, vel modo substantiarum, sicut exemplum ostendit in Mathematica Geometria, velut in Mathematicis quid rectum, hoc est rectus angulus. Hic est spaciolum conclusum inter lineam perpendicularem, & aliam rectam suppositum maius acuto, maius obtuso angulo, velut a, b, vtrinque ex lineæ perpendicularis contactu. c. cum linea supposita, d. Quid obliquum, idest angulus obliquus, ex obliqua linea fit maior acuto, & recto velut. a. Quid linea recta nunc intelligitur, non torta, nec rotunda, nec flexa. Est linea recta tractus longus directe e fluxu puncti effectus duobus punctis conclusus ceu. c. d. Quid superficies est dimensio longa lata e flexu lineæ producta cuius termini duæ lineæ. Nunc sermo est de plana superficie, ceu e. f. conferunt ad perspiciendum quot rectis anguli trianguli sint, æquales, quod est propria affectio triangulorum. Accipe definitionem trianguli. Est sane figura plana trium laterum, & angulorum, quorum bini sunt exteriori angulo ęquales, & id est causa cur tres sint æquales duobus rectis. vt Euclides primo libro docuit, velut anguli. b. c. hinc exteriori, d, sunt equales, quare definitio causam huius tres equales duobus rectis continet. Mos est authoris exempla afferre [illegible]

ra, cum pueri à septennio ad has artes admitterentur. Inscriptio erat in hostio Academię Platonis huc nemo à Geometria imperitus Geometriæ. Aduerte loco differentiarum introduci propria accidentia, sunt nimirum germana proprijs differentijs, Deest illud non esse substantias. Si tamen cupis exemplum in physicis. Homo est animal rationale, quæ definitio indicat aptum disciplinæ, quod est affectio propria homini. Hactenus de primo, secundum subdit. Verum etiam econtra quæ accidunt proprie orta principijs speciei, ceu ex animali, & rationali habilitas sciendi magna ex parte & non omnino, quia latent differentiæ essentiales, iccirco absolui non possunt ex artæ definitiones, & tum accidentia magna ex parte, aut quia etiam diuisio, compositio Methodi. Conferunt ad cognoscendum quid est, definitionem subiecti. Cæterum quomodo magna ex parte, & qua ratione conferant, refert. Vbi enim de omnibus, aut plurimis accidentibus proprijs rei phantasiæ opera aliquid tradere poterimus vere, non commentitio modo, cum phantasia multa fingat, quia sane possimus, cum hęc facultas imaginatrix capiat phantasmata accidentium. Non enim capit substantias. Non est sensui datum percipere illas tum etiam quid de substantia, idest definitionem substantiæ maxime, hoc est recte nobis erit facultas dicendi. Tria hic locus desiderat. Primum, arguendos eos, qui ex hoc loco regressum, & circulum in demonstratione eliciunt, si recte legissent, vidissent authorem fateri accidentia propria ex demonstratione cognosci per definitionem subiecti, sed minime definitiones colligi ex demonstratione propriorum, at vero ex phantasiæ opera, quæ non ratiocinatur, nec demonstrat, cum præterea valde pueriliter se gesserint, siquidem definitio, quia definitio nulla demonstratione colligatur libro secundo poster. Secundum cur dixerit author de omnibus, aut plurimis accidentibus, propterea quod sat est notitia de vno proprio accidente ad cognitionem substantiæ definitionis nisi vbi desunt propria, ex multis liceat, vel omnibus per sindromen, & concursum eorum fiat vnum proprium, vt accidit medicinæ coniecturali ex signis, quæ cum plurima occurrant non propria, ea omnia colligit loco vnius proprij: Plura sunt homini accidentia propria tum ratione corporis, vt comprehensio manuum, & omnia opera his facta, atque habere clunes sine cauda, rectiforme esse, tum ratione formæ, vt capacitas disciplinæ, libertas, tum vtriusque merito formæ & materia, velut risibile. Tertium quod arduum videtur, quomodo opera phantasiæ definitiones substantiæ inuenire poterimus nisi minime dicat perfecte, sed quid de substantia, attamen siue quid, siue parum, aut multum dicatur in dubium est quomodo per phantasma accidentis proprij cognoscere substantiam possimus, cum nihil agat vltra suam speciem, iccirco ridiculi sunt qui moueri intellectum è phantasmatibus ad cognitionem substantiæ aiunt non expresso modo, cum fieri nequeat, vt eadem specie accidentis intellectus cognoscat accidens proprium, & substantiam. Ego ne lectorem opprimam citatis multis, & repræhensis dicam aperte quid sentio. phantasmata accidentium in phntasia mouent cogitatiuam altiorem imaginatiua, opinatrice apud Platonem in sexto de Rep. & Aristotelice, vt erit in tertio libro euidentius, cogitatiua vero à multis phantasmatibus accidentium colligit substantias singulares propria facultate cum accidentibus complicatas, in quibus est forma communis, quam agens intellectus denudans ab illis conditionibus facit eam communem formam vniuersalem & intellectus potentiæ apprehendit, & suapte vi colligit alias formas generaliores cum differentijs, & facit definitiones, Quapropter phantasmata mouent phantasiam, quæ complicata accidentia cum substantijs singularibus mouent cogitatiuam, hæc vero cogitata excitant intellectum potentiæ, qui petit opem ab intellectu agente denudante illam communem formam quam facit vniuersale, & ita postea definitio vt dictum est componitur, cum ergo præsumpserit author cognitionem quid rei conferre ad notitiam propriorum accidentium, id probat. Nam ipsum quid, & propter quid omnis demonstrationis simpliciter, & causæ est principium immediatum primo libro poster. & secundo est medium intellige tu quid subiecti, ne definitionem maioris extremi asseras pertinaciter mediũ in demonstratione. Nam error horum clarus est, si quidem multa definitio maioris extremi est immediatum principium, quoniam ea prior est definitio subiecti, & substantiæ, etiam in mathematecis, exemplum omne capax disciplinæ est risibile, omnis homo capax disciplinæ, quæ definitio etiam si sit huius maioris extremi (risibile) tamen non est immediata vacans medio, cum ea sit hæc prior animal rationale, ob id hæc melior demonstratio omne rationale risibile, omnis homo rationale animal, ergo omnis homo risibilis. Idem in mathematicis, quorum exempla taceo, postremo corrolarium inducit. Quare liquet quascunque definitiones dialecticas ex communibus, ceu anima substantia mouens, aut ex remotis, velut anima est forma corporis,

aut

aut ex extraneis, vt anima numerus se mouens, aut ex probabilibus, sicut anima miraculum naturę, vanasque dici, quia fraudantur fine suo, qui est per eas cognoscere, aut coniecturare quę accidunt propriæ. Quoties coniecturam præbet non scientiam confert, nisi coniecturam necessariam præbeat definitio, qua definitio, non qua medium demonstrationis. Hoc enim modo scientiam propriorum exactam confert.

## *Octauum caput de dubitatione an sit aliquas propriis animæ affectus uel communis quicunque.*

### Contex. X.

*AT vero affectus animæ dubitationem habent, nunquid omnes sint communes etiam habenti, aut aliquis sit animæ proprius. Hoc enim sumere necesse est, & si non facile, Constat autem è plurimis, velut irasci, fidere, cupere & omnino sentire nullum efficere, aut pati sine corpore. Verum videtur maxime proprium intelligere, sed si id quoque phantasia quædam est, aut non sine phantasia nec sine corpore esse poterit, itaque si aliquod opus, aut aliquis affectus est animæ proprius, poterit quidem separari, si autem nullus est ei proprius non erit separabilis, sed perinde recto, qua rectum est plura accidunt, velut tangere aeneum orbem puncto, quem tamen non tanget vnquam separabile rectum, Nam seiungi non potest, siquidem semper est cum aliquo corpore.*



SCIAS velim nihil affirmari ab Aristotele in his dubitationibus, quas secundus, & resectis liber soluerit, scito item interpretes partim grecos, partim arabes hunc locum non degustasse, qui si legissent Platonem Socraticum in phędone asserentem se habuisse intellectum separatum ab his mundi affectibus, & in quadam exstasi Philosophica semper mansisse. iccirco non fore sibi grauem mortem, vbi est discessus animæ à corpore profecto non lapsi fuissent in errorem. Constat proponi dnbitationem in vtranque partem, nunquid omnes passiones, affectusque animæ sint communes illi, & corpori animato, an aliquis proprius eidem animæ quoad est in corpore, vt Plato Socraticus in Phædone statuit, Diiudicari hanc quæstionem oportere dicit, & si non facile, Hinc difficultatis rationem adducit ex argumentis in vtranque partem. Primo, quod plurimi affectus velut ira, quæ feruor est sanguinis ob vltionē, Fiducia, quæ est spiritus innati, vel vitalis corde spei alumna trahit nos ad agendum cupiditas est in corde apud Arist. apud Platonem Socraticum subter præcordia vel alimenti, vel prolis, omnis denique sentiendi actio versantur in corpore, cum omnis sensus sit in organo à cuius simmetria conseruatur, & ea corrupta offenditur. Secundo argumento in alteram partem deprompto ex authoritate eorum. Socr. Platonis, quibus videtur intelligere maxime, atque præcipue proprium animæ nostræ, quale non sit commune corpori. Hoc loco monendus author, fere omnes prisci de sola anima humana tractauerunt, & intelligere, imaginari, sentire idem esse opinati sunt exceptis Pythagora, Alemnone, Socrate, Platone, Arist. Verum Socrates in sexto de Repub. non sine phantasia aliqua intelligi indicat, Quocirca author nunc obijcit authoritati contrariam authoritatem addens quod si intelligere vel est phantasia, seu imaginatio, vt Democr. Empedoc. alijque putarunt, aut non sine phantasia, quæ phantasmata præbeat adeo, vt obiectiue dependeat à phantasmatibus, neque intelligere erit sine corpore, At vero quoad anima est in corpore dependet a phantasia, icirco non erit operatio propria ipsa intellectio animæ sine corpore, Quocirca infert corrolarii receptum a Socrate in Phædone, non autem facit argumentum, & fabulam Themistij, ac Philoponi de mendaci forma rationis ab euerso antecedente, ad euersionem consequentis, cum secus argumentari debuisset a destructione consequentis ad antecedens. Hæ nugæ sunt ad puerilem instructionem. Corollarium præscriptum a Socrate infert, si animæ est opus peculiare, solique dicatum animæ, separabilis erit quoad est in corpore, si autem nullum erit eidem proprium, nec separabilis erit. Nulla interea mentio fit de recessu animæ. Quod vero

ita sit

ita sit de statu separationis animæ in corpore duo declarant, Vnum exemplum scriptoris de recto, qua rectum est mathematico more acceptum, cui accidit inter alia tangere in puncto orbem æneum materiatum physicum, quem non tangeret vnquam mathematicæ consideratum, quia tum ab omni materia, & contactu corporeo abstrahitur, tangit autem quia seiungi reipsa rectũ a materia non potest, si quidem accidens omne est in subiecto, & rectum semper in corpore, simili modo animæ intellectuali donec in corpore est, contingit affici corporeis rebus, quia semper est in corpore ante discessum. Quare Socrates non potuit tam separare intellectum a sensibus, & necessariis rebus corpori, quin semper dependeat ab ipso. Lege Phædonem, alioquin nihil in hoc contex. percipies. Alterũ quoque mihi persuadet intelligi de opere proprio animæ nostræ quoad est in corpore, quia in citato libro Platonis Socratici vbi absoluta est disputatio, quomodo intellectus in corpore nihilominus sit separatus cũ proprio opere, illico Cebes auditur Socrates in eo dialogo mouet dubium an anima post obitum remaneat, an dissoluatur cum corpore? Ad quę Socrates cõuersus multis euidẽtissimis argumentis remanere animã recesse corporis docet, & vno ex dictis vtitur, q̃a si separabilis fuit quoad corporẽ vteretur, quãto magis cũ corpus recesse fit ab ea? vnde tu simile ex verbis Arist. in tertio libro deprome, si anima intellectrix nil aliud est, quã quędã essentia duabus facultatibus prædita intellectu potentiæ, & intellectu agente & vtraq; facultas est immixta separata ab omni corpore ex tertio libro, ergo multo magis soluta corporę erit separata sua actione vtendo propria. Nam immixto neq; materia elementorum miscella potest esse causa interitus, sed duo nobis succedunt negotium, vnum, quod fuit facile Socrati separare intellectum. quippe qui in Alcibiade statuit animam, velut nautam naue vti corpore. At nobis id difficile, qui asserimus animam perficere corpus, eiusque esse entelechiam cum Arist. & si accedere de foris, & diuinitus non ab astro, vt Plato in Timeo, neque ex quinta natura cœlesti, vt Cicero primo Tusculanarum quæstionum credidit, sed a Deo, quæ corpus perficit, & perficiendo vtitur potentiis sensitricibus, vegetabilibus fateamur. Vnde immortalis est, quia duplex genus formarum, & animarum Aristotelice dicitur quod D. Thomas sapienter nouit. Alterum ę semine ortum, & hoc caducum est, si quidem superuenit temperamento, & ex eo oritur, ac dependet, quo labefacto, corruit illa forma, sicut Arist. secundo libro de part. animalium cap. 3. docuit. Alterum vero est formæ, animæque nostræ, quale non prodit ẽ semine, sed diuinitus iccirco non conseruatur conseruatione temperamenti, quinimo nihil habet commune cum corpore subiecto, & organo, & tale habet ortum nunquam interiturum. Vnde si Alexander Aphrodiseus, Galenus, & similes hoc genus formæ nouissent Aristotelice non facile lapsi essent in suã puerilem opinionem contra omnem diuinam, moralem, ciuilem philosophiã, nec alij dixissent omnia orta occidere, quod verum est de ortis a materia, & semine ad quorum conseruationem temperamentorum conseruantur, & ipsa; at Anima nostra non oritur ẽ materia, seu semine, vt citato libro constitutum est. Hac explicatione de duplici genere formarum dilues omnia argumenta aduersantium, hortor igitur, vt lector bene aduertat illam, & caput illud tertium citati libri perpendat, Alterum quod facessere negocium videtur, illud est, quod intellectus intelligendo dependet à phantasmate tanquam ab obiecto, quia a subiecto, & organo liber est, quasi hęc dependentia a phantasmate corporeo sit causa interitus, quod omnino mendacium est, siquidẽ actio illa est vtentis phantasmate, vt nauta vtitur temone, clauoque nauis, cuius clauis fractione & si cessat actio gubernandi clauum nihilominus non perit nauta, fieri ob id potest, vt marcescẽte quodam interius hoc est phantasia læsa, & effecta actio intellectus secundum illam lædatur sicut dicturus est in hoc primo author, tamen intellectus non afficitur, nec offenditur, q̃b id senes valeat prudentia, & intellectu. Quinimo Auerrh. actiones intellectus speculatiui interire ait superstite illo suo vnico intellectu, & intereunt actiones vt ille ait propter applicationem intellectus ad phantasmata. Quocirca ille contra Themist. Theophrastum sentit intellectum speculatiuum non æternum licet intellectus potentiæ, & agens sint æterni. Quare & si actio quædam dependens a phantasmate hoc vel illo periret, non tamen substantia intellectus deficeret. At dices saltem operatio animæ non esset propria anima, quia dependet a phantasmate corpore. Quinimo dixerim esse propriam, quia vtitur phantasmate solum tanquam instrumento intellectus agens ceu si sine securi, dolebra nequit artifex afficere lecticam, tamen opus non est dolabræ, sed fabri. Vnde non requiritur securis ob propriam actionem fabri, sed ob materiam non aptam effici lecticam, nisi incidatur secetur. Signo, quod faber lignarius antequam secet lignum habebat in mentem lecticam factam, æque intellectus noster vtitur phantasmate ob naturam intelle-

ctiuum

ctilium eorum, quæ sine phantasiæ ope percipi non possunt, non autem ob Intellectum separatum, immixtum capacem omnium intellectilium quia suapte natura capax est, & intellectus agens suo lumine facit intelligere, Quare est operatio propria animæ intelligere, & si aliquando ob naturam intellectilium phantasmaribus moueatur tanquam instrumentis, sine quibus etiam esse porest, & intelligere. Et hoc voluit dixisse suo exemplo de recto Arist. quia qua tangit æneũ orbem, nunquam separabile erit, quia contactus est corporis, sic etiam intellectiua anima quoad perficit corpus non potest dici omnino separata, quia tum esset post obitum, sed separata est sua substantia, quæ non dependet a semine, & temperamento, ac si vtitur phantasmate instrumento, non ob id actio sua est communicata corpori, sed instrumento, sine quo res sensiles, & mathematicæ intelligi non possunt. Quapropter & alterum non amplius facessit negotium, iure igitur optimo cum Aristotele intellectiuam animam perficere corpus decerne sic, vt non sit è semine nata, sed a Deo infusa, aut data, quæ perficiat corpus, & sit propterea immixta, separata, nihilque commune habeat cum corpore à quo scilicet dependeat quo ad esse, & conseruationẽ, Vnde te hortor maxime sumere in manibus caput tertium secundi libri de partib. animalium & tertium librum huius historię, ad quem dilata sit hæc pertractatio, nunc satis est affirmari propriam animæ nostræ actionem intelligẽdi.

## Contex. XI.

*Videntur item hæ omnes ira, mansuetudo, metus, misericordia, audacia, adhuc gaudium, odium, amor, animi affectus communes esse corpori. Nam simul corpus patitur cum his, illud inditio est, quòd aliquãdo a vehementibus, & euidentibus affectuum casibus nihil incitamur, neque ad metum traducimur. Interdum autem etiam exiguis, & vix apparentibus commouemur. Quando corpus bili feruet se ita habet, ac irasceretur. Quod etiam euidentius est, si quidem nullo metu imminente æque perturbantur nonnulli, ac qui vera de causa metuunt.*



VONIAM præfixit occasionem dubitandi, an posset definitio animæ è proprijs accidentibus perquiri, & illico dubitauit an sint affectus proprij animæ sine corpore, necnon ex opinione Socr. Platon. tradidit videri proprium intelligere, contra quam opinionem adhuc dubitauit, & si exemplo patefecit quomodo intelligere non esset sine phantasia vt rectum tangens non sine eo, quod tangitur, nunc recitat eos affectus, qui palam sunt cõmunes animæ, & corpori, quos item Plato Socraticus in Phędro, Phædone, quarto, sexto, decimoque de Repub. confirmat, & Galenus, in libello de moribus, qui sequuntur temperamenta corporum. Propositio est hæc. Videntur item hæ omnes ira, ardor sanguinis ad ultionem. Sanguis corporeus est, & si in sinu læuo cordis spiritalior sit, & biliosior, quam in dextro sinu. Mansuetudo est animosi sanguinis tranquillitas. Metus est contractio spiritus in sanguine cordis difusi. Misericordia est spiritus innati mæror quidem ex alieno malo iniuste illato. Audacia est constans affectio cordis spe gloriæ, vel commodi. Gaudium est dilatatio spiritus in corde, ob id periere multi improuiso vel magno gaudio ob effusionem nimiam spiritus. Odium inueterata inimicitia cor affligit. Amor multiplex sensilis non sine affectu cordis oritur, de quo alias, nunc omnes hi affectus, & similes sunt communes corpori, & animæ. Declaratur hęc conclusio argumento. Affectus communes hi sunt, quibus simul afficitur corpus, sed enarratis affectibus non tam anima, quam corpus afficitur, ergo hi sunt communes. Minor oratio demonstratur duplici inditio. Primo, quia aliquando instant vehementer perturbationes non clam, aut abditę, occultæque sed euidentes magnæ, ne quis dicat solere metiri homines suo arbitratu magnas, & paruas etiam si grauibus, & intolerabilibus lacessiti contumelijs iniurijs detrimentis, tamen paruifaciunt, nec incitantur, quia corpus, sanguis, spiritus conquiescunt. Hoc beneficium temperamento humorum, ac maxime cordis debetur, & consuetudini, & prudentiæ. Quinetiam sæpe impendent pericula, & discrimina vitæ, nec ob id nonnulli metuunt. Quare inditium est, quod affectus illi non oboriuntur, nisi pro qualitate temperamenti, quo redduntur procliues, & propensi ad hos affectus. Sed reuera Arist. non est philosophus moralis

talis hoc in loco, quippe qui corpori tribuât, quæ sæpenumero virtutibus attribuuntur. Cedat quæso Epicurus, qui tribuit corpori vim. Ego sane virtuti. Cedat Astrologus, qui fato, vel influxui stellarum nostra ascribit. Ego quidem voluntati, & libertati vendico. Nam homo liber est secundo libro de interpretatione, & nono metaphys. Secundo inditio, quia contra euenit, vt aliquando exiguis perturbationibus moti, & vix apparentibus, ne dicat illas ignotas quis, facile labimur in affectus, quod declaratur, ceu quomodo corpus bili feruet, maxime cor se ita habet, ac irasceretur, quinimo vidi pauco momento accendi, & aliquando contra seipsos. Verum hi nec virtutibus allucti, nec prudentes sunt, & subijcere omnia rationi, & voluntati deberent. At dices repugnare naturę difficillimum est, præcipue temperare iracundiam in summa estate ardente cane. Quinimo remedium petendum est cum a gelidis, tum a philosophia morali, quę docet cohibere iram, frenare ardores, compescere ęstus. Nec illud vulgo placuit vnquam sapienti primos impetus non esse in potestate nostra, Cedat Cato Vticensis, quia & primi, ac supremi impetus si moueant appetitum, hic subditus est voluntati, cui si obtemperat retardabit impetus, & comprimet, comprobat author etiam melancholicorum metu, qui tenentur sæpe nulla de causa & nullo imminente tenore contremiscunt. Tam prona est temperies eorum ad formidandam, de qua Galenus passim multa refert adeo vt sint, qui timeant ne cœlum corruat. Verum prouidendum temperamento, & astantibus, qui consolentur, qui aliter esse, quam ipsi imaginentur sæpe ostendant, attamen satis est philosopho nunc coniecturis ostendisse affectus plures animæ communes esse corpori, & dubitasse ne possit ex affectibus inuestigari animæ definitionem, qui si proprij esse debent, cum hi non appareant difficile fuerit ex his venari definitionem.

## *Nonum caput de componenda definitione ex materia & forma.*

### Contex. XII.

*SI porro hæc ita se habent, perspicuo constat affectus esse rationes in materia. Quare definitiones erunt huiusmodi, velut irasci quadam talis corporis, aut partis, aut facultatis motio ab hoc gratia huius. Et ob hæc physici interest de omni anima, aut de tali considerare. Veruntamen diuerso modo definiret quemque horum physicus, & Dialecticus, velut quid est ira. Alter enim appetitionem vltionis, aut aliquid tale alter vero æstum sanguinis, aut caloris in præcordijs. Atque alius materiam tradit, alius formam, & rationem. Nam hæc ratio est, altera vero rei, quam necesse est in tali materia esse, fierit. Quemadmodum enim vna domus ratio est huiusmodi, vt sit tegumentum, quod a nobis arcet interitum, qui a ventis, imbribus, æstuq; fieri potest, alia autem inquit lapides, lateres, ac ligna. Et tertia in his ponit formam horum gratia.*



COLLIGIT primum ex dictis affectibus communibus corporis, & animę eos esse, id est eorum definitiones esse in materia, corpus enim est velut materia, & ipsum è materia constitutum. Exemplo affectus iracundiæ vtitur. Cum irasci sit quædam affectio talis corporis è præ dominio biliosi, hoc est præcipitis ad iram, & vltionem, aut talis partis, hoc est cordis ob sanguinem subtilem biliosiorem in sinu læuo suo, qui arterialis est. Iccirco æstu sanguinis agitantur, & sequuntur motum cordis, vt indicant pulsus, aut facultatis seu potentiæ irascibilis appellatæ, quæ maxime ponitur in corde, vel vice cordis aliquo, ab hoc idest a causa effectrice remota, vel propinqua, quæ dedit ansam irascendi, & occasionem, gratia huius, id est gratia vindicandi, & vlciscendi. Hæc iræ definitio quatuor causis continetur. Nempe formali, cum dicitur irasci est quædam motio, affectus. Deinde materiali, cum subditur talis corporis, non Geometrici, non inanimati, sed viuentis, & sentientis biliosi præcipue, aut partis, id est cordis, non refert an toto corpore an parte præcipua vbi irascibilis collocatur, si definiatur ira, aut etiam facultate quæ est irascibilis, aut appetitus dummodo facultas sit corporea, continetur item effectrice cum nectitur ab hoc, scilicet ab iniurioso, & excitante occasionē irascendi. Denique finalis causa comprehenditur ibi gratia huius, vt vltionis. An vero definire

semper

semper oporteat per quatuor genera causarum, in dialectica quærendum est. Non perpetuo tamen definiendum huiusmodi putarim. In physicis sat plerunque est definire per materiam, aut genus materiæ loco, & per differentiam loco formæ. Atque vbi nil superflui afferatur, commodum erit amplecti omne genus causæ. Nihil redundet, & deficiat in definione oportet. Non erit ergo mirum in secundo, & tertio libro, si anima definietur per corpus, & potentia quælibet per suum obiectum. Cæterum ex hoc decreto corrolarium inducitur, quod si affectus animæ definiuntur per materiam physici interesse, de omni anima, quæ perficiat corpus, aut de tali anima, cuius affectus in corpore sine pertractare. Hinc illa contentio orta est, an sit physici munus agere de animæ intellectricis duplici facultate, intellectu potentię, & intellectu agente, quoniã de omni vegetali, deque sensitrice non dubium est, quia naturę sunt intimę causæ mouendi, & quiescendi per suas facultates, & quia formæ in materia sunt, è semine ortæ, & quę conseruantur materiæ & temperamenti beneficio, quo labefactato, & ipsę corruunt, nihilque earum post mortem in belluis superest. Hæc sententia est manifesta apud Arist. primi libri de partibus c.4. & alibi in libris de plantis. Nec interpretũ vllus repugnat huic decreto, sed de anima mundi apud Platonem, de anima coelesti ambigitur, an sit physici disserere cum Plato in Timeo de historia naturali tractet animam mundi, animam coeli, animam humanam, nunc secus videtur sentire Aristot. qui præscribit negocium physico de omni anima, quæ definiatur per corpus, & vnius affectus sunt in corpore; Anima coeli non habet affectus in corpore, Hinc emergit dubium de anima nostra, quę est immixta, separata a corpore libro tertio de anima. Nec confugiendum est ad potentias animæ, quæ si separatæ sunt, procuidubio essentia animę separatę erunt, nisi confugias ad commentum Auerrh. de vno intellectu numero in omnibus hominibus, qui est substantia separata, sed applicata phantasmatibus intelligentium hominum, quale suo loco confutandum venit, sicut & illud Alexandri Aphrodisei de intellectu agente, quem Deum esse putat. Nam Aristot. contra vtrunque decernet in tertio libro tam illum potentiæ intellectum, quam agentem esse duas animæ differentias, & non substantias abstractas, quas implicari etiam absurdis, & ementitis intellectionibus impium est, proinde statuam vtrunque intellectum immixtũ, separatum esse duplicem facultatem essentię animæ, quæ est entelechia corporis humani organici, quę accedens extrinsecus perficit corpus humanum, & vtitur phantasmate pro instrumento intelligendi res præcipue sensiles, de qua est physici dicere, quia de omni perfectione corporis est tractare etiam si deforis accedat corpori, a quo ideo est soluta immixta, separata, quia non oritur è semine, & materia, sed solum perficit. Veruntamen nonnulli obijciunt, argumento Arist. in libro primo de partibus, quoniam si de anima omni intellectrice dissereret physicus, etiã de omni intellectili ageret, quare nulla metaph. scientia superesset. Assumptio liquet, ppea quod relatiuorũ eadem scientia, sicut sunt intellectile, & intellectus. Illatio euidens est, siquidem quæ professio complectitur omne intellectile omnibus modis adde tu consideratum, nihil relinquit alteri professioni. Addunt quomodo fieri possit, vt anima nostra sit corporis entelechia, & sit separata, immixta a corpore, & obiecto? Subdunt quęcunque mouent non mota non physicæ esse considerationis, Anima mouet nostra, non mouetur, quia est separata a materia & immixta. Taceo alia obiecta, & ad primum dicto solum esse ibi scopum Aristotelis docere non pertinere ad physicum de omni intellectu dicere, sicut de omni sensu, & vegetali attinet disputare, propterea quod non omnis substantia intellectualis & natura. Non enim natura est substantia diuina intellectualis, alioquin si de omni natura intellectuali ageret physicus, valeat liber metaphysi. quoad duodecimum præcipue librum, At rursus obiiciet quis, si quidem in tertio libro Aristot. animam nostram omniã sensilia per sensum, & omnia intellectilia per intellectum affirmabit, ergo de omni intellectili est. Dices animam esse omnia intellectilia pro capacitate sua, non autẽ actu omnia apud Arist. qui in tertio libro dubitans, an intellectus noster magnitudini cõiunctus, hoc est dum est in corpore queat abstractas substantias intelligere reliquit dubitationem non solutam solum pollicitus se illam explicaturam, & nusquam explicauit, tametsi interpretes conãtur explicare ignari sua pace, quod lumine naturali ea explicari non potest, sed opus est lumine diuino, quo non potitus Arist. maluit tacere, sicut etiam fecit duodecimo metaphys. de numero intelligentiarum motricũ orbium coelestiũ illud onus remisit fortioribus. Quare vide Auerrh. nimium audacem, qui tentauit commenta sua scribere & plus profiteri, quam Arist. ausit asserere. At vero (o Auerrh.) Deum primum motorem esse affirmare possimus & multa attributa illi assignare summæ perfectionis, sed quid sit Deus, & eius secreta mysteria, atque naturam non

sine lumine diuino, & reuelato plene cognoscere poteris, præcipue cum fueris infidus, pertinax nullius fidei, nec tuę improbæ assertor. Quoniam deinde addunt non simul consistere, vt anima sit perfectio corporis, ac separata, & immixta, dices quinimo est immixta quia è nulla mixtura elementorum prodit, nec ei superuenit, & separata, siquidem non oritur è semine, sed extrinsecus accedit diuinitus solum perficiens, nec è materia dependens quo ad esse, & sui conseruationem, quæ etiam intelligendo res sensiles materiales vtitur phantasmate velut instrumento, vt faber malleo, qui tamen liber est malleo, & eo corrupto potest subsistere. Quod postremo aiunt animam non moueri per se recte dicunt motu ad locum, ex accidenti tamen mouetur, sed per se alio genere motus, quod est perfici ab obiecti specie intellectu, sed de his hactenus, reliquis intermisso corollario reuertitur aut hor ad scopum tradendæ definitionis animę. Quinque professores numeraturus rerum definitores. Dialecticum, Naturalem, Mathematicum, Artificē, Diuinum. nunc differre dialecticum a physico in hoc definiendi munere docet non digressus ab exemplo affectus ire, ob id subdit dialecticum definire per formam solam, cum etiam genus & si sumatur a materia, hæc forma est relata ad differentiam vt materia, contra accidit physico definire per materiam sensilem substantiam. Ceu si definiret Dialecticus iram, diceret, Ira est appetitio vltionis, vel aliquid simile, velut ira est motio irascibilis ob iniuriam illatam. Quam si definiret physicus, traderet iram æstum sanguinis per materiam, vel caloris instrumenti excitati in corde. Quare dialecticus formam complectitur, & rationem, hoc est formam sint materia intellectum, & conceptam plerunque vanam, quia non explicat, aut indicat accidentia propria rei, vt supra est dictum, At vero physicus definit per formam quidem, sed per eam, quę est in materia, & tali quidem materia ex hypothesi secundo phys. libro, si tale erit, hoc est si feruor esse debet, necesse est vt sit sanguis biliosus, quam materiam ex hypothesi talem exemplo domus indicat artificialis rei quidem, & subinde tria genera definiendi corrogat inquiens. Vna domus ęst definitio per formam, vt sit in tegumentum quod a nobis arceat interitum, qui à ventis, Borea, Austro præcipue polaribus, imbribus, niuibusque grandine, & hibernis algoribus, atque ęstu, & reliquis æstiuis noxijs vitæ. Cur ædes constructæ sint Plato in Atlantico. Vitriuiusque de architectura. Hæc definitio tamen tangit formam, & finem. Alia definitio est per materiam ceu domus est compages ex lapidibus, lignis lateribus, vterum nunquam definiet physicus per materiam quin corroget formam, nec per formam sine materia secundo physicorum. Tertia definitio complectitur formam, materiam, & finem, ceu domus est in tegumentum subditis parietibus fundamentis ex lateribus, cemento lignis quo nos protegat ab aduersis salutis, & vitæ. Quare affectus animi cum sint in materia definitio erit animæ tradenda per materiam & formā, sed quomodo dubium est, siquidem dubium quomodo physicus definit.

## Contex. XIII.

*QVALEM ergo harum trium definitionum physici esse dicemus? Nunquid is physicus est, qui per materiam definit, & rationem hanc ignorat, an qui per solam rationem, vel potius qui per vtranque. At vero illarum quis erit vterque? Nisi non sit qui in affectibus versetur a materia non separabilibus, neq; qua separabiles. Sed naturalis agnoscit quæcunque sunt talis corporis, ac talis materia opera, & affectus. Quæcunque vero non qua talia alter tractat. Ac quædam differit artifex, velut forte faber, vel medicus. Sed eorum affectuum qui separari quidem nequeunt non tamen quatenus talis corporis, atque abstrahendo mathematicus est. Quæ vero separat a primus philosophus.*



NVMERATIS tribus definiendi generibus. Vno per solam formam, cui esse non in materia, sed in singularibus, vel in intellectu est, aut per formam in materia. Altero per solam materiam. Tertio per vtranque quęritur quale genus persequatur physicus, quod si illud genus complectitur tertium per vtranque materiam, & formam quis erit professor primi, & qui secundi? Et quoniam quis diceret cum Platone, Socrate de ideis nullum artificem definire per materiam, nec meditari affectus nō separabiles a materia, nec qua separabiles argumento, Heracliti, Cratili, quod hi sunt in continuo

tinuo fluxu, nec certi, stabilesque vnquam quo motus Socrates ideas separauit a materia, & eas definiuit, contra quem secundo libro phys. & fusius septimo, octauoque metaphys. disputatur, iccirco subiuntur. Nisi quis negat aliquem versari posse in affectibus inseparabilibus à materia, neque qua separabiles in sua communitate quam intellectus agens separat a conditionibus singularium, in quibus sunt. Et quia id alibi pertractandum est, merito fuerit quod verum est naturalem philosophum cognoscere opera, & affectus talis corporis simplicis, mixti, animatique, & talis materiæ, sensilisque substantiæ, vt principio libri de cęlo decretum est & libro secundo phy sic. Quo iure differt physicus ab omni alio artifice, qui sua non contemplatur in materia, qua in materia sensili sunt. Et ne dicatur etiam ars considerare affectus in materia tali, sicut faber lecticæ formam in ligno, & medicus sanitatem in simmetria humorum circa tale corpus, ob id accipe differentiam, quoniam faber, & medicus considerant affectus eos qua operi, & practicæ subiiciuntur, & referuntur ad opus, sed physicus etiam principia sanitatis contemplatur solum, nec refert ad opus. Habes ergo tres professores Dialecticum, Phisicum, artificem differre, primus solam formam communem in singularibus intellectu elaboratam meditatur. Secundus formā in materia sensili spectat. Tertius formam in materia relatam ad opus, quæ ab externo fit efficiente, ceu ab artifice. Denique accipe duos alios Mathematicum, & Diuinnm, qui etiam differunt inter se, & ab aliis. Differt a physico, quoniam affectus definit, qui & si separabiles non sunt re ipsa a materia, Nam accidunt, tamen ij non sunt talis materiæ, aut talis corporis. Aeque enim triangulus descriptus in pagina, vel in arena, vel calibe, vel marmore habet tres angulos æquales duobus rectis, iccirco conuenit triangulo affectio illa qua triangulus simpliciter, & non qua in hac vel illa materia, sicut facit physicus, qui affectum ossis sic proprium ossis, ceu duritiem spectat, vt hanc sanguini, carni non tribuat. ob id mathematicus abstrahit affectus a materia non re, quia id fieri non potest, & abstrahentium plane esset mendacium. cum accidentia sine subiecto, nisi miraculo, & Dei potestate nequeant esse, sed seiungit ita, vt non huic magis, quam illi materiæ ad sint, An vero a materia omni abstrahant? Minime, tum affectus mathematici forent res diuinæ. Ad item ratione seiungat ab ipsa materia communi? Quinimo. Quia mathematicus definitiones cudit sine materia sensili, cum solam formam spectet, Sed dices quo modo abstrahit sua cogitata mathematicus? Responderem hæc differenda esse vsque ad tertiū librum, interea differt a physico, & a Dialectico, quia & si vtrique formam sine materia amplectuntur, attamen Dialecticus formam intellectilem sequitur, Mathematicus sensilem quantitatem abstractam tamen meditatur. Differt item ab artifice qui non separat formam a materia. Differt a diuino, quia hic separata omnino a materia & re, & ratione persequitur, ille vero minime res per se subsistentes, substantias simplices contemplatur. Tuum sit annotare horum quinque artificum differentias in definiendo.

## Contex. XIIII.

V*ERV M vnde fluxit oratio redeundum est. Equidem dicebamus animæ affectus iram, metum qua tales, & non quemadmodum linea, superficiesque a naturali materia animalium abiungi non posse.*



REVERTITVR ad confirmandum decretum de affectibus animaliū, ceu de metu, ira, qui sint inseparabiles a materia, hoc est corpore animalium, nō tamen re inseparabiles, sed ratione, definitione separabiles, vt linea superficies termini corporū naturaliū re quidem ab illis inseparabiles, sed definitione separabiles. Attēde dici corpus animalis naturalem materiā animæ, crediderim dici ad differentiam materiæ rerum mathematicarum. Aduerte aliud cū dicit qua tales affectus physici animales non qua morbiferi affectus, aut vitia perpendenda vel Medico, vel philosopho morali. Hactenus dubitatū sit ne anima definienda cū suis potentijs & affectibus per materiā. Nihil adhuc decretū, & perscriptū est ab Arist. nisi dubitandi gratia, secundus, liber, & tertius decreta consignabit, & dubitationes has diluet. Restat, vt sumes tu hæc nouem capita breuiter, ego persequar decimum caput historiæ de opinionibus priscorū, qui conati sunt naturam animæ humanæ, sed id fecero summatim non solum, quia plenæ fides

non

non prestanda est Aristoteli recensenti, vt quoque Iamblicus, Simplicius interpretes ferunt, sed etiam, quod bonas horas collocare oportet vbi sit fides, & scientia authoris.

## *Caput decimum de uarijs opinionibus priscorum quo ad naturam animæ.*

### Contex. XV.

*CAETERVM nobis, qui de anima considerando, simulque dubitando de his, quæ recte dubitauimus vltra pergere volumus necesse est eorum veterũ opiniones colligere, qui de ipsa aliquid pronunciarunt, vt eorum bene dicta recipiamus & si quid minus recte, vitemus. Principio iccirco inquirendi proponantur, quæ maxime in anima inesse natura videntur. Animatum porro ab inanimo duobus præsertim motu, & sentiendi actione differre videtur. Hæc fere de anima a maioribus natu accepimus, Aiunt enim quidam animam esse quod maxime, primoque mouet. Equidem cum putassent idem non posse alterum mouere, nisi moueretur, hoc modo animam esse aliquid eorum censuere, quæ agitantur. Vnde Democritus inquit ipsam esse ignem, & calorem, cum enim figuræ, & atomi sint innumerabiles, velut nonnulla in aere vocata ramenta, quę cum radijs ingredi fenestras videntur, quorum seminarium tradidit esse vniuersæ naturæ elementa, horum rotundas animam, & ignem asseruit. Similiquoque modo Leucippus sentiebat, sed ob id vtrique animam indicauerunt globosas atomos, quia tales volubiles maxime possunt per omnia penetrare, & reliqua mouere ipsæ quoque agitatæ rati animam esse id, quod animalibus motum præbet. Quocirca viuendi finem in ipso anhelitu posuere. Eo enim, quod continet corpore cogente, & eas extrudente figuras, quæ animalibus propterea conferunt motum, quod neque ipsæ vnquam quiescunt aliunde anhelitui suppetias accedere ingressu aliorum similium credunt. Nam dum hæ vetant eas excerni repellendo quicquid cogit, & premit quæ in animalibus insunt, tandiu animalia vitam degere putant quoad id facere putant, Ac Pythagoreorum sermo eandem videtur præseferre sententiam. Quidam enim eorum dixere animam esse illa ramenta, quæ videntur in aere, Alij vero quod id mouet. Verum de his diximus cur continue moueri appareant, etiam si vndique esset tranquillitas. Ac quicunque aiunt animam esse id, quod seipsum mouet in idem incidunt. Nam omnes hi videntur putauisse motu esse quam maxime animæ proprium, atque cuncta alia agitari ob animam ac ipsam a seipsa, cum viderint nihil mouere, quinetiam ipsum moueatur, similiter etiam Anaxagoras, ac si quis alius censuit animam esse motricem, velut mens vniuersum mouit, haud tamen omnino, sicut Democritus sensit, ille enim animam, & mentem simpliciter esse idem ratus est. Nam quod videtur, vere esse existimabat. Quocirca bene cecinisse Homerum aiunt. Iacet Hector aliud sapiens, non tamen mente vt pote veri facultate vtebatur, sed animam, & intellectũ idem esse cecinit. Anaxagoras minus aperte de his loquitur. Plerunque enim intellectum refert boni, rectique causam. Alias vero intellectum eandem animæ facultatem fatetur, si quidem in cunctis animalibus magnis, & paruis, necnon honoratis, & vilioribus intellectu inesse tradit, tametsi non constat intellectũ, quem prudentiæ nominant in omnibus æque, immo nec in singulis hominibus inesse. Quicunque igitur ad animalis motum conspexere ij animam esse quam maxime motricem censuerunt.*



INCIPIT caput decimum citare opiniones priscorum, & continuans sermonem post dubitata recte supra pollicetur se relaturum opiniones priscas de anima humana, vt eorum bene asserta probentur, & vitentur quæ minus recte dixerunt. Quinimo confutabuntur. Prima erit opinio Democriti. Secunda quorundam Pythagoreorum. Tertia Anaxagoras de his, qui opinantur animam motu pernoscendam, vtque scias veteres tribus definiebant animã motu animato, & a seipso putantes animam mouere animal, quo motu ipsa agitabatur ceu infusum argentum viuum in machina quadam suo motu illam agitaret, sicut animal in quadam machinula intrusus suo motu illam moueret, atque sensu, cognitione. & denique incorporeo. Nunc recitant opiniones asserentes naturam animæ motricem, quia hæc est quæ maxime mouet, & primo animal, hoc est immediate vtens lacertis, & partibus corporum velut instrumentis, verum sic naturam motricem animæ ascripserunt, quia etiam mouetur, & suo motu cieret animal, quare non tam motricem, quare per se mobilem tradiderunt, interesse autem inter motum animalis, & animæ, quia mouetur animal ab alio, & anima a seipsa, vt Plato quoque in Phædro, & decimo legum testatus est. At vero Arist. animam se mouere per se primum

mum inficiabitur, attamen moueri moto quidem corpore non negabit. Ac dudum septimo libro phys. & octauo perscriptum est quicquid mouetur ab alio moueri, ob id primum motorē immobilem, nec a seipso moueri voluit sed de hoc postea. Democritus Abderitanus abderitarum princeps, qui profectus in Aegyptum & ad sydonios dogma de atomis quale fuit Mochi sydonij amplexus est, & reuersus in patriam iunxit sibi familiarem Leucippum, docuit Hippocratem, statuit primordia rerum atomos, & inane tanquam spacium atomorum. præfecit omnibus rebus fortunam atque cœlestibus, nihilque assensit certo sciri, ac tantum esse, quantum homini videretur, Huius sententiam secutus est Epicurus, statuit ergo Democritus animam ignē, seu calorem esse globosum ex rotundis athomis conflatum, quia rotunda figura aptissima est mobilitati, & volubilitati, ob id ex athomis figuratis ciusmodi spherulam igneam animā censuit. Sciendum est nihil esse apud illum, quod athomi indiuidua quædam corpuscula similia ramentis, quæ in radiis solis per fenestrarum rimas, & foraminula procedunt, & agitantur non conficiant, iccirco panspermia rerum omnium seminaria athomos vocauit, & posuit, ob id ignem conflari dixit ex athomis figuratis, quas cum infinitas numero statuisset, etiam infinitas figuras asseruit. Campus erroris, & vaghationis athomorum erat inane, quæ fortuito concursu congregabantur, vbi rotundæ plures essent, id volubile, & sphyricum oriebatur, Ignis ergo eiusmodi conflatus est, qui mobilior, ob id animam ignem credidit mobilem & tranantem corpora, qui se agitans corpus agitat, ob id anima dicebatur, cui assertioni Leucippus assensus est & ipse Abderitanus, & collega Democriti Abdera ciuitas erat in Thracia, quæ nunc regio ditioni Turcarum subiicitur. olim Thraces valebant imperio, literis, nunc omnis serua est. Hæc omnia ea de causa dicuntur, vt ostendatur quomodo Democritus animam motricem, & mobilem ex se diceret, & quomodo ignea penetrat, datque motum animalibus, ob id Democritus finem vitæ collocans in vltimo anhelitu asserebat sic respirationem cessare. Nam quoad ingredientes athomi supplent exeuntibus per anhelitum attracti vitam degunt animalia. Quamprimum vero nequeunt aliæ athomi ingredi, tum mors occurrit, quia desunt athomi mouentes. Vnde apud Democritum mors nihil aliud, quam defectio motus, & requies, cuius motus authores sunt athomi è quibus anima concreta est, Aduerte tamen quod supplebant athomi externi ingressu suo repellendo athomos internas, ne foras emergerent, sed intus manerent collectæ, & retentæ a calore, & anima. Hæc opinio Democriti trāslata ad Pythagoreos, q̄ è t mortuo Pythagora sequebātur doctrinā excellentē alij putarunt animā esse illas athomos similes ramentis in aere, & atrahi ab animalibus, alij vero dixere non athomos ipsas externas, sed internas, quæ mouent animal, vel quę mouentur in aere externæ, cur autem moueantur in tranquillitate nullo flante vento alibi dictum est, Vbi nam? Quidam in primo de generatione aiunt dictum, sed reuera non est locus, qui id aperte dicat in Aristotele, subiungitur alia opinio eorum, qui dixere animam se mouere, & se mouendo alia agitare, sed silent authores. Credibile est Socratem, Platonem, Xenocratem innuere, quia hi fatentur animam se mouere, & animalia suo motu ciere, Et propterea quod seipsam mouet, in phædro Socrate existimat illam immortalem, de quibus postea, interim Anaxagoras quoque animam motricem statuit, cum prodiderit intellectum omnia mouere ex Chao, & separasse ex ea confusa congerie singula, tametsi a Democrito dissidet de quo dissidio mox, si interim de Anaxagora hæc sit memoria. Clazomenius fuit, ex Clazomene oppido tum insigni Asiæ, quæ nunc tota est in potestate Turcarum. Hic patria relicta Athenas profectus Archelaum docuit, qui Archelaus Socratem instituit. Similaria tradidit Panspermia, & primordia rerum, hæc quoque infinita autumauit, quæ tamen è chao confusa congerie a mente imperante, & præside seiuncta, & adhuc sciungi putauit, haud tamen mere talia quæ sunt dixit, sed cuncta dici ex dominante, & redundante materia, vt in sanguine omnia, sed tamen sanguis ob copiam talis humoris talem habuisse nomenclationem credidit. hic non aperte de anima disseruit, nisi mentem, intellectumve præfecit Chao Hermotini Clazomenij secutus opinionem, sicut primo metaphys. Arist. indicat. vbi inquit hos sermones scimus Anaxagoram attigisse, sed ferunt prius Hermotinum Clazomenium hos fecisse, ob id in contex. legeris, ac si quis alius censuit animam motricem. Cæterum de dissidio dicendum, quoniam Democr. intellectum & animam simpliciter, & omnino idem esse ratus est, Sensum, & intellectum idem credidit, & credidisse in eo deprehenditur, quod aiebat quod videtur vere esse. Nam videri pertinet ad sensum, & vere esse ad intellectum, quare vnius obiecti vna facultas est, si idem quod videtur, & quod vere est, ergo sensus intellectus idem, Protagoras Sophista posuit hominem mensuram rerum

huic quicquid videretur ita esse. Idque a Platone habes & in Theeteto habes hunc dicentē sciẽtiam sensum esse, & ob id probant Homerum bene cecinisse in hoc carmine, (Iacet Hector aliud sapiens) Homerus author fere Tragediæ apud Platonem in Dialogo de lucri cupiditate, Archilochum ante homerum laudant semper fuit summæ opinionis apud Græcos, Habitus philosophus, & Geographus optime doctus, quem cum Hesiodo excipit in censura Plato sua contra poetas. Qua patria fuerit Homerus incertum est. Strabone teste in libris de situ orbis creditur Helicone natus ante Romam conditam antiquior Hesiodo. cecinit a Troia incensa, & capta diuinitus. Extant Illiadis, & Troiæ monumenta carminibus eius impressis. Extant errores Vlyssis in Odissæa. Extant alia nulla vtpote Germana Homero. Cecinit sensum, & intellectum practicum, quem prudentię vocant esse idem. Hector ictu vulneris dum iacebat aliud erat sapiens, sensus dolore, & intellectus prudentia tum iacebant, Verum non de intellectu contemplante erat sermo sed practico, Democritus igitur aperte sensum intellectum idem asseruit, Anaxagoras vero aliquando intellectum boni, rectique causam tradidit ante Chaos extitisse, de qua causa meminit, & in phædone Platonis Socrates, aliquando dicens animam eandem intellectui ex eo, quod intellectum inesse vilioribus, & honoratis, magnis, ac paruis animalibus affirmabat, in quibus cum nonnisi sensus insit, censuit ergo sensum intellectum esse, sed non eũ, quem vocant prudentiæ, quia hic neque singulis hominibus impertitur, nedum belluis, & feris culicibus, tafanis, cimicibus &c. sed crede mihi non est adhibenda fides omnino recitanti opiniones veterum. Concluditur postremo fuisse nonnullos, qui animam motu suo, & impertito hoc ipso animali constituebant. Seqititur in alia sectione proxima opinio cum eorum, qui cognitione illam decernebant, tum aliorum, quibus simul motio, & cognitio videbatur tribuenda.

## *Alia narratio de his qui dixere animam principium cognoscendi, aut cognoscendi, & mouendi simul.*

### Contex. XVI.

*QVICVNQVE autem ad cognitionem rerum, & ad sentiendum animam adhibuerunt. hi sane inquiũt animam esse eorum, quæ sunt primordia. Qui porro plura efficiunt initia, velut Empedocles animã non esse vnum, sed e cunctis elementis confici putant, atque hanc esse horum vnumquodque hoc modo cecinit.*

*Terra nam terram, lympha cognoscimus vndam*
*Aetherea dion aether, vis ignea percipit ignes*
*Sic & amore amor, ac tristi discordia lite.*

*Eodem modo, & Plato in Timęo animam condit ex elementis, Simile enim simili cognosci, atque res è principijs constare censuit. Itidem in his statuit, quæ de philosophia dicuntur, si quidem animal ipsum ex vnius idea, primaque longitudine, latitudine, altitudine conditum dixit, & simili modo cętera. Quinetiam aliter intellectum vnum, scientiam vero duo. Nam vno modo ipsa est vnum, opinio vero numerum habet plani, sed sensus illum solidi, numeri quidem species ipsa, & rerum principia dicebantur. Res autem sunt ex elementis, & partim intellectu, partim scientia, partim opinione, & quædam sensu iudicantur, si quidem hi numeri sunt rerũ species. Caterũ qm̃ videbatur anima natura cognitrix, & motrix, nõnulli hoc modo simul vtrũq; cõplexi asseruere animã numerũ esse, qui seipsum moueat, sed dissident inter se de principijs quod, & quæ sint, maxime illi, qui corporea faciunt incorporea, & qui hæc misceat, & amborum initia ferunt. Dissident item de multitudine. Nã alij vnũ, alij plura inquiunt, Vt porro sua quisq; secutus est principia, ita animã esse tradidit.*

Non

*Non enim prater rationem motricem naturam inter prima suspicati sunt. Vnde quibusdam videbatur ignis esse. Etenim hic tenuissimus est, elementorumque maxime incorporeus. Atque agitatur, & agitat alia primum Democritus autem acutius dixit cum reddiderit quamobrem vtrunque horum est, Animam enim, & intellectum (vt dicebatur) idem esse, atque e primis, indiuiduisque corporibus constitutam, motricemque ob subtilitatem partium, & ob figuram moueri statuit. Globosam enim figuram mobilissimam figurarum asserit. Hanc vero intellectum, & ignem tradidit. Sed Anaxagoras (vt supra dicebatur) intellectum, & animam diuersa esse visus est profiteri tametsi vtraque velut vna natura vteretur, praeterquam quod intellectum maxime principium omnium posuit. Hunc porro censuit solum inter ea, quae sunt simplicem, immixtum, sincerum. Ac tradidit eidem principio vtramque vim cognoscendi, & mouendi, ac asseruit intellectu vniuersum mouere. Videtur etiam Thales ex his, quae memoriae prodita sunt animam motricem alicuius suspicari, siquidem putauit lapidem habere animam, quia ferrum mouet. Diogenes vero vt quidam quoque alij hunc aerem omnium esse tenuissimum, & principium, obidque cognoscere aliquid, & mouere. Qua enim primum est reliqua cognoscere, sed qua tenuissimus motor. Heraclitus item inquit animam esse principium, siquidem eam halitum esse censuit, equo alia constant. Etenim maxime incorporeus est, & semper fluens, Ac sensit quod mouetur ipso moto cognosci, necnon quae sunt ille, ac plures alij putauerunt in motu versari. Simili sententia visus est Alcmeon suspicari de anima. Tradit illam propterea immortalem esse, quia similis est immortalibus, idque eidem competere tanquam continue semper agitatae. Diuina autem haec omnia Luna, Sol, astra, omneque caelum continue semper circunferuntur. Quinetiam ineptiorum nonnulli, ceu Hippon aquam illam esse pronunciarunt genitalis seminis persuasione adducti, quia omnium singula humida sunt. Etenim reprehendit eos, qui animam sanguinem esse fatebantur, quandoquidem genitura non est sangais. Hanc vero primam animam esse asserebant. Alij contra sensere sanguinem, sicut Critias, rati sentiendi actionem quam maxime animae propriam. Haec autem in est ob sanguinis naturam. Quare omnia elementa iudicem acceperunt prater terram. Hanc autem nemo pronunciauit, nisi animam dixerit ex omnibus elementis esse, vel omnia illa. Et vt summatim dicam tribus motu, sensu, incorporeo animam omnes definiunt, quorum vnumquodque ad principia redigunt. Quocirca qui cognitione animam definiunt, hanc aut elementum, aut ex elementis condunt, qui vno excepto similiter inter se loquuntur. Aiunt enim simile simili cognosci, & quoniam anima cuncta cognoscit, iccirco illam constituunt ex omnibus principijs. Quicunque ergo vnam quandam inquiunt causam, & elementum vnum, velut ignem, vel aerem, etiam animam esse vnum ponunt. Contra autem qui plura ferunt initia, totidem animam esse asserunt. Solus porro Anaxagoras inquit intellectum impatibilem, nihilque commune cum vlla re alterum habere, sed cum sit ille eiusmodi, quomodo cognoscat, & qua de causa nec ille dixit, nec e dictis perspicuum est. Postremo quicunque principia inter se contraria statuunt, ex his quoque contrarijs animam conficiunt. Qui item alterum e contrariorum, velut calidum, aut gelidum, aut aliquid tale esse ponunt, iccirco & nomina sequuntur. Qui quidem aiunt calidum ab hoc nomen vitae ducunt. Qui vero frigidum ob anhelitum, & animam perfrigerationem nominari volunt. Haec igitur tradita sunt de anima, atque haec sunt causae per quas haec talia dicunt.*



NIMAM motu, cognitione, incorporeo constituerunt. Opiniones narrauit author dicentium animam suo motu initium mouendi alia esse. Nunc citat dogmata opinionum asserentium animam principium cognoscendi. Deinde cognoscendi simul, & mouendi. Orditur ab Empedoclis carmine, quo deprehenditur ille propterea animam cecinisse principium cognoscendi, quia ex initijs rerũ conflat, vt quia simile simili noscitur anima nostra terra terrestria, igne, ignea, aqua aquea, aere aerea, & forte amicitia consona, discordia diffidentia cognosceret, nisi quod lis, & amicitia extra composi tionem rerum extant. Haec de opinione Empedoclis. Succedit opinio Platonis, qui quoniam eisdem fundamentis nitebatur, vt videlicet simile simili cognosceretur, & quicquid constat ex principijs conflaretur, sicut in Timeo proditum est, ob id post Emped. statim citatur eius opinio, de qua mox si interim Empedocles philosophus siculus ex Agrigento oppido insigni Siciliae insulae a continente Italia Scyllae, Caribdis interiecto maritimo spatio in supero quidem mari, quod Mediterraneum vocant, distantis. Scripsit heroico carmine, Plato Atheniensis fuit publicus professor in Academia rediens ab Aegypto auditis sacerdotibus Cratylo operam dedit, mox Socrati, cuius dialogos conscripsit solo adhibito suo felici stilo. Nihil alter edidit. Et opera, quae circunferuntur dialogi Socratis sunt. Id Plato in epistola ad Dionisium Siciliae Tyrannum scribit, affirmatque a se nihil elucubratum, sed quicquid conscripsit disputationem esse Socratis. Docuit tamen publice cum summo Atheniensium fauore, ob id Aristoteles quarto phys. libro refert haec. Sicut Plato dixit in his, quae non scripsit. Hic Plato itaq;

visus est in libro de summo bono, aut in libro de philosophia, quem adhuc ignoramus dixisse animal conditum ex idea (Vnius) nunc intelligit animal non genus, sed quoduis in specie. Cum vnum non sit numerus, sed principium numeri, ob id animal non constabat ex vno, sed ex vnius idea, quæ forma est, & anima. De idea animæ habes in Phedro. Hac vna forma vnumquodq; animal dicitur vnum. Constat item corpore animal longo lato, profundo, sed longitudo est dualitas, quia diuidua & latitudo est diuidua tribus, punctum habet longitudinem, latitudinē, profunditas vero quatuor obtinet punctum, seu vnum, longitudinem, latitudinem, profunditatem, quare numerus quaternus in anima est, sed dimensiones in animali sunt, vnde anima cognoscit numerum corporis animati, & cum numeri sint rerum principia, merito conflata est anima ex principijs, sicut etiam in Timæo ex numero quinario constituit animam mundi, vt ex eo, dem, diuerso, essentia, motu, quiete & per hoc principium idem cognoscit, quæ eadem sunt, per diuersum, diuersa, differentia, contraria, & dissimilia, per essentiam omnes substantias, e definitiones, per motum cuncta mobilia, per quietem quiescentia. Admoue manū his in Timæo scriptis. Quoniam igitur e tribus partibus, eodem scilicet, & altero, & essentia conflata est ratione proportionis distincta, atque compacta, nec non &c. legeris diligenter, plene noueris, quæ ibi Pythagoreus Plato de cognitione propria animæ docuit. Rursus & alio loco hunc numerum cognoscendi tribuit facultatibus cognitricibus, quia dixit intellectum vnum, propterea quod semper veritati adheret, scientiā vero duo, quia addit simplici intelligentiæ discursum a principijs ad conclusionem, quæ quoniam est necessario alia a præmissis, ob id scientia parta discursū duo est, quæ scientia tamen vno modo est vna, quia semper versatur in semper veris, & immutabilibus, sine ambiguitate ad vtrunque, vt se habet opinio, quæ habet numerum plani, cum versetur in mutabili persuasione ad vtrunque. Sensus autem habet numerum solidi quia cognitio eius est crassior, & remota ab essentia rerum. Verum enimuero hæc subtilius explicanda, & verius, si seriem numerorum, & facultatum animæ animaduertes.

| | |
|---|---|
| 1 | Intellectus. |
| 2. 3. 4. 5. 6. 7. &c. | Scientia. |
| Bis. 2. 3. 4. 6. 7. &c. | Opinio. |
| Ter. 2. 3. 4. 6. 7. &c. | Sensus. |

Vt ergo scias, vnum non est numerus, sed origo. Intellectus est principium maxime cognoscendi, ob id sine sensu substātiæ abstractæ cognoscunt, & nunquam fallitur agens sed præbet lumen primis scientiarum principijs. Deinde linearij numerus est ille. 2. 3. 4. simplex, & articulus, digitalisque qui post vnum sequitur, huic duo sunt vnum, & ipsa dualitas, & quoniam vnum non est numerus, remanent duo, sic scientia post intellectum sequitur. Nulli sine intellectu datur scientia, & dualis ei numerus tribuitur, quia scientia vltra intelligentiam rerum capit rationem, & causam per demonstrationem, vt ad extremum sexti libri de Rep. Plato narrat. Tertius numerus est superficialis bis duo quater, bis tria, sex, &c. Hic opinioni attribuitur, quæ præter intelligentiam, sic capit conclusionem opinabilē, vt nihil firmi teneat, & perpetui, sed mutabilis, vt in Timeo prodidit. Quartus vero solidus numerus dicitur, ceu tria ter viginti septem. & quatuor quater. 64. Hic numerus sensui tribuitur. Vnde sicut est ordo numerorum, ita est ordo facultatum cognoscentium. Quare in ipsa anima sunt re ipsa numeri intellectus, scientia, opinio, sensus, quibus res omnes dignoscuntur, quare anima est initium cognoscendi, cum principia numerorum & species apud se habeat. Hæc de his, qui animam cognitione definierunt, sequuntur qui eam principium mouendi, & cognoscendi dixere. Xenocrates auditor Platonis socius Aristotelis in schola, qui calcaribus vrgendus erat, sicut Aristot. freno cohibendus, Atheniensis fuit, scripsit libros quindecim de natura, Successit Speusippo in publica lectura. Hic simul arbitratus animam initium cognoscendi, & mouendi definiuit illam numerum seipsum mouētem, Quia numerum dixit eam cognitricem posuit, quia seipsam mouentem adiecit, initium fatetur mouendi suo motu alia. Cæterum recitaturus author aliorum opiniones dissidia refert eorum prius, quia alij corporea, alij magis incorporea, alij miscuerunt hæc, & alij vnum, alij plura principia constituerunt. Vt porro quisque sue statuit initia, tale, vel talia, ac tot posuit. Quocirca quibus rationibus addicti nonnulli asseuerarint animam principium mouendi refert, & maxime qui illam ignem crediderunt. E tribus proprietatibus ignis, quia omnium elementorum tenuissimus est, magisque incorporeus, & tertia agitatiuus dixere igneo animam esse. Anima enim, quia penetrat per omne corpus tenuissima esse debet. Verum non corpus, ne corpus sit in corpore

pore

pore. Quia item corpus magis crassum non facile penetrat, iccirco debuit esse quod est magis incorporeum. Quia item anima vbique corpus agitat, debuit esse ita mobilis, vt suo motu agitaret animal. His adducti dixere animam ignem esse. Verum Democritus, de quo supra mentio acutius suum dogma persecutus est. Conflauit animam ex atomis globosis, quam, & intellectum idem esse posuit, & iccirco principium mouendi statuit mobile quoque ob subtilitatem atomorū & figuram volubilem Sphericam, quæ tangit in puncto planum sine angulis, vbique tamen angulus est: & talis figura mobilissima est, & obid intellectum ignem dixit, quia ignis ex illis athomis, & figura constituitur. Sed Anaxagoras visus est intellectum ab anima separasse, & si vtroque pro eadem natura vsus sit De intellectu hæc quatuor dixit, vt sit maxime principium omnium, hicque simplex, ac immixtus, & sincerum. Addidit alia tria, vt esset principium cognoscendi, ac mouendi, & omnia moueret. Thales Milesius, qui primus in Minore Græcia de natura cœpit philosophari ex Mileto oppido in Asia minore hodie sub ditione Turcarum, tempore quo non scripta sed authores succedendo opiniones narrabant superiorum visus est suspicari animam principiū mouendi hac ratione, quia putauit lapidem herculeum, magnetem vulgo habere animam, quia trahebat ferrum. Diogenes non cynicus, sed alter Apolloniates auditor Anaximenis, quem in his verbis innuit author, vt quidam quoque alij. Nam & Anaximenes statuit aerem principium rerum, vt primo metaphy. Arist. & alibi tradit. Diogenes quinque extitere digni memoria. Hic Apolloniates ex oppido vel insula Asiæ auditor Anaximenis ex Mileto. Alter Sicyonius historiographus. Tertius Babylonius ex Seleucia. Quartus Tarsensis. Quintus Cynicus. Ille Apolloniates animam putauit aerem, quia tenuissimus aer, & mobilis, iccirco cognitione penetrare facile potest, & maxime qua principium cognoscit, qua vero tenuissimus, motor. Ergo anima erat aer principium mouendi, cognoscendi. Heraclitus existimans animam esse principium, cum eandem halitum esse crediderit e quo alia constaret, cum animæ tribuisset conditionem incorpoream, & semper fluere. & halitus est maxime incorporeus, & fluit, hunc animam censuit. Quinimo videns omnia in fluxu versari sicut Pyrho. & alij sectatores dixerunt, ex eodem halitu cuncta confici existimauit, & quicquid cognoscitur moto halitu cognosci. Quæ Aristoteles narrat, confuse dicuntur. iccirco non præstanda fides huic historiæ. Videtur Arist. plane imponere, & quasi diuinare quicquid illi veteres ex constitutis principijs dicere voluissent. Alcmeo crotoniates quo cum Pythagoras familiaritatem habuit antequam proficisceretur ad locrenses animam nostram fassus est immortalem similem diuinis cœlestibus, iccirco continue moueri, vt Sol, Luna, celites continue circunferuntur, quare etiam ille animam posuit in genere mouendi. Hippon quem primo metaphys. dixit atheum, nunc ineptum vo , visus est dixisse animam aquam esse persuasione quod omnia proficiscuntur ab humid[illegible] ura. Reprehendens Hippon eos, qui animam esse sanguinem opinabantur, quia à genitura sanguis differt iudicatur sensule animam esse aquā, vel quid vdum, ceu genituram. (Ferme piget me hæc referre, quod tantus philosophus imponat nobis:) lectio, hæc varia, inconstans, audax nimium. Alij viderint. Subiungitur Critis opinio, qui reputauit animam sanguinem, propterea quod anima est principium sentiendi, & sanguis est, in quo sensus primum versatur. Sed age lector dicamus de Heraclito, qui suo tempore magnus philosophus ex Epheso vrbe Asiæ nunc sub imperio Turcarum, de quo etiam mentio est apud Platonem in Theeteto. Hic cognomento Scotinus, qui omnia obscure tradebat, fatebatur nil certi esse. In Epheso claruere viri Hermodorus, qui Romanis aliquot leges scripsit. Hipponax poeta. Duo pictores singulares Parasius, & Apelles. Ac Critias philosophus fuit ex triginta Tyrannis vnus in bello deniq; interfectus ex authore Xenophonte nouit animam vel potius expertus est sanguinem esse. Nam purpuream emisit occisus. Reliquum singuli elementum iudicem cognitorem fecerunt excepta terra, quam nemo posuit solam principium, nec animam. Galenus in libro de philosophia Phemidem solam terrā narrat affirmasse principium. Attamen posuere principium terram cum alijs elementis, & hoc modo animam. Deinceps affert author tribus priscos constituisse animam, Motu. Cognitione, incorporeo. Quamquam eam corpus dixere, tamen illud magis tenue, incorporcū dixit. Demū aduerte, ne nunc vitio macrologiæ arguatur Arist. tanquā verbosior, cū in extremo dicit nomina sequi principiū, quod animā posuerunt, qui animā calidū dixere ab ipso græco verbo zein calefacere traxere nomē vitę. Qui frigidū eandē asseruere, hi psychen illā, & perfrigeratione affirmant. Hæc à veteribus fatetur Arist. se accepisse. Vtinā non cōmentus esset aliquos dixisse, vt narrauit. Amicus Socrates, amicus Arist. magis amica veritas. Verū quæ ille obijciat cōtra istos, & nōnullos alios, quos introduxerit legamus.

E 2 Vnde-

## *Vndecimum caput obiectionum in Democ. & contra opiniones ueterum. & primum contra dicentes animam mobilem.*

### Con. XVII.

*CAeterum de motu considerandum. Fortasse enim non modo falsum est substantiam animæ esse talem, qualẽ aiunt esse, qui ipsam tradunt se mouere, vel id, quod potest se mouere, sed etiam ipsi motum conuenire vnũ esse eorum, quod fieri non potest. Quod vero non necesse sit quod mouet, etiam moueri olim dictum est. Quicquid porro mouetur huic dupliciter moueri contingit. Vel enim per alterum, vel per se. Dicimus autem per alterum moueri quęcunque mouentur, quia in re mota sunt, velut nautæ. Non enim sicut nauigium mouentur. Hoc enim per se cietur motu, illi autem, quia in re mota sunt. Quod quidem perspicuum est in partibus. Nam propria pedum motio est ambulatio, hæc autem est hominum, quæ tum nautis non inest. Cum porro aliquid dupliciter moueatur, nunc de anima consideremus, an per se agitetur, & sit motus particeps. 1 Quatuor cum sint motus, qui ad locum, alteratio incrementũ, diminutio, ergo anima vel vno uel pluribus, vel omnibus mouetur, cui si nõ accidit moueri, natura inerit illi motus. Si vero id, etiam locus. Nam omnes dictæ motiones in loco sunt. Si autẽ substantia animæ est seipsam mouere, non accidit illi moueri, velut accidit albo, aut tricubito, quia etiam hæc mouentur, sed ex accidenti, quia mouetur corpus illud, in quo sunt, & ob id non est eis locus. At animæ erit, si quidem natura est particeps motus. 2 Si item natura mouetur, & vi moueretur, & si vi, etiam natura. Idem quoque modus de quiete. Nam in quod fertur natura, hic etiam quiescit natura similiter ad quod vi defertur, & in eodem vi quiescit. At vero quales erunt animæ motus violenti, & quietes. Non est facile etiam fingere volentibus tradere. 3 Adde si in superum sublata fuerit, ignis erit, si ad inferum, terra. Nam hi motus hisce corporibus tribuuntur. Eadem quoque ratio de medijs. 4 Deinde cum animam mouere corpus constat, hanc decet his motibus corpus mouere, quibus & ipsa mouetur. Si autem id, vere reciprocando dicemus illam eodem motus genere, & specie moueri, qua corpus. At vero corpus mouetur ad locum, quare & anima vel tota, vel partibus translata eodem mutaretur motu, quo corpus, si vero id contingit, illi etiam exeunti e corpore contigeret rursus ingredi. Vnde accidit, vt animalia, quæ iam obiere morte, resurgant. 5 Si vero accidit ei motus, vt ab altero moueatur, violentia animal pelleretur sed non conuenit illi, cuius substantia est a seipso moueri, vt ab altero agitetur, nisi ei accidat, sicut nec per se bonum decet esse ob aliud, aut alterius gratia bonum, & si animã quis diceret à sensilibus moueri, siquidem mouetur. 6 [illegible] etiam si ipsa se mouet, & ipsa moueretur: quare cũ omnis motus sit rei motæ, qua mouetur, & anima à sua substantia recederet, nisi accidat semet mouere. At vero motus est eius substantiæ per se. 7 Quidam porro inquiunt animam agitare corpus in quo est, sicut ipsa agitatur, velut Democritus, qui aqua, ac Philippus Comicus, seu Comœdiarum magister dixit. Nam inquit Dædalũ simulacbrum ligneum Veneris motum argento fusili quidem infuso fabricasse, similiter quoque Democritus asserit. Nam atomos globosas tradit suo motu secum vna trahere, & mouere totum corpus, quia suapte natura illi nequeunt unquam insistere. Verum nos interrogabimus, an idipsum quietem facit. Et quomodo fecerit, arduum est, nec dici potest. 8 Et omnino non apparet, ut anima hoc modo cieat animal, sed electione quadam, & intelligentia.*



ABsoluit quarundã opinionũ de anima historiã. Persequitur cõfutare iuxta promissa principio, cũ quæ bene illi dixissent se recepturũ dicebat, sin autẽ refutaturũ. Vt opinionẽ primã scri psit de his qui animã principiũ mouendi tradebant, ita in hos Democ. Leucippũ, Pythagoreos inuehitur primũ Et octo argumẽtis, sed primũ distinguit quã mouetur ad locũ dupliciter moueri, ante quã distinctionẽ repetit opinionẽ, quę dicebat animam se mouendo mouere animal, & huic si intelligunt omne quod mouet moueri obijcit author quę septimo & octauo libro phys. decreta sunt vbi nõ necesse cõclusit omne mouens moueri. Et enim summũ mouet immobilẽ, quo præposito distinguitur moueri per se, & per alterũ. Nauta naue mota fertur per alterũ, scilicet nauẽ vel ventũ, vel amnẽ vel remũ, non enim mouetur cuiusmodi nauis ipse nauta, signo quod eius dilatio est ambulatio, quæ est pedũ actio, & non nauiductio. Quãquam nauta in naue propria fertur delatione seu gressu suo, tamen cum fertur naue, hic ei motus est per alterum, & gressus, incessus est ei per se

qui

qui per propria instrumenta pedes absoluitur. At dices qui motus est ille cum in rotunda machina includunt animal, quod suo motu illam etiam rotundam conuertit. Decreuerim animatum non machinæ, sed animati tribuendum. Hactenus tamen duplicem retinebis motum ex se, & ab altero, quem etiã partiuntur, aut enim ex altero, quale seiungi possit, vt est nautę à naui seiuncti, aut ex altero quale seorsum esse non potest, cuiusmodi aiunt album Musicum incederet. Accidit candori, & musicę sic moueri, vt seorsum esse non possint à re mota. Verum principio libri quinti phys. de his motibus sermo habitus est, nunc ad propositum reuersus considerat author an per se, an ex altero anima agitetur. Sed non ex altero mouetur: ex hypotesi veterum dicentiũ substantiam animæ consistere in eo, vt se moueat, ergo per se mouetur. Non enim, vt tricubito, alboque accidit moueri moto corpore, in quo sunt, quare argumentum primum conficiatur enumeratis quatuor motuum generibus proprie. Silent nunc improprie motus generatio, interitus, & hi quatuor proprie referuntur. Motus ad locum. Alteratio, incrementum, Diminutio, sed hi duo in eodem genere sunt quantitatis cum incrementum ad maiorem molem secundum omnem dimensionem pertineat, & diminutio ad minorem, Alteratio vero ad qualitatem attinet. Hæc tertio physicorum libro, & primo de generatione fusius expressa sunt. Nunc duntaxat commemorãtur, de quibus expressius quinto phys. libro, cum ergo anima per se moueatur vel vno horum motuum, vel pluribus horum, vel omnibus cietur, sed nullo per se horum, ergo non mouetur per se. Hæc minor oratio declaratur, quia si moueretur aliquo horum per se, anima esset in loco, id absurdum, cum locus non nisi corpori tribuatur, quale circunscribatur, ac quia veteres non locabant animam in corpore, sed principiũ eius dicebant nitendi, & mouendi. Quod vero si moueretur motu locali per se, in loco esset constat, quod autem si augeretur & diminueretur esset in loco, patet ex eo, quod partes vel plus, vel minus loci occupant, & si accretio, diminutio non sint motus locales. Denique constat, si alteraretur quoque in loco esse, si quidem alteratio est in eo, quod in loco est, non autem est motus localis. Hoc argumentum dialecticum est & nullius momenti apud Platon. decimo legum, qui decem fere genera motuum reliquit & nullo memoratorum ab Aristot. animam dixit moueri, sed hæc alias, cum item absurdum non sit animam habere locum per motum discretum & cum separatur à corpore ferri ad suum locum, vt quoque simplicius sexto physic. libro asseruit. Nihilominus secundum argumentum adhuc Author facit contra recitatam opinionem ex motu locali secundum naturam & præter naturã, & similiter ex quiete & repetit sepe primo libro de cęlo assumptionem illam. Quicquid natura cietur per se habens motum contrarium, si naturaliter fertur, etiam contingit ei ferri præter naturam & violenter, ceu igni sursum natum motus. Deorsum violenter, atque econtra quicquid violentia mouetur, etiam naturaliter, quoniam cuique est prior motus naturalis: Idem quicquid quiescit natura, etiam præter naturam in loco opposito quiescit, & vicissim, si quiescit vi, etiam alibi quiescat naturaliter oportet vt si ignis deorsum manet vi, sursum naturaliter. Quo violenter fertur, eo moratur violenter. Quo naturaliter, eodem conquiescit natura, sed anima non potest ferri violenter aliquo, nec ibi quiescere, alioquin finge si potes hos motus, ex quietes vi animæ ergo nec potest moueri perse. Argumentum hoc dialecticum. Diceret Democritus moueri animam in orbem, cui nullus motus contrarius est. Vt cęlo non accidit violenter moueri, ita nec animæ motę in orbem, nisi præsumat argumentum ex quo animalia mouet anima, eodẽ motu moueri illam, qui motus nõ est orbicularis, sed neq; hoc fugit obiectionẽ, propterea quod motus animaliũ est diuersus à motibus simplicibus elementorũ, nec contingit eis qua animalia moueri violenter ad locũ oppositũ cũ ad omnẽ differentiã loci ferantur sursum, deorsum, ante retro &c. Tertium argumentũ adhuc persistens in motibus simplicibus, si anima sursum mouetur, ignis esset, ex declaratis in libris de cęlo, si deorsum, terra, si ad mediũ aer, vel aqua, sed nihil horũ est anima, ergo non mouetur. At vero iam vides argumentũ puerile. Democritus animam moueri in orbem dixit & ignem cęlestem similiter. Quartũ argumentũ, si anima mouendo se, mouet corpus quo motu corpus fertur, eodem & anima, sed corpus mouetur ad locũ vel partibus vel se toto, ergo & anima tota vel parte itidẽ fertur, sed animæ discessu corpus delabitur deorsum graue ergo anima ipsa ad hunc motũ perficiendũ rediret ad corpus, & ita resurrectio corporũ naturaliter. Diuino miraculo & opere Dei possunt resurgere, sed nõ opinione Democriti. Nec Gręci, nec Auerhoes hunc locũ gustarunt putantes animã in corpore velut in loco esse, quod Democritus non dicit. Vel sicut dictũ est oportet dici, vel quia cũ anima sit in corpore se mouens egressa retinens suã substantiã mouendi se, & suo motu corpus poterit redire, & similiter mouere, sed à pri-

uatione

uatione ad habitũ non datur regressus. At qui dices. Nonne Plato in phedone resurrectionẽ animalium dat? Nonne Plotinus cũ Socrate iubet cuiq; non sibi inferendã manum, periculũ enim est, ne redeat animo ad corpus? Nonne decimo de Repub. Plato introducit Herum Armenium genere Pamphilium resurrexisse a mortuis, & multa narrasse? Nisi diuinitus tam præclarũ opus fieri possit, sed naturaliter præ impotenti lumine Aristotelici id non agnoscunt. Quintum argumentũ sequitur in eos, qui dicerent animæ accidere motum ab altero, siquidem mota ab altero tanquã instrumentũ pelleret animal & violenter animal duceretur, quod absurdũ est, sed reuera non potest accidere motus illi, cui est moueri secundũ substantiã a seipso, sicut non accidit perse bono, vt sit ab altero bonum, vel alterius gratia, Tum non esset perse bonũ. Nisi quis diceret animam sensitricẽ a sensilibus moueri, sed hoc est aliud motus genus, de quo suo postea loco. Vt porro scias anima dupliciter se habet vt forma corporis, & hæc mouet, & vt cognitrix, cuiusmodi mouetur a sensili cognito, vtq; appetens ab appetibili, sed secundũ Arist. primo modo mouetur ex accidenti moto corpore ipsa immobili permanente perse. Secundo autẽ modo motu salutari, & perficiente sine interitu perse mouetur. Sextũ argumentũ si anima mouendo mouetur perse cum omnis motus sit quidã recessus ab vno ad alterũ Platone in parmenide, in Theeteto, & apud Arist. sexto physic. ergo anima recederet a sua substantia, cum e sua substantia moueat, & moueatur. Qua enim moueatur in sua substantia mutaretur, & ita recederet a sua essentia. Septimum argumentũ Democritus posuit sphærulam illam ex globosis atomis volubilibus sic se mouere, vt simul corpus moueat exemplo Dedali, sicut Philippus comicus poeta comędiarum magister illum testatus est fabricasse idolum Veneris infuso argento viuo mobile, quale argentum suo motu agitabat statuam illam, de qua statua mentio est in libro Platonis de Sancto, cum dicit. Nisi leges Dedali statuã diffugiunt, æque Democritus globosas atomos volubiles sphærulã animam ipsam agitando, etiam corpus mouere? Sed obijcit Aristoteles quia cum animal quiescat, vt in somno liquet, & sępe, quid causa esset quietis, siquidem anima præ volubilibus athomis non posset vnquam permittere quietem, nec se causam quietis, quare animalia nunquã quiescerent. Singulare quidem mendacium. Dedalus supremi ingenij faber inuentor instrumentorũ quorundam, & operũ fuit insignis, patria Athenien. Laberinthũ in creta ædificauit vbi Minotaurũ includendum persuasit. Asciam, serram tornũ, & alia inuenir. Argentũ viuum dicitur a motu, qui tribuitur ei ob diuersitatem partiũ cum ima parte grauitas, & superna leuior vnda humoris natet diffluens, ob id cum supera nequeat se continere, quin pondus in ima detrahat in hoc conflictu supera, & vna pars permanens non sistit se argentũ. Detrahe ergo motum erit perfectum argentum cęlandum etiam, sed vide ne nimium calore premas, neue exhalet, de quo alias, nunc octauũ argumentum. Quoniam sermo de humana est anima, constat non suapte natura motum mouere, cum semper intellecto appetibili bono vero, vel viso impulsa cieat morte hominem. Vnde in tertio libro ad extremũ decernet author intellectũ practicũ, voluntatẽ scilicet cum intellectu mouendi initium. Reuera hæc argumenta facile dilui possent. Tu cogita.

## *Sectio undecimi capitis contra Platonem decem argumentis implicita nec recte expreßa interpretibus.*

### Contex. XVIII.

*Eodem modo Timæus philosophatur animam mouere corpus, siquidem implicita corpori dum ipsa mouetur etiam corpus mouet. Nam constituit eam ex elementis, & harmonicis numeris distinctam compleuit, vt sensum, & concentum natiuum haberet, necnon vt vniuersum consonis lationibus duceretur eius rectitudinem in orbem flexit, & ex uno orbe diuiso duos fecit binis punctis connexos. Rursus unum in septem orbes diuisit perinde ac essent cęli conuersiones animæ motus. Primum igitur non bene dictum est animam esse magnitudinem. Nam uniuersi animam talem esse vult, qualis intellectus est appellatus. Non enim qualis sensitrix, aut concupiscibilis. Harum enim motus non est conuersio. Adde intellectus vnus est perinde, ac intellectio vna, & intellecta*

*intellecta. Haec autem in eo quod deinceps se habet vnum sunt, uelut numerus, & non uelut magnitudo, sicut neque intellectus hoc modo est? continuus, quinimo velut indiuiduus, aut non tanquam moles diuidua. 3. Quinetiã si magnitudo est, quomodo intelliget, an tota, an sui quacunque parte? Si autem partibus aut magnitudinis, aut puncto, dummodo liceat partẽ dicere. Si ergo puncto, & puncta sunt infinita, planè ergo nunquam pertransibit. Si uero magnitudine, uel sæpe, uel infinities item intelliget, nisi constet id semel etiam contingere. Si porro sufficit quamcumque partem tangere cur oporteat illa moueri, uel omnino magnitudinem habere? Quod si necesse est toto circulo tangendo intelligere quænam erit ipsarum partium tactio? 4. Ac quomodo indiuiduo intelliget diuiduum, & contra diuiduo indiuiduum? 5. Rursus necesse, ut hic intellectus sit circulus. Nam intellectus motus est ipsa intellectio, circuli autem conuersio. Si ergo intelligendi actio conuersio est, & intellectus erit circulus, cuius vt pote talis conuersio est intellectio semper porro aliquid intelliget. Id enim oportet: siquidem conuersio æterna est. At vero agentes, & efficientes intellectiones finibus suis continentur. Nam omnes fiunt alicuius gratia. Contemplatrices autem rationibus similiter terminantur. Omnis enim ratio, aut definitio, aut demonstratio, sed demonstrationes principijs constant, & habent aliquo modo finem ipsum sillogismum, aut conclusionem: si vero non terminantur sic, vt redeant ad principium, tamen assumptis semper medio, & extremo sic procedunt. At conuersio denuo ad principium reflectitur, & definitiones omnes finitæ sunt. 6. Si item ipsa conuersio sæpe fit, illi necesse erit sæpe idẽ intelligere. 7. Accedit huc quoque, vt actio intelligendi videatur magis in quadam quiete, & statu, quam in motu consistere. 8. Eodem autem modo & sillogismus. Preterea neque beatum id, quod non facile, sed violentum est. Si enim animæ motio non est secundum substantiam, præter naturam erit. Equidem ingens illi labor est corpori admixtum esse, a quo solui non possit, quinimo fugiendum est, siquidem longe melius est intellectui solutum esse corpore, quemadmodum dici solitum est, & pluribus videtur. 9. Atque obscura causa est cur cælum in orbem feratur. Neque enim animæ substantia est causa conuersionis illius, sed accidit ei hoc modo moueri, neque corpus causa, sed anima potius illi. Nec dicitur quia melius, tametsi oportebat Deum ob id decernere, vt anima moueretur, quia ei melius erat moueri, quam manere atque hoc modo moueri, quam aliter. Verum eum hæc consideratio sit alijs sermonibus aptior, nunc illam dimittamus. 10. Illud itẽ huic orationi, & plurimis alijs dicentibus de anima absurdum est. Nam corpori animam annectunt, & in eo ponunt, nec præscribunt qua de causa, & quomodo se habeat corpus, tametsi id necesse videatur. Nam eius quod mouetur alterum agit, alterum patitur, & illud mouet, hoc mouetur ob communicationem inter se, sed horum nihil his conuenit, quæ mutuo temere, & fortuito connectuntur, sed hi solum quale quid animæ dicere conantur, sed de ipso corpore recipiente nihil præscribunt, ac si fieri possit, vt Pytagoræ fabulæ tradunt, ut quæuis anima quoduis corpus ingrediatur. Nam cuique uidetur esse propria forma, & effigies. Veruntamen perinde inquiunt hi, ac si quis assereret artem fabrilem fistulas ingredi, quia oportet artem vti suis instrumentis, & animam corpore.*



IN hac sectione decem argumentorum contra Platonem Pythagoreum in Timæo monendus est lector nihil legere nisi sumpta in manibus lectione Timæi. Hinc Auerh. & Græci aliquot interpretes tota lectura huius sectionis aberrarunt. Cohortabor eundem accipere hæc ab Arist. potius studio cõtradicendi Pythagoreo Platoni, quam ingenue disputari. Addiderim non fuisse hæc hoc loco animaduertenda, & labefactanda, quia sermo Timæi locrensis Pythagorei, cuius nominis titulo inscripsit librum Timæus, vel de natura cum Socrate Athen. agitur de anima mundi, vbi hæc ille prodidit. Nunc vero est nobis prouincia de triplici anima disserendi. De vegetali, sensitrice, intellectuali. Cęterum obsequi studio Arist. oportet, postea quam ingressi sumus eius verba interpretari. Proponitur quod eodem modo Timęus Pythagoreus, quem Socrates alloquutus apud Locrẽses introducit disputantem de natura, vt in Parmenide fecit de rebus diuinis eundem authorem colloquendo posuit animam se mouendo corpus mouere non nostrum o Arist. Sed cęleste. Eandem condidit ex elementis non igne, aere, aqua, terra, sed quiuis, eodem, diuerso, essentia, motu, quiete. Ex his omnia constant, constauit item eandem harmonicis numeris dupla, sex qui altera, sex quitertia, sexquioctauo, vel vnisono, ac tripla, vt illa anima mundi haberet sensum suo modo, & concentum natiuum. Rursus quo vniuersum hoc est cęlũ consonis, & recta proportione conuersionibus circunduceretur, rectitudinẽ mundi in orbẽ flexit, & ex vno orbe diuiso qui ex rectitudĩne factus fuit duos orbes constituit binis punctis connexos, & alterum horũ diuisit in septẽ orbes planetarũ, quorũ motus orbiculares videbatur dicere motus animæ. Quæ si cupis intelligere non pigeat hæc legere in Timæo. Cũ hæc igitur Deus ille, qui semper est de aliquando futuro Deo cogitant

gitant lenẽ eũ fecit, equalẽq; & à medio ad ſummũ vndiq; parẽ, corpuſq; ex corporibus totis, &
„ perfectis totũ, atq; perfectũ. Animã autẽ in eius medio collocauit perq; totũ tetendit, atq; ea cor-
„ pus extrinſecus circuntexit, mundũq; hunc vnũ ſolũ, ſolitariũq; & orbicularẽ volui in circulũ ſta
„ tuit, & reliqua legeris tu de animæ cõſtructione mundanæ vſq; ad ea verba poſtquã igitur ſecun-
dũ illius creatoris mentẽ tota animæ cõſtitutio abſoluta fuit, mox omne corporeũ intra ſeipſam
finxit, quæ itẽ legito vſq; ad hęc. Itaq; quẽadmodũ illud ſempiternũ animal eſt &c. Hic locus in
Timæo de fabrica animæ eſt cęteris obſcurior, attamẽ conabor paucis exprimere. Cum dicit Ari
ſtoteles animã conflatã ex elemẽtis, id habes, cũ dicit quorum quodlibet ex tribus, eodem altero,
ſubſtantiaq; cõſtaret, & rurſus ibi. Quoniã igitur ex tribus partibus, eodẽ ſcilicet, altero, eſſentia
cõflata eſt. Tria elementa ſunt idẽ, alterũ, & eſſentia, adde alia duo motũ, quietem, & motũ qui-
dẽ, quia in ſe anima cõuertens conuertit etiã cęlũ. Cum ſubdit Ariſt. eandẽ conflatã ex numeris
harmonicis aduerte duplicẽ compoſitionẽ animæ Timæum dixiſſe: Vnam prædictã ex elemen-
tis precipue tribus ad hunc mõdũ, nam anima indiuiſibilis naturę ſemperq; ſibi ſimilis cum ſit, &
ea corporis diuidua, vt quia omnino indiuiſile nõ poteſt diuiſili connecti deus partẽ indiuiſilis,
& partẽ diuiſilis accipiens confecit tertiã eſſentiam mediã quæ eſſet ex eodem, quo ſemper eadẽ
& vera intelligeret, & circa ea verſaretur, & ex altero, quo perciperet diuidua & ſenſilia, itaq; vna
ſubſtãtia anima media nõ omnino incorporea, nec omnino corporea, ſed particeps vtriuſq;. Al-
terã cõpoſitionẽ animæ mũdanę fecit nõ ex quibuſuis numeris, ſed ſolũ ex harmonicis cũ Plato
„ dicit in Timæo: Fuit autẽ talis partitio. Vnã principio accepit ex vniuerſo portionẽ, ſecundã au
„ tem primæ partis duplã. Deinde tertiam, quæ ſecundæ ſeſquialtera eſſet, & primæ tripla, poſtea
„ quartã ſecundę duplã. Quintã deinceps tertiæ triplã, ſextã primæ, poſtremo ſeptimã, quę parti-
„ bus ſex & viginti excederet primã poſt hęc dupla & tripla interualla repleuit &c. Hi ſunt numeri
harmonici cũ proportione Muſicæ mundanæ, contra quã Ariſt. ſecundo libro de cęlo inuectus
eſt, lege commentarios noſtros in lib. de cęlo. Equidem numeri hermonici ſunt Dupla Tonus,
ſeſquialtera diapente. Quarta diateſſeron: quinta diapaſon, ſexta diapaſon & diapente, ſeptima
diſdiapaſon, exemplum. Tota hæc machina conſtat ex numeris cubis, attamen quo Timęus Py
thagoreus oſtenderet muſicã mundanam conflauit animam ex harmonicis, vt ſenſu audiendi
ſuam muſicã, & natiuum concentum haberet, quod certe Pythagoreũ enigma eſt cum maxime
ille fateretur non audiri niſi à purgatis auribus illam muſicã, lyramq; cęleſtẽ. Illa enim chorea
curſuũ cęleſtiũ mirifice tẽperata eſt, vt ne momentum, ne quidem dies is poſſit intercedere. De
motu Lunę, deque curſu Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, & ſupremi orbis ſtel
liferi habes in commentarijs de cęlo, tametſi videatur potius Plato in Timęo parturi molem cę-
leſtem ſecundum numeros, vt oſtendat quomodo tota illa cęleſtis machina animata debita pro
portione interuallorum fuerit conſtituta, vt infima ſphera Lunæ cum ſuprema & magnitudine,
& curſu cõſonaret, & proinde Pythagoras cenſuit molem rectam prius Deum certis finibus, &
menſura conſtitutam accepiſſe, & hanc diuiſiſſe in duas partes quæ ſe ſecarent in ſtar litteræ
„ Græcæ. X. ob id Ariſtotel. dicit, necnon vt vniuerſum conſonis lationibus &c. quæ Plato ibi in
„ Timæo dicit: Tum ſeriem hanc vniuerſam in longum ſecuit, & ex vna duas fecit, mediumq;
„ que mediæ in ſpeciem. X. Græcæ litteræ accommodauit, deinde in orbem inflexit &c. ita vt
cęlum omne diuiſerit in primam ſpheram cum Zodiaco & in ſeptem orbes planetarum, quo-
rum tres Sol, Venus, Mercurius pari celeritate ſub ſignifero mouerentur, & reliqui quatuor
debita proportione circunducerentur, ob id ſicut in comment. de cęlo ſæpe ſuſius declarauimus
motu medio Sol. Venus Mercurius feruntur ſpatio 365. dierum cum quarta paulo plus. Luna
intra dies 29. cum duodecim horis vel 27. cum octo horis apud nonnullos. Mars biennio fere,
Iuppiter annis fere duodecim Saturnus fere 30. octaua ſphera viginti quatuor horis. Taceo
nonam Ptolomæi commentum &c. Vnde muſica triplex mundana eſt, & quo ad interualla
ſphærarum, & quo ad magnitudines earum, & quo ad curſus ad ſimilitudinẽ trium Muſica-
rum, concentus, organicæ, Rythmicæ. Hęc faciunt ad perceptionem argumentorum Ari-
ſtotel. ſi notetur item quemadmodum ille ex verbis Platonis in Timæo eiſdem conatur dedu-
cere ad redargutionem Platonem, vel Timæum. Et primum quia animam conflauit Timæus
ex indiuiſili natura ſeu incorporea, & diuiſili, ſeu corporea, & hoc modo quandam magnitu-
dinem illam conſtituit, hunc reprehendit quinque argumentis docens non eſſe magnitudi-
nem, neque rotundam, reliqua quinque argumenta adducit, vt cogat Timæum palinodiam
faceret, & recantare ſic vt inconſtans videntur in verbis.

Sed hoc est primum argumentum. Anima apud Timeum est intellectus, & non sensitrix, & concupiscibilis. Nam in Timeo eodem animæ nostræ tres partes dixit has memoratas, vt item fecit quarto libro de Repub.& probat non esse sensitricem, nec concupiscibilem animam, quia motus animæ est conuersio ex dictis Timei sic. Quoniam igitur ex tribus partibus, eodem scilicet, & altero, & essentia conflata est. & compacta ratione proportionis distincta, necnon in seipsam orbe reflectitur, sed conuersio non est sensitricis, nec concupiscibilis motus, ergo hæ nō sunt animæ, sed motus est intellectus, qui in se conuertitur, ergo intellectus est anima, sed intellectus non est magnitudo, nam incorporeus est, vt in phædro, phædone, sexto de Republ. dicitur, ergo non recte dicitus anima magnitudo, & diuidua, corporeaque seu conflata ex diuidua substantia corporea partim. Secundum argumentum Anima est vnum sicut illud quod constat ex deinceps numeris intellectiua, sicut apparet ex dictis Timei in secunda compositione animæ ex numeris harmonicis, siquidem intellectus est vnus vt intellectio vna,& res intellecta, atque indiuisilis, quod etiam Timeus ait in his verbis, Quoties aliquid attingit quod essentiam diuiduam habet, & quod indiuiduam in seipsam conuersa quid sit vtrunq;,& alterum &c.quare si vna est intellectione, & vt numerus, non erit magnitudo neque continua, cū intellectus sit indiuiduus. Tertium argumentum,ex proprijs dictis Timei conuincit ipsum Arist. si quidē Timeus ponit animam intelligere tangendo vel indiuidua, vel diuidua, vt paulo supra habuisti, quærit ergo author quomodo intelliget tangendo an tota, an sui quauis parte, Si partibus, aut puncto aut parte magnitudinis, si liceat punctum appellare partem magnitudinis, quia reuera non est pars,nisi apud Platonē,qui lineas cōponit ex punctis,sed non potest tangere puncto,quia cū sint infinita puncta in circulo, nunquā pertransibit illa infinita, & ita nunquā erit intellectio perfecta,si vero parte magnitudinis atingit,sæpe idē attinget,vel infinities in sua perpetua reuolutione, quare infinities idem intelliget, & quia quis diceret sufficere attigisse semel quadā magnitudinis parte, ob id obiicitur non oportere circumuolui,vel magnitudinem habere, quia sufficit attigisse puncto. Quod item nec tota se anima tangat, ostendit, quia quomodo tota sui mole tanget rem diuiduam, vel indiuiduam? Quartum argumentum petit a Timeo cum anima sit conflata ex parte diuidua, & parte indiuisili quomodo ipsa parte diuidua intelliget indiuiduū, aut parte indiuisili intelliget diuisilia? nisi dicatur quod non sit tota intelligens indiuidui, & diuidui, attamen necesse est si facit differentiam inter diuiduum, & induidum,& dicit hoc esse alterum ab illo,vt vtrunque cognoscat, & item parte indiuisili nouerit diuisili, & partē diuisili indiuisile, cum tamen Timeus aliter dicat vbi animam se reuoluendo conuersam ad sensile opinabilia capere ait, & conuersam ad rationale intellectilia veridica apprehendit. Quintum argumentum duo probat, primum intellectum esse circulum, Deinde ipsum oportere semper intelligere, Quoad primum assumit motum intellectus esse ipsam intellectionem. Et circuli motum conuersionem, sed intellectio est conuersio,vt innuit Timeus, ergo intellectus circulus ille cuius intellectio est conuersio, si ergo circulus, semper intelliget, cum sempiterna sit conuersio, sed hoc esse non potest, ergo nec erit anima magnitudo circularis. Quod vero esse non possit, ostenditur, quia omnis intellectio, & scientia, quæ vel definitione, vel demonstratione paritur aliquando cessat adepta, cum terminetur siue conclusione, siue principio, medio, fine procedat. sed conuersio redit ad idem semper, & nunquam terminatur, ergo non erit intellectio qualiscunque conuersio, nec anima circularis moles, alioquin cum conuersio sæpe redeat adidem, & per eadem transeat, contigerit animę sæpe idem intelligere. Sextum argumentum. Intellectio potius in quiete versatur, quam in motu testibus etiam Heracliti sectatoribus, qui quoniam in fluxu omnia videbant, nihil certe sciri dicebant ob id & Socrates stabiles ideas introduxit, ergo non erit conuersio, & motus nec anima intellectrix circulus. Septimum argumentum traducit ad redargutionem Timeum, qui dixit hæc mundum beatum Deum fecisse opificem ob animam, Quinimo recantet hoc Timæus oportet, quia quod est arduum, & violentum non est beatum sed animam includi mundo corporeo & sic mouere arduum est, & violentum cum ab eo solui non possit, quod declaratur consuetudine dicendi in foro sapientū, qui aiunt melius intellectui esse, vt sit separatus corpore, ceu Anaxagoras, Socrates in Phædone, & alij plures dicunt, ergo anima ipsa non est corporea, & diuidua eo modo. Octauum argumentum. illa assertio de anima non est accipienda, quæ obscura est, illa Timei est obscura duplici ratione, quia causam effectricem motus cœli non affert, cum neque animam dicat,neq; animam dicat, neque corpus esse possit, Animæ autem accidit conuerti in orbem & sic cōuersio-

vt cœlum circundant, nec refert causam finalem, cur melius esset animæ moueri, & nō manere, ac sic moueri in orbem mouendo corpus, cum tamen Deus nihil nisi melius efficiat, sed de his causis dicendum est metaphysico in duodecimo libro. Nonum argumentum, actus in patiente proprio, & formæ in suis materiebus collocantur, & non temere quæuis in quauis materia, sed Timeus, & alij collocando animam in corpore non dicunt quomodo, & qua ratione aptum sit corpus, sed solum quale quid anima inquirunt, ergo non recte tradidit Timæus fabulæ Pythagoreorū addictus, quæ fabulatur quamlibet animam quoduis corpus ingredi posse pro meritis vitæ in corpore. lege ad extremum dialogi in Timęo. Decimum argumentum. Qui animam velut artificem in corpore, ceu instrumento ponit & ita quocunque vti corpore posse, vt si quis artem fabrilem per fistulas omnes ingredi dixerit, quinimo vt vox per foramina & buccā Tibicinis vna pertransit, non recte dicunt, sic Timæus visus est dicere cum animam corpori admisceat, nec qua causa admisceat adducat. Hæc in Timeum Platonis reprehensa declarato ænigmate Timæi facile diluet argumenta Aristotelis, de quo nunc agere longum esset.

## *Alia sectio undecimi capitis contra Aristoxenum philosophum musicum dicentem animam harmoniam quin que argumentis & contra ipsum Empedoclem.*

### Contex. XIX.

*EST item quædam alia opinio tradita de anima multis probabilis, & nulla earum, quas narrauimus inferior, quæ tamen perinde rationibus in communibus colloquijs examinata fuit, ac si sui rationem dare cogeretur. Nam animam esse harmoniam quandam tradunt. Etenim temperationem, & compositionem quan-*
1 *dam contrariorum harmoniam, & corpus contrarius constare aiunt. At vero harmonia est quædam ra-*
2 *tio admiscendorum, vel compositio. Anima autem neutrum horum est. Ac harmoniæ non est mouere, quod tamen cuncti animæ tribuunt. Amplius item est, vt harmonia de sanitate, deque omnino corporeis viribus, quem de anima magis dicatur. Hoc autem euidentius erit, si quis conetur affectus, operaque animę ad har-*
3 *moniam reducere reliquam. Nam arduum erit accommodare. Adde duobus perspectis modis harmoniam effici dicimus. Et maxime proprie compositionem earum magnitudinum, quæ motum, & positionem habent, cum videlicet ita aptę cohærent, vt nihil eiusdem generis intercipiatur. Vnde desumpta est ratio eorum, quæ admiscentur, At neutro modo consentanea est animæ harmonia. Neque partium corporis compositionem facile est inuestigare, Multæ enim, & variæ occurrunt partium constitutiones, Quam ergo compositionem in-*
4 *tellectum, sensum, appetitum animam censere oportet? Similiter absurdum est animam esse rationem mixturæ, Non enim eadem ratio est admiscendi elementa in carne. & in osse, Quare si partes corporis singulæ constant permixtione elementorum, & ratio ipsa mixturæ est harmonia, & anima, euenerit quidem, vt plures animas habeant, & id quoque in vniuerso corpore. Quis porro peteret ab Empedocle, (Nam singulas partes in quadam ratione esse inquit) nunquid anima sit quędam ratio, an potius aliquid alterum, quod accedat*
5 *ipsis membris. Ac vtrum ipsa amicitia cuiusuis mixtionis sit causa, an illius, quæ sit secundum rationem. Et num hæc ratio ipsa sit, vel præter rationem aliquid aliud, Hæc igitur tales dubitationes haberet, si vero anima aliquid existit ab harmonia diuersum, cur simul cum interitu carnis, & aliarum partium animalis tollitur? Præterea si non vnaquęque pars habet animam, nec anima erit ratio mixtionis, Quid ergo interit animæ recessu, Quare non posse animam harmoniam esse neque in orbem ferri ex dictis constat nisi ex accidenti moto ad locum, in quo est ipsa.*



T si recitando supra opiniones hanc Arist. non numerauit, tamen quia sequitur illam Timæi asserentis animam componi ex harmoniacis numeris, & quia multis est probabilis, & fere vuulgus eam accipit veram, & quia nonnihil habet commune cum Empedoclis dogmate, operæpretium fuit proponi, & confutari Aristoxenus musicus animam esse harmoniam philosophatus est ad musicæ laudē, tametsi in phædone Platonis Simmias cum Socrate disputās de animi immortalitate

talitate hanc opinionem proponat quinque fere argumentis confutatam a Socrate, vt totidem nunc improbatur ab Aristotele, Hinc demiror non puduisse Alexandrum Aphrodisæum alioqui optimum habitum philosophi interpretem reputare animam nostram harmoniæ, & simmetriæ temperamenti superuenire, & inde oriri cum plane Arist. cum Socrate Platone eam refutet hoc loco, Non pigebit etiam rationes Socratis in Phædone cum his singillatim Aristotelicis inferre, primum habeto hanc opinionem apud plebeos eo sæculo plurimum valuisse, quæ pluribus persuasit animam esse harmoniam, vel quod harmoniæ superueniens. Attamen fuit tractata, & agitata in colloquiis ab ipso Socrate, & depulsa, quam sic explicat Arist. Corpus constare ex contrarijs calido, sicco, humido, frigido, quorum temperamentum, seu compositionem putant animam esse nostram. Apertius Plato in Phædone explicat compositionem contrariorum, quia asserit animam esse consonantiam resultantem ex bene temperatis contrarijs in corpore ita, vt sit quid ortum ex ipsa temperie contrariorum. Obiicit ergo Arist. primo argumento. Harmonia est quædam ratio, & proportio admixtorum, vel compositio, sed anima neutrum est, nec proportio, nec compositio, quia illa est substantia, & proportio relatio, Socrates sic suum primum facit argumentum. Harmonia est quoddam compositum, ergo prius sunt componentia, vt voces, soni, & ideo prius experiuntur an consonent, & postea concentū edunt, quare prius erunt partes animæ, quam sit anima, & ita anima prior erit harmonia. Secundum argumentum Arist. est. Cuncti tribuunt animæ actione mouēdi corpus, sed Harmonia non mouet, ergo harmonia non anima. Secundum argumentum Socratis in Phędone Platonis. Harmonia alia maior, alia minor, intenditur enim, & remittitur, sed anima non intenditur, non remittitur, ergo anima non est armonia. Tertium argumentum Arist. Harmonia potius dicitur de sanitate, affectione corporea, & de viribus corporeis, sicut Plato in Phædone. Galenus medicus sæpe, sed anima non est sanitas, ergo nec harmonia quod confirmat, siquidem non facile quis redigeret opera affectus aint ad harmoniam, Equidem animare, vegetare, sentire, intelligere non facile redigemus ad concētum. Contra facillimum est sanitatem referre ad simmetriam calidi, sicci, humidi, gelidi, & humorum Socrates facit argumentum in Phædone. Vbi est dissonantia, non harmonia, sed in anima humana est dissonantia, ceu scientiæ, ignorantiæ, & mansuetudinis, ac similium, ergo illa non harmonia. Quartum Aristotelis distinguit prius duplicem harmoniam vnam magnitudinum apte inter se cohærentium cum suis motibus. & situbus adeo, vt nihil eiusdem generis intercedat. Hæc sunt, quæ deinceps se habent, & vnde alia harmonia desumitur eorum, quę mutuo miscentur. Sed anima neutra est harmonia, Non enim est partium corporis compositio, cum sint multæ, & variæ partium constitutiones, vt alia ossis, alia carnis, alia intestinorum, ergo nisi tot harmoniæ sint tot animæ in vno composito animali, Quod si dixeris esse harmoniam partium animæ, non erit facile assignare quæ sit harmonia intellectiuæ sensitiuę, vegetalis, similiter nec est harmonia mixturæ, cum multiplex sit, & alia in carne, alia in neruo, quare multæ animæ in eodem animali, quod absurdum est. Socratis quartum argumentum in Phædone est vbi pugna est rerum ibi dissonantia, & non harmonia, sed in anima pugna est, quia ratio sæpe appetitui repugnat, & voluntas, & ira clementiæ, & cæteri affectus pugnantes inter se, quare anima non harmonia. Quintum argumentum Arist. commune etiam Empedocli, de quo petendum esset, cum ponat singula membra in quadam proportione, an anima sit quędam ratio, an quid alterum accedens membris, neutro modo dici potest, & maxime ab Empedocle, qui posuit amicitiam causam mixtionis, qui dicat oportet, ne sit amicitia ratio quędam, vel causa rationis, vtroque modo esset amicitia causa animæ vnde multæ emergunt dubitationes, Quod si dicat aliquid alterum esse ab harmonia, cur igitur tollitur interitu carnis, aut aliarum partium ipsa proportio cum ergo tollatur, videtur esse cuiusque membri ratio, Præterea si non vnaquęque pars animalis habet animam, ergo anima non erit ratio illius mixtionis, attamen recedit anima interitu illius proportionis partium, & membri. Quintum argumentum Socratis in Phædone Homerus poeta diuinus, & alij canentes pugnam affectuum animæ indicant animam non esse harmoniam, Confirma tu, quia prędominatur semper aliquid in mixtione ergo non harmonia est in corpore, ergo nec anima est harmonia corporis, Adde animam antiquiorem corpore apud Platonem in Timæo, aut posteriorem apud Aristotelem quæ aduenit deforis post finitam compositionem corporis in vtero, ergo non est harmonia, neque ex ea oritur, quod non vidit Alexander Aphrodisæus, Quinimo Hippocr. in libello de pueri natura in maribus post 36. dies, & Femellis post 42. dies accedere animam di-

xit, ergo non ex temperie qualitatum, & partium corporis oritur, Quare collige animam non posse dici harmoniam, neque in orbem ferri nec moueri nisi ex accidenti moto corpore, in quo est.

## *Sectió alia undecimi capitis de his, qui uidentur proprij animæ motus, & si sint communes corpori præter intelligere.*

## Contex. XX.

*VERVM quis dubitaret de anima tanquam mota ad hæc respiciens. Nam dicimus animam dolere, gaudere, fidere, timere, atque irasci, sentire, ratiocinari. Hæc autem omnia videntur esse motus, vnde quis existimaret ipsam moueri sed non est necesse. Nam dolere, gaudere, aut ratiocinari & si maxime motus sunt & horum vnumquoque moueri videatur, attamen ipsum moueri ab anima proficiscitur, velut irasci, metuere propterea quod hoc modo cor mouetur, sed ipsum ratiocinari, aut aliquid tale forte quippiam alterum est, Ac horum alia accidunt loci mutatione aliquorum, quę mouentur alia vero alteratione. Quænam vero sint illa, & quomodo tractanda, ad aliam orationem pertinet, atque dicere animam irasci simile est, ac si quis eandem texere, vel ędificare dixerit. Melius enim non dicere forte animam sed hominem anima misereri, vel discere, vel ratiocinari, Et hoc quidem non quia in illa sit motus, sed quoniam vsque ad illam, & aliquando ab illa proficiscitur, velut sensus ab his, & recordatio ab illa ad eos motus, & status, qui sunt in sensuum instrumentis, At vero intellectus videtur quædam substantia adnasci, & non interire, si enim interiret, maxime senis tale interiret, Nunc vero contingit, sicut sensuum instrumentis, Nam si senex oculum acciperet, qualem Iuuenis habet, ęque cerneret, Quare senectus non accidit ulli quia anima aliquid aduersi passa sit, sed quia id tabescit, in quo est vt fit in ebrietate, & morbis. Ac intelligendi, contemplandi actiones tabescunt aliquo externo corrupto, At vero ipse impatibilis est, sed ratiocinari, & amare, aut odisse non sunt illius affectus, sed huius habentis illos, qua habet, Quocirca & interitu huius nec recordatur, nec amat, Non enim erant illius, sed communis, quod perijt, Intellectus vero forte quid diuinius est, & impatibile constat igitur ex his animam moueri non posse, ac si mouetur, neque ex se.*



VLCHERRIMA, & vtilissima sectio ad librum secundum, & tertium, & si nihil, nisi dubitanter proponatur, In hanc descendit author ex opinione eorum recitata, qui animam moueri perse fatebantur, & si motu locali corporeo non potest per se, licet ex accidenti, moto scilicet corpore queat moueri, & sic sui causa motus esse, opposito modo, quam illi dicerent. si quidem veteres profitebantur animam ex se moueri, & suo motu corpus mouere ad locum, contra Aristoteles decernit animam inquiens sui causam motus esse ex accidenti, propterea quod mouens non se, sed corpus, quo moto & ipsa mouetur in illo, Accidit ergo, vt hæc constituit author, pergit ad eos motus, seu affectus animæ qui per se illi tribuerentur, ideirco quempiam dubitare posse ait ad hoc affectus respiciens, dolere, gaudere, fidere, timere, irasci, sentire, ratiocinari, quos affectus reputaret motus, & hos animæ, quare illam perse moueri dicerent, sed non est necesse, vt anima moueatur, non solum quia non sunt hi affectus propriæ motus, sed etiam si essent, quia sunt alterationes cordis in libello de incessu animalium, nihilominus hi proficiscuntur ab anima tanquam effectrice concausa, & non tanquam materia, quæ subiiciatur primum his, Quinimo cor, & animal subiiciuntur, & sunt affectus communes corpori, & animæ, sed qui redundent ad animam recepti a corpore subiecto. Nisi enim ferueret sanguis, corque afficeretur, nulla ira esset, hæc vero redundat ad animam, propterea quod est in corde, non quia prius in ea fuerit, & si tria videantur affectuum genera. Vnum eorum, qui censentur non esse corporis ceu ratiocinari, Intelligere, velle, imperare, sed solius animæ, alterum eorum, qui vel loci mutatione aliquorum fiunt, sicut morbi, salus, incursus, venationes & id genus, vel alteratione, ceu indignatio, dolor, voluptas, & cæteri affectus quorũ

clauus

clauus est cor, nam vt temone paululum moto proræ nauis variæ accidunt mutationes, ita corde affecto multi affectus, de quibus vel in libro de motibus animalium, vel de historia, vel in philosophia morali, vel in physiognomicis agendum est. Tertium est bipertitum eorum, qui partim a corpore incipiunt, & ad animam terminantur, ceu actiones sensilium per organa, & media per ueniunt ad sensum, vt lumen ad visum, & qui partim ab anima proficiscuntur ad organa corporea, vt reminiscentia, memoria, sed hi non sunt in anima ylli sola sed communes animali causa efficiente anima, & finali, ac formali, non materiali, Quare nulli affectus, & tales motus sic sunt in anima, vt ipsa dicatur moueri, & suo motu afficere cor, & corpus. Nisi sit intellectio actio intellectus huic propria sine corpore, siquidem videtur Socrati, Platoni, Aristoteli etiam intellectus quædam substantia adnasci, quod verbum illustrat Arist. capite tertio secundi libri de part. animalium quando scribens de origine animarum plane intellectum extrinsecus accedere dixit, & nihil ei commune cum corpore, quem locum indigne corrupit Alexand. Aphrodisæus intelligens de intellectu agente (velit nolit impius homo) sermo est de substantia animæ, Inquit author. Videtur quædam substantia adnasci. Intellectus agens, quia apud illum est Deus non adnascitur. O impie, Eternus & sempiternus est Deus, nec aduenit deforis, nec adnascitur, vbiq; adest. Et quis non videt sermonem esse de anima, de cuius affectibus agitur? sed heus Alexander cogita, cum dicit author, Et non interire, ergo immortalis est anima contra dogma tuum plane horrendum de mortalitate, quam vocem (non interire) si trāsmittis ad intellectum agentem, quid opus est exemplo de sene? & argumento si quidem sic argumentatur author? Si intellectus interiret, maxime intellectus senis interiret, sed non interit hic intellectus senis, quod probatur similitudine instrumentorum, ceu oculi, quoniam in ea ætate intellectus valet, ac si senex reciperet oculum iuuenis, æque ac ille, cerneret. Quanto intellectus solutior affectibus corporis, tanto plus valet, Vnde senescere non est affectus animæ, nec senectus accidit ob patibilitatem animæ, & talem, sed ob consumptionem humidi primi genij, radicalis, ac caloris innati, & spiritus vitalis, de quibus habes in libellis de morte, vita, de longa, breui vita, de iuuentute, senectute, de spiratione. His consumptis aut tabescentibus corpus tabescit, non anima, sicut accidit in ebrietatibus, & morbis, qui affectus perturbant animalis compositionem & organa, cerebrū, cor, iecur, non autem intellectum his solutum, & liberum, sicut etiam Socrates, Plato in Phædone in libris de Repub. & alibi ostendunt, vnde propter connexionem, & coniunctionem animæ cum corpore quæ huic accidunt putant animæ accidere, iccirco addit author actiones intelligendi aliquo externo corrupto, & tabescente, hoc est phantasia labefactata, aut læsa læsione organi tabescere dicit, attributiue scilicet ob coniunctionem, & intelligentiam dependentem a phantasmatibus, sed ipse intellectus impatibilis est, Quid dicitis vos (domini) de vulgo docti, qui illud argumentum plurimi facitis de actione intelligendi dependente a phantasmate, quæ quia est corporea, anima interibit. Ecce author loquitur, non ego qui cedit actiones contemplandi, intelligendi tabescere, tale phantasiæ, & organi, attamen fatetur intellectum impatibilem. Actio cōicata corpori, instrumento tabescente tabescit actio, non autem artifex. Ascia, securis potest rubigine obtundi, nec probe obsequi artifici superstite sane & valido artifice, Quare illa dependentia animæ a phantasmate non arguit defectionē animæ, Reliqui vero affectus animæ cōes habenti, sentire, ratiocinari, recordari affectus organis, & pareuntibus cessant, ga nō animæ proprij sunt, sed animali, & organo iccirco organo læso intereunt, ob id nō sunt tribuendi animæ tanquā proprij, nisi quis dicat animam ædificare, texere, quod perinde est ac si dicatur animā irasci, confidere, quod sane stultum est, iccirco melius est dicere hominem anima misereri, discere, ratiocinari, quia hæ actiones sunt totius animalis, non autem animæ, At dices. Nonne dicimus animam intelligere, velle? Respondet author secus dicendum de intellectu, qui forte est aliquid diuinius, & impatibile. Alexander Aphrodisæus colligens festucas ait. Ecce dicit aduerbium (Forte) quod est dubitatiuum, & sic non asserit intellectum diuinius esse, & impatibile, contra quem primum sui pace illud obiicio, quod inconsiderate loquitur. Si apud te (Alexander) sermo est de intellectu agente qui est Deus, ergo dubitanter dicitur agens intellectus, & Deus quid diuinius, & impatibile? Quod si veritate impulsus id affirmabis de intellectu nostro, deinde obiicio tertium librum huius operis vbi vtrunque intellectum impatibilem, immortalem, immixtum decernit sine illo aduerbio (forte) An ignoras in primo libro nihil decerni donec ad secundum, & tertium librum venerit, in quibus suam constituet sententiam. Postremo colligit animā non moueri, quæ si non mouetur, neque per se cietur motu.

Alia

## *Alia sectio undecimi capitis in Xenocratem professorem in Academia dicentem animam numerum seipsum mouentem sex fere argumentis.*

### Contex. XXI.

*MVLTO etiam dictis est absurdius dicere animam esse numerum seipsum mouentem. Nam his multa*
*contingunt, quæ esse non possunt. Et primum accidunt ea, quæ ex motu emergunt, deinde propria, quia*
1 *aiunt ipsam esse numerum. Nam quomodo intelligere oportet vnitatem motam, & a quo, & quonammodo,*
*cum sit indiuidua, & sine differentia, Si enim esset motrix, & mobilis, eandem oportet diuersam esse, & quia*
*tradunt lineam motam efficere planum, & punctum lineam, etiam motus vnitatum lineæ erunt, punctus enim*
2 *est vnitas quæ positionem habet. Et numerus animæ alicubi iam est, & situm habet. Adde si quis de nume-*
*ro demat numerum alter resultabit numerus, sed plantæ, & plura animantia dissecta viuunt, & eandem animam*
3 *specie videntur habere. Quin etiam nihil refert dicere vnitates, vel corpuscula, Etenim si globuli Democriti*
*puncta fierent, & solum maneret quantum, in eodem erit aliquod mouens, & aliquod, quod cietur, sicut in ma-*
*gnitudine. Non enim quod dictum est, accidit, quia hæc dissident paruitate, & amplitudine, sed quia quan-*
*tum sunt. Quocirca necesse est vt sit quippiam mouens vnitates. Si porro in animali anima mouet, & in nu-*
4 *mero, Quare anima non est id, quod mouendo mouetur, sed tantum mouet. Quomodo item accidit huic, vt*
*sit vnitas, Nam eam oportebit habere differentiam ab alijs dummodo punctus sit vnitas. Quæ igitur differen-*
*tia sit inter hanc, & illam vnitatem neque potest intelligi, si ergo diuersæ vnitates aut puncta sunt, in eodem*
*erunt vnitates. Occupabunt enim locum puncti. Ac si duę in eodem, quid obstabit quominus & infinitæ? Vt*
5 *enim locus indiuiduus, & ipsa. Si vero puncta in corpore sunt animæ numerus vel si anima est numerus, &*
*punctum in corpore, cur non omnia corpora animam habent. Nam puncta in omnibus videntur esse, & infi-*
6 *nita. Accedit quomodo animæ separari, & absolui a corporibus possint, si lineæ diuiduntur in puncta.*
*Contingit ob id huic sicut diximus partim dicere idem, quod asserunt qui animam aiunt esse quoddam corpus*
*tenue, & proprium absurdum fateri, perinde scilicet corpus ab anima moueri, ac Democritus tradidit. Nam*
*si anima est in omni corpore sentiendi, necesse quidem est, vt duo corpora in eodem collocentur, si corpus vide-*
*licet aliquod est anima, atque his accidet, qui illam aiunt numerum esse in vno puncto plura puncta locare,*
*aut cogentur dicere omne corpus habere animam, nisi aliquis numerus diuersus adueniat, & alter ab his punctis*
7 *quæ sunt in corpore. Accidit etiam animal a numero moueri, sicut etiam dicebatur a Democrito idem mo-*
*ueri, Quid nam interest si dicas paruos globos, an vnitates? etiam magnas, vel omnino vnitates motas ad lo-*
*cum. Vtroque enim modo necesse est propterea animal agitari, quia ipsæ agitantur. His ergo, qui motum, &*
*numerum simul miscuerunt, hæc, & pleraque alia absurda contingunt. Non enim solum talis definitio animæ*
*esse non potest, sed nec accidens. Hoc euidens est, si quis ex hac definitione experiretur affectus, opera animæ,*
*velut cogitationes, sentiendi actiones, voluptates, dolores & quæcunque alia huiusmodi tradere, Nam sicut*
*diximus supra neque ex his est facile diuinare.*



N Xenocratem sex fere Argumentis disputat. Accerrima quidem disputatio inter congressores. Xenocrates Atheñ. auditor Platonis successor Speusippi in profitendo in Academia, Nam Plato ab obitu reliquit generum suum Speusippum successorem in lectura, Hic vix annum professus moritur. Succedit Xenocrates, qui libros quindecim edidit de natura, Scilla potitus Athenarũ principatu delegit libros celebres, hos vero cui crediderit non certum est. Platonicus fuit. statuitq; animam numerum numeratum ex quinis principijs vno, altero, essentia, motu, quiete conflatum & non numerantem seipsum mouentem, At Arist. disputat in illum, ac si posuerit animã numerum numerantem, qui est in genere quantitatis discretæ suppresso nomine ait pene conuiciando his ponentibus animam numerum seipsum mouentem absurdius dicere contingere, quia coguntur dicere impossibilia, quam accidebat supra memoratis. Primum edit argumen-

tum

tum ex motu, deinde ex numero quia duo complectebatur Xenocrates in anima motum suiipsius animæ,& numerum. Si anima se moueret numerus cum sit, etiam vnitas moueretur,si quidem numerus est multitudo ex vnitatibus collecta septimo elementorum Euclidis, sed vnitas moueri non potest, aut ab alio,aut a se,non ab alio,quia anima se mouet, si a se, cum alia parte moueat, alia moueatur,vel non eodem modo moueat,& moueatur vnitas carens partibus, & omni differentia non poterit vno modo mouere,&alio moueri ergo nulla vnitas mouetur,ergo nec numerus ex vnitatibus conflatus. Sed quis dicet vnitatem per se seorsum nullam moueri,ceu nec materiam seorsum a forma mouetur, tamen numerus totus mouetur,statim obiicit author eorum dicta,quia Xenocrates fassus est punctum esse vnitatem habentem positionem in continuo, & cum ille etiam tritum illud Geometrarum e fluxu puncti effici lineam, & fluxu lineæ confici superficiem,ergo dat ille vnitatem moueri, quæ est numeri habentis positionem in corpore. Secundum argumentum si anima esset numerus,cum ablata vnitate alia species sit numeri, itaque ablata vi animę aliqua alia euaderet anima hoc falsum est, siquidem dissecta quædam animalia, ceu anguillæ, lacertæ, apes adhuc partes diuersæ sub eadem specie animæ viuunt. alioquin decisæ partes tot animalia essent diuersa specie, quod a vero alienum, ergo anima non est numerus. Tertium argumentum probat animam non moueri, sed mouere etiam si diceretur numerus, his tamen assumptis; quoniam puncta sunt vnitates in continuo, nullum discrimen erit inter vnitates, & atomos democriti, si atomi essent puncta, & quantum remaneret, hoc est ipsa collecta magnitudo ex illis,in qua esset quid mouens, & quid motum non ea differentia ratione, quia atomi aliæ paruæ, aliæ magnæ, sed quia sunt in eadem magnitudine,quare si athomi mouebantur ob mouens,etiam vnitates mouebuntur a mouente. & cum animal moueatur ab anima,etiam vnitates ab eadem mouentur, ergo anima non mouetur sed mouet,quia mouet vnitates,& animal. Quartum argumm dicebat Xenocrates animam ex vnitatibus collectũ numerũ,& corpus collectum ex punctis,atque animæ vnitates respondere punctis corporis, ita vt puncto accideret esse vnũ vnitate animę,& ita singulis punctis accidebat, Obiicit Arist. quia si accidit puncto vt sit vnum ob vnitatem animæ,ergo sicut diuersa sunt puncta,ita different vnitates,sed dici earum differentia non potest,si quidem nulla vnitas numeri differt ab alia,attamen illud accidet absurdum,vt in eodem puncto sint infinitæ vnitates,si quidem vnitas animæ numeri stat simul cum vno puncto,similiter duæ aliæ,atque aliæ, & infinitæ simul erunt in eodem puncto quod vnitas mouet, quandoquidem indiuisile additum indiuisili non facit maius. At infinitas vnitates simul esse impossibile est, quia etiam infinita mouentia & mota simul erunt. Quintum argumentum, si anima esset numerus ex vnitatibus aptatis punctis corporis, tum quodlibet corpus esset animatum, & lapis, & plumbum, siquidem in quolibet corpore sunt puncta,& illæ eo modo vnitates sunt puncta, Adde tu quinimo omnis forma mixti dici posset anima,& numerus ex his vnitatibus conflata,quæ sunt puncta in corpore. Sextum argumentum colligit plura absurda primum,cum linea diuidatur in puncta apud Xenocratem conflatam lineam ex punctis,& corpus diuisum si erit,quo animæ partes diuisæ ab anima poterunt esse, Nam incisum brachium,& semotum videtur,ergo pars animæ seiuncta manebit cum suis punctis.Secundum absurdum,quia dicentibus animam esse numerum ex punctis applicatis corporis accidit dicere quod anima est quoddam corpus tenue, & animal moueri velut Democritus dicebat infuso argento viuo agitari statuam, vt anima, hoc est illo corpore infuso in animali suo motu mouere animal,tum duo corpora simul essent in eodem, similiter dicenti animam esse numerũ punctorum accidit plura puncta ponere in eodem & infinita,aut etiam dicere omne corpus animatũ sicut diximus,nisi alter numerus diuersus adhibeatur a punctis in corpore, Tertium absurdum,quia accidet animal moueri a numero punctorum, sicut a sphera atomorum dicebat Democritus moueri,quę mota mouebat animal. Aduerte quod tertium absurdum potest legi pro septimo argumento primario,ex his colligit author eam definitionem animæ numerum se mouentem nec per se, nec ex accidenti competere animæ quod fiet clarius experiunti ex ea colligere propria accidentia,opera, affectus animæ, & omnis definitio non indicans propria accidentia vana est vt supra diximus. Nam ex ea non est facile diuinare quæ accidunt animali. Cæterum desunt libri Xenocratis quindecim de natura. & si fragmenta suspecta circumferantur, icirco arduum est diuinare quid faciat Arist. Vt potuimus,argumenta digessimus.

## *Alia sectio vndecimi capitis in Empedoclem dicentem animam ex elementis, ut omnia cognosceret, disserit octo argumentis.*

### Contex. XXII.

*TRIBVS vero modis traditis quibus animam prisci definiuerunt, alij vero maxime motricem, quia seipsam agitat, alij autem corpus tenuissimum, vel inter alia maxime incorporeũ. Hæc vero quibus implicita essent dubitati ombus, & cõtrouersiis fere transegimus. Restat considerandum quõo illa ex elementis cõstare dicit.*
1 *Nam his, qui aiunt, vt aliquid eorũ, Quæ sunt sentiat, & singula cognoscat, necesse est in multa incidere, & in ea quæ dici non possunt cum ratione, Nam asserunt simile simili cognosci, ac si animam res ipsas esse ponant, At vero non modo hæc sunt, sed etiam pleraque alia, & forte magis numero infinita, quæ scilicet ex his constant. Sit igitur anima cognoscere, & sentire ea, ex quibus horum singula conficiuntur, sed totum simul, velut quid Deus quid homo, vel os, vel caro, & similiter vnumquodque compositũ quod cognorit, & senserit. Non enim horum vnumquodque est ipsa elementa vtcunque se habentia, sed conficitur quadam ratione, & compositione, vt canit Empedocles os fuisse constructum.*

*Cœperat ante duas tellus iustissima vasis*
*Aeris, ac fontis partes Vulcanus & ipse.*
*Quatuor ex octo sic ossa is candida fecit*

*Ergo elementa si sint in anima non conferunt quicquam, nisi rationes, & compositio inerunt. Vnumquodq; simile comprehendit. Vnde os, vel hominem vnquã, nisi etiam hæc in anima insint, sed hoc fieri non posse nõ opus est persuadere. Quis nã ambigeret, an in anima insit lapis, vel homo & bonum similiter, ac non bonũ, & de cæteris*
2 *identidem rebus. Cum porro ipsum quod est multipliciter dicatur, Nam hoc aliquid, quantum, vel quale, vel etiã quandam aliã chategoriã significat earum, quas diuisimus, An anima constet ex omnibus, necne? Siquidem elementa non omnibus videntur esse communia. Nunquid ergo constat ex his, solis, quæcunque sunt substantiæ, ergo quõo cognoscit etiã aliorũ vnumquodque? Nisi dicant cuiusq; generis esse elementa, & propria principia, e quibus animam componunt. Ergo erit etiam quantum, quale, & substantia: At vero fieri non potest, vt ex quãti elementis substantia constituatur, & non quantum. His ergo, qui aiunt ex omnibus animam confici, hæc, & hu*
3 *iusmodi alia accidunt. Absurdum est præterea dictu simile non pati a simili, & simile sentiri, & cognosci cõ*
4 *simili, cum præcipue ponant sentire, & moueri, similiterq; intelligere, & cognoscere quoddam pati. Plures item dubitationes, & difficultates hanc habere orationem, sicut Empedocles cecinit singula similia percipi elementis corporeis testatur id, quod hodie dicitur. Quæcunque enim insunt in corporibus animalium simpliciter terrestria, velut ossa, nerui, capilli, horum nullum sentire videtur, quare neque sibi similia, & si sentire cõueniat.*
5 *Adde ignoratio magis ob vnumquodque principiorum erit, quam cognitio. Nam vnumquodque cognoscetur*
6 *vnum, sed plura, immo omnia alia ignorabuntur. Quinetiam Empedocli accidit, vt fateatur Deum amentissimum esse, solus enim ignorabit vnum elementorum, odium videlicet, sed mortalia, omnia, siquidem vnumquodq;*
7 *ex omnibus constat. Accedit omnino qua de causa non omnia quæ sunt animam habent, siquidem quicquid est elementum, vel ex vno, aut e pluribus, aut ex omnibus existit. Nam necesse vnum aliquid aut quædam, aut sin-*
8 *gula cognoscere. Dubitaret etiam quispiam quid hæc in vnum adigat? Nam elementa videntur esse materia, illud enim præstantissimum quod quicquid est continet, Anima vero non potest esse quicquam melius, & præstantius, & multo magis ipso intellectu, siquidem rationi consentaneum est, vt hæc antiquissima sit, & natura princeps. Verum illi elementa inquiunt esse prima eorum, quæ sunt.*



Descensurus author in Empedoclẽ, qui cecinit heroico carmine philosophiã physicen octo argumenta facturus, ante omnes opiniones de anima redigit ad tres modos. Duos proponit vnum eorũ, qui animã seipsam agitantẽ animalia agitare dixit, alterum eorum, qui respicerent ad incorporeum magis dicentes illã esse corpus tenuissimũ, contra quos supra inuictus est Arist. nunc in tertium ait restare pugnã, præcipue contra eos, qui animam principium cognoscẽdi tradiderę, quorum vnus Empedocles, qui cecinit animã res singulas esse, vt eas cognoscat, cum omnis cognitio fiat per similitudinẽ rei cognitæ ad cognoscentẽ. In quo valde deceptus est Empedocles arbitratus similitudine rei ad rem effici cognitionẽ, vt si terrestria anima cognoscere habet, terrena oportet sit, si ignea ignis, &c. Equidẽ notitia fit similitudine, sed non rei ad rem sed per similitudinem

are

a re profectā spiritalem, vt est forma sigilli in cera & imago in tabella philandri, aut Cæsaris hæc carne, ossibus, de qua in secundo libro sępe incidet mentio, hunc Empedoclis opinio confutāda, quæ absurda, & impossibilia dicit. Primum argumentū. Dicis Empedocles cōstare animā ex elementis, vt omnia cognoscat, sed multa alia sunt, non elementa, sed mixta, quibus est proportio miscendorū, & cōpositio diuersa ab elemētis, ac quid Deus, homo, lapis diuersaq; genere, spetie, & numero infinita, ergo vel anima multa ignorabit, vel non sufficit cōponi ex primis elementis, vt omnia cognoscat. Nec dixeris mixta esse ipsa elemēta siquidē superuenit ratio, & ipsa mixtio, ac cōpositio vltra elemēta, quæ quoniā non sunt in anima. Quis diceret os, neruum lapidē in anima esse? iccirco neq; cognouerit illa, siquidem apud Emped. ex cognoscēdis anima conflatur. Et ne quis cauilletur mixta, & cōposita non esse diuersa ab elementis dicens, ostendit verbis eiusdem Empedoclis, qui ossis candidi mixturā docet ex quatuor ignis partibus, & duabus terræ, & vna aeris, & altera aquæ quæ cōpositio diuersa est ab illa carnis, nerui, &c. quare si anima hæc dignoscere habet, præter elementa sentiat item varias proportiones, & cōpositiones oportet. Aduerte Vulcanū more poetarū, cum tamen Empedocles poeta esse non possit ex præceptis in primo de poetica ratione libro Aristotelis, quia non fingit, sed naturā rerū cecinit, pro igne accipit. Vulcanus fingitur a poetis filius Iouis, Iunonis, quia informis claudus de cęlo deiectus in Lemnum Insulā, vbi faber ferrarius factus anima Iouis fabricauit, & ignē excitauit. Fabulæ. Reuera Vulcanus faber ferrarius fuit officinæ magister in Lemno Insula in mari Aegeo non longe a cycopleis saxis, qui exhalationē igneam de cęlo, hoc est de ęthere nostro delapsam, vt Plinius in Vesuuio monte suspiciens, & primus insulanis ostendens habitus fuit cæteris prestantior, & officinę perfectus factus ferrum malleabile fecit igni & aqua, quod opus mirabile visum est. De Vulcano mentio est in Platonis dialogis, Appellant & insulā apud Siciliam ad septentriones Vulcaniam. Hæc de primo argumento. Secundū argumentum quod est, quod ens vocant de decem chategoriis asseritur, quibus fere omnia cōtinentur, quo pręsupposito quæritur, ne anima ex his decē chategoriis constet necne? Constare debet si omnia similitudine cognoscit, cum præter elementa alia sint. Verū tamen quærendum est, an ex solis substantijs constet anima, quod si ex solis substantijs, quomodo anima nouerit quantitatē, qualitatē &c. & si ex alijs categoriis constat quomodo erit substantia, quia quod cōstat ex principijs quanti est quantū. Dixerit quis forte elemēta habere in se alias chategorias, quare anima non sola substantia erit, sed etiā quanta, qualis &c. Vnde aut anima erit omnis chategorica res, aut non omnia norit, quæ tamen cognoscuntur: vtrunq; absurdū. Tertiū argumentum. Empedocles nihil simile pati ā simili dixit, sed a contrario, cum anima sentiat, & cognoscat patiēdo, & cognoscat simile simili, merito simile a simili patitur, aut anima nō cognoscit simile simili. Quartum argumentū, si elementis similibus similia cognoscit, necesse est, vt cōstet ex elementis sentientibus, cum vero cognoscat ossā, vngues, pilos non sentientia, quomodo erit cōposita ex horum elementis sentientibus. Non sentire ossa cōpertum est. Quintum argumentū. Hæc opinio fraudatur. Cum ex constitutione animę ex principijs rerū, vt cuncta cognoscat, potius sequatur plurīū ignorantia. Quicquid enim constitutum fuerit ex vno principio, vt Heraclitus ex igne, vt Thales milesius ex aqua accidet vt anima illud cognoscat solum & nō alia eque si ex quatuor elementis conflata fuerit hæc sola nouerit, & reliqua ignorabit. Quare ignorātiam multorum opinio introducit. Sextum argumentū Empedocles cecinit quendam Deum, hunc sphærum esse coagmentatū vi amicitiæ, ex omnibus citra odium, quale potius separat sphęrum, vnde hic deus esset amentissimus qui non constaret ex odio, quo omnia separata, & diuisa suis locis disclusa cognoscere debet. Contra mortalia sapientiora hoc Deo essent, quæ hæc omnia ob odiū, litem calleret, & sciret, cum cæteris elementis constent, & amicitia, propterea quod vnumquodq; amicitia cōcordia suis locis continetur. Septimū argumentū, si constitutio ex elemētis similibus in anima reddit cognitionē similium, cum etiā corpus omne constet ex elemētis his, aut cognoscere deberet omnia, & ita lapis cognosceret omnes lapides, aut habere animā, siquidē habet eius constitutionē, cū anima nil aliud sit, quam ex elementis cōstitutio: vnde omne quod habet constitutionē animæ, habet animā oē corpus habet constitutionē animæ, quæ est ex elementis, ergo omne corpus habet animā. Hoc ridiculū est. Octauū argumentū: Anima continet, quia prestantissima res est, qua nihil melius, & precipue intellectiua, cum sit antiquior corpore, & natura prior asserentibus Socr. Platone in phedone, in Timęo, & elementa continentur, ergo si anima est ipsorum elementorū cōstitutio, quid continebit elemēta hæc, non ipsa, quia non idem continens & contentū, quare dubitatio erit de cōtinente. Tot absurda propria occurrunt Emped



Alia

## *Alia sectio undecimi capitis, quæ reprehendit communiter eos, qui animam motricem per se sui, aut constitutam ex elementis, uel cognoscat, uel animam esse vbique mundi.*

### Contex. XXIII.

*CAeterum omnes tam qui aiunt animā ex elementis editā, propterea quod anima cognoscit, et sentit ea, quę sunt, quā qui eandē maxime motricē esse declarant, nō de omni anima loquuntur. Neq; enim cuncta, quæ sentiunt, vincendi habent. Cōpertum enim est quædam animalia e loco nō dimoueri, & tamen videtur anima hoc solo motu mouere animal. Similiter etiā quicunq; intellectum, & vim sentiendi ex elementis condunt. Euidens enim est plantas viuere motus expertes ad locū, ac sensus. Necnon plura animalia vim ratiocinandi nō habere. quod si vero quis hęc admitteret intellectum animæ partem, & itidē sensum poneret, neq; scilicet hoc modo cōmuniter de omni anima, neq; de tota, neq; de vna differuissent. Idipsum quoq; attulit oratio in Orphaicis carminibus vocatis. Nam canit animā à ventis adductā ex vniuerso respiratione ingredi, sed id non potest plantis accidere, immo neq; multis animalibus, siquidē non omnia anhelant. 2. Atq; id eos præterijt qui ad hunc modū arbitrati sunt, quoniā si oportebat animā ex elementis confici, attamen nō ex omnibus. Sufficit enim altera pars ad se internoscendū, & oppositū. Recto namq; & ipsum, & obliquū cognoscimus. Nam regula iudex est vtrinsque. At vero obliquū nec sui, nec recti. Sunt item qui in vniuerso ipsam permixtā aiunt. Vnde forte & Thales Milesius putauit omnia plena esse deorū. 1. Verum id habet nonnullas dubitationes. Qua nam de causa, si anima est in aere, aut in igne animal non confecit, sed in mixtis, præsertim cū in illis melior esse uideatur? 2. Quæret itē quis quamobrē anima in aere melior, & immortalior ea est, quæ animalia continet. Attamen vtroq; modo accidit absurdum, & pręter rationē magis. Etenim ignē, vel aerem animal dici à ratione abest, & non dici, cū ibi anima sit absurdum. 3. Quocirca videntur in his animā suspicari, quia vniuersum cū suis partibus spetie simile est. Quare necesse est, vt ipsi fateantur etiā animā, ac partes spetie similes esse, si animalia ob id animata fiunt, quia aliquid continentis accipiunt, si vero aer disiectus similis spetie est, & anima dissimilium partium, perspicuum erit, vt alia pars insit, alia non insit, ergo necesse est ipsam vel similium partium esse, vel non in quacunque vniuersi parte inesse. Ergo e dictis perspicuum neque cognitionem animæ conuenire ex eo, quod elementis constet, neque bene, ac vere dici ipsam moueri.*



Ommuniter reprehendit tam eos, qui animā mouendi generatim principiū aiunt, quam qui dixere illā ex elementis conditā, vt cognosceret. Obiter Orphæi vocata carmina cōfutat. Recitat breui aliam opinionē de anima vndique mundi fusam, & Thaleti Milesio attribuit non nihil, sed tribus argumentis arguit. Reprehendit ergo cōmuniter primo argumēto, quod hi nō loquuntur de omni anima, quādo quidē non de illa in animalibus sensu potientibus sine motu, vt ostreę, & zeophyta omnia. Hæc enim sentiunt tactu, & non mouentur ad locum, quare anima principiū mouēdi non est anima horum, nisi frustra sit in illis, & vbi frustra, saltē nō omnis anima suo motu mouet animal, vt illi dicebant. Eodem modo lacessendi sunt asserentes animā principium cognoscēdi. Non enim de omni anima differunt, nō quidē de illa plantarum, quæ nec sentit, nec cognoscit, quinimo nec de omni anima animalium sentientium, quia nō de intellectiua. Et quia quis opponeret animā sensualē, & intellectualem eandem esse, obijcitur neq; hoc modo dici de omni. Non de vegetali plantarum, neq; de tota, cum taceant intellectualē, neq; de vna, cū sensum cōfundant cum intellectu. Hinc descēdit ad carmina, quæ Orphęo inscribuntur. Dubitat Arist. an Orphæi sint, in his carminibus oda est, quæ tradit animā ab vniuerso attrahi per anhelitum ab animali. Refellitur pariter, quia nō de omni anima cecinit, quando illa plantarū non anhelitu hauriatur, quinimo nec multorum animalium, quæ non respirant & ideo illā anhelitu attrahere nō possunt de Orphęo mentio est in Platonis dialogis. Cecinit preclare, & diuinitus, Genere Thrax fuit, (vt ferunt) Apollinis filius. Lyra Apollinis valuit. Cecinit lyra tam suauissime, vt saxa montes, feras cōmouerit. Sed hęc poetarū commenta historiæ minimę miscenda. Secundum argumentum refellendo Empedocli propriū, cui sat erat cōficere animā ex altero cōtrariorum præstātiore,

re, quo anima nouisset reliquum, ceu ex igne, quo gelidā aquā nouisset, quandoquidē ignis sit calidus, probat argumentum Arist. quia recto cognito quid obliquum noscitur, cum rectum sit iudex, & obliqui norma, attamen non sat fuisset cōficere ex deteriore opposito ceu ex obliquo, quia id non est causa recti, nec sui cognitionis. Hinc illa trita sententia dialecticorum, eadē est scientia cōtrariorum, quoties scilicet melius cognoscitur, statim alterum scitur deterius, non econtra nisi sint relatiua opposita. Postremo opinionem interponit eorum, qui totū mundum prodidere animatum, nec cęlum solum, sed etiā ignem, aerem, aquam, terrā, cuius sententię forte fuisse Thalē Milesium Arist. narrat adductus hac coniectura, quod ille dixit omnia esse plena Deorum. Vnde poeta noster quodcunq; vides iuppiter est. Refutatur dogma tribus argumentis. Et primo, vbi est anima facit animal. Sed in aere non facit illum animal nec in igne, ergo ibi non anima perficiens aerem. Secundo argumento si anima esset in aere esset prestantior, & magis immortalis, quam in animali. Sed non potest ibi esse prestantior, quin reddat ignē, vel aerem præstantius animal & immortale, quare nō est, & si est, videtur absurdum ignē, vel aerem nō dici animal. Tertio argumēto, quia isti putant partes vniuersi similes spetie, ergo & anima erit vndiq; similis spetie, si quecunque pars est eiusdē speciei alioquin si vniuersum vndiq; spetie simile, vt aer etiā dissectus & distinctus, & anima dissimilium partium quædā eius portio erit in aliquibus partibus similibus saltem spetie, & quædam portio dissimilis in illis nō erit, ne idem sit eodē modo simile, & dissimile, quare cum id esse non possit, nec anima erit in aere. Quare nec anima est composita ex elementis, vt cognoscat, neque se mouendo mouet animal.

## *Duodecimum caput tres dubitationes mouet, an affectus omnes sint unius animæ uel plurium, an uiuendi actio uni tribuenda, an plantæ animæ id sit assignandum. finis Deo Optimo Max. gratia.*

### Contex. XXIIII.

*Reliquū, quia cognitio, sentire, opinatio, adhuc cupido, consultatio, & omnino appetitio sunt animæ, quia ab ea proficiscitur motus in animalibus. Quinetiā accretio, uigor, diminutio quæritur, ne vniuersę animæ vnūquodq; horū sic conueniat, ut tota intelligamus, sentiamus, & quicquid aliorum agamus, & patiamur, an diuersis partibus diuersa efficiamus. Adde etiā quæri oportere, an viuendi actio in aliquo horū insit, an etiā in pluribus, vel in omnibus. Sunt autē qui aiunt ipsam esse diuisilem, & aliā partē intelligere, aliā vero cupere. 1. Sed quid animā in vnū continet, si suapte natura partes habet? Non enim corpus, cū potius contra anima continere corpus uideatur. Recessu iccirco animæ exhalat, & putrescit. Si ergo eandē vnā quippiā aliud efficit, illud potissimū erit anima, de quo rursus quærere oportebit nunquid vnū, an multarū sit partiū. Nā si vnū, cur non statim asserebatur anima vnū esse. Si vero multarū partiū, denuo oratio quęret quid illud in vnū continet, & ita quæstio abibit in infinitū. 2. Quis itē dubitaret de partibus eiusdē quā vim habeat vnaqueq; in corpore. Nā si tota anima vniuersū continet corpus, oportebit etiā vnāquamq; partē aliquid corporis continere. Hoc autē fieri non posse videtur. Quā enim partē, aut quomodo anima intellectualis continebit, difficile est fingere. 3. Ac constat plantas incisas, & nonnulla animalia inserta viuere, quasi animā & si non numero, tamen specie eandē habeant. Vtraq; enim pars quodā tēporis curriculo sensum habet, & loco mouetur. Quod si non longā vitæ vsurā degunt, nihil absurdi. Non enim ad tutelā naturæ instrumenta habent, nihilo tamen minus in vtraque parte omnes insunt animæ partes, & inter se spatio, ac vniuersæ animę similes existunt inter se, & toti, & inter se quidem tanquam inseparabiles, & à tota anima perinde ac diuisilis sit. Postremo videtur etiam in plantis quoddam esse principium. Hoc enim solum commune est animalibus, & plantis. Ac quidem hæc à sentiendi principio separatur. Nihil enim sine hoc sensum habet.*


Vpremum huius primi libri caput tribus cōtinetur dubitationibus. Prima cum sint diuersa opera animæ humanæ cognitio, consultatio, sentiendi actio, acretio, diminutio &c. an vniuersæ, totiq; animę ascribenda, an cuilibet eius parti suum opus nuncupandū sic, vt sensus pertineat ad sensitricē, cōsultatio ad intellectricē, odium ad irascibilē, cupido ad cōcupiscibilem. Secunda, nunquid actio ipsa cōmunis viuendi propria sit alicui, an pluribus partibus, an omnibus conueniat. Tertia vltimo loco cum in plantis sit aliquod

principium, vt vegetalis, quæ communis est etiã animalibus, vtrum separabile sit ab alijs cui primum viuendi actio dicanda veniat. De prima narrat opinionem Platonis. Socratici in Timæo, in quarto de Repub. qui prodidit tres animæ partes rationē in capite, irascibilē intra pręcordia. Cōcupiscibilē subter præcordia, verum tum species animæ, tum facultates appellat, cuiusmodi Aristoteles facturus est, qui toto processu secundi, & tertij libri nunquam se hac difficultate explicauit interdum vocans species, interdũ partes, atq; potētias, sed nunc aduersatur Platoni adducens tria argumenta, quæ lectori persuadeant animã nostrã nō diuidi in tres partes illas locis, & mēbris disclusas. Primũ est vna vnius subiecti forma specifica, ergo humani corporis vna anima, nō ergo tres locis diuisæ, nisi dicantur tres illæ cōtineri vno, de quo vno quæritur an sit corpus, vel anima, cum in animali hæ duæ sint præcipue partes. Non autē corpus potest dici illud vnum cōtinere, si quidē contineatur, nec idem est ad idē relatum cōtinens, & quod cōtinetur, sed anima potius cōtinet, signo, quod recessu animę corpus exhalat vim omnē vitæ, & deniq; putrescit etiã si diu balsamo, vel aloe, mirrha exectis intestinis Aegyptij seruare cadauera solent, alij piçe terebētina, sed id humanæ dementiæ datum sit, tametsi quædã optimorum corpora incolumia seruentur miraculo propter Dei mēsam potestatē, quare cum suapte natura quidq; corpus dissoluatur, restat, vt quod continet anima sit, de qua quærendũ, an partes habeat, necne, si habet, rursus quærendum quid illas cōtineat vnde quæstio ad infinitum processerit, quod est facile docere. Quare dubitatio remanet de eo quod tres animę partes contineat. Secundũ argumentũ. Si dixerint animã totã continere illas partes, cum tota anima quoq; contineat corpus, & quælibet pars cōtinebit partē corporis, quod est ambiguũ quomodo irascibis pręcordia contineat, & cupido subter pręcordia, & de rationali, intellectuq; non facile est fingere quomodo cōtineat cerebrũ caput. Tertiũ argumētum ostendit partes animæ inseparabiles locis in corpore exemplo plantarum, & insectorum animalium, quorum partes diuisæ vt anguillarum, lacertarum caudæ partes aliquãdiu sectę viuunt, sentiunt, mouentur, & simul sunt sensus, & motus in quauis parte, ergo non sunt locis diuisæ partes animæ. Itidem in plantis auulsi rami obtinent vim altricē, genitricē, augendiq; siquidē denuo inserti, repullulant, germinant, &c. ergo vbiq; fere partium plantarum simul sunt facultates animæ, & non separatæ, nec si diu non cōtinent vitã partes animalis insecti decisæ, ob id dubitãdum, quin simul sint. Alia enim de causa no diu viuunt. Nempe deficiunt instrumenta alendi os, gula, venter, quibus cibus sumitur ad resarciendum humidũ vitale. Quinimo Galenus in libris de decretis Hippoc. Platon. refert in hostris adempto corde aliquandiu vixisse illa. Alexander Aphrod. ad extremum suæ paraphrasis de anima collocans principatum animæ in corde asseruit vidisse se capite quosdam obtruncatos plane motos, sed caput aliquãdiu per motum, & collocutum refert Aristoteles lib 4. de partibus animalium quendã sacerdotē capite deciso fuisse interfectum eiusq; caput vi abscissum dixisse Ceneras fuit: cum ignoraretur author cędis & sacrilegij ab astantibus quæsitum fuit & dictum nō interfuisse se tum, sed auulsum caput aliquandiu permotum dixisse Ceneras, ceneras. Ius capitale ob id perquiri hominē curauit. Inuentus, adductus ad carceres in eculeo fassus est sua illum manu truncato capite interfecisse. Quare non solum in animalibus insectis, sed etiam in alijs animæ partes simul sunt, & non disiunctæ locis. Tertia dubitatio, quia non parte corporis, sed genere animantis videtur anima separata vegetalis, quæ est in plantis sine alijs sed in animalibus simul cum sensu, qui sine vegetali esse nō potest alicubi, sed illa vtrique sine sensu de quo expectabis in secundo libro longiorem orationem. Ego interea auderem pro Platone Socratico dicere. Quod si vegetalis, sensitrix, intellectrix animæ generibus animalium separãtur, maximeq; ob id locis, subiectis, corporibus non obstare quinetiam in eodem homine eas locis & partibus differre, ita, vt diuersæ facultates eiusdem animæ in diuersis organis sitæ vt visus, auditus &c. diuersas obeant actiones, veruntamen communes actiones alendi, sentiendi, mouendi vbiq; simul diffusę sunt. Quocirca potius fuisset Aristoteli dirimere affectus animæ facultatũ. Nam ali, augeri minui toto corpori insunt, sensus tangendi, & mouendi vbique musculorum, & neruorũ diffusi sunt, iccirco simul sunt in decisis partibus, non ita sensus externi, & facultates intelligēdi, irascēdi, cupiendi, quæ plane locis discluduntur, & partibus. Ad Dei gloriam finis primi libri, cui Deo Optimo Max. omnia me animi & corporis debere fateor. Huic accepta refero, alia Parmenide heroicis carminibus philosophante vel visa, vel vmbræ sunt, & ille sapientissimus vanitas vanitatum, & omnia vana. Deo seruire regnare est &c.

Libri primi finis.

# LVCILLI PHILALTHAEI SECVNDVS COMMENTARIVS IN LIBRVM SECVNDVM

## De Anima Ariſtotelis,

*NVPER EDITVS AD DEI GLORIAM, & vſum eruditorum.*



CONSTITVIMVS huius octauæ phyſiologiæ partis materiam ſubiectam animam ipſam. Species autem vegetalem, ſenſitricem, Intellectiuam. Cuique harum proprias facultates ſubiecimus. Tres vegetali. Altricem, Auctricem, Genitricem, Et altricis ancillas quatuor Alteratricem, Expultricem, Retentricem, Aſſimilatricem, Formatricem apud Ariſtote. & Galenum, Addita eſt formatrix, Eodem fere modo ſenſitiuam in ſuas facultates, ceu in quinque ſenſus externos, Viſum, Auditum, Odoratum, Guſtatum, Tactum, in totidem fere internos ſenſum communẽ, phantaſiam, cogitatiuam, Memoriam, Addunt æſtimatiuam in Brutis. Tertio & intellectiuam in duos intellectus, Theoreticũ & practicum. Et primum in poſſibilem, agentem, ſpeculatiuum, & adeptum. Atque author primo libro perarduum reliquit inueniri definitionem communem cuique animæ, & propriam, & cauit ne aſſignanda ſit quædam æquiuoca prius communis, quia vniuerſale nil eſt aut poſterius eſt, & cautum eſſe item voluit ne melius ſit cuique animæ ſuam tribuere, quam communem edere, ſicut hominis canis, Dei decentius eſt facere cuiuſque propriam, quam communem perficere. Quinetiam dubitando propoſuit ab obiectis primum ordiendum, mox ab operibus, denique perſequi quid ſit quæque potentia, De his ſeriatim ſecundus liber curam dicendi habet, qui octo continetur tomis. Primus dabit operam communiter animæ definiendæ, cui non ſtabit niſi adumbratæ dictæ, & ſi quid communiter de anima dicendum eſt. Secundus proinde tomus reddit initio cauſam, cur cuique propria ſit tradenda definitio, & primo hoc capite & deinceps quæritur genus definitionis cuique animæ propriæ. Secundo capite quatuor principia viuendi enumerantur, & quæritur, ne tot ſint animę an potentiæ diuiſæ locis & membris ſecundum Platonem. Tertio capite diiudicatur, ne anima ſit principium, velut forma, materia, efficiens, finis, & decernitur non eſſe materia, ſed forma, finis, efficiens. Quarto proponit varias potentias animæ, & ſi dicturum de vnaquaque. Tertius tomus docet vtranque definitionem ipſius animæ non fuiſſe, velut ideæ contra quam Socr. in Phędro Platonis cenſuit, ſed potius velut figuræ, nec tradi communem ſine propria poſſe. Quartus tomus de anima vegetali, eiuſque potentijs dicere pollicetur, & ab oppoſitis incipit, & actionibus. Continet hic tomus capita quatuor. primum de obiecto genitricis, de actione, de ipſa facultate, ſecundum de auctricis obiecto genitricis, de actione, & ipſa potentia. Tertiũ de alimento, & altrice. Quartum de calore naturali inſtrumento animæ vegetalis. Quintus tomus aggreditur dicere de anima ſenſitrice, Septem capitibus comprehendi tur. Primo de communibus ſenſui, qua ſenſus eſt. Secundo de viſu de obiecto, actione. Tertio de obiecto auditus ſono, de actione & auditu. Quarto de obiecto odoratus odore, de actione, de olfactu. Quinto de guſtatili ſapore, de actione & guſtu. Sexto de tactili, tactuque. Septimo de iudicio ſenſuum. Sextus tomus cõmunes ſenſibus conditiones narrat, & qualis ſit primum ſenſiterium videlicet cor patefacit. Septimus tomus numerum ſenſuum quinque probat, nec plures eſſe, nec pauciores externo nobis datos. Octauus tomus quærit, ne quiſque ſenſus ſentia. ſe ſentire, ceu ne viſus ſe

videre

videre videat. Tertius liber docet primo sensum non scientiam, non intellectum, nec sentire intelligere. Deinde proponit dicendum de phantasia, & intellectrice facultate, & differre intellectricem, a phantasia asserit, mox de duplici intellectu disputat, & si apud Græcos tertius liber faciat initium a septimo tomo, Latini vero; Arabes a reliqua oratione sic incipiente, De parte autem animæ &c. Mi igitur studiosissime lector erige animum ad hæc, quoniam & ipsi dicturi sumus, quæ Plato Socr. Medici disputant, & dissidia, & conciliationes recitabimus.

## Contex. I.

*CVM quantum quisque aliorum de anima enunciauit nobis traditum supra sit, nunc perinde atq; ad principium denuò redeuntes, quid sit anima, & quæ eius sit communissima ratio experiemur decernere.*



LVCILLVS. Secundum librum iungit decimo octauo contextui primi, quando reliquit definitiones affectuum animæ esse tradendas per materiã, Nosti (lector.) a quarto contex. primi quot dubitationes inuexit author ob inuestigationem definitionis. Tuum sit recognoscere, meum nunc exprimere scopum Arist. esse quid promiserat in tertio contextu primi libri, dũ naturam & substantiam animæ fatebatur velle contemplari, & accidentia demonstrare, hoc est definitionem animę edere, & demonstrare proprias actiones, stare promissis impresentia, Quod iam fecisset post 18. cõtex. nisi aniles, & recentiores opiniones de anima citasset, & confutasset, iccirco de hac interiecta parte, vt sæpe solet veterum referre sententias. primum facit mentionem. Cum quantum quisque aliorum præclaræ famæ, & philosophorum de anima, quę est materia subiecta operi tractanda. Enunciauit, simplici assertione scilicet sine demonstratione, Etiam in malam partem illud verbum (ἀποφαίνεσθαι) enunciauit, posuit primo libro de generatione, vbi scripsit in Anaxag. Ad pauca respicientes facillime enunciant. Vtcunque hoc loco simplex assertio intelligitur sine probatissima ratione. Veruntamen Simplicius interpres in sua præfatione, & comment. asserit Arist. ab antiquis de anima quædam recte excerpsisse, contra quem ait Auerrh. quinimo nihil vtile de ea à priscis dictum inueniri. Sed quæ vtilia Simplicius refert. hęc sunt. Animam incorpoream substãtiam esse, atq; vnam eius partem dare vitam corpori alteram motum, & de anima rationali aliquas actiones esse proprias sine instrumento, hancque cognoscere non ex elementorum constitutione, Dein in quouis suam inesse animam, huicque esse principatum, & non partibiliter iunctam formam. Hæc a priscis Arist. hausisse ex superiori historia putat, & deinceps velle è sua sententia disserere de omni anima mortalium communiter, & proprie, ob id vbi quantum quisque aliorum a Thalete Milesio inde vsque ad suum seculum de anima enunciauit traditum supra sit, diligenter siue scriptis, siue per manus quasi traditis voce sine vsu scribendi, nunc proponit intentionem primum, Dein ordinem dicendi perinde atque ad principium non post 3. contextum, vt quidam male primi libri, sed post 18. denuo redeuntes postquam vel pauca, vel nihil vtile inuenit ex priscis. quid sit anima, Ecce intentionem primam secundi libri, & quid sit anima non mundi, non coeli sed mortalium triplex vegetalis, sensitrix intellectrix sub vno non pure vniuoco, nec pure equiuoco, sed analogo, & Simplicius in sua præfatione dicit, & Auerrh. infra. Et proinde hæc res definita anima non solum humana, vt antiqui, sed pro triplici dicta intelligitur, quæ de his tribus non asseritur equiuoce, sicut canis pro sidere coelesti, pisce marino, latranteq;, neque vniuoce ob diuersitatem ipsarum trium. Maior & melior anima nostri generis quauis alia sed analogice, vt definitio, & nomen vni prius competat, quam alteri, & ens qua ens in metaph. prius de substantia, quam de accidente dicitur 4. libro. & definitio motus tertio phys. analoga est. Verum non sola analogi definitione communi contentus est Arist. sed tradet etiam cuiusq; propriam, sed cum de communibus prius sit agendũ, quia dicente Auerrh. cognitio vniuersalis debet pręcedere propriam primo phys. ob id promittit communissimam definitionem se daturum dicens, & quæ eius sit communissima ratio, & definitio est quędam ratio, & causa accidentiũ propriorum de substantia re definita, & sciscitanti quid, definitio reddit rationem, sed vberrime disserui de nomine definitionis in commentarijs Artis Medicinalis, & sæpe alibi. Si communissima

sima ratio afferri tentatur, ergo non solum vegetalis definitur, propterea quod tradetur definitio de anima inseparabili a corpore, cum dicetur entelechia corp.&c. si quidem entelechia duplex prima, & secunda. Anima affirmabitur entelechia prima, quæ semper competit separabili, & inseparabili, quum possit vacare operatione in somno, & si vegetalis in alendo nunquam cesset, idque erit euidentius suo loco. Decipiuntur qui solam arbitrantur sensitiuam definiri, quia hęc est actus primus, qui vacat secundo, & non vegetalis, cum sit semper in secundo, nec rationalis, quia non est entelechia inseparabilis. Hæc eorum cauillatio paruimomenti. Siquidē vegetalis suo modo vacat operatione à nutriendo sicut suo loco dicemus Et anima intellectiua est separabilis vno modo, & altero inseparabilis quoad præsentem scilicet statum. Cęterum dubitandum quo modo promittatur communissima definitio, quę est dialectica, & quia, non faciens scire accidētia propria. Rursus si primo libro cauit, ne tradatur communis definitio prius. 8. contextu, cur promittitur? Adde ad quid illa definitio animæ, quæ non potest esse principium demonstrationis, sed conclusio nec qua definitio? Atque hæc communissima affirmabitur in typo, & adumbrate tradita. Hæc ne est illa in primo libro exacta doctrina, quæ conatur reddere communissimā definitionem adumbratam, ita vt videatur Aristot. primo libro cum tot dubitationibus parturire montes, vt nascatur ridiculus mus, vt est in adagio, idest adumbrata definitio. Pretera Aristotel. dicturus est, si quid commune de anima &c. ergo nil certi promittit. Accedit superuacaneum, quia satis erat reddere cuique propriam definitionem, quam adumbrare quandam descriptionem animę. Ad hæc respondebis communissimam definitionem inuentam pro viribus ingenij. Et si non facit scire propria accidentia cuiq; animæ, attamē facit scire propria animæ distincta contra alias formas, quia si anima est entelechia corporis organici, non quęcunque forma mixti dat viuere, non animat, neque confert animari. Ad. 2. dicito cautum ibi fuisse dubitatiue, nunc autem soluitur illa dubitatio cum tradi communis promittatur. At obijcies. Anima est, quid ergo commune. An genus, an species? Si genus, ergo plures animæ erunt diuersæ speciei si species, ergo eiusdē speciei erunt, & tamē in cōt. 7. erat de his dubitatio. Quin etiā anima nō est genus, quod sumitur e materia, & differētia a forma, & si genus, ergo in aliqua chategoria. Non substantiæ, quia solum corporea ibi sunt, & anima est forma incorporea. Apud Auerh. cap. de specie generis generū est corpus. Dicito igitur ad hæc. De primo animā sumi velut genus, & mine tolli dubitationes illas. De secundo dic in chategoria substātiæ incorporeæ apud Porphyriū. Ad tertiū argumentum principale respondebis reuera definitionem communissimam quia non esse medium demonstrationis a causa, sed medium erit demonstrationis concludentis propter quid, per ipsam quia, velut omnis entelechia corporis organici &c. est principium quo viuitur, sentitur, intelligitur. Sed anima est entelechia corp. organici &c. ergo principium quo viuitur &c. Ad quartum dicito communissimam definitionem dici adumbratam collatam ad definitionem dicentem propter quid. Vtraque tamen bona in suo genere, secunda tamen aptior ad demonstrationem. Ad quintum argumentum. Respondent quidam, si pro quia intelligi oportere Philoponus aliquando legit cum conditione, & dubitanter. Aliqui dicunt, sibi arrogare Aristotelem, quoniam si a quouis scriptore aliquid commune dicendum, cuiusmodi definiet, erit laudanda definitio. Tametsi Philoponus anima quoddam æquiuocum, vel analogum putet. Ad sextum dicito vltra cōmunem definitionem etiam cuique propriam edere oportuisse cū simplicio, quia vbi commune est, & proprium, neutrum sine altero exacte intelligi potest, sed oportet præcedere commune, quia simul vtrunque intelligi non datum est intellectui, cur præcedit commune? Quia notius, nobis quia imitamur naturā, quia si quis propriū discat, & postea cōmune non habebit primum propositiones primas, vt dicit Auerh. in prologo physicorum vbi tres causas assignat præmittendi commune proprio. At dices, ergo metaphysica de communioribus prior physiologia esset. Respondent minime, quia in eodem rerum genere debemus incipere a communioribus. Diuersa rerum genera sunt Methaphy. & physicorum. sed reuera sicut a communibus ordiendum rebus in eodem genere, ita in diuerso genere, non enim videor cur non ita sit. Et iccirco quidam diuidunt Metaph. bipertito in vnam partem de abstractis communissimis & hanc esse priorem via doctrinæ putant, & in alteram de diuinis substantijs & posteriorem fatentur. Nuge tota est metaphysica, & vi nominis vtraque pars est posterior physicis ratione qualitatis materiæ percipiendæ, cū vtraque pars metaphysi. sit de abstractis re, & ratione a materia, & physiologia de abstractis vniuersalib. non re nec ratione. Abstracta igitur re, & ratione sunt difficillima primo Metaphy. iccirco Metaphysi. de illis est posterior, physiologia de facilioribus,

&

& magis nobis familiaribus, ergo prior est hæc, quam diuina. Et principium doctrinæ est vnde quis facile discit.

## Contex. II.

*VNum iccirco genus quoddam eorum, quæ sunt substantiam esse dicimus. Sed huius quidem alia velut materia, quæ per se id non est, quod est hoc aliquid, alia uero effigies, & forma, per quam iam quicque dicitur hoc aliquid. Tertia est id, quod ex his constat.*



LVCILLVS ingreditur inuenire definitionem communissimam animæ au thor, cum genus primo inquirat commune, Dein proprium. Sed commune accipit vel consensu plurium collocantium animam in genere substantię, vel quia anima non potest esse accidens, quo iure nec magnitudo, nec numerus apud Xenocratem, nec simetria, seu proportio, nec Armonia apud Aristoxenum Musicum asserebatur in historia opinionum scriptorum. Ergo visa est tum substantia anima, & si Simplicius putat ex his conieciſſe animam substantiam rationibus, quod anima est vita etiam antequam perficiat animal, & terminet illud, & vita est substantia rei, quod item animal est substantia, & animal existit per animam, & substantia non fit ex non substantijs primo physic. ergo anima est substantia. Simili argumēto vtebatur Aphrodiseus in sua media commentatione de anima. Cum dicit partes enim substantiæ sunt substantiæ. Quinimo quod vtrunque ipsorum est substantia, id quod ex ambobus constat, est substantia. Adde dat esse, & distinctum esse simpliciter anima corpori, ergo substantia est Philoponus etiam persuadet animam præsumi substantiam ex eo, quod oportet ipsam esse in aliqua chategoria, & non accidentium sicut in Timæum Aristot. docuit primo libro non esse molem, nec numerum in Xenocratem &c. ergo aliqua substantia est. Placuit quoque Auerh. qui arbitratur dici non posse animam accidens secundum quod dat nobis prima cognitio naturalis, siquidē opinione omniū substantia est nobilior accidente, & cum anima sit nobilior omnibus accidentibus huius mundi, merito est substantia. Accidens enim non est nobilius omnibus accidentibus, nec substantiis. Adde operationes esse animarum in corpore, quæ non possunt redigi ad accidens, sed ad substantiam ceu nutrire in omnem corporis partem augere, sentire, intelligere, mouere, quę cum nec ad aliquam formam simplicium, nec forma mixti reducantur, ergo ad animæ substantiam. Quinetiā anima cunctis mortalibus rebus nobilior, ergo substantia, quia nullum accidens ex se nobilius substātijs. Ac anima cum vna eadem sit capax ex cōtrariorum boni, mali, veri falsi, & omne tale capax cōtrariorum est substātia, ergo & anima substātia est. Dabitur alias quoque occasio cōfirmādi animam substātiam, nunc accipe primum quod proponitur insinuās animam substātiam. Vnum iccirco genus quoddam eorum, quę sunt substātiam dicimus. Illud græcę, οὖ, icirco vertit ob cōtinuationem sermonis. Vnum dicit genus substātiæ, quia decem sunt genera in chategorijs quinto Metaphy. & ipsa substātia est vnum genus supremum cōtinens alia genera subalterna, & species secundum ordinem vsque ad speciem specialissimam, ergo capitur substātia primum genus pro tota chategoria substātiarum. Et vocatur vnum, quia primum duntaxat est aliorum & caput ad quod quāto quidque reliquorum accedit, tāto melius est. Et appellatur genus nō vniuoce, vt notat simplicius, cum sit aliquid prius, & aliquid posterius in ea, sicut etiam ens quoties diuiditur in decem chategorias nō est illa diuisio vniuoci, sed analogi, cum ens sit magis in substātia, quam in accidētibus, simili modo magis substātia est in forma, quam in materia quo ad esse tertij, sed quo ad subijciēdum materia est magis substātia primo physi. Quare substantia est vnum genus nō sicut logici aiunt vniuocum prædicatum, sed analogum commune, & prius de simplici, quam de composita substātia asseritur, & de simplici prius de forma. Subiungitur quoddam, quia aliquo modo est genus, & nō proprie, vel potius quia illud (quoddam) significat certam naturam, & caracterem, quo à cæteris distinguitur generibus, sicut apparet e descriptione eius, & cōditionibus proprijs. Eorum quæ sunt, & nō entis dixit, quia nō potest ens vniuoce diuidi in decē genera, quæ cū illo cōtineantur ente analogice, merito indicātur numero plurali decem genera. quorum vnum primum commune, & ipsum analogum genus est substantia, cum

corporeo

corporeo,& incorporeo non sit vniuocum genus,neque corruptili & incorruptili. Substantiam dicimus. Contentio est,ne græce ... latine facere substantiam conueniat,cum magis essentiam significet. Cicero nomen substantiæ nusquam laudauit, potius vsus est nomine naturæ. Plato in Cratilo ethymologiam vocis dedit in his ... essentiam aliquando a veteribus ęstiam,vestem quod quicque essentiam induit, & ab Heraclito ... ab impulsione dictam, quippe qui cuncta fluere,& impelli cogitauit. Alij malunt dici essentiam,quia verbum prouenit a verbo sum, græcæ .... Communis fere vsus vertit substantiam,inualuit vsus,ab hoc non abhorrebo in verbo (dicimus) accipe etiam consensum aliorum scriptorum, ceu Socratis in Philebo, in Phædone. & Plotinus idem in tomo suo de generibus rerum. Substantia igitur est quodammodo genus vnum. Nam asseritur de pluribus analogice, ceu de simplici, composita substantia, de corporea, incorporea, de diuina, cœlesti terrena, de æterna, caduca, de sensili, intellectili,&c. Quæritur hoc loco, ne anima sit vnum quoddam genus & ipsa animæ mundi, cœlesti, humanæ, sensitrici, vegetali, dęmonum apud Platonem. Et si præteireatur anima siue mundi siue cęli, siue dęmonum, de quibus alibi, vtrum saltem sit genus triplici animalium mortalium? Respondet Philoponus esse quoddam genus æquiuoce. Respondet simplicius quoddam genus analogicę, quia vna est pręstantior altera, vel ignobilior, vt vegetalis ignobilior sensitricę, & hæc intellectrice, atque dicebat Philoponus vna est prior sine alia, vt vegetalis sine sensitrice in plantis, & sensitrix in brutis sine intellectrice, econtra minime esse potest. Hinc viderentur quædam dubitationes citatæ primo libro dissolutæ. Et illa in sexto contextu de genere animæ siquidem insinuatur esse in substantia. & illa, ne plures animæ dissimiles spetie & eiusdem generis in 7. contex. primi libri, si quidem anima est quoddam,velut genus ad triplicem mortalium. Quinimo dissoluta illa grauis quęstio, quam tractauit, & primus mouit Socr. in libris de Rep. Hęc ille. Soc. in leuem ne rursus amice de anima cogitationem incidimus. Vtrum tres in se species has habeat,necne. Porro in 4. de Repub. tum tres spetics,tum tria genera fatetur Plato Socraticus, irascibilem,cupiditatem. Rationem, & in Timeo rationem in capite separauit tertium genus tanquam perpetuum ab irascibili, cupiditate corruptilibus, & caducis. Verum de hac quæstione dicendi dabitur tempus, quoniam Gal. in 3. 4. de decretis Hipp. Platonis disputat de generibus animæ. Nunc diuiditur substantia,quæ est genus quoddam in triplicem materiam,formam,compositionem,vt fecit Arist. item quinto,& octauo metaph. Quæritur quæ substantia diuidatur in hęc an sensilis,an intellectilis? Alexander asserit sensile per aliud, & materia sensilis est per vicissitudinem, & mutationem rerum, forma per operationem, & cōpositum per sua accidentia. Et diuisiua Methodo vtitur ad inuestigationem generis proximi iuxta regulam in 2. libro poster. & 6. topicorum. Nam inuenire oportet diuidendo semper genus vsquequo inueniatur proximum,per quod iubet absolui definitionem Aristot. interea annotabis dissolui quæstionem in 4. contex. primi de via, & Methodo definiendi, siquidem vtitur diuisiua,cui addiciet compositiuam: cum ergo substantia sensilis sit genus quoddam, hoc diuiditur. Huius autem substantiæ sensilis,vel sed huius quidem alia, velut materia substantia sensilis dicto modo incorporeo,si prima fuerit. Reliquæ secundæ sunt corpora simplicia & mixta. 5. metaph. & quia comprehendit etiam secundas materias eodem nomine & non solum primam, iccirco adiecit,velut,siquidem secunda materia non est maxime talis, sed prima incorporea, simplicissima,quæ silua dicitur,de cuius decem,& octo nominibus est monimentum in commentarijs nostris primi Physicorum. Placebit Alexandro Aphrodiseo libro. 3. de cęlo, si dicatur illud, velut, poni non ob materiam reuera, sed intellectilem,quia ibidem materiam separatam ab omni forma. Solum intelligi putat,non esse reuera,nisi corpoream,& hanc elementatem omnium siquidem semper est sub aliqua forma,quinimo sub spetialibus formis æternis est, si mundus æternus apud Arist. Extat in nostris commentarijs primis de physico auditu, extat in 3. de cęlo præclarū monimentum de hoc Alex. dogmate. Materiam autem substantiam esse in primo physi. separato capite ostendi,nunc intellige materiam substantiam,velut partem,non totam rei substantiā sicut priscorum quidam arbitrati sunt primo metaph. primo physi. reputātes formam esse accidens,sicut Auerh. 7. metaph. indicat eos leui ratione adductos quod forma substantialis in subiecto, vt accidens. Verum aliter forma est in subiecto. Nam dans esse,& perficiens,atque pars substantiæ. Accidens non dat esse substantiale,& perficit more accidentis, nec pars substantiæ est. Ergo materia non est tota substantia rei,sed pars essentialis. Cęterum vbi assignatum est primum diuisionis membrum,idem definit,aut describit dupliciter per negationē primum,vt solent difi-

H. cilia

cilia & maxime simplicia, & postea per affirmationem. Hæc descriptio est materiæ, quæ per se qua materia est sine forma, cuius est materia non est id, quod est hoc aliquid. An materiæ solius primæ hæc definitio, an etiam secundæ? Themistius primę solum esse putat, de qua primo phys. disputatum esse inquit, quæ est potẽtia, neq; aliud hoc est, quam habilitas quædam, & præparatio procreandis rebus opportuna. Simplicius videtur de prima solum sentire definitionem hãc afferri, qui asserit materiam substantiam imperfectam, & esse in recipiendo formas, atque indefinitam, iccirco exponit hanc materiam secundum se non esse hoc aliquid idest compositum, indiuiduum definitum proprio caractere, digito demonstrabile, neque aliquid hoc est substãtia singula, & prima. Et cur non sit materia prima hoc aliquid reddit, quia indefinita est ob substantiam imperfectam suam potentia existentem, qua potest formari, & terminari, nondum tamen terminata, Philoponus etiam intelligit primam materiam, cum dicat eam intelligi, quæ secundum se nihil formarum habet, sed potestate omnes receptura est; siquidem materia secunda, propinquaque non est receptura eã, quam habet, & iccirco describit & ipse materiam primam, quæ per se, in sua idest natura, & essentia non est hoc aliquid, idest forma, ideo non per se subsistit, nisi habeat aliquam formam, & si in chategoria substantię per hoc aliquid intelligit Arist. indiuiduũ, Auerh. etiam videtur intelligere primam materiam describi dicens materiam, quæ per se non est forma, neque aliquid per se in actu, vt dictum est in primo phys. Alexander Aphrodiseus in sua media commentatione tradit intelligi materiam duplicem. Vnam proprie & simpliciter, suapte natura informẽ infiguratam omni spetie, & forma carẽtem, quæ primum subijcitur corporibus simplicibus & semper est sub aliqua forma, sed separatur ab omni secundum intellectionem, se autẽ semper habet aliquam spetiem. Alteram vero non proprie nec simpliciter, quæ subijcitur formæ alicui semper, ceu cera, & materia aeris euaporatio aquæ. Videtur igitur vtranque intelligere precipue cum prima diuisio substantiæ non conferret ad materiam animæ, quę non est materia prima, sed corpus organicum, ergo vt cõferat ad definitionem oportet intelligere vtranq; materia. De prima euidens est, vt per se idest qua prima informis essentia non est hoc aliquid, idest nec forma, ceu ratio potissima secundum quam est hoc aliquid, nec actu ens, cum sit mera potẽtia, neque substantia indiuidua. De secunda materia verificatur quoque descriptio, vt per se quatenus materia non est per se hoc aliquid, idest compositum, cuius est materia, neque forma, quam recipit, ceu cera non est sigillum, neque forma sigilli, nec fetus est homo, nec forma hominis, si vis etiam hoc loco persuadere materiam substãtiam esse, his medijs vtere. Et quia pars substantię cõposita est, ergo substantia. Et quia substantia nulli accidit, materia nulli accidit ergo substantia. Et quia substantia cum sit vna capax est contrariorum vicissim in chategoria substantiæ id dicente Phy. Materia capax contrariorum est, & nulli eorum contraria. Antiqui item illam posuere substantiam. Etiam natura est substantia .2. physi. materia est natura, ergo substantia, quibus nunc contentus colliges descriptionem materię per negationem. Materia est substantia sensilis, quæ secundum se, idest qua materia non est forma, compositum, actu ens, neque subsistens. Loco generis ponitur substantia sensilis, quia sentitur per transmutationem non per se, & loco differentiarum ponuntur aliæ particulæ, & dicitur, quæ per se non est, idq; merito, quoniam aliquo modo non est. Iccirco primo physi. dicitur non ens, ex quo gignitur aliquid. Est enim non ens actu. Atque vocatur non ens ob annexam sibi priuationem. Et in septimo metaphy. asserebatur nec quid, nec quale, nec quantum. Et in Sophista materiam vocauit, quod non est Plato. Atque causa est cur quicque non sit. Rursus non est, quia non reperitur per se sola. Quinetiam materia est proxima nihil, cum porro audis materiam dici quæ secundum se non est, hactenus recte dicitur non esse, & multo magis non est hoc, qui articulus seu pronomen significat certam, & definitam naturam singularem, & maxime si addatur aliquid. In categoria substantiæ diuisæ in primam, & secundam Aristote. dicebat secundas significare hoc aliquid sub appellationis figura, idest quale quid sed primas hoc aliquid, quare materia nec secunda substantia est, nec prima secundum se, nec forma causa, vt quicque sit hoc aliquid. Aduerte hoc cognomen hoc aliquid cuique rei solitariæ perse subsistenti posse accommodari, & cuique parti propria circunscriptione determinatæ, vnde substantiæ abstractę mentes orbium motrices dicuntur hoc aliquid, & quælibet pars corporis situ, propria circunscriptione distincta ab alijs, vt oculus, bucca, auris &c. Cęterum docebis materiam non esse hoc aliquid idest forma, quia ipsa est potẽtia, forma actus. Hæc perficitur, illa perficit terminat, hæc recipit esse forma dat esse. Hęc permanet in mutatione, forma accedit, recedit, & similibus. Eodem modo probabis materiam non esse corpus, cum hæc sit simplex, &

pars

pars corporis, nullã pars separatim est suum totum. Corpus item subsistit, non autẽ materia neq;
prima neq; secunda naturalis, artificialis, qua materia, sed qua cõpositũ. Quinetiã corpus omne cõ
stat definita mole, non autẽ materia qua materia, ergo non est vllo modo hoc aliquid, de quo ma
gna contentio est inter Arist. & Platonem in Timæo, qui materiam profitetur hoc aliquid in his
verbis solã esse nec formã, nec quod interit. Quæ cum nunquam eadem appareant permanere, „
quis nam sine rubore, redargutionisq; suspitione poterit istorum aliquis vnum potius, quã aliud „
certe, & firmiter appellare? Nemo certe. Quare tutissimus in his hic erit loquendi modus. Hoc „
quod alias semper aliter formatum videtur, & plerunq; iuxta ignis effigiem, non est vtiq; ignis „
hoc aliquid sed tale, idest igneum quiddam, nec aqua hoc aliquid, sed tale quid hoc est aqueum, „
nec aliud quicquam velut vllam habens stabilitatem. Deniq; nec pronominibus vllis hæc signifi „
canda sunt, quibus in rebus quibuslibet demonstrandis cum hoc, vel illud dicimus vti solemus. „
Fugiunt enim, nec expectant, vel eam demonstrationem, quæ hoc, & huius, & huic designet vel „
appellationem, quæ de his tanquam de existentibus, & stabilibus habeatur. Igitur huiusmodi om „
nia, neq; hoc, neq; illud, sed tale potius, aut tale propter similitudinem aliquã appellare debemus, „
& ignem vbiq; tale. Ac de ceteris, quæ gignuntur eodem modo. At vero illud, in quo fieri sin- „
gula videntur, & dissolui solum his pronominibus, quibus hoc, vel illud signamus appellandũ „
puto. Vide quantum intersit inter Platonẽ, & Arist. Ille censet solam materiã primã dici hoc ali „
quid, quia permanet, nec mutatur, & forma, compositum oriuntur, occidunt, ergo non possunt „
dici hoc aliquid. Hic autem dicit materiam non esse hoc aliquid, quinimo formam, vel cõpositũ „
dici tale. Verumenimuero conciliari possunt, & si certo scio Arist. vbicunq; potuerit inuectum „
in Platonẽ. Dic igitur hoc aliquid significare duo, constantiã permanentiam, cuiusmodi Plato as
serit materiam dici solam hoc aliquid cum sola permaneat in mutationibus, quod & Arist. affir-
mat primo phy. dicens principia permanere oportere, significat item quoddã certũ, & definitũ,
quod sub sensum cadit, & digito demonstratur, atq; id per quod est hoc aliquid, & tale est forma
quo sane modo neq; Plato diceret materiã esse hoc aliquid propter naturã eius imperfectã, inde-
finitam, capacemq; formarum essentiã. Et tu cogita de hac conciliatione, quia si probabitur, lætor,
sin autem, dolebo non potuisse conciliare loca, quia animum Arist. cum Platone nunquã ego,
neq; alter poterimus conciliare. Studuit Arist. dedita opera oppugnare decreta Platonis. An sem
per obtinuerit id non crediderim. Hæc de prima parte diuisionis, deq; materia. Secunda est de ef-
figie, & forma. Dices si forma nobilior materia, cur non præposuit in diuisione hanc illi? Respon
debis materiã esse priorẽ forma origine, & natura, & iccirco ab eo incipiendum fuit quod potest
esse sine alio, & illud non sine ipso. Materia sine forma saltem intelligi potest, sed forma natura-
lis minime sine materia potest intelligi, & si ex ipsa cum Alexandro Aphrodiseo nunquam mate
ria sine forma, nec forma existat naturalis, & artificialis sine materia. Non quia sit par conditio.
Nam artificialis accidens est, quale sine subiecto esse non potest. Forma autem est substantia na-
ta ad perficiendum aliud. Sed accipe huius substantiæ duo nomina primum, & deinde descriptio
nem eius. Alia vero effigies, decus maiestas, venustas, sicut in Porphiriana Isagoge species dicitur
quæ digna est imperio. Hæc fons est, vsurpatur a doctis pro forma intrinseca, quæ græce dicitur
[illegible] substantia intrinsecu pars rei constitute, quæ item dat esse illi, & distinctum esse apud Alex.
Aphrod. in cõmentatione media e græco in latinũ a Hieronymo Donato conuersa. Est igitur al-
teri substantiæ sensiti duplex nomen græcum. Vnum vsurpatũ effigies, morphe alterũ proprium
forma, [illegible]. Descriptio sequitur. Forma est substantia sensilis per quã iam vnumquodq; dicitur
hoc aliquid, idest cuius accessu ad materiã quamprimũ substantia cõposita perfecta hoc cogno-
men, hoc aliquid contrahit, & agnoscit, Themistius de forma naturali dicens, quæ est perfectio,
& absolutio vltima materiæ hæc. Postremo formã id esse, cuius merito res prærogatiuã illam fe-
runt, vt nomine hoc quicquã, vel hoc aliquid censeantur, Auerh. apertius dicit formam esse, per
quam indiuiduum fit hoc, & simplicius asserebat formam esse primo hoc aliquid, & compositũ
propter eã. Ego dico, forma est substãtia sensilis naturalis ad differẽtiã formæ artificialis, per quã
aliquod opus dicitur hoc aliquid extrinsecus, & per accidens, cũ illa forma sit accidẽs, & dicitur
naturalis contra mathematicos, ideas, abstractas formas, per quã naturalẽ formã vnũquodq; ha-
bens esse habet distinctũ esse, ergo hoc aliquid est, & per quã hẽt esse existens, & subsistẽs, ergo ẽt
hoc aliquid, & per quã quicq; hẽt esse vnũ indiuiduũ talis speciei, ergo hẽt ẽt per formã hoc aliqd
inter formã artis, & formã naturalẽ, per quas vnũquodq; artificiale, & naturale dicitur hoc aliqd
illud interest, ꝙ artificiale opus dicit hoc aliquid per formã extrinsecus nõ substãtialẽ, nec dictũ


esse,& naturã,icciɾco ea ablata non destruitur, nec dissoluitur totũ opus,sed solũ deletur figura, forma,& nomẽ secundũ illam formã,non autẽ essentia,& esse,sicut sublata forma naturali essentia rei,subsistẽtia,natura amittitur,vnde oriretur bona dubitatio,ne forma substãtialis sit principiũ indiuiduationis,de qua alias. Nõ dubiũ,quin forma illa constituat indiuiduũ substãtiæ,& cõpositũ vnũ numero cũ accidentibus insequentibus ipsam. Aduerte plura requiri ad conficiendũ indiuiduũ vnũ numero,quã hoc aliquid.Nam forma sufficit in materia constituere hoc aliquid, sed indiuiduũ vnum numero cõdit etiã talis quantitas cũ tali circũscriptione, & figura & affectu. Hæc de forma quã postremo persuadebis esse substantiã his argumentis.Quicquid melius substãtia est sane substantia. Atqui forma melior,& maior substantia materiæ, ergo forma substantia. Quicquid prius,& perfectius substantia est substantia. forma prior,& perfectior materia substantia,ergo substantia dici debet. Rursus forma est natura,& natura substantia,ergo forma substantia. Maior. 5.metap.2.phy.Minor. 2. libro phys. Adde quicquid causa substantiæ vt sit, existat, etiam substantia est. At vero forma causa composito est,vt existat,& sit ergo substãtia. Quinetiã substantia est,qua quid posita sit substantia, & qua sublata non est illa substantia, forma posita fit compositum substantia,& hac remota interit, ergo forma substantia. Valeat igitur dogma veterum reputantium formam accidens,& materiam esse totam rei substantiam, sicut dicturus est Aueth.in commen.suo.4.& 7.metaph.asseruit,qui etiam in hoc.2.commẽtario binis argumẽtis docuit formam esse substantiam. Tuum sit legere nostros commentarios in primo phys.vbi cõprobatur forma substantia. Tertia restat pars diuisionis huiusmodi. Tertia est,quæ ex his constat prima substantia naturalis,& sensilis fuit materia, secunda forma sensilis naturalis dans esse nomen,& definitionẽ rei essentialem. Tertia est composita ex his,ex materia & forma concretum autem ex subiecto, & accidente est compositum,ceu album ex subiecto, & albedine, sed nõ est totum substantiale,& definitio ex genere,& propria passione est substantia,sed non tota,ceu homo est animal risibile. Tota autem si genus sumitur a materia & differentia a forma substantiali, vt homo animal rationale. Ergo intellige tertiam substantiam compositam ex his totam esse substantiam e partibus omnino substantijs. Nec obstat monstrum ex materia humana, & forma bouis,quia istud constat non totum ex substantijs,sed e materia, & figura bouis, icci̇rco illa mõstra Empedoclis bouigena,& similia citata. 2.libro phys. composita sunt e diuersis naturis, quarum quælibet est apta perse existere,& icci̇rco non est quid tertium compositum, quia ex duobus existentibus actu non fit tertium. Quare adde huic descriptioni. Tertia est substantia sensilis, quæ constat ex his materia,forma non per se seorsum existentibus,sed aptis conficere quoddam tertiũ non diuisum a partibus simul sumptis,sed diuisim apud Aueth. primo phys. quicquid dicat Scotus reputans totum esse quid tertium separatum a partibus simul sumptis,qua de opinione in metaphysicis. Dubitationes occurrunt,prima ne sit hæc diuisio physica, aut metaphy. secunda cur non diuisit quod est in X. genera,vt primi libri contextu.6. indicauit, & 3. physicorum? Et alibi diuisit ens in actũ,& potẽtiam,& in ens per se,& per accidens? Atq; prima sui diuisione. 7. metaphys. in substantiam,& accidens? Adde diuidi substantiam in chategoria eius in primam, & 2. cur nunc silentio præteriit hanc? Rursus materia & forma si essent substantiæ, in chategoria eius essent,& substantia,ac corpus prædicarentur de illa. At vero non prædicatur corpus de materia, & forma,quia ambæ incorporeæ substãtiæ sunt.Rursus diuisio bipartita esse debet,cur nunc tripliciter diuiditur substantia. Ac diuisio per contraria differentia fit, materia & forma simul sunt in cõposito.Ad hæc dicendum est. De prima dubitatione potest esse metaph. & naturalis. Metaph. si considerentur partes diuisionis velut principia entis,& partes, potest esse physica, si substantia sensilis qua sensilis diuidatur. De secunda dic illam diuisionem insinuari, cum dixit substantiam esse vnum genus eorum, quæ sunt, si quidem quæ sunt decem genera dicuntur. De tertia scito ens diuidi aliquando in partes vt in substantiam, & accidens, aliquando secundum communes differentias repertas in omni genere rerum, ceu per actum & potentiam, & interdum per modos,non ergo mirum si diuisit ens in actum & potentiam.3.phy.& alibi tanquam in communes differentias,& in eas per se,& per accidens velut in modos, & in substantiam, ac accidens velut in primas entis partes,vt 7.metaph. Deinde dic bene factum,diuidi substantiam scilicet in primã, secundam in chategoris vbi consideratur modus prædicandi, & subiiciendi, cum secundæ asserantur de primis subiectis illis, At hic oportuit eã diuisionem fieri quæ apta esset inueniẽdo generi proximo definitionis,cum anima vel materia, vel forma vel cõpositum esse debeat, & collocabitur in genere formarum, Quod dubitatur item si materia,& forma essent substantiæ, reponeren-

nerentur in prædicamento,substantiæ. Dic reponi, sed tāquam principia, velut punctus, & vnitas in chategoria quantitatis,& ideo corpus non prædicatur de his recte, sed oblique. Alij a latere reponunt prædicamenti. Hoc mendacium est,quia eo modo reponuntur differentiæ, diuisiuæ generum. De diuisione bipertita sic Philoponus simplicius diuidunt, substantiæ alia simplex, alia composita. Simplex partim materia, partim forma, postremo diuisio hæc fit per differentia, nō contraria,quia vnum contrarium non recipit alterum, sed vnum differens potest recipere alterū, quoties vnum per potētiā, & alterum per actum differunt. Et differentia simul sunt in genere, vt rationale,& irrationale in animali, sed de his in logica.

## Contex. III.

*EST item materia potentia, & forma entelechia, Atque hæc dupliciter dicitur partim quidem, velut scientia,partim autem ceu contemplari.*

Lucillus.



LIA descriptio materiæ, & alia formæ in libris metaphys. & primo phys. & in Timæo Platonis tractata diligentius, nunc tantum repetita propter vsum inueniendi generis proximi in definitione animæ collocandi. Quæritur an sola prima materia describatur, vel etiam secunda,quoniā vtraque videtur,quia sicut entelechia duplex,ita materia gemina prima, & secunda, sed primæ propriæ,& simpliciter competit potentia, cum sit mera potentia. Nam materia prima neque forma est, neque vllam habet propriam, si enim propriam haberet, nullam aliam reciperet. Secunda materia habet propriam formam, licet sit in potentia ad aliam formam, ceu æs propriam formam æris habet, sed potentia ad formam statuæ, & qua materia est substantia dicitur in potentia. Verum interpretes Græci excepto forte Alexandro putant describi primam materiam solum,a quibus non digreditur Auerrhoes. Quæritur denuo cur alia descriptione vtitur materiæ, & alia formæ a prædictis,siquidem sufficit prima? Respondebis vsuuenire has secundas descriptiones propter diuisionem entelechiæ in primam,& secundam, cum non dici soleat forma velut scientia, velutq; operari,nec prima, nec secunda,sicut de entelechia dici solet prima, & secunda. Adde etiam, quia genus proximum tangitur in descriptione formæ, ceu entelechia proximum genus animæ, cum non omnis forma sit entelechia,ceu ideę,mathematica,formæ artificiales, & separatæ omnino, Adde & tertium, quia superiore libro in 6. contextu quęrebatur, an anima esset quid potestate,aut entelechia, Vt ergo dissoluatur dubitatio, hæ rursus descriptiones proferūtur Sumit principium rursus a materia,quia prior est forma cum sit informis illa, & recipiat formā, atque huic subiiciatur,& præparetur ad formam recipiendam, Est item materia potentia, Auerh. idest, materia est substantia, quę est in potentia apud alios mera,& pura, qua omnis actus est materia capax, vnde solum prima describitur materia,non secunda,& proxima, propterea quod hęc non est capax sui actus, attamen tam prima, quam secunda est in potentia. sed prima ad omnes formas, secunda citra suam ad plures. Ex conceptu non liquet, an asseratur de prima potentia,an de secunda. At obiicies Philoponus,si materia secunda describeretur, non diceretur potē tia in recto, sed obliquo, cum sit secunda potius materia potestate,& non potentia in recto græce δυνάμει Respondebis dici etiam secundam materiam potentiam in recto saltem formæ futurę causa, & si non est in pura potentia, vt intelligitur prima materia, Quare sic sentio, vt prima, & secunda materia possit describi non obstantibus pluribus eius alijs descriptionibus primo metaphys. 7. 8. 12. atque primo physicorum,quę perfectior est ad extremum libri materia est principium, ex quo fit aliquid, cum insit, & in quod vltimum dissoluitur, Nunc autem materia sensilis dicitur potentia,& adiuncta ea voce sensilis differt ab intellectili materia, & intellectu possibili, cui non est alia natura,quam potentiæ. 3. libro, sed intellectus est materia intellectilis,illa vero sensilis,& vtraq; potentia, sed sensili formarum,quæ sunt naturæ præcipue, & intellectus specierum, & intellectionum, quæ sunt accidentia animi. Hactenus de materia. De verbo (potentia) cum

cum alia sit efficiendi potentia verius appellata facultas, ceu ignis per potentiam actiuam combu rit, quæ gemina est 9. libro metaphy. Vna agendi in alterum, Altera in seipsum. Item alia est potentia patiendi ab alio, qua aliud, quæ est naturalis potentia, & qualitas de secunda specie in chategoria qualitatis, & hæc duplex aut patiendi cum interitu contrarij, aut solum perficiendi sine contrario positiuo, vt sensus patitur, quia perficitur ab obiecto sine contrario, potentia accipitur item abusiue in Geometria cum dicitur magnitudines potentia rationales, irrationales de cimo libro Eucl. Potentia sumitur dialectice pro non repugnantia, vt cęlo non repugnat qua cor pus diuidi, cum tamen nunquam diuidetur. Ac potentia dicitur a possibili, & de contingenti in libris de interpretatione. Nunc igitur potentia est patiendi, & recipiendi, quæ refertur ad agens modo actiui, & passiui. 7. libro metaphys. Refertur ad formam tanquam ad perfectionem suā. In hac igitur qualitate materiæ dicta potentia relatio est ad formam, & potentia dicitur referri ad actum, quare cum dicitur materia est potentia si pro subiecto potente dicitur, in recto asseritur, Materia est potentia, idest substantia potens, si adhuc in recto profertur materia est potentia pro qualitate, & relatione non est vera oratio, nisi sano intelligatur modo, & isto materia est potentia, idest substantia subiecta potentiæ, & ideo Auenrhoes rectius, quam Philoponus inquit, Materia est substantia in potentia, & hæc materię primæ coæterna est, & substantiam materiæ indicat, per quam differt potentiam materia prima a nihilo. quia in nihilo nulla potentia est. Differt a forma, quæ vt forma est actus sine potentia, differt a composito, quale potestate est partim, & partim actu, differt ergo qua actu est compositum ab eodem, Materia prima sua potentia est, & iccirco Simplicius recte exponit hoc loco materiam esse potentiā, potestateve non intelligi quod materia non sit, & possit esse, sed substantia potestate dicitur. Si enim materia non esset, nihil esset, Rursus neque intelliges materiam substantiam esse potestate, quæ nunquam sit actu, quinimo semper est cum aliqua forma, sed quia ei datum est suscipere omnes, necesse etiam est, vt accessu contrariæ nudetur alia contraria, sed semper sit cum aliqua in potentia ad alias, & hoc modo potentia dicitur de essentia materię, per quam etiam asseritur imperfecta substantia, & tenuis, Quare collige ex dictis, materiam primam secundum, quæ scilicet possit formam substantialem accipere est substantia in potentia non actiua. Nihil agit, nec coagit materia, qua materia non mathematica, nō logica pro non repugnantia, sed potentia passiua intelligitur pro qualitate quadam cui superuenit relatio patiendi ab agente, & perficiendi a forma. Iccirco potentia passiua, & relatiua dicitur, & si res sit absoluta. Exempla. in ære est potentia, vt a statuario patiatur, accedit relatio quæ est inter agens, & patiens, & dicitur potentia passiua, sed cum patitur æs, perficitur, & fit statua, & relatio exurgit perfectibilis materiæ ad formam, & potentiæ ad actum. Aeque in fœtu dum fit homo, dici potest. Huic potentiæ est annexa priuatio formæ, & ideo solet accipi etiam potentia pro sua annexa priuatione, quatenus dicit negationem in subiecto apto, & potente perfici. plane dignoscitur potentia a priuatione, quia hæc aduentu formæ deletur, & potentia absoluta materiæ remanet. Sed de his fuse in primo physicorum disserui, nunc etiam occurrit difficultas, cum videatur describenda materia æque per impotentiam, sicut per potentiam, non solum quia illa sit capax contrariorum, scilicet potentiæ, & impotentiæ, sed etiam, quia potest, & non potest recipere formas, Nam deletas formas recipere non potest, quia a priuatione ad habitum Aristotelice non fit regressus, nec cœlestes formas. Respondetis quicquam melius definiri per habitum, quam per priuationem, & negationem. 6. libro topicorum. & affirmatio potior negatione, Ergo potius est describi materiam per potentiam, quam per impotentiam, hæc priuatio, negatio, illa habitus, & affirmatio. Aduerte potentiam materiæ esse, qua patitur, & quicquid dicitur pati communiter, sed pati a tali. & a contrario fit ratione formæ. Non enim patitur calidum a frigido, nisi per formam in materia contrariam gelido. Hoc etiā nouit Alex. in sua media commentatione, quare communiter quid patitur ob potentiam materiæ, sed a certo contrario ob formam afficitur. Hęc breuissimè de secunda descriptione materię. Restat de scriptio formæ, vt materia, quasi mater rerum dicitur latine, primo phys. sicut fœmina dicitur. ita forma, quasi foris manens, & consonat verbo græco (morphæ) de qua nunc non sermo, si quidem illa est accidens & essentia, figura, ob id intelligitur illa (...) græce intrinseca perfectio, quā indicare volens Arist. nomen formauit, & inuenit ipse primus ex tribus vocibus græcis. Vna est (entos) per alterationem (...) (tos) & additionem (telos) finem significantem, imperfectionem, quæ est secunda vox græca, & altera tertia (echō) contineo, Vnde ex his oritur vox græca (entelechia) significans in se perfectionem continentem. forma igitur est intima perfectio continens, quam barbare vertit Hermolaus Barbarus perfecti habiam, nec vim verbi obtinuit, Aduerte

u rte porro, vt Luciani ridiculi scriptoris tollatur ɔtrouersia, hoc vocabulū (entelechia) nō debet p erri (endelechia) mutata ɔsonante, t, in d, quia tū significat indeficientē, & perennē ɔtinentiā, vt Cicero in Tusculanis pennē motionē vertit, Vt ergo non de forma foris, neq; de accidentali forma, nec mathema. nec dialectica, nec metaphysi. nec artificiali intelligat forma, sed de e t, quæ est intima perfectio nouo nomine expressa est, & entelechia vocat. Et merito anima est talis, q a quo ad in corpore manet, continet animatū, qua recedente dissoluitur corpus, & iccirco Arist. primo libr. statuit animā potius continere, quā contineri, siquidē egressu animi cernitur corpus fatiscere, exhalari, putrescere, Vnde bene dici solet sal pro anima porcis datum, quoniam sale caro eius durat, sicut anima continetur, Et loco animæ solent balsamo, aut myrrha, & aloe præseruare corpora integra more Aegyptiorum, & Persarum, qui cera circūlita corpora seruant diu, Anima autem interna perfectio continet animatum diu sine sale, & balsamo, &c. Quare merito formam mutauit in entelechiam, quæ in perficiendo suum esse habet. Hæc duplex est prima, & secunda, & prima, sicut habitus velut scientia, & secunda, sicut operatio, velut contemplari, lege Atque hæc dupliciter dicitur. partim quidem velut scientia, partim autem velut contemplari, Quid dices est illud, quod dupliciter dicitur? Nempe entelechia, Et breuitatis causa similitudine exponit primum modum velut scientia, hæc inuenientis, vel discentis est primus actus, entelechia, quæ perficit intellectum nostrum, & eius habitus est. Sed cum addiscentis fit actus primus, tum si forte non contemplatur, erit iam perfectus scientia, sed cessabit a secundo, qualis exprimitur similitudine, velut contemplari secundum illam scientiam, quoniam vbi quis haberet scientiam Geometriæ, & contemplaretur secundum Arithmeticam, non diceretur contemplatio scientiæ geometriæ. Aduerte aliquos sic separare primum actum a secundo, vt cum operatio ipsa sit intelligant sine primo actu, Et si e natura diuisionis secundus intelligatur diuisus a primo, tamen reapse nunquam operatio fit, nisi operans operetur, quare prima entelechia, vel primus actus est ipsa essentia cum facultate, qui potest non operari, secundus actus, vel secunda entelechia est ipsa essentia operando, & operatio dicitur actus secundus, Hinc bene Auerrh. scripsit in 2. suo comment. Primum actum cum non operatur, secundum quatenus ab illo prouenit actio. Et primum vocat primam perfectionem. secundum vocat secundam perfectionem, & primam Philoponus velut habitum cum Themistio dicit, & secundam operationem ab habitu proficiscentem, necnon primam esse natura, tempore priorem secunda, quæ a prima habet, vt sit. Non pudeat etiam verba Simplicij notare, qui hæc omnia refert ad formam, & animam. Sunt porro quędam formæ separatæ intelligentes diuinæ, quæ semper sunt in actione, quinimo sua actio est sua natura, & essentia, vt dei actio, & intelligentiarum Atq; intellectus noster agēs semper est in actione sua prima intelligendi, adeo, vt nunquam vacet, Formæ tamen naturales in materia sic vacant operationibus, vt impedimento, vel præ absentia materiæ, vel præ imbecillitati nequeant operari, ceu grauitas lapidis detenti supra tecto non operatur, neque facit descendere, Amoto impedimento descenderet. Et ignis non vrit defectu materiæ, Et scintilla nō ascēdit præ imbecillitate, Extinguitur in medio, quare forma vacat operationibus, Atque de anima dicendum, quæ sit in materia, quoniam post mortem separata semper intelligit apud Aristot. neq; reminiscitur modo, quo nunc in corpore, & cum triplex sit status animæ, ante corpus apud Platonem semper intelligit, in corpore impedita vacat operatione aliquando, post corpus semper intelligit, De statu igitur præsenti quod anima perficit corpus secundum vegetalem, sensitricem, intellectricem vim tum vacat, tum non vacat. Sunt quædam operationes animæ sic coniunctę, vt nunquam possint non esse præsentes essentiæ. Ceu animare est operatio animæ, quæ sic sequitur animam, vt nunquam eam deserat, iccirco nusquam anima est sine actione hac animare, quia sequitur essentiam immediate animæ, nec indiget organo, aut organi facultate, aut re corporea, Atque vita viuificat, est actio viuificare sequens ilico vitam vbicunque sit, quia nusquam vitam reperies nisi viuificet, Et vegetalis anima nunquam cessat vegetare. Vbicunque est vegetat, vel plus minus, & sensitrix semper sentire facit, & si vacet hoc vel illo sentiendi modo, Ergo sunt actiones essentiales, quibus non vacat vnquam primus actus, ceu forma grauis habet duplicem operationem primam formalem, quæ est formare, & ita nunquam poterit forma esse sine operatione formandi, quin etiam forma grauis habet grauitare, nunquā erit sine actione grauitandi licet vacet actione descendendi deorsum ob impedimentum. Aliæ sunt operationes animæ, quæ exerceri non possunt. vel sine organo, vel organi facultate, vel re corporea, & iccirco hæ non fiunt, nisi sit facultas apta, organum bene dispositum, aut res corporea in prom

ptu

ptu, & ob id contingit essentiæ animæ vacare si facultas sit infirma, impedita, aut si organum non apte se habens, verbi gratia quia vegetali inseruit calor naturalis organum eius, si debilis fuerit, non poterit alere, vt in atrophia apud Galenum medicum de Simptomatum causis, si organum impeditum vel ventriculus, vel iecur, vel si non erit phantasma in phantasia, non intelliget anima nostra res sensiles, Arist. ergo nunc loquitur de secundo actu, qui proficiscitur ab anima per facultatem, & organum, aut rem corpoream, quia vacans facultas, aut organum, non operatur primus actus. Et hoc manda menti tuæ, quia iuuerit futuram definitionis interpretationẽ. Sed in his grauis dubitatio quoniam nono metaphysicorum Arist. inuehitur in Megarenses asserentes non esse vllam potentiam, & facultatem nisi in operando, ceu non auditum nisi audiendo. Contrarium decernit Arist. quia medicus esse potest, & si non medeatur alicui, alioquin si cessans ab opere in somno cessaret etiam doctrina, & practica medendi quoties dormiret, toties amitteret doctrinam & facultatem medendi, ergo facultas esse potest, & essentia sine actu secundo, quare & anima sine animandi actu. Respondebis Aristot. dubitasse contra Megarẽses, & eos confutasse qui suum dogma vniuersale faciebant, cum sit solum particulare de actionibus sequentibus essentiam, & non potentiam, & organum. Anima quidem animat vbicunque est, sed non sentit vbicunque sit sine obiecto, & organo, quorum ratione interdum vacat operatione, vt in somno vacat aspectu, auditione, quia hæ actiones non solum ab essentia, sed etiam a potentijs, & organis dependent. Rursus alia dubitatio quando scilicet forma habet facultatem, vt forma terræ grauitatem, an illa facultas, potentia sit agendi, vel patiendi. Dicito posse dici actiuam, vt in nutrice, genitrice, & in forma grauitatis, & passiuam vt in sensu, & intellectu, qui ambo patiuntur ab obiectis Aristotelice contra Pythagoreos, Platonicos putantes sensus agere, ceu visum emittere radios vsque ad rem visam, vel prope, & ita videre, icirco alij putant organum solum affici, & affectum solum excitare facultatem, quæ per se agit, vt color mouet oculũ, & oculo moto excitatur visus ad agendum, & videndum, sicut dicitur de pisce saxis degente, percusso saxo aliquo piscis excitatur, & natat, & icirco organo affecto excitatur sensus, At vero Aristot. vult sensus pati. Præterea alia dubitatio est de exemplo, vel similitudine, quia dicit scientiam præcedere contemplationem, cum sequatur, siquidem discipulus eam addiscit ex multis sæpe factis contemplationibus, Responde loqui Aristotelem de operatione perfecta, quæ fit post adeptam scientiam, actus autem ante adeptionẽ scientiæ sunt imperfecti, e quibus frequentatis fit habitus, & scientia, qua obtenta potest sciens contemplari secundum voluntatem suam, Alia dubitatio vbi primus actus potest esse sine secundo vter eorum melior? Aliqui aiunt primum si forma substantialis est, quia est substantia, & secundus accidens. Addunt item primum causam secundi, & non econtra, ergo melior primus, & nobilior, cũ causa pſtantior effectu. Contra obstant alij dicentes secundum meliorem, quia est finis primi, cum primus habitus sit propter operationem. Annectunt equiuoce dici habitus, & actus, qui non operantur, vt manus mortua, & per syderationem impedita, Pro controuersiæ declaratione solemus decernere actum primũ operantem vel secundum, quia semper est innctus primo esse meliorem, & præstantiorem vtroque separato, Quod si petas de altero separatim, an melior primus, vel secundus, dicito quo ad absolutam perfectionem secundum esse meliorem primo, non ex se tantum, sed quia etiam includit primum, qui dat esse, & substantiam, ac nomen, & diffinitionem, vt anima melior operatione hoc modo sit, sed quia operatio sine anima esse non potest, ob id vi inclusi quoque primi actus perfectior est. Aduerte differentiam inter animam cęli, & animas mortalium apud simplicium, quia illa nunquam vacat operatione, anima mortalium vacat fere omnis. Vacat pace simplicij & illa operatione, ceu motione futura, dum presente mouet. Sicut vacat in somno vigilia, sed non dormiendi actu, qui sequitur animam sensitiuam, signo, quod nec plantæ, nec cadauera dormiuut, ergo viua, & sentientia. Ergo alia differentia est. quia anima cœli sine pœna dolore mouet, & nostra impedita non potest citra laborem aliquid facere.

## Contex. IIII.

*AC corpora maxime videntur substantiæ, & horum naturalia. Hæc enim sunt aliorum principia. Naturalium item alia vitam degunt, alia vero non habent. Vitam autem dicimus nutritionem perse, accretionem diminutionem. Quare omne corpus naturale vitæ particeps substantia erit, atque sic substantia, vt composita.*

Lucillus.



ARTITIONEM formæ, quæ erat secunda pars primæ diuisionis substantiæ in materiam, formam, compositum fecit in entelechiam primam, & secundam, nunc etiam diuidit tertiam partem, quæ erat compositum, & id corpus in animatum, & inanimæ ad hanc finem, vt quidam dicunt, quo demonstretur vtrunque esse substantia. Alii quo differentia ponenda in definitione, cum anima sit actus corporis, non cuiusque sed organici, vel physici. Alij sicut Philoponus, & melius fatentur Arist. propter genus accipiendum definitionis, quoniam cum triplex sit substantia, materia, forma, corpus, & non erit anima corpus, nec materia ergo forma, sed quis posset dicere corpus non esse substantiam, idcirco non com prehendi sub illa prima diuisione, ob id accipit ex consensu aliorum omnia corpora esse substantias, & postea probat physica corpora esse substantias, & horum animata, quapropter quatuor complectitur contextus Assumptionem hanc. Ac corpora maxime videntur substantiæ. Secundum proponit, quoque physica corpora esse substantias, & probat. Tertium diuidit corpora physica in animata, & inanimata, atque vitam ostendit intelligi oportere nutritionem &c. Quartum colligit maiore minore subintellectis, omne corpus animatum substantiam esse compositam, non simplicem. Redeat sermo ad assumptionem. Corpora, mathematica, artificialia, naturalia, maxime videntur substantiæ. Corpora metaphysica intelliguntur potius, quam reuera sint. Corpus mathematicum est in genere quantitatis cum dicitur ibi linea, superficies, corpus &c. Hoc definitur vndecimo Geometriæ Euclidis, & primo cęli quod tribus constat dimensionibus longitudine, latitudine, profunditate, de cuius origine in proxima lectura. Corpus artificiale est, quod constat è materia secunda, prima atq; ex forma artis, quæ prior est in artificis mente, deinde in subiecta materia, & hæc forma accidit materiæ dicente Themistio, & Alexandro, & aduenit corpori naturali. Aliud corpus naturale conflatum ex duplici natura materiæ, & formę, & dicitur a natura intrinseca præcipue a forma naturali naturale, & idcirco omnia sunt hæc corpora mobilia loco qua talia corpora. Terra, cardines mobilia corpora sunt, non mouentur melioris notæ causa, hoc est propter perpetuitatem motus cæli, quia omne, quod mouetur, eget quiescente interno, externo in libro de motionibus animalium, de cuius item origine dixero. Hæc igitur corpora omnia visa sunt maxime substantiæ, & mathematica Pythagoreis, ceu in Timæo illa corpora quinque Euclidis in vltimis libris Geometriæ duodecim basium, sex basium, octo viginti, & cubicum, quæ sunt cęli, & quatuor elementorum. Visa etiam artificialia his, qui ponebant materiam esse totam rei substantiam, ceu Lycophroni sophistæ, & alijs. Visa item naturalia a Thalete Milesio vsque fere ad parmedinem corpora naturalia substantiæ, quia illi veteres non cognouerunt substantias abstractas. Deum, & motores sphærarum, sed sola corpora primo metaphys. & in Theęteto Platonis, & Timeo. Siue porro igitur, vel aquam, vel aerem, vel plura corpora duo tria, quatuor, siue anomi omera, siue similaria dixere principia rerum physicarum, hæc omnia fatebamur maxime substantias, etiam secundum famositatem videatur corpora maxime substantiæ, sine vniuersalia, siue ideæ, siue forma, & materia dicantur substantiæ. Quare consensu maiorum etiam corpora omnia videntur substantiæ. Hæc de prima parte. Secunda proponit item ex horum naturalia, corpora sunt substanriæ. Argumento, quod quæ sunt principia substantiarum sunt substantiæ, siquidem primo phys. substantiæ non fiunt e non substantiis, sed corpora naturalia sunt principia aliorum corporum, quæ censura omnium accepimus esse substantias, ergo corpora naturalia sunt substantię hoc argumentum pronũtur ex his. Hæc enim aliorum sunt principia scilicet materialia, quia siue simplicia corpora, siue composita sint, subijciuntur mathematicis corporibus velut materiæ, & artificialibus, nec velut efficientia, quia mathematica non habent causam efficientem, nec finalem, sed dices cur veteribus corpora videbantur maxime substantiæ? Respondebis quia magis cadunt in sensum, quam naturalià, ideæ, materia, formà, & incorporea. Quia sunt magis diuisa, & separata seorsum subsistentia. Quia substant quia continent vim vtriusque substantiæ materiæ, & formæ, quia his consistentibus secundæ substantiæ consistunr, & sublatis concidunt, quia primæ substantiæ dicuntur, quæ maximæ sunt, in chategoria de substantia id asseritur. Tertium in contextu diuidit hæc corpora naturalia per animata, inanimata, & dicit. Naturalium item alia vitam degunt, plantæ frutrices, animalia, homo horum corpora animata, sed etiam cęlestia, & dęmones apud Platonem, ac mundus, verum nunc corpora animata caduca intelliguntur, quæ nutriuntur, cęlestia apud Aristotelem non habent vitam nutritiuam, secus apud me in commentarijs primi libri de cælo vbi astra ali, & solem

I statui

statu. Alia vero non habent vitã, corpora elementorũ, mixta perfecta, imperfecta hæc sunt, An mõstra animatorum generantiũ habeant vitã? vtique, quia aliquandiu viuunt, & crescunt? An fetum, mola in vtero muliebri genita habeat vitam? Vtique imperfectam, & æquiuoce. An pili, ossa, vngues nerui animatorum, & cortices plantarum, pedunculi, folia habeant vitam? Vtique, siquidem nutriuntur pili, ossa, vngues, nerui etiam si non sentiunt. Itidem cortices, pedunculi aluntur. Hæc diuisio fuit veterum coniectura verborum Arist. in contex. 19. primi libri, cum recitat eorum placitum dicens eorum sententia distingui ab inanimato inanimatum motu, & sensu. Et Plato in phædro sepposuit inanime ab animato, quia illud mouetur ab externo, vt lapis a manu, & a generante, remouenteq; prohibẽs, hoc autem mouetur ab intrinseco, & ad omnem positionis differentiam. 8. libro phys. Ergo diuisio vetustissima est, subiungit quid per vitã intelligat. Vitam autẽ dicimus. Vita pro anima vsurpatur, pro actione vitæ, quæ est ipsum viuere, pro spatio viuendi, ceu ducentorum annorum elephantis vita, & ceruorum. Et Arist. creditur scripsisse de longa & breui vita. Nunc accipe vitam pro actione viuendi, & numero plurali inquit Dicimus, quia Anaxag. Emped. Democritus in primo libro de plantis viuere has nouerunt ex nutritione, accretione, generatione. Et Plato in Timæo ex his statuit plantas viuere, & idcirco authoritate quoque veterum inquit. Vitam autem dicimus nutritionem perse. Quid sit nutritio postea, nunc est actio vegetalis animę, qua conuertit calore instrumento natiuo nutrimentum in naturam nutriti. Hæc actio alendi postquam cœpit vitæ comes est, nunquam deserit, nisi in morbo atrophia, tabe, phtisi, in vitiligine, anasarcha, & similibus morbis, vbi culpa ta, & vitiata nutritio. Accretio, & generatio non comes totius vitæ. Crescunt pueri vsque ad 25. annum apud Aristotel. in politicis, & 2. libro de partu animalium, generatio in prima ætate, & senio vltima non est. Mulieres deficientibus mensibus non possunt parere. Pluribus desunt menses circa quadragesimum quintum, aut quinquagesimum annum. Vt cunque mensibus suppressis non generant. Sola ergo nutritio est vitæ vniuersæ comes de qua suo loco, interim aduerte illud, perse, quoniam sermo est de vera nutritione, & accretione. Cum sit abusiua nutritio apud Alchimistas, & dici solet flamma nutritur resina, pice, oleo, & mettalla crescere, minui nutriri humido terrestri.. Nutritio vera est actio vegetatiuæ medio calore naturali apud Aristotel. intrinsecus facto, non per solam additionem materiæ cum his seruientibus ancillis. Alteratrice, expultrice, retentrice, formatrice apud Aristotel. in libris de partibus animalium, & apud Gal. passim, sed præcipue in opere de facultatibus naturalibus, vt explicabuntur, quam cibus, alimentum digeritur tempore incrementi per omnem partem tum augescit accretione per se in omnem molẽ latam, longam profundam. Et accretio triplex abusiua, vt si cumulum cumulo addas granorum augetur, & vinum aquę, & id genus necnon accretio naturalis quoties aqua mutatur in aerem euadit in maiorem molem, de qua primo de generatione libro agitur. Rursus accretio propria animalis, quæ fit ex alimento conuerso in substantiam nutriti secundum omnem dia metrum, sursum scilicet, deorsum, ante, retro dextrorsum, & sinistrorsum, & per latitudinem, longitudinem, profunditatem, alioquin mendosa esset. Et augeri dicitur numerus abusiue cũ multiplicatur, & amor, & forma intensa. Accretio propria animantis est antecedente nutritione intrinsecus calore natiuo quoque operante ex omni mole actio vegetalis animæ. Accretionem, adde animalem non abusiuam, non naturalem, non vitiatam, non mathematicam, de qua Aristotel. in post chatagorijs addito gnomone crescit quadratum sine alteratione. Diminutionem, quæ est contraria accretioni. Sed illud mirum quomodo diminutio sit vita, si contraria est accretioni, quæ est vita per locum a contrarijs potius deberet dici mors, vel via ad interitum, vt in senibus moles minuitur, & flectitur. Nisi intelligatur diminutio vita, quæ durante vita fit naturaliter & non violenter in animali, & vegetali. Dubitabis cum vita dicatur etiam sentiendi actio, motio ad omnem locum, intellectio, vt erit cumpertum infra, vbi viuere multipliciter dici asseuerabit, cur sola actiones vegetalis animæ attigit, non alias? Dicito primam vitam attigi, quæ potest esse sine alijs, sed alię nõ sine hac sunt, & communem omni animato apud Auerh. com. 3. qui etiam aduertit in lingua sua, & græca dici vitam attributam plantis, sicut animal dicitur quod nutritur, & sentitur. Attamen in arabica lingua mors non competit, nisi his, quæ simul nutriuntur, & sentiunt, & carent principio alendi simul, & sentiendi, non autem eis, quibus desunt sensus, & motus simul. Itaque apopletici sunt viui, immoti tamen apud Arabes. Sed mirũ si uita de plantis dici potest ita, vt verum sit plantas viuere, non etiam verum sit eas mori sicut animal dicitur viuit, & moritur. Et cum planta sit prima substantia, cur non sit capax contra-


trariorum vitæ scilicet, & mortis. Et cum mors sit extinctio calidi innati, aut defectio omnino humidi innati, & in plantis sit hæc defectio, & extinctio. Et si vita non est aliud quam mansio altricis cum calore, & mors horum corruptio & extinctio, quæ accidunt plantis, quare non dicuntur mori? Respondet Arist. ad extremo libelli de respiratione, & de morte, ac vita reapse plantas, fructrices deficere, & interire, sed in plãtis ista defectio dicitur ariditas, & in animalibus mors. Vsus ergo dicendi fecit, quo plantæ dicantur viuere, & non mori, nisi animalia ita, vt nec homo moriatur, nisi qua animal. Et cadauer quod vixerat, vbi semel cadauer, nec viuit, nec moritur, dissoluitur autem Dubium de infante in vtero apud Philoponum, & apud Gal. in libello de eo, quod est in vtero, an sit animal, vel solum viuat vita plantæ propterea quod haurit alimentum a parente herens suo vmbilico parentis vtero, seu vasibus ferentibus ad illum menses, vt Arist ot. narrat secundo libro de partu animalium, & 7. libro de historia animalium, & Gal. de formatione fetus. Dicito ad aduentu animæ sensitricæ post 22. dies in maribus, & in feminis post dies 42. animal esse, nutriri tamen modo plantæ, sicut Hippoc. optimus philosophus, & medicus in libello de pueri natura docet, & quoad prodierit in lucem, si quidem tum proprijs absolutis mẽbris, & ore proprio capit alimentum. Quartum in contextu colligit conclusionem, si proferas præmissas e dictis corpora quæcunque sunt substantiæ, sed omne vitæ particeps corpus est corpus. Quare omne corpus naturale vitæ particeps substantia erit, & cum substantia sit triplex materia, forma, compositum, corpus animatum nec materia nec forma. Sed sic substantia, vt composita ex materia, quæ est corpus, & vita apud simplicium, & apud cæteros anima, quæ est forma Simplicius docet vitam esse substantiam, & proponit vitam non esse, ceu ligni forma lecti, quæ est accidens. Et vitam esse substantiam persuadet ex eo, quod viuentia sunt substantiæ, & se per vitam ad actionem conferunt, & procreant substantias viuentes, quare vita substantia magis quã corpus, & viuentia magis substantiæ, quam inanimata, & cum anima sit origo vitæ, & perfectio animati, merito est magis substantia. Aduertes in Simplicio alias vitas a nutritione, accretione &c. ac cælestia corpora viuere alio modo, quam mortalia. necnon nutritionem esse motum secundum qualitatem, & accretionẽ diminutionẽ secundum quantitatẽ, de quo videre in sermone de nutritione. Cætera de abusiua, & naturali nõ animali accretione nutritione dicta reperies. Quod mihi videtur hoc loco discutiendũ, est dissidium inter Stoicos ac Medicos cum philosophis. Stoici enim, & Gal. passim, & primo præcipue libro de facultatibus naturalibus nutritionem, accretionem, digestionem, concoctionem, & similes sentiunt esse actiones naturæ, ac naturales vocant. Philosophi Anaxag. Emped. Democritus primo libro de plantis, Plato in Timæo has vitæ actiones, & vitales dicunt. Et Arist. hoc loco vitam appellat. Vnde oritur maius dissidium, quia illi animam vegetalem vocant naturam, & Arist. Plato animam. Quare a secundo dissidio exordiamur, ne postea sit impedimento futuræ lectioni de hac anima vegetali. Vtque intelligatur cõtrouersia hic Gal. vocat hanc animam naturam, vt inficiatur esse animam, propterea quod anima est principium motus ad omnem differentiam loci, natura autem ad vnũ definitum. Homo insuper habet motum voluntarium, cuius musculos facit instrumenta in libris de motu musculorum, & passim in libris de vsu partium, de anatome. Contrarium sentiunt Alexander, Simplicius Arist. interpretes sic vegetalem animam asserentes, vt nullo modo sit natura, quia natura est principium motus, & quietis in quo est &c. Sed anima est entelechia corporis organici, non physici, sicut est natura principium, quæ est inferior anima. Id legeris in Simplicij commẽtarijs in 2. libro de physico auditu principio. Verumenimuero hi græci interpretes non degustarunt verba philosophi in capite primo libri primi de partibus animalium, vbi ille animam vegetalem, & sensitiuã fatetur naturam, quia vtraque est principium motus &c. Et motus animalis prçter voluntarium est naturalis etiam si sequatur appetitum animalis. Necnon formæ naturales dicuntur ambæ animæ, & his competit definitio naturæ, quia tam vegetatiua est principium motus alterationis, accretionis, diminutionis, quam sensitiua motus localis &c. Adde sunt ambæ animæ formæ, ergo vel dialecticæ, vel mathematicæ. Ambo artifices definiunt per formam, sicut visum est in primi libri. 16. & 17. contextibus, vel diuinæ, vel artificiales, vel naturales, sed non sunt vllæ recitatæ quatuor, ergo naturales sunt, minor oratio per se euidens. Possem multis rationibus id affirmare, sed redeat sermo ad medicos, & stoicos, quibus vegetalis anima sola natura visa est, & non anima, Aristoteli autem visa est & natura, & anima. Stoicos autem sic censere Gal. asseruit passim, & plane in libello de foetuũ formatione. Inquit. Non possum existimare eam, quæ in fetu est animam ab Arist. vegetalem, concupiscibilem a Platone, a Stoicis ne animam quidem prorsus, sed ,,

I 2 naturam

„ naturam appellatam fetum ipsum formare, Galenum sic sentire ostendit hæc oratio in primo „ cap. primi libri de facultatibus naturalibus: Animal quidem ab anima simul, & natura gubernari „ dicimus, stirpes a sola natura, tum nutritionem, ac auctionem naturæ esse opera, animæ nequaquam. Quare tota controuersia in eo iacet, vt Arist. vegetalem simul animam, & naturam dicat, & opera ab ea proficiscentia naturalia, sicut dicturus est. Naturalissimum omnibus est generare sibi similem, & animastica. At Gal. vegetalem solam naturam, & opera eius solum naturalia statuit. Vnde Aristotelici in medicos exurgunt argumentis. Natura ad vnum definitur opus naturaliter. vt ignire ignibus solum datum est & sursum ascendere. At vegetali animæ in omnem partem exercet munus suum, supra scilicet, deorsum ante, retro, dextrum, læuum nutriens, augens ergo anima est etiam, & non sola natura. Rursus natura semper amoto impedimento operatur vegetalis non semper auget, nec nutrit, vt in atrophia, & in puella Germanica, quæ quadraginta dies vixit sine cibo, de qua sumus dicturi aptiore loco. Atque natura sola non perficit corpus organicū, neque contrarios motus naturaliter subit, ceu facit vegetalis nutritionem, accretionem, diminutionem, Quinetiam plantæ viuere dicuntur, & Gal. id sæpe affirmat, igitur vita viuunt, & non natura visa autem ab anima existit. Respondebunt Medici naturam esse vegetalem, & eius opera naturalia, quia non voluntaria, non animastica, quia non sunt animalis, sed naturæ, & solum anima sensitiua, & intellectiua dicuntur animæ. Iccirco petunt ab Aristotel. si hanc animam fatetur naturam, & opera naturalia, quomodo ille poterit distinguere opera naturæ ab operibus animasticis voluntarijs, & per appetitum effectis, nisi naturæ opera hæc vocet solum. Et ad argumenta dicerent. Naturam definiri ad vnum. 2. libro de interpretatione Aristotel. & 9. libro metaph. & animam vegetalem non nisi ad vnum definiri ita, vt nutriat non impedita omnem molem plantę, & augeat, nec qua sursum, deorsum, ante, recto, &c. Sed qua sibi est proprium omnem molem alere, & augere præscripta periodo augendi. Ad 2. argumentum dic accidere propter impedimenta. An puella viuere sine nouo cibo possit? infra ventilabitur. De tertio dicunt Medici naturam perficere corpus organicum, quod etiam non negaret Aristotel. qui eandem animam fatetur naturam. Quod additur, quemadmodum natura non subit naturaliter motus contrarios, ita nec anima deberet si est natura, dicerent medici verum id de motu locali vbi sit principium forma simplex primo libro de cęlo, sed non in motibus alijs, quia stante vna forma fit accretio, diminutio secundum fluxum materiæ plus, minus primo libro de generatione. Ad aliud argumentum plantæ dicuntur viuere secundum naturam, non voluntate, nec appetitu animali. postremo tuum sit etiam atque etiam considerare.

## Contex. V.

*CVm porro eiusmodi corpus vitam retineat, anima certe non erit corpus, quippe enim non sit corpus inter ea, quæ de re subiecta dicuntur. sed potius velut subiectum, & materia. Ergo necesse est, vt anima sit substantia, tanquam physici corporis vitam facultate habentis forma. Quæ substantia cum sit entelechia, vbiusce corporis entelechia erit.*

Lucillo: VBTILITER vno argumento probans author animam non esse corpus, videtur docere generatim nec esse corpus naturale, nec artificiale, nec materiam, nec corpus animatum, inanimatum, vt primæ diuisionis iam initio factæ de substantia in materiam, formam, compositum colligatur esse anima forma. Id Alexander Aphrodiseus censet, contra quem Philoponus affirmat solum doceri animam esse incorporeā, quia non esse corpus docet. Errat, siquidem in diuisione substantiæ nulla mentio facta est de substantia incorporea. Sed de materia, & forma & composita, quam dixit esse corpus, itaque si ex illa diuisione vult venari genus definitionis, ostendat non esse materiam, neque compositum oportet. Vnde illud artis, & industriæ per idem argumentum concludens animam non corpus item nec vllum corpus, nec materiam, pars prima contextus hanc conclusionem docet. Secunda colligit genus definitionis formam, & iuxta prædicta propinquum genus, videlicet entelechiam adiungit, vt loco formæ illa vox noua entelechiæ ponatur. Conclusio. Cum porro eiusmodi corpus vitam retineat, anima certe non erit corpus. argumento.

Corpus

Corpus non est in subiecto, sed potius velut subiectum, & materia est, Anima est in subiecto, & materia tanquam perficiens, & dans constituto nominationem esse, essentiam, diffinitionem, non tanquam forma accidentalis; & accidens ergo anima non corpus, eodem argumento persua debis non esse corpus artificiale, neque animatum, inanimatum, & materiam. Maior his continetur, Quippe cum non sit corpus inter ea, quæ de re subiecta, id est quæ in re subiecta insunt, & dicitur ··· græce, de, pro ∴ pro in latine dicuntur, sed potius est corpus velut subiectum, & materia, Dixit autem velut quia corpus ratione formæ non subiicitur, ob id subiungit & materia, vt ostendat, ob materiam subiici, Adde minorem vt supra feci, & conclusionem collige in hoc commentario alij interpretes alia dicunt, Et quo ad hanc primam partem contextus dubitatur, cur Arist. probet animam non esse corpus, si primo libro docuit contra Platonem non esse magnitudinem, neque elementum, neque ex elementis contra naturales philosophos, sed ostendit esse substantiam incorpoream, vt quidam etiam dixere, Nisi tum in personam dialectice disputarit, nunc demonstratiue, & absolute id doceat. Themistius cogitauit authorem docere animam non esse corpus tale, idest animatum, quia cum id viuat, & vita, animaque viuet, Quis dicere ausit viuo corpus esse formam? merito anima est forma corporis viuentis, & non ipsum corpus, Quocirca ille digreditur probans animam non esse corpus, sed formam, Simplicius conatur ostendere, quæ forma sit anima, & Auerh. quorum commentationes non queo ante dicere, quam secunda pars contextus explicetur. Ex prima concludit genus definitionis, igitur, & præmissa diuisione, Si substantia triplex materia, forma, compositum, nec corpus est nec materia. Ergo necesse est ex ipsa sufficienti diuisione substantiæ sensilis, vt anima sit substantia, non materia, non composita, sed tanquam physici corporis vitam facultate, potentia habentis forma, Nonnihil definitionis futuræ attigit, vt cuius forma sit anima indicaret, potuisset vno verbo dicere corporis organici potestate viuentis. Dixit autem physici corporis, vt artificiale, geometricum pelleret. Dixit potestate viuentis, idest potentis exercere actionem vitæ cũ vacat, quæ potentia est actiua, & facultas potius dicitur. Et cum in tertio supra contextu formam redegerit ad entelechiam; tertia particula huius exprimit formam esse animam, quæ sit entelechia, Quæ substantia forma. Cum sit entelechia, huiusce corporis erit anima. Vt interpretum cura multiplex tractetur, & intelligatur a lectore optime, de origine corporum, deque formarũ natura, & statu breuiter dixero. Origo corporis geometrici, quale est solum in cathegoria quãtitatis continuæ magnitudo scilicet lunga, lata, profunda terminata superficie vna rotunda, vel pluribus rectis. Constat Euclidea sententia vndecimo Euclidis, & Aristotelea primo de cęlo tribus dimensionibus, longitudine, latitudine, profunditate. Punctus fluens facit lineam, hæc fluens, superficiem, superficies, corpus quoties superponuntur superficies ita, vt inter se altitudinem concludant. Hęc origo corporis mathematici expressa pluribus in primo comment. de cœlo cum Ptolemei, & aliorum recito opiniones. Recognosce locum. Origo corporis artificialis est materia cum forma artis tum in mente artificis, tum in materia, quæ sane naturalis est, illud habeat præterea aptitudinem ad formam & figuram artis, ceu non quoduis lignum potest esse materia nauis, nec quiuis lapis ad fabricam domus, Iccirco cernitur quanto labore fabri ferrum conficiant. Ergo artificiale corpus fit e materia naturali apta scopo artificis, & formæ artificiali recipiendæ. An vero quæ fiunt naturali instinctu, ceu nidus ab hirundine, tela ab araneis, & similia sint artificialia. bona quæstio est. Verum referantur inter artificialia. Origo corporis physici est materia, & forma naturalis substantia. Corpus est de genere substantię, quale natura, tempore, dignitate, perfectione prius est corpore de genere quantitatis continuę. ob id quæri solet, ne corpus de genere substantiæ ex materia prima, & forma simplici sine quantitate possit esse corpus. Nam compositionum esse constat, quia ex duobus est, quorum vnum est potentia, & alterum forma, ergo simul vtraque componi possunt. 7. 8. libro metaphy. quinimo dicturus est Arist. in processu postea non esse quærendum quamobrem ex anima, & corpore fiat vnum, sicut nec ex cera, & forma sigilli, sed ne sine dimensione dici corpus possit, id in dubio est. Alexander Aphrodiseus in media commentatione, & Athenæus videntur corpora simplicia prima cõponere ex materia prima, & qualitate, vt ignem ex calore in summo, & siccitate, atque materia: De Athenæi dogmate legeris Gal. in primo de elementis, si ergo hi conficiunt corpus de genere substantiæ, quale reuera existat sine dimensione, proculdubio incidũt in varias dubitationes. Vbi nam existeret hoc corpus? In vacuo ne, an in loco? illud non datur, hic vero petit locatum circumscribi, & contineri, quod sine dimensione esse non potest, ob id Arist. volumine 3. de cœlo

multum

multum effici corpus sine antecedente magnitudine patiebatur. Rursus id corpus aliquò non moueretur, quia loco contineri non posset. Præterea non omne corpus naturale diuiduū esset. At sexto libro physic. omne corpus mobile,& diuiduum. Auicenna tamen cum secta arbitratur corpus confici ex materia, forma substantia in chategoria eius, quale ego non intelligo, nisi conceptum esse metaphysicum. Re autem vera nullum corpus est sine dimensione primo libro de cœlo. ob id Auerh. in Auicennam libro suo de substantia orbis constituit materiæ dimensionē interminatam, æternamque, qua illa recipiat formas diuiduo modo,& extensiuo, & corpus sit reuera, quia accessu formæ dimensio illa terminatur, & fit actu corpus naturale. Quocirca Plato in Timæo, vbi egit de materia,& forma corporis, idem fabricari e dimensionibus docuit, & primum elementa, & cœlum, ignemque ex figura pyramidata solida sex basium, Aerem ex octædra mole, Aquam ex icosædra 20. basium, Terram ex cubo. Cœlum ex figura duodecim basiū sciens non posse constare corpus, nisi molem habeat. Et si dimensio interminata sit potius placitum Platoni in libro de materia,& dimensionibus, ac Platonicum, quam Aristotelicum. proinde Arist. statuit æterna corpora elementaria vicissim effici,& hoc modo semper habere molem ita, vt corpus nullum sit reapse non conditum è materia mole extēsa, & forma substantia, quod cernitur in mutua elementorum generatione. Dum enim ex aquæ halitu fit aer, aqua rarescit,& vicina fit dimensionibus aeris, itaque nil fieri potest sine dimensione. Et cum omne corpus naturale fiat è materia sensili, hæc subiecta est dimensionibus, & qualitatibus, Quare nullum corpus efficitur, nisi primum materia recipiat dimensionem,& qualitatem. Ergo Auicenna pellatur originem corporis opinatus solam materiam, formam sine mole. Repudiatur etiam Auerh. quod cogitauit dimensionem interminatam in materia. Hoc non est scitum vspiam Aristotelicum, Et asseuerabis omne corpus effici è materia corporea, hoc est insignita mole definita, & forma substantia. Huius corporis fabricati diuisio tripertita. Simplicis, Mixtis, Animati. Simplex intelligo collatione ad mixtum magis alioquin cœlum est simplex seclusa intelligentia, Reliqua elementa non pura sunt, attamen simplicia prima, quia cætera ex his miscentur, ob id mixtorum genus oritur è simplicibus, vt gemmæ, aurum, minium, metalla,&. quæ fiunt in sublimi regione mixta perfecta,& imperfecta. Tertium corporum genus animatum est in quo plantæ, animalia, homo. Zoophytar, Physicum corpus dicitur modo habeat vere naturam, vt cœlum, elementum, mixta. Animatum vero vocatur, non quia naturam amittat, sed quia naturę additur anima, quæ est perfectior quædam natura,& principium mouēdi, Vnde vegetalis,& sensitrix animæ naturæ sunt atque principia quiescendi, Quocirca omnis anima natura, non omnis natura anima, ne dicantur omnia physica animata. Vt ergo reuertetur eodem oratio, anima non est corpus Geometricum. Hoc accidit. Quantitas enim est continua, Anima vero substantia, nec magnitudo, nec numerus contra Platonem Xenocratemque. Atque omne tale corpus figuratum est. Anima nec figurari, nec pingi potest, neque Apelles ausit pingere animam. Præterea anima non corpus artificiale est, Origo eius expressa demonstrat. Nam illud ex materia physica apta formæ artificiali,& scopo artificis conditur, & forma, Anima simplex non fit è scopo alicuius. Nullius enim artificis, qua artifex procreat animam, Rursus non est corpus physicum, quale fingitur, & formatur, Anima format,& non formatur, Quinetiam illud absurdum contingeret corpus in corpore physico inesse, Si anima corpus diceretur. Non item elementum, non concretum, nec mixtum primus liber in veteres conclusit, & si Alexander Aphrodiseus proprijs rationibus concludat non esse vllum elementorum. Vno denique verbo ostenditur anima non corpus, quia hoc formatur ante aduentum animæ,& in morte animus recedit, aut dissoluitur existente corpore cadauere,& paulatim dissoluto. Nunc igitur docet Arist. animam non esse corpus viuum, nec animatum demonstratione communi, quod nullum corpus est, ergo neque viuum, neque animatum, siquidem corpus subijcitur,& materia est non in subiecto, At vero anima est in subiecto, ergo non corpus, nec viuum igitur, Eodem argumento collige nec materiam esse, nec concentū Musicum Aristoxenis,& Simmetriam humorum, nec super additam formam mixtioni, vt putauit Aphrodiseus. Hæc enim subijciuntur animæ, Confirmato animam non esse corpus viuum, vel animatum. Pars non totum, Anima est pars corporis animati, ergo non illud. Adde si anima corpus animatum existere seorsum,& non seorsum existeret. Quia corpus animatum existeret seorsum, qua vero a corpore non existit separata pro statu præsenti, non seorsum esset, ergo non est corpus animatum. Cæterum de minori oratione habenda ratio. Nam dicebatur anima est in subiecto. Simplicius, & Auerh. conantur referre quomodo sit in subiecto. Auerh. equiuoce

uoce in subiecto dici, Nam sic est in eo, vt sit pars constituti essentialis, & perfectio dās essentiam, esse nomen, definitionem rei animatæ. Forma accidentalis non est pars constituti, nec essentia compositæ substantiæ, Adde etiam non esse subiectum pariter formæ substantiali, & accidenti, subiectum enim huic est actu compositum, & substantia perfecta, sed subiectum formæ non actu qua subiectum, & materia est quinimo non potest esse nisi per formam essentialem actu, & perfectum, quare anima aduenit subiecto imperfecto, & accidens perfecto. Hinc tollitur error antiquorum reputantium animam accidens propter similitudinem existendi in subiecto cum illo. Hæc bene Auerh. qui tamen in hoc comment. 4. carpitur inconstantiæ dum ait principio fere animam non posse dici materiam esse manifestam per se, cum postea ad calcem comment. docent ipsam non esse materiam, quia hæc non in subiecto, & anima in subiecto, ergo non anima materia. Simplicius animam non esse in subiecto, vt forma lecti inquit. Sed velut substātia, per quam viuentia sunt substantiæ, & magis substantiæ, quam carentia vita, Vnde etiam vita substantia est, & magis illud, vnde vita, quod anima est. Ergo anima est in subiecto sicut substantia. Postremo in secunda parte contextus vbi indicauit author animam non esse compositum, neque materiam, concludit genus definitionis. & inquit. Ergo necesse est, vt anima sit substantia tanquam forma. Aduerte necesse esse non quod sit substantia, sed cum sit substantia, vt sit ea, quæ sit forma ex argumento prædicto, Et tanquam forma, quia melius est id ostensurus, sed hactenus sit tanquam forma. Animam esse substantiam supra monui. Monebis & tu, quia pars substantiæ est substantia, Quia principium substantiæ primo physic. est substantia, quia causa, vt sit quid substantia est substantia. Anima pars animati corporis substantiæ, anima principium eius, anima causa eiusdem, ergo substantia non prima, nec secunda in genere substantiæ, nec materia, nec compositum, sed tanquam forma corporis non geometrici, non artificialis, sed physici per naturam, & formam naturalem, quæ subiicitur animæ, velut materia secunda. Nec anima adueniens corpori physico aduenit enti actu, & si omne corpus physicum per vltimam formam, & propriam sit actu, attamen totum physicum corpus illud est in potentia ad formam præstantiorem animam. Et corpus organicum est actu per formam imperfectam, quæ subiicitur animę, & materialis est, Vnde corpus physicum accessu animæ non perdit naturam formæ, sicut Thomas vir doctissimus, & diuinus hoc argumento coactus credidit cum anima aduenit apud Hippocr. in libello de pueri natura maribus post 32. dies conceptionis, & femellis post 42. totam organorū dispositionem, & formam dissolui vsque ad materiam primam, & reuera animam esse tanquam materiæ primæ formam. Hoc pace viri non est Aristotelicum. Inquit enim Arist. animam formam corporis physici, omne corpus physicum est per formam, non materiam solum, & non crediderim naturam tantopere conari fœtum efficere organicum vsque ad dies antedictos, vt more pictoris adumbrantis antequam exacte coloret, delere omnes præcedētes organizationes. Prouidens igitur natura facit quod necesse est. Ac si anima esset actus materiæ primæ, non ergo actus organici corporis. Non enim materia organica est. Reliquum ait physici potentia, facultate vitam habentis, hoc est sic anima est actus corporis physici, vt si vacet aliquando operationibus vitæ, attamen præbeat facultatem operandi opera vitæ, quod etiam atque etiam in contextu consequenti videbitur. Hactenus genus commune animæ explicatum est, Ecce proximum. Quę substantia cum sit. Nam causa est substantiæ, ergo anima substantia. Taceo alia argumēta supra ad id, & accipe genus proximum entelechia, interna scilicet continens perfectio huiusce corporis physici. De cæteris attende animam describi pro vegetali, sensitrice, intellectrice, non pro anima mundi, & cœli, quia nulla harum habet vitam in potentia, nisi valde equiuoce, semper anima cœli operatur, & mundi. Non quiescit, nec dormit, 2. libro de cœlo. Et hæc vita semper versans in actione est illi beata. Equiuoce dici potest anima cœli quiescere, quia cessat mouere prę terita motione, vel futura cęlum. Quiescere potest totum, & polis centro, non autem partibus. Nec sermo est de ea anima intellectrice, quæ non præsumit priorem sensitricem, & altricem sicut erit euidens, Anima cœli non præsumit in cœlo sensitricem, vegetalem apud Aristotelem, quia cœlum non sentit, nec alitur apud eum, Ego vero sentio alibi cœlū, in libris de cœlo hęc disserui. Nomen igitur animæ definitę analogum est. Asseritur prius de humana, postea de illa bestiarum, & denique de vegetali, Nostra dignior, excellentior est, & fabrica corporis, & actionibus, & natura, ac per eam similes sumus diis mortalibus, Quoad genus, quia dicitur forma; Simplicius multa refert non formam dici separabilem, quæ non determinat, & format aliquod corpus; neque Deum suipsius causam, neque omnem naturalem, cum non omnis naturalis sit

vivax

viuax,neque quacunque determinantem corpus,non cœlestem, siquidem non vtitur cœlo, vt instrumento, sicut anima corpore,neque habet vitam potestate,sed cum substantia conformatã semper in actione,vnde colligit formam,quæ sit anima duo habere,vnum, quod intrinsecus perficiat qua ratione differt a forma artificiali. Hæc enim in superficie est,& anima intus, Atque alterum obtinet,quia vtitur corpore tanquam instrumento quo modo differt anima a forma naturali,quæ etsi intrinsecus est,tamen non vtitur materia, neque corpore,vt instrumento. Differt a cœlesti,quia non semper est in actu secundo,vt cœlestis,sed potestate vitã tribuens, hoc est actionem, Differt a separata forma,si quidem non determinat illa corpus, anima determinat corpus. Hæc Simplicij. Tu vero affirma animam entelechiam corporis præbentem facultatem operandi etiam si aliquando perficiens desinat vti corpore, vt instrumento.

## Contex. VI.

*HAEc autem bipertito dicitur. Altera quidem, ceu scientia,altera vero,velut contemplatio. Ergo perspicuum est, vt sit velut scientia,cum enim anima quoad inest somnus,& vigiliæ adsint, vigiliæ profecto similes contemplationi,& somnus habenti,quod non operatur, Ac scientia in eodem origine prior est. Iccirco anima prima entelechia corporis naturalis facultate vitam habentis, cuiusmodi est organicum. Instrumenta sunt partes plantarum,sed omnino simplicia velut follium pericarpij integumentum, & pericarpion fructus, ac radices ori similes. Ambo enim alimentum trahunt.*



GENVS proximum posuit definitioni. Hoc autem entelechia est, quæ cum sit gemina,Et prima,& secunda,animam decernet esse primam perfectionẽ corporis. & quia duo habet erga corpus. primum vt perficiat, secundum vtendi eodem,vt in instrumento, ob id deinceps explicat animam esse primum actum perficiendi,& postea habere facultatem vtendi corpore, vt instrumento, Tertio ostendit partes plantarum esse organa, vt quoque de vegetabili definitio verificetur,quæ sit actus primus & secundus, idest,qui perficiat, & dum perficit simul facultatem habeat vtendi corpore, & partibus eius vti instrumentis,& si aliquando vacet. Horum trium accipe primum. cum anima sit entelechia ex verbo superiore,entelechia autem dupliciter dicitur. Inquit hæc autem entelechia bipertito dicitur. Altera quidem ceu exemplo primi actus scientia, Altera vero, velut contemplatio proficiscens ab ea scientia. Scientia est habitus perficiens animam tribuens facultatem contẽplandi non facile mobilis,Contemplatio est actio mobilis,quia habens scientiam potest non contemplari aliquando,sed intermittere,habet tamen facultatem per eundem habitum contemplãdi quoties voluerit. Ignarus autem non habet hanc facultatem,neque operari potest,& contemplari carens scientia, Ergo scientia est prima perfectio ignari huic tribuens facultatem contemplãdi,sic fœtus antequã suscipiat animam sentiendi non habet facultatẽ sentiendi, vbi animã accepit, potest sentire, ergo sicut scientia est actus primus ignari, & contemplatio secunda,ita anima est prima perfectio corporis physici,& vti instrumento est secunda,& operari, Quare male Plato in Alcibiade libro suo putauit animam esse actum vtentem corpore primum, siquidem essentia animæ est primam perficere corpus, & deinde vti eo,& operari,quod in Platonem duobus probat exemplo,& ratione, Exemplo sane somni cum vacant sensus,& tamen anima sensitrix perficit animal, somnus est ligamentum sensium exteriorũ in primo sensiterio siue cor sit apud Arist. siue sit cerebrum apud Gal: Iccirco intermittunt illi actionem,& tamen dum dormit quid, animal est, ergo anima aliquando perficit sine vsu instrumenti. Ratio vero illa est, quod anima, vt habitus, vtque scientia prior contemplatione saltem ortu, & generatione,ergo in illo priori tempore perficit,& non vtitur organo, quare anima potest esse sine actione, & erit prima perfectio corporis, & non secunda,aut prima in secunda semper, vt putabat Plato essentiam animę consistere in vtendo corpore, Vnde vt tuto dicat,& melius, quam suus magister in Alcibiade addit definitioni illam particulam,(prima)legatur exemplum. Ergo perspicui est, vt si velut scientia, & habitus non adeptus ex frequentatis actionibus, vt est discipuli, sed potius vt præceptoris, qui vt habet, docendi eam facultatem habet,& operari potest,& contemplari, Explicetur exemplo anima

ma perficere corpus,& quandoque non vti, Cum enim anima quoad ineſt, ſomnus, & vigiliæ adſint. Vigiliæ profecto ſimiles ſunt contemplationi, quia tum habitus,& anima operatur, vtiturque organis ſenſuum, cernit, audit,&c. Et ſomnus habenti ſenſitricem animam, & ſenſum, quare animæ eſſentia conſiſtit in perficiendo primum,& poſtea in operando, quod ratione etiã probatur, Ac ſcientia in eodem origine prior eſt contemplatione, ita anima prior eſt operatione,& vſu, Ergo ante perficit dat eſſe,quam operetur. Idque conſtat etiam in phyſicis corporibus dicente Aphrodiſeo, Nam terra prius grauis quam deſcendat, & ignis prius calidus,quam calefaciat. Conſtat etiam in artificiariis. prior ſerra eſt dentata,quam ſecet,ergo ſi prior eſt anima in corpore idipſum perficiens,quam vtatur inſtrumentis, non erit ſecunda perfectio ſola, vt Plato putauit, ſed prima. Iccirco anima prima entelechia. Mutauit verbum formæ in entelechiam, quia hæc vox de prima, & ſecunda perfectione congrue aſſeritur referente Alexandro, Forma autem non congrue dicitur de operatione, nec prima, & ſecunda. Prima igitur entelechia eſt ortu, tempore,natura,cauſa, An vero dignitate viſum eſt,ſiquidem anima operans dignior eſt ſeipſa non operante, Et attende priorem eſſe in eodem, quia reſpectu alterius poteſt eſſe poſterior, ceu anima filij è ſemine producta, vt vegetalis, ſenſitrix poſterior eſt operatione animæ ſui patris, ſed in eodem patre,vel filio prima operatione eſt eſſentia animæ perficiens, iccirco dat actum ſuum perfici,animari,viuificari, formalem, ſine quo vnquam ipſa eſt, neç ceſſare poteſt his actionibus, ſicut albedo albificat parietem,ita anima animat,viuificat,perficit,intereſt,quod albedo accidit,anima ſubſtantia eſt,vnde his operationibus non eſt prior, ſed illis, quæ effectiue proficiſcuntur ab anima,& non formaliter, quare cum anima ſit prima entelechia, intima ſcilicet continens perfectio corporis naturalis,non cuiuſque igitur corporis facultate vitam habentis, hoc eſt per animam perficientem antea potentis exercere operationes vitæ,ceu ſentire gñare, nutriri,intelligere,& ſimiles. Vnde poſſe præcedit vſum, & actionem, qua ratione differt anima a Deo, ab ipſis mentibus diuinis,quarum actiones ſunt ſubſtantiæ, & ab intellectu agente, prout ſua intellectio eſt ſua ſubſtantia,alioquin & ipſe in phantaſmatibus prius poteſt operari, quã operetur ex eis colligens vniuerſalia,& reponens in ipſo intellectu poteſtatis. Quæ etiam vidit Simplicius. Reliquum exponit quid intelligat per corpus habens vitam facultate ſubiungens cuiuſmodi eſt organicum,ideſt tale corpus habens vitam habet partes inſtrumentarias diſſimilares, quas Theodorus Gaza in primo de hiſtoria animalium officiales vocauit. Quocirca vt corpus habet duplices partes ſimilares, & diſſimilares, ita anima obtinet primum perficere ſimilares, deinde vti diſſimilaribus, & organicis, Hinc Ariſt. primo capi.ſecundi libri de partibus animalium ſtatuit animam perficere ſimilares, & vti diſſimilaribus, & ſi ſimplicius velit animam perficere organum prius, & ita conſtituere partem corporis ſibi inſtrumentum, & deinde vti eo. Antequam partes corporis conſtituantur ab anima ſunt potentia organa, Conſtitutæ actu organa proprie ſigno declarantur conſtitui anima organa proprie, quia receſſu animæ in cadauere dicuntur equiuoce organa, Porro aſſerit animam eandem vitam corporis habere duas actiones, Et formandi organi, & formatum mouendi, vnde ſentit Ariſt. in his verbis corporis naturalis vitam facultate habentis, cuiuſmodi eſt inſtrumentum duplicem actionem deſignare, atque idem eſſe, videlicet corpus habens vitam facultate, & inſtrumentum animæ, atque econtra inſtrumentum animæ eſſe corpus habens vitam. Et ſi tu dixeris, ergo indefinitione alterum ſuperfluum eſt. Reſpondet ambo non ſignificare idem, ſed habens facultatem viuendi ſignificat extremam operationem vitæ,& inſtrumentum ſignificat vſum,& ita opus eſt vtranque particulam ponere indefinitione, & ſic tradere. Anima eſt entelechia prima corporis phyſici organici habentis vitam poteſtate. Cum dicitur entelechia differt a materia, & compoſito a forma accidentali cum non ſit interna perfectio, ſed in ſuperficie, & motus non dicitur entelechia tertio phyſic. per t. ſed per d. entelechia, quod verbum ſignificat dum motus peragitur indeficientem continuationem, vt Cicero vertit perennem continuationem. Entelechia anima eſt,qua differt animatum ab inanimo, Additur,prima,contra ſecundam entelechiam. Dicitur prima non per negationem præcedentis formæ, Nam ſi anima eſt forma corporis phyſici, iam præcedit forma corporis, Atque anima ſenſitrix præſumens vegetalem, ſicut dicetur non eſſet prima entelechia, nec intellectiua præſupponens vtranque, Quare prima eſt, quia refertur ad ſecundam,& ideo anima non eſt operatio ipſa, ſed principium viuendi, & operandi, & prima cum ſecunda entelechia cum operatur, & non ſecunda cum non operatur, Tuũ eſt igitur vtrunque confirmare, & animam eſſe entelechiam, actum, perfectionemque ſubſtantialem, & primã.

Confirmabis primum illam esse entelechiam argumento adducto, quia per animam essentialiter differt animatum ab inanimato, ergo est perfectio essentialis eius, Adde operatio sequitur formam, animal operatur, sentit, generat, ergo anima est forma substantialis eius, cum animal per animam agat, Rursus ex anima, & corpore fit vnum animal, ergo vel anima est corpus, & hoc minime ex contextu superiore, vel est forma, entelechia, quod volumus. Nā sicut non corpus est quia illa est in subiecto, & non subiicitur, ita neque materia subiecta erit, Atque entelechia amota perit constitutum ex ea, sed amota anima tollitur constitutum, ergo anima est entelechia continens perfectionem corporis quoad est in corpore. Non desunt qui distingunt entelechiam, vnam substantialem, alteram dantem esse composito. Concedunt omnem animā esse entelechiam primo modo, sed non omnem secundo modo; non enim intellectiua dat esse homini sed cogitatiua, Quæ opinio suo confutabitur loco. Interea omnis anima est entelechia. Et prima quoad secundam, a qua differt, & introducta est particula hæc contra Platonem, quod interpretes ante me non aduertentes commenta dixere. Plato animæ essentiam in secunda entelechia rē, ob [illegible] organo, vt instrumento. Ergo prima est entelechia anima, & non solum secunda Corporis non ergo materiæ primæ qua ratione differt a forma elementi, Phisici habentis in se principium motus, non ergo artificialis, geometrici. Supra de origine horum corporū disserui, Facultate agendi actiua vitam idest viuendi, & opera faciendi vitæ communicatæ corpori, qua particula dissidet a formis naturalibus, quæ primi actus dicuntur corporum physicorum, sed non habentium facultatem operandi intrinsecus opera vitæ per organa corporis, cum illæ nesciant perficere organa, icciirco subiungitur. Cuiusmodi corpus est organicum, habens partes instrumenta, cum item anima vegetalis sit entelechia talis corporis, & de plantis quarū talis anima est entelechia dubium sit, ne partes earum sint organa. Icciirco subditur instrumenta sunt plantarum partes, & cur non instrumenta putentur, quia omnino simplicia sunt, idest non ita diuersa, vt animalium, aut difformia. Quæ explicatio non euidens est, siquidem & organa plantarum sunt diuersa ex diuersis, & difformia, vt constat in historia de plantis, & de causis Theophrasti ita, vt sint partes ex proportione similibus venis, arteriis. Malui alias dici omnino simplicia, quia prima sunt instrumenta, & primæ animæ officialia, nunc sentio simplicia dici vel compositione, vel quia paucioribus officiis subiecta sunt. Vtroque modo instrumenta plantarum dicantur simplicia. Non enim composita, vt illa animalium, non tot officiis, quibus subdita sunt animalium, subiacent, ceu ventriculus alitur, & alendi fere primum instrumentum, etiam per neruos accedentes illi sentit, at truncus non fungitur officio sentiendi, sed [illegible] philosophi, velut folliim pericarpii integumentū hoc est eius dicitur officium [illegible] pericarpium, hoc est [illegible], quæ quandoque esui bona est. Dicitur pericarpion quia [illegible] fructus in medio circundet, [illegible] epidermis tenit musculos, ita tegumentum [illegible] potentia, [illegible] fructus, [illegible] Ra- [illegible] plerumque [illegible] herbis, arboribus [illegible] condita ex humoribus, e sanguine [illegible] medium. Ordo [illegible] non esse entelechia prima [illegible] obnoxia interitui est. [illegible]

[illegible]

tis

tis vitam potestate, quia est actus, & actus pellit potentiam, & vbi anima est, illud viuit actu, & non potentia. cum qui dormit actu viuat. Octauo non est in potentia vitam habens, quia semper sensitiua est in actu dormiendi vel vigilandi, etiam inspirandi respirandi, & sistole, diastole cordis, & pulsus, Ac instrumenta animæ duo sunt agendi spiritus innatus in corde Aristotele dicente in libello de motionibus, deque incessu animalium. & apud medicos duo, vel tres spiritus animalis vicarius animæ sensitricis in primis ventriculis cerebri apud Galenum 12. methodi libro, & alibi, & spiritus vitalis in corde, & naturalis forte in iecore. ac calor naturalis, quæ si semper operantur, ergo & animæ semper sunt in opere, non ergo tradunt vitam in potentia. Atque intellectus agens est cuius actio est sua substantia, ergo semper in actu secundo, Et si anima intellectiua est eterna semper intelligit, ergo semper in opere, decimo forma simplex debet habere subiectum simplex, & non organicum, Anima est forma simplex. Rursus corpus est organicum sine anima vt cum sit in vtero, & cadauer, ergo anima non est actus eius, & entelechia, quia ea recedente deficeret corpus organicum, aut non esset ante actum suum, Et item forma scamni est forma, & actus primus organi. Cæterum nec anima est prior generatione, præcipue intellectiua, quia æterna est, nec gignitur, vt dubitat Simplicius, Ac si idem est habere vitam potentia, corpus organicum, ergo alterum eorum superuacaneum in definitione, Adde follia non esse partes plantarum cap. primo libri primi de historia plantarum Theophrasti quia decidunt, nec fructus, sicut nec fetus est pars mulieris, Ad hæc respondebis. Quoad primum pertinet, immo anima intellectiua est prima entelechia corporis nostri separabilis, quia si est in materia non dependet in esse, & conseruari a materia, quia venit deforis, & extrinsecus ex Aristotelis verbo in tertio capite secundi de part. animalium libri, cui in generatione sua nil est commune cum corpore, sed quid diuinum est, huius tamen potentiæ factæ propter organa definũt, sicut etiam morbo corripiuntur læsis organis, potentiæ sunt sensitrix, & vegetalis ac cogitatiua, &c. Essentia tamen est eterna in posterum accedens diuinitus homini. Neque afficitur animę essentia intellectrix in phrenesi, & affectibus cerebri, & cordis, sed suæ potentiæ sensitrices, phantasia, cogitatio, memoria, Vnde deceptus Galenus est in libris de moribus., qui sequuntur temperamenta, quia arbitratur intellectum affici, Equidem non est in organo vllo tertio de anima, iccirco neque calidus, neque frigidus, neque sanguineus, nec pituitosus intellectus, & ei conditio est contraria sensibus, qui excellentia sensiliũ corrumpuntur, at ille magis perficitur excellentia intellectilium, de quo in tertio libro, Animam vero intellectricem esse propriam homini animam etiam ibi docebimus. Quoad secundum argumentum quælibet anima est prima entelechia in constituendo suum genus proprium animalis, & dicitur prima hoc modo atque per relationem ad secundam, Quoad tertium dices formam corporis physici non esse formam specificam animalis, & iccirco potentialis est faciens tamen materiam esse secundam, & hanc corpus physicum, quare subiicitur animæ, & perficitur, Ad quartum respondeo duplices esse operationes animæ, formales, ceu animare, formare, viuificare, quibus nunquam anima vacat, sed quoties anima est in corpore animat, format, & semper est in actu secundo, & operationes effectiue procedentes, Anima enim causa formalis, efficiens, & finalis corporis, vt erit postea euidens, quoad igitur has operationes anima quandoque vacat, vt sensitiua in somno, & nutritiua, Nec repugnat Aristoteli in libellis de morte, & vita, de spiratione asserenti cessatione nutritiuæ esse mortem, & vitam esse permansionem huius operationis, quia loquitur de totali cessatione, alioquin viuitur bono temporis spatio in vitio atrophiæ apud Gal. secundo libro de simptomatum causis, Est enim atrophia affectus, cum corpus non alitur, & tamen viuit. Et non alitur vitio deficientis caloris, & imbecillimi ita, vt neque in venis sit alimentum sanguineum aptum, Auerhoes tamen tribus respondet modis ad obiectionem nutritiuæ animæ. Primum dicit aliquando intermittere actionem nutriendi coniectura serpentum, ranarum, vrsorum, quæ animalia hibernis temporibus se condunt in latebris terræ, & non sumunt cibi quicquam, Hoc responsum debile propterea quod in venis tanquam in penuariis coelis habent sufficiens alimentum pro eo tempore, & aluntur. Atque viscosum humidum pascuntur, & obtinent. quale coquunt hiberno tempore, & nutriuntur. Secundo ait equiuoce allatam esse definitionem, hoc est pro sensitrice quoad illam particulam habentis vitam facultate, & non pro vegetatiua. Hoc ridiculum est, siquidem traditur definitio communis omnibus animabus. Tertio inquit intelligi indefinite illam particulam, habentis vitam facultate, idest apud Ioannem de Agandauo pro hac, vel illa operatione nutritiuæ scilicet pro generatione, vel accretione, vel nutritione


quia anima vegetalis est in actu secundo vel hoc, vel illo, & sufficit, vt cessat aliquo opere. quæ explicatio non placet siquidem sat est vt semper nutriat & ita esse in actu secundo semper, alij intelligunt indefinite, hoc est particulariter, vt anima sola vegetatiua sit actus primus qui semper operetur, At dices non ergo competit ei definitio ex ea particula habentis potestate vitam, quia nunquam cessat nutrire, ob id alij cum Simplicio intelligunt hanc particulam habentis vitam in potentia. idest habere actionem, quæ non sit substantia, & hoc modo vegetatiua est substantia, quæ non est sua operatio, Responsio hæc nullius momenti est, quoniā hęc definitio cōpeteret formæ naturali, cuius substantia non est sua operatio, vt grauitas terræ non est descensus, Vnde alij dicunt cum idem sit dictu habere vitam potentia, & organicum esse ex contextu Aristot. non intelligi illa verba si putant per ea ostendi animam quandoque cessare ab operatione. Nam solum indicatur anima operari, quia habet instrumentum, & non cessare ab operatione, Nempe non frustra fiunt organa, ergo operandi causa. Et ego his subscribo, & assero intelligi animam cessare per exemplum somni, & non per hanc particulam, atque fateor ingenue vegetatiuam quoad nutritionem aliquando non operari, siquidem nutritiua habet quatuor facultates, Attractricem, expultricem, retentricem, assimilatricem ex Arist. in libris de partibus animalium, & Galeno in libris de facultatibus naturalibus, & passim alibi, Nutritiua ergo cessat hoc modo, quia dum attrahit, non expellit, & dum expellit si retinet aptum, non assimilat, ergo vacat interea assimilatione, & cum nutritio non sit, nisi assimilatio alimenti cum nutrito, itaque vacat assimilatione dum attrahit, aut expellit, &c. Non ergo semper nutrit. Vnde villi etiam recti, transuersi, obliqui id significant, quia rectis attrahitur, transuersis pellitur, & obliquis retinetur, quare nutritiua non semper nutrit dum per diuersa instrumenta operatur varias actiones. Consueueram dicere deceptos authores putantes vegetatiuam semper nutrire in somno, & vigilia, siquidem calor instrumentnm animæ natiuus in corde est ille, qui semper operatur sui causa, vt conseruetur depascens humidum, quo tempore anima non semper assimilat nutrimentum nutrito, sed vbi calor natiuus confecerit aptum sanguine alendo membro, Aduerte extare homines, qui fatentur animam non semper nutrire, & confirmant primum responsum Auerh. dicentes puellam Germanicam sine cibo vixisse spacium quadraginta dierum, cui Carolus quintus Imperator Medicum fidelem adiunxit, & præfecit huic negocio, vt custodiret, an cibaretur clam, & arte, & tandem retulit Medicus nunquam se vidisse illam sumpsisse aliquid cibi. Et conciliator narrat mulierem annos duodecim vixisse sine sumptu cibi externi. Nugæ. Hippocrat. libello de carnibus vsque ad septem dies posse vix hominem permanere sine cibo decernit, Quinimo si permanserit diutius non posse amplius nutriri fracto calore. Quidam scripserunt de puella Germanica commenta asserentes tum aura, tum aere nutritam, Ego credo diuinum esse ieiunare sine omni cibo quadraginta dies naturales, & puellam Germanicam habuisse in ventriculo humidum viscosum, & debilem calorem, qui depasceretur quotidie aliquid confecti alimenti ex eo humido, Quoad quintum argumentum respondebis animam esse entelechiam corporis, & non materiæ primum, sed secundario, quia est in potentia ad animam & ipsa. Etsi dicas cur non primum est perfectio materiæ. Dices quia anima requirit organa, vt operetur, idcirco primum est actus corporis physici organici. De sexto dicito animam non aduenire rei in actu, quia forma præcedens corporis est potentialis, & subiicitur animæ, Ad septimum respondebis duplicem actum esse abiicientem potentiam, & non abiicientem immo tribuentem, sicut est anima tribuens facultatem operandi. Ad octauum dicito satis esse disiunctiue in potentia, & cessare hac, vel illa operatione, vt cum subit diastolem, cessat sistole, & econtra, æque de somno, vigilia, de inspiratione, & respiratione. Ad nonum dicito spiritus, & calorem qua instrumenta animæ non semper operari, quia si nutriuntur primo attrahunt, & pellunt &c. sicut dictum est supra ad quartum argumentum. Ad decimum intellectus agens non est entelechia corporis, nisi assistens. Sermo est de anima perficiente corpus, Quoad animam intellectricem dicimus æternam esse in posterum accedere extrinsecus corpori, An vero generetur? an æterna ab astro, vel a Deo concedatur corpori in tertio libro videro, Hactenus & ipsa est entelechia corporis pro statu isto, Ad aliud cum dicitur forma simplex simplici corpori debetur & non organico, Verum est de forma simplici operante vniusmodi, sed de simplici operatura varia, necesse est habere diuersa organa. Ad aliud æquiuoce organicum est cadauer, & fœtus organa habent vegetalem animam si quidem alitur, augescit. De forma scamni, dicito illam esse organici formam, sed non physici, vt

anima

anima est. Quoad generationem animæ in tertio libro, interim Simplicius fallitur, quia per verba philosophi non habetur anima esse prior generatione, sed prior actu secundo genito ab ipsa,& ita est prior generatione non sui,sed operationis genitæ. Cum præterea additur super uacaneum esse alterum horum, videlicet aut hoc habentis vitam potētia, aut organicum cum idem sint, Simplicius respōdet non significare idem, Philoponus, quinimo significare idem & proinde in contextu sequenti alterum silebit, videlicet habentis vitam facultate. Reliquum Theophrastus negat folia partes, Aristotel. admittit. & hoc loco,& libris de plantis. Hæc hactenus de diffinitione animę.

## Contex. VII.

*Si quid porro commune de omni anima dicere oportet, sit prima entelechia corporis naturalis organici. Quare neque oportet quærere, an vnum sit anima, & corpus, quemadmodum neque cera, & figura eius, neque omnino cuiusque materia, & id cuius est. Cum enim vnum, & id quod est multis dicatur modis, quod proprie dicitur entelechia est.*



AN author epilogum faciat hic primo definitionis, an repetat, & cogat in vnum meliorem definitionem tuum sit videre. Illud constat bipertito hunc contextum diuidi in decretam definitionem cuiusmodi proferri debeat,& in corrollarium consequens ex ea. Quod primum, vt proferatur cuiusmodi proferenda venit præcisis superfluis,cum omnis definitio nec redundare,nec deficere debeat,inquit. Si quid porro commune, addidit. Si cautionis gratia, alij legunt,si pro quia, Philoponus autem si legit dubitanter,aut potius indicando non esse commune genus animæ, nec definitionem communem, quia equiuoca non habeat commune genus, & diffinitionem, Simplicius credidit illud si legi ex eo, quod communis definitio non sufficit sine propria, cum analoga definitio non sufficiat, attamen fuit necesse illam præponi. Crediderim ego poni conditionem, si,vt soluatur dubitatio primi libri cum dicebatur cauendum est ne communis definitio &c. Nunc soluit,quod si tradenda est, hæc sit illa. Vel dixit ob Platonem, qui communem definitionem dedit de idea animæ, quasi dicat, si assignanda est communis definitio, vt fecit Plato, hæc sit de anima in corpore,& non de idea separata, sicut in processu dicendi erit hoc apertum, vel dixit, si,dubitanter propter ista verba de omni anima, quia dubitabit Arist. ne comprehendat intellectiuam animam postea, & quia primo libro de anima dubitauit ne sit physici disputare de omni anima, & in primo de partibus animalium decreuit non de omni anima esse naturali dispu tandum, proinde dubitanter dicit. Si de omni anima physico est dicere, sit communis definitio hæc. Anima est prima entelechia corporis naturalis organici, Auerhoes gustauit expositionem vltimam dicens si est tradenda vniuersalis definitio de omni anima etiam intellectiua, de qua dubium erit, hæc maxime sit. Cęterum verbum illud quid significat genus, & diffinitionem, nunc pro ista vsurpatur. Commune,scilicet analogum,nec mere equiuocum,vt Philoponus, nec mere vniuocum,quia animarum vna est prior altera. De omni anima,adde mortalium. Attende taceri illud habentis vitam potestate,& poni, organici, signo inquit Philoponus, quod idem est habere vitam potestate, & organicum esse, Simplicius aduertit, & quasi recantat dicens non esse ponendam alteram partem. Vide, & considera,quamuis non aperte recantet. Hæc de prima parte huius contextus. Secunda continet corrollarium ex definitione, & iccirco verbum illationis adhibet, Quare, sequitur illatio ex hoc, quia si anima est perfectio corporis, hoc est potentia,& anima actus. & actui est dare esse, & vnum esse, quare non est petenda, alia causa, cur ex corpore & anima fiat vnum, nisi ex forma, quæ dat esse ac vnum,& distinctum, id non poterat dicere Empedocles cum cecinit animam conflari ex diuersis elementis, neque Plato, qui locis eam disiungit iram collocans in præcordijs, rationem in capite, cupiditatem subter præcordia. Nec potuit Aristoxenus dicere fassus animam concentum esse,nec vllus veterum dicentium animam esse aliquod elementum. Iccirco primo libro in recitatis opinionibus mouebat dubium

quid vniret animam corpori, nunc videns veteres non posse reddere causam vnitatis subiungit ex definitione patere causam, quoniam si anima est perfectio corporis, & ipsa est maxime vna, iccirco etiam vnit constitutum ex corpore multis organis prædito, & anima multis potentijs constante. Et quoniam, 7. 8. libris metaph. de vnitate compositi dictum est, Simplicius citatis illis dicit formā causam esse cōstituti, & vt sit vnū, sicut albū albedine albū, & vna albedine vnū, albū concretū, & animal compositum est essentiale, quare non alia causa est vnitatis petēda, quam quod forma sit anima. Exemplo indicatur, sicut non alia est reddenda causa, cur ex cera, & forma sigilli fiat vnum. Figura est enim causa. Quare neque oportet quærere, an vnum sit anima & corpus simul, & non idem, vt putarunt quidam animam esse corpus. Exemplum, quemadmodum neque ex cera, & figura eius, & generatim in singulis corporibus physicis, & artificiarijs, neque omnino cuiusque materia, & id, cuius est adde tu citra formam, & figuram, quia forma est causa vnitatis, quod probat dicens cum ens, & vnum dicatur multis modis. 5. metaphysicorum, entelechia, actus, forma precipue dicitur ens, & vnum, ergo anima cum sit entelechia, actus, forma, hæc maxime erit causa esse, & vnitatis compositi, & iccirco distinctum est animal per animam suam ab alijs corpus adde tu physicum. Figura est in chategoria qualitatis, apud Plotinum in genere quantitatis, & apud Euclidem definientem figuram, quæ termino, vel terminis concluditur, dicēs figuram esse spatium terminatum vno termino, vel pluribus. Materiam intelligit primam, & secundam, per hæc verba & id cuius est intelligit formam artificialem, naturalē & si aliter sit materia per formā artis & p formā naturalē. Deniq; probat non esse quærendā aliā causam, quā monstrat definitio. Cum enim vnum, & id quod est, ens multis dicatur modis quinto metaphys. quod proprie dicitur, esse, & vnum forma entelechia est. Si ergo quis petierit cur ex anima, & corpore vnum? Dic quia anima maxime est vna conferens vnitatem, & vniens. Ex his eliciuntur quatuor. Primum materiam non habere esse, nisi a forma presertim existentiæ contra scotum, 12. distinctione secundi libri sententiarum, & si in primo de physico auditu disserui ac cōpositū, & indiuiduū nō habere esse existentię, essentiæ, substātię quę seorsum est ab alio nisi per formā suam, quæ dat illi esse, vnumq; & distinctionum ab alijs. Secundū elicitur, vt forma habeat esse magis quam compositum, & materia atque perfectius, & nobilius, nec obstat compositum includere formam, & vltra materiam, quia nullam perfectionem habet compositum, & materia, nisi a forma, & si quam habet longe infimam, cum omnis sua dependeat a forma, & formæ perfectio non dependet ab alio. Tertium elicitur non esse tertiam entitatem præter vnitatem materiæ, & formæ contra Scotum, siquidem forma est causa esse, & vnitatis. Vnde si daretur tertia entitas compositi, an illa esset vna, necne. Si vna, ergo merito formæ, quare vel processus ad infinitum, vel stare oportet in forma. Ac illius tertiæ entitatis causa sit forma, vt sit, si forma ergo non alia entitas a forma, si non forma est causa; ergo tertia entitas erit vna, & non per formam contra Aristotelem hoc loco. Quartum elicitur cum in animante sint tot partes dissimilares, similares & diuersæ, ceu os, neruus, vena, &c. animam esse causam vnitatis omnium in vno animante sic etiam, vt queq; suo fungatur munere facultatibus animæ prædita. Quare hoc loco querendum venit an organa distinguantur spetie, cum sit vna anima. Quæstio digna attentione. Non enim dubium est differre os a vena, & hanc ab arteria, & caput a pedibus, & cor a ventriculo. Eque in plantis radix a trunco, & caudex a ramis, & cortes a materia subdita, & fructus a folijs, cum tamen sit vna anima vegetalis. Quæramus ergo, an specifice differant? Aiunt quidam differre numero in eodem indiuiduo, propterea quod sunt vnius formæ, & animæ, ergo non differunt spetie. Rursus sunt membra leonis, non nisi leonis, & ita non æqui, sed homo differt ab equo spetie, ergo si conferantur membra vnius ad membra alterius differunt spetie, si inter se non possunt differre, nisi indiuiduo, & numero, ob id dicebat Auerh. primo libro de anima membra leonis a membris cerui non differunt, nisi quia animæ differunt. Si porro in eodem indiuiduo membra similaria inter se, & membra dissimilaria inter se dissident, non spetie differunt neque membra vnius hominis ab alterius membris discrepant spetie. Tertio si differrent spetie membra, vnus bos, vnus homo contineret multas species, & indiuiduum contineret species, absurdum. Quarto similaria membra sunt eiusdem rationis, ergo & spetici, dissimilaria sunt diuersa figura, sed non spetie. Contra hanc opinionem alij instant dicentes differre membra hominis spetie. Primo dicuntur quædam partes eterogenee idest diuersis generis, ergo etiam diuersis sunt spetie. Rursus actiones membrorum discrepant spetie, cum ipsa cogitatio differat ab imaginatione spetie, & auditio, a visione, gustatione, sicut serra differt a malleo, quia actiones spetie differunt

runt, ergo & membra ſic diſcrepant. Adde temperaturæ partium diſcrepant ſpetie, ceu frigenda oſſis calida cordis, ſicca tendinis, humida cerebri, ſicut Gal. in libris de temperamentis conſcripſit. Et Hippoc. ante reliquit in libellis de oſſibus, de carnibus, de corde & locis in homine. Hactenus argumēta in vtranque partem, reliquum ſcitu dignum quæ differunt multipliciter differe, hos recitarim ad propoſitum modos. Aliqua diſtant vel genere generaliſſimo, vel proximo. Decem chategoriæ diſſident genere ſummo, & genera ſubalterna cuiuſque chategoriæ a generibus ſubalternis alterius. Et proximo differunt quecunque ſunt in genere communi, vt animatum in ſubſtantia, & animatum differunt in corpore & homo, leo in animali, ſed hæc dicuntur ſpecies diuerſa. Differunt item numero indiuidua, Philander ceu, & Socrates. Atque alia differunt ſubiecto, vt calor iocinoris, & viſcerum. Alia eadem ſubiecto, & ratione differunt, ceu color pomi, & ſapor. Ne igitur in longum trahatur ſermo. Differre partes animalis membrane, & organa in eadem ſpetie, ceu hominis, vel leonis, aut ſpetie, aut figura, aut ſitu, aut mole, aut numero, aut ortu, aut temperatum, aut actionibus, & officijs. Ariſt. ſentit differre membra organica figura actionibus, Galenus potius diuerſa iudicari ſentit membra non effigie, & figura: Sed actionibus, viſibus potius cap. 8. ſecundi libri de decretis Hipp. Plat. & temperaturis. Quare conuenit inter vtrumque, vt membra actionibus proprijs diſcrepent. Vnde oritur ingens dubitatio, cum operatio ſequatur formam ſpecificam, videntur ergo membra quæ actionibus diſſident, etiam diſſidere ſpetie, & forma. Vnde ingens dubitatio. In qua duo ſummatim perſequar, vnum videlicet differre partes ſimilares, diſſimilares eiuſdem ſpetiei, & hominis inter ſe figura, temperatura, actionibus, ſitu, mole, numero, propriaque circunſcriptione ſicut ſæpe in libris de vſu partium corporis humani tractat Gal. & paſſim ſæpe, partes intelligo integrales hoc loco, & voco ſimilares homœomeras græce, quæ vbiq; ſunt ſimiles, vel quarum quelibet particula idem nomen, eandemque rationem habet cum toto, ceu caro proprie muſculi eſt pars ſimilaris, cuius quælibet pars eſt, & dicitur caro, & ſubit rationem carnis Item os membrana & id genus. Diſſimilares voco, quarum quælibet particula non ſimilis toto, nec idem nomen, nec eadem definitio, ceu brachium humerus, caput. Ariſtoteles autem primo cap. ſecundi libri de partibus animalium addidit tertium genus partium, quæ ſunt ſubſtantia ſimilares, figura diſſimilares. Cor ſiue ſit muſculus, ſiue non, aſſerit ſimilare ſubſtantia, etiam figura pyramidata fere diſſimilare. Alterum vero perſequar docere hæc membra ſolum differre temperatura, & forma mixtionis, ſed non ſpetie animali, Sicut etiam differunt in fœtu. Et cum remaneant equiuoce in cadauere omnia membra hæc ſolum materia, mole, ſitu, numero, figura, circunſcriptione differre, non temperatura, nec qua animata, organa abuſiue dicuntur, & quia fuerunt, & non ſunt. Iccirco anatomia docet has partes in cadauere differre ſitu, & cęteris antedictis. Reuertor ad primum. Et figura diſcrepant multa membra ſimilaria, & diſſimilaria, ceu peritoneum quaſi rotundæ figuræ eſt. Eſt enim mēbrana veſtiens quaſi omnia intra abdominis cauum ſpatium contenta. Et ſtatim apparet octo muſculis abdominis longitudinalibus, tranſuerſalibus, & obliquis detectis in abdomine, & lien ab quadrila bonæ figure & oblonge. Itaque tuum ſit in anatome inſpicere figuras, ſimilarium partium, quia variæ ſunt, quoniam organice per ſumma corporis differunt plane figura, ceu capitis, brachiorum cubiti, & ſimilium. Differunt temperatura, ortuq;. Nam aliæ e ſemine oriuntur apud Gal. in libris de ſemine, ceu vena, arteria, neruus, oſſa, & membranoſa, quæ præciſa non reſarciuntur, vniunturque alia vero e ſanguine menſtruo, ſed Ariſtotelice omnia fiunt e ſanguine menſtruo, quia apud Phy. ſperma ſemen non remanet, neque concurrit actiue, neque patibiliter. Partes igitur differunt ortu, ſiquidem aliæ priores, aliæ poſteriores naſcuntur, ceu cor primū oritur principalium membrorum, & poſtea iecur, & cerebrum, contra quam Gal. ſentit cum Hippoc. affirmans. Iecur prius conſtitum, mox cor, denique cerebrum, de quo alias, nunc ſatis eſt omni differre membra, [illegible] temperatura, quod alia frigent, ceu pituita, oſſa, cerebrum, alia vero humida, vt hæc [illegible] ſed humida frigida ſunt, alia humida calida, velut iecur, pulmo, [illegible] omentum, [illegible] genus. Et tandem cū [illegible] temperaturarum inæqualium apud Gal. [illegible] 16. membra differunt excellentia [illegible] magis altera, quod nō noŭit Gal. [illegible] calore, & humiditate, debebat videre Gal. an calor iocinoris excedat, cū humiditate excedit [illegible] magis, quā humiditate vel econtra excederet, ſed hæc in commentarijs [illegible] temperatura partes corporis diſſident. Sicut etiam actionibus diſcrepant. Vt temperatura diuerſa, ita actiones. Alia functio oculi, alia auricula, alia linguæ, & cæterorum ſimi-

liter

liter membrorum. Intelligo actiones operationes proficiscentes ab anima media facultate vten te proprio organo. Quo in genere aliæ primariæ, quæ sunt membrorum principalium cordis, iocinoris, cerebri, aliæ dependentes, & inseruientes, ceu arteriæ traducentes per omne corpus spiritum, & pulsum, & venæ alimentum, & nerui sensum, & motum voluntarium. Aliæ item coadiuuantes dicuntur, velut actio lienis est iuuans concoctionem ventriculi, & iocinoris calor. Differunt igitur proprijs actionibus. Sicut situ dissident, cum aliæ sint foris, aliæ cōditæ intus par tes ex Hippoc. in libello de arte. Quæ foris in summa corporis sunt, aliç dextræ, aliæ sinistræ, aliç supra, aliæ infra, aliç pone, aliæ ante sunt collocate, & denique omnes situ proprie differunt etiam quç intus sunt, cum vicinitas, & remotio plurimum faciunt ad salutem, & morbum. Discordant item mole, quia aliç maiores, aliç minores, aliæ pariter çquales cerebrum amplum est, & homini maius traditū, quā vlli animali aliorū. Et cōstat mēbra esse alia maiora alia minora, sicut nume ro alia plura alia pauciora, vt oculi duo, splen vnus. Postremo circunscriptione propria quicque membrum differt ab alio. Nam apud Gal. primo de vsu partium c. primo vnumquodque mē brum dicitur vnum propria circunscriptione, vtque vnum, ita distinguitur ab alio. Intelligo circunscriptionem, quæ resultat e mole tanta occupante talem locum non minorem, cum his inter se membra differant, accedo ad secundum in quo fateor temperaturas diuersas forma mixtionis & speciç, qua mixta, non autem qua animata, cum vna anima regat præcipue omnes, alioquin in vno animante spetie essent plura animantia diuersa spetie qua animantia, quod fieri non potest, quia rami trunci, radices, caudex, folia fructus, nisi vna anima vegetali formantur, ergo in vna spetie omnia sunt, qua animata, sed qua mixta, & temperata diuersis mixtionibus differunt. Itidem dices de brutorum partibus, & hominis, cum eadem anima sensitrice gaudeant omnia mēbra, iure in spetie animalis non sunt diuersa, sed hinc oritur alia quæstio magna, qūo leo differat ab elephante, & quæcunque species animaiis, ab altera, si in omni animali est vna sensitiua? Quo circa videre est imperfectionem Phylosophiæ, & Medicinç, quia adhuc non proditum est quomodo differat vnum animal ab alio. Tam leo, quam equus habeat animam sensitiuam, sed quo modo qua animalia inter se spetie differant? Et si Auerhoes superiore libro dixit membra cerui, & leonis differunt, quia animæ differunt, tamen non aperuit quomodo animæ differant, & diuer se sint, quç faciant leonem, & equum diuersa spetie. Quod si dicas quicque animal differe ab alio sua proprietate, profecto proprietas, & differentia materialis non faciunt differre spetie, sed conse quuntur formam. Si enim dicas leo est animal iracundum, & equus animal hinnibile, hç affectiones fluunt e principijs spetiei, quç ergo anima propria est leoni, & propria çquo, e qua proficiscatur cuique sua affectio, & passio? Arduum est referre, & cum Aristot. in primo de partibus animalium cçperit referre differentias animalium confundens materiales, & formales capite 4. defecit in negotio. Nam si cuiusque animalis volatilis, natatilis, pedestris, & adde illud quartum genus in Timeo Platonis demonum differentias specificas formales numerasset, phy. haberet cuiusq; spetiei animalis propriā animā per quā leo, est leo & nō æquus. Sed ambo Plato, & Arist. nesciuerunt referre, vt ad id cui etiam nemo ausit referre, aut sciuit. Proinde aiunt Democritum in sua anatome animalium cum nequiuerit inuestigare animas, & species diuersas animalium ad ductum ad insaniam ita, vt Hippoc. elleborum prçparrit pro salute eius. Vt cunque philosophia est inperfecta adhuc nescia propriarum animarum animalium, nisi huius sciens, sensitiuæ scilicet, quæ generica est, & non specifica. Volui ergo vos id scire & decernam differre membra in eodem animante qua mixta, non qua animata, cuiusmodi ad argumenta poteris respondere adducta in vtranque partem. Hæc de duplici difficultate perardua.

## *Argumentum capitis secundi in secundo libro Lucillo Philalthæo interprete.*



CONFIRMAT author definitionem traditam. Docet animam esse formam animati, quæ sit non accidens, sed essentialis, & quid erat esse. Duplici id exemplo mon strat. Et securis, quia forma secandi perficit ferrum, & vsum affert, qua ablata non amplius securis, nec operatur, sic anima corpori organico est perfectio. Interest inter formam securis, & animam, hæc actus corporis physici organici, illa artificiarij, qua artificiale

le est. Et alio exemplo aptiore oculi, qui si esset animal, cernendi actio esset eius quidditas, & forma, aut facultas cernendi qua posita visus sit, & remota perditur, sic & anima corporis organici physici. Et quoniam collatio est partis ad totum, iccirco persuadet recte conferri, & pergit ostendere quomodo corpus naturale ducit facultatem ex anima exercendi opera vitæ. Duplicem ob id potentiam introducit. Primam quæ excludit actum primum, Et secundam, quæ excludit secundum actum. Secundam affirmat potentiam exemplis in definitione. Postremo sancit quasdam partes animæ a corpore inseparabiles, velut sensitricem, vegetalem & intellectricē asserit nil prohibere, quin separabilis sit. Vnde dubitat, ne animus perfectio nostri corporis præ sit eidem vt natura naui. Denique epilogum facit, ac plene confitetur descriptionem quandã, & adumbrationem animæ fecisse hactenus.

## Contex. VIII.

*Ergo vniuerse quid anima sit, dictum est. Nam substantia est, velut ratio, & ipsum quod quid erat esse tali corpori, vt si aliquod instrumentorũ esset corpus naturale velut securis, profecto id eius substãtia, & anima esset, qua securis est. Hac enim separata non iam extat securis, nisi nominatenus, cum tamen sit securis. Veruntamen non anima non talis corporis erat essentia, & ratio, sed naturalis corporis huiusmodi habentis principium motus, & status in seipso.*



SIMPLICIVS putat conclusionem prædictorum nunc effici. Errat. Nam Philoponus melius confirmari sentit, & exquisitius explicari diffinitionem, & animam esse formam essentialem animati, quæ erat prima pars definitionis, atque alteram partem, quomodo sit in potentia vitam habentis corporis forma, & quia videtur ex definitione colligi anima inseparabilis a corpore, dubitabit. Subscribit Auerh. commentario suo 8. & adscribit Themistius. Et quis non videt explicari, si exemplis vtitur? Explicatur igitur anima actus entelechia esse, quæ sit rei forma ille, quæ 7. 8. metaph. dicitur quidditas, & substantia rei. Tria capit hic cont. conclusionem in primis verbis scopi authoris supra. Inquit. Ergo vniuerse non vniuoce, nec equiuoce, sed analogice, vt bene notat Simplicius, quid sit anima communissime dictum est. Confirmat igitur illam explicando, non inducendo quomodo formæ naturalis sint substantiæ, vt male Auerh. censuit. Hoc enim interest metaphysici, sed quo modo queq; anima sit forma substantialis rei, secunda porro pars contextus est hæc. Dictum enim, quod anima est forma, quæ est substantia, iccirco quæ substantia sit, explicat. Nam substantia est, idest forma substantialsi. Substantia pro forma legitur per hyperbolem, quia forma est magis substantia, non magis intensiue, vt calor, quia substantia non admittit hoc modo magis, & minus in chategoria substantiæ apud Aristotel. Non enim intenditur, & remittitur, vt qualitas sed magis dicitur, quia nobilior, & perfectior existit, & causa est, vt composita, & primæ substantiæ sint substantiæ, velut ratio, idest ea forma substantialis est, quæ est velut ratio definitio, essentia rei, quia omnis definitio est forma, & partes eius formæ quamuis vna subeat locum materię, vbi.s.non per materiam primã quid definiatur. Verbum. Ratio, est Platonicum, & quia multæ formæ sunt substantiæ, quæ quia nullius sunt actus, non dicuntur rationes alicuius, ideæ separatę, & mentes diuinæ, intellectus agens. Hę formæ sunt rationes per se, sed non corporis iccirco subditur. Et ipsum quod quid erat esse tali corpori. Valeat idea animæ apud Platonem, quia non est quidditas talis corporis, & valeat anima in suo astro antequã labatur in corpus, & post mortē, qa nunc anima definitur pro præsenti statu, quando perficit corpus, & vtitur eius instrumentis. Aduerte illud tali, quod est affectio qualitatis. Tale, quale, simile, dissimile in chategoria qualitatis sunt. Indicat ergo corpus physicum. Hæc etiam in verbis suis significat Simplicius, quinetiam per tale annotat corpus, quod anima mouet, effingit, & eodem vtitur. Et ideo repetit duo animæ officia. Vnum perficiendi, & viuum reddendi corpus: Alterum eodem vtendi ad functiones, exemplo declarat, quomodo sit anima essentia corporis physici organici, & adducit organum, vt aptius sit exemplum, sicut securim. Ait. Vt si aliquod instrumentorum, si anima actus organici, vtamur ergo aliquo instrumento. Simplicius duo instrumentorum genera accipit. Natura-

lium,ceu lapidum,lignorum ad fabricandum domum,& artificialium,qua arte formata. Tacuit tertium genus instrumentorum animatorum,& si indicauit,nunc secũdũ genere vtitur Arist.artificialium,& inquit esset corpus naturale,quinimo est corpus naturale,æs, argentum, lapis, lignũ, malleus. Verum est sed non qua arte præparatum aut conditum. Et securis qua ferrum est corpus naturale,sed non qua securis, iccirco dixit si esset corpus naturale,vnde Auerh.facit differẽtiam inter corpora naturalia,& artificialia, quia essentiæ corporum artificialium sunt accidẽtia, & naturalium substantiæ, & si quidam putarint formas naturales esse accidentia. Exemplum,velut securis:componitur hoc instrumentum scindendi ex ferro,& acutie. Hæc forma est eius, & materia ferrum. Et plane huiusmodi non est corpus naturale,licet materia ferri naturalis. Hactenus de exemplo,persequitur conditionale exemplum,profecto id eius substantia, & anima esset, qua securis est acumine securis est, aliter ferrum est, Dicit substantiam apud Simplicium pro forma. Sed aduerte artem authoris,quia duo in conditionali argumento sunt,primum si securis esset corpus naturale,si porro esset,substantia idest forma esset naturalis substantia eius, sed non viuum,& quia etiam secundum est in conditione, vt sit velut animal, iccirco additur, & anima esset. Additum illud( qua securis esset) indicat quicquid illud sit. Interpretes asserunt esse aciem eius, persuadet author aciem securis esse qua securis est,quia ablata illa non extaret securis, proinde Auerh.facit argumentum. Id est substantia illius quo ablato non est illud. Sed acutie amota securis non est,ergo acuties fuit forma eius. Hac enim acutie separata non iam extat securis,& si restat nominatenus,equiuoce, solum de nomine, vt homo pictus sculptus.Hinc cadauera sunt equiuoce instrumenta. Simplicius separationem intelligit non interitum,sed eorum,quæ remanent post separationem. Adde cadauerum organa equiuoce,& in fętu antequam proprijs vsibus membra accommodentur. Ceterum ne quis cauilletur formam exemplo securius esse animam & doceat simul,qua ratione esse organicum oportet. Subiungit tertium. Verumenimuero anima non talis corporis,artificialis organici,aut phantastici apparentis, vt necromantia facit, aut &c. artes suspectæ,vanæ condunt essentia. Substantia. Essentia est rei intima natura, sine qua nihil est,& ratio,additur propter formam. Materia habet essentiam,sed non rationem de se,sed naturalis corporis huiusmodi, & cuiusmodi? Videlicet habentis principium motus, & status in seipso potuisset vno verbo dicere habentis naturam in seipso,sed loco definiti posuit definitionem, vt sit expressior declaratio.

## Contex. VIIII.

*AC in partibus quod dictum est perspicere oportet. Si enim oculus animal esset, aspectus eius anima esset, quãdoquidem hic sit substantia oculi,quæ dicitur ratio. Oculus autem materia aspectus est, cuius defectione non est oculus,nisi de nomine solum,velut lapideus,& pictus. Quod proinde de parte sumendum fuit, etiam de vniuerso viuente corpore assumi oportet. Nam comparationem habent. Sicut pars ad partem, ita vniuersus se sensus ad vniuersum corpus particeps sensus qua tale.*



CONVENIT inter interpretes etiam nunc aptius doceri animam esse formam,quæ sit substantia animati,& quidditas eius. Exemplo desumpto in partibus aptis,velut in oculo. Aptius exemplum, quia non desunt oculo viuo, quæ deerant securi,siquidem illa,qua securis non erat corpus naturale, neque animatum organum,oculus & si pars animalis,tamen corpus naturale, & organicum animatum est,cur potius oculum delegerit,quam cor,cerebrum,iecur primaria membra in se ipsis habentia primarias animi vires apud Platonẽ, affer tu causam, quia oculus est pars euidentior, & intra suam cauitatem videtur quasi animal moueri, & habet actionem cernendi euidentem. Et quia partis ad totum non videtur optima collatio, iccirco collaudabit vltimo comparationem. Tria legeris. Quod primum proponitur. Secundum exemplum, tertium comparationem. Propositio est. Ac in partibus quantitatiuis, integralibus instrumentarijs. Non instrumentariæ non aptæ exemplo. Quod dictum est, Male id Auerh. intelligit arbitratus quod dictum est illud, formam esse substantiam, qua ablata, aufertur rei natura,sed potius debet intelligere quod dictum est conclusionem superioris contextus

vide-

videlicet animam esse formam corporis substantialem, & quidditatem eius, quod exemplo oculi indicat. Ob id Simplicius aduertit duo animæ officia vnum perficiendi corpus in vita, alterum vtendi eodem, quæ duo ostendit per oculum. Perspicere oportet, quia aptius exemplum. Si enim oculus. Attende oculum pro animato corpore physico organico poni, & aspectum pro anima, & ex oculo, & aspectu fit tanquã animal. Si enim oculus pro aggregato & aspectu facultate, & visione atque ex musculis, & vestibus septem, musculis quinque, & tribus humidis vitreo, albugineo, cristallino animal esset seorsum subsistens, vt Philander, Cicero, & propria circunscriptione diuersum ab alio. Et si propriam circunscriptionem habet partis, haud tamen per se existentis & separatim. An dici reuera animal possit? Minime nisi animal aliquod esset [illegible] totum oculatum, An animatum? Vulgo vtique. An propria anima animatum? Minime, sed animæ totius particeps, Quare anima sensitrix, & vegetalis sunt extensæ per totum corpus, sed quomodo, videro, nunc si oculus viuus corpus naturale, organicum pars illustris in facie esset animal, aspectus eius, idest facultas cum visione ipsa eius anima esset, quia aspectus perficit oculum vt facultas, & vt visio, signo quod oculus in facie non cernens, sicut plerique cateracta deprehensi oculos habent equiuoce, vbi nil semper cernant. Quærunt an ista conditionalis sit vera, vt oculus scilicet sit animal, quidam aiunt veram, quia oculus est substantia animata sensitrix, & animal est substantia animata sensitrix, ergo oculus animal. Respondebis tu non esse oculum animal, quia animal est substantia animata sensitrix primum, oculus autem non primũ sensitrix est, sed participat sensu cum alijs partibus, Aristotel. probat aspectum fore animam oculi, Siquidem hic sit substantia oculi, non omnis, non materia, quæ sit ratio dans esse, & operationem, vel ipsa operatio, quod antequam probet, asserit oculum pro coagmentatione musculorum, vestium, humorum in vnum cum neruis & pupilla esse materiam aspectus. Alexander recte inquit nunc dici oculum pro altera parte sine facultate, & actione, quia cum aspectu est cõpositum, & non materia, neque eiusmodi esset materia aspectus, ne aspectus sit materia aspectus, Ex altera parte si oculus est materia aspectus pro altera parte, tum non erit oculus, nisi equiuoce, quia sine aspectu equiuocus est. Vnde Simplicius contra Alexandrum non intelligit oculum sine aspectu, sed potius oculum viuacem sine actione, & forma eius est actio, cum oculus habeat perfici, & vti actione cernendi. Themistius vero, qui præponit contextum in sequentem huic cum Alexandro legit, nec obstat dici oculus sine aspectu, equiuoce, quoniam non priuat oculum actione, sed dicit posse considerari materiam esse oculum ipsius aspectus, qui oculus est conditus ex prædictis, sed dubium est, cum oculi existentis in vtero formati sint, & nil cernunt vtrũ sint equiuoce tales? Respondebis quinimo, sicut etiã oculi dormientis, quia non funguntur officio, interest tamen inter mortui oculos, & morbo læsos, quia infantis in vtero, & dormientis sunt in potentia propinqua, at mortui in nulla potentia ad videndum, quia a priuatione ad habitum nulla restitutio. Cæterum probat visionem actum oculi, quia deficiente illa primum oculus non remanet, nisi de nomine. Et dixi primum, quia remota propria passione ab animali tollitur animal non primum, sed quia etiam forma substantialis tollitus, iccirco illa forma quidditas rei, qua primum sublata perditur formatum, & nisi equiuoce remanent, non est aliter, sed præcisa visione oculus priuatur suo officio, & de nomine dicitur, ergo viso essentia oculi, simili modo præcisa anima non remanet, nisi cadauer, & interit animal, ergo anima essentiã animalis. Ecce vnde promitur argumentum, cuius defectione. s. aspectu deficiente, & visione non est oculus, nisi de nomine solum, sicut pictus lapideus scultus. Velut lapideus, pictus. Similitudo sola, Sicut hodie mortales primarij faciunt se pingi in tabellis, & ex sculpi in marmore. Heu stultitia? Et hæc pereunt, satius est bene vixisse, & animi monimentum in cœlo sibi facere, & procurare, vbi vera Dei imago spiritus, & anima est, sed de hoc suo loco. Tertio, ne quis obijciat Aristotel. similitudinem de parte non respondere toti, subiungit, & inquit. Quod proinde de parte, quæ est corpus physicum, organicum aptum exemplo, sumendum fuit. Hæc major, vt de parte, ita de toto, etiam de vniuerso viuente corpore assumi oportet. Hactenus maior, & probat eam. Nam comparationem habent, & ostendit comparationem. Sicut pars ad partem, ita vniuersus sensus, tota anima sensitrix ad vniuersum corpus particeps sensus, qua tale non qua physicum, aut vegetatiuum, subiunge posteã minorem, sed oculus est pars viua animata, cuius substantia est visus, vt constat ergo etiam corpus totum tale erit, cuius anima erit quidditas, & substantia. Philoponus nescio quomodo apte ex hoc loco promat animæ sensitricis mortalitatem, inquiens vt de parte, &

toto, sed oculi animati visio facultas est immortalis, quia superiore libro asserebatur visio quoad se perpetua, vbi dicebatur, si oculum senex acciperet iuuenis æque cerneret, vnde sensorio etiam affecto visio non læditur, ergo & tota sensitrix anima immortalis. Philoponus isto modo facit animas belluarum immortales, sed non meminit se legisse in Aristotel. postea excessu sensilium offendi sensiteria, & actiones lædi. Et morbi ledunt actiones, & non solum organa. Verumtamen primo libro Aristotel. non intendit docere visionem non offendi læso oculo, quinimo senes obtusius cernunt, & hoc plane constat, sed voluit indicare, quod actiones sequunrur temperamenta organorum, & iccirco dixit si senex acciperet oculum iuuenis, videret æque, ac iuuenis, quia cernendi actio sequitur temperamenti oculi naturam. Vtinam Philoponus id considerasset, & non fecisset animas brutorum immortales. Quo irent separatæ? Hominum animæ æternæ in posterum, & quo eant, obtinent. Nisi belluis assignent campos elysios, paradysum, inferos. Quæ omnia ridicula, sicut illa opinio de migratione animarum in diuersa corpora. Quidam dubitant probantes oculum esse animal, quia habet tactum. Addunt constare oculum ex anima & corpore, ergo animal, præterea ratio Aristotel. est ab ignotioribus cum a parte ad totum procedat, sed totum est notius primo physi. Rursus oculum dicimus habere visionem pro substantia, cum visio sit qualitas, ergo accidens erit substantia oculi, & non essentia. Quinetiam in artificialibus vt fit, etiam in animatis. Ars imitatur naturam. 2. physi. sed tota substantia artificiatorum est materia non forma per Auerh. superiori contextu falsum substantiam in arte conditis dicide materia, & indiuiduum artificiale esse per materiam, sicut naturale per formam, ergo ita in oculo, cuius substantia erit materia eius non visio. Item videtur Aristotel. equiuocationem committere. Accipit primum oculum partem integralē, & postea dicit esse materiam, scilicet essentialem. Denique accepit Aristotel. conditionalem, cuius pars antecedens non potest esse vera. Ad hæc respondebi sigillatim. Ad primum & si tactu sensu animal primum constituatur, non tamen preditum tactu omne est animal, sed animatum sensu, quia est particeps sensus tangendi. Quoad. 2. dicito constare oculum ex anima, & corpore non primo, sed particeps est animæ sensitricis. De tertio totum est notius parte cognitione confusa. At ratio procedit distincte, ad quartum plane visio non est substantia, sed accidens, attamen si aspectus pro potentia sumeretur, & potentia esset apud aliquos eadem essentiæ animæ, profecto esset substantia, sed reuera facultas est qualitas, iccirco similitudo non ex omni parte debet esse vera, neque (ut aiunt) identitas. Et supra forma securis erat accidens non substantia. Quoad quintum substantia artificiati est materia, quia forma est reuera accidens, tamen loco formæ, & quidditatis ponitur, iccirco Auerhoes contra Alexandrum Aphrodiseum sentit, cum iste græcus interpres in sua commentatione accipiat formas artificialium pro substantia earum, cum vnumquodque sit tale per suam formam, vt malleus per formam mallei, & non per formam securis. Vnde forma artificialis dat esse suo modo, & nomen, & distinctum esse. Nam si definies malleum sine forma nihil facies, quinimo idem ferrum mallei potest esse materia securis, & ita omnia artificialia ferrea eadem, quia substantia eorum materia eadem ob id Auerh. refellitur, & asseritur opinio Alexandri, cum etiam Aristotel. formam securis pro substantia animæ posuerit. Etiam illud falsum indiuiduum artificiale esse per materiam, quinimo per suam formam artificiale. De sexto accipit totum oculum pro constituto ex oculo, & aspectu pro parte integrali vera, quam diuidit postea in materiam. s. oculum sine aspectu, &c. postremo conditionalis est necessaria, & si antecedens, & consequens fieri non possunt, vt si asinus habet alas, volaret deducto omni impedimento. Hoc loco, nisi aptior futurus sit de animæ vegetabilis, & sensitiuæ vtriusque extensæ per totum corpus differendum esset. Verum suo id loco.

## Contex. X.

*AC quod potestate est, vt viuat non abiicit animam, sed retinet. At semen, & fructus tale est corpus potestate. Vt ergo incisio, inspectio, ita etiam vigilia est entelechia, vt uero aspectus, facultasque instrumenti anima, corpus autem potestate. Quinetiā ut oculus est pupilla, aspectusque ita animal existit corpus, & anima.*

COEPIT

OEPIT declarare partes traditæ definitionis, & abſoluit animam eſſe ſubſtantiam formalem quidditatem corporis organici phyſici, nunc aliam particulam huiuſmodi habentis vitam potentia, facultate explicat, ſimul oſtendit quomodo anima ſit prima entelechia, & non ſecunda, ſed prima quæ poſſit vti ſecunda. & cum hæc accedit, non abiiciat primam, immo perficiat. Iccirco Auerh. ait, quod illa vox (potentia) iam poſita in definitione equiuoca eſt, vult illam explicare, & abſoluit primi ſupra, & ſecundi exempli intentionem. Ego quinque in contextu ſeriatim expono primum. quomodo potentia ſit intelligenda in definitione poſita cum ſuo exemplo ſeminis, & fructus. Secundum cuiuſmodi ſit ſecunda entelechia, quæ eſt viuendi actio per exempla ſupra vſurpata de inciſione, viſione, & dudum ſupra de vigilia, cuiuſmodi anima non erat entelechia, actusque ſecundus. Tertium quomodo anima ſit entelechia per exemplum aſpectus, & facultatis oculi. Quartum cuiuſmodi ſit corpus organicum, Quintum quomodo ſit animal conſtitutum ex anima, & corpore. Reuertetur oratio ad primum. Ac quod poteſtate eſt, vt viuat non abiicit animam. Themiſtius memor ſuæ interpretationis in libris de interpretatione, peri ermenias ait potentiam eſſe, & poſſibile quod eſt ſimul cum actu, ceu dum philander ambulat, poteſt ambulare, ſimul enim eſt potentia ad ambulandum cum ambulatione, qualis potentia eſt in æternis. tertio phyſ. libro, cum in illis eſſe, & poſſe non differant. Huiuſmodi accipi potentiam in definitione animæ, quę non abiicitur per actum, ſed ſimul eſt cum eo. parcat Themiſtius, quia contrarium docuit ſupra Ariſt. videlicet animam ſic eſſe habitum aiunt ſcientiam, quę ſuſpendere actionem, ſeu intermittere queat, vnde ſi actus ſecundus non abiicit potentiam, facultatem, tamen potentia abiicit actum, quia poteſt ceſſare ab illo, ſicut in ſomno vacant ſenſus, Non ergo eſt talis potentia, quæ ſimul ſit cum actu. Magnum porro Themiſtij erratum, quinimo actus ſecundus eſt, qui non abiicit primum, Ergo Themiſtius non de potentia, ſed de actu dicere debuit Vnum eſſe, qui ſimul eſt cum ſua potentia. Vnde, ne prolixior ſim, gemina potentia. Actiua, & patibilis. Vtraque eſt abiiciens actum, & non abiiciens. Potentia materiæ patibilis abiicit formam, dum eſt in potentia, & actus aduenìens pellit eam, potentia vero materiæ ſequens formam non abiicit actum, & ipſam formam, ſed poteſt interponere operationem, velut materia terræ habens formam, habet etiam grauitatem ſequentem formam, & ſi grauitas illa non deſcendit, & cum deſcendit, hæc motio deſcenſus non abiicit grauitatem, nec formam terræ, quinimo ſimul ſtat, & perficit eam. Eque potentia actiua agentis antequam agat pellit actum ſed dū agit, actus non pellit facultatem agendi, Ariſt. igitur vult in definitione præmiſſa vſurpari potentiam non quæ antecedat aduentui animæ in corpus. Hæc enim abiicit animam, & facultatem organi, & actum ſed potentiam, & facultatem in ſequentem animam in corpore organico quæ cum anima præſente ſemper eſt, & accedente actu ſecundo non tollitur, ſed perficitur. Lege. Ac poteſtate, facultate, potentia, vt viuat, de qua ſupra in definitione non abiicit animam. Sed retinet, immo anima præbet illam facultatem organo, vt forma graui grauitatem, quę facultas inſequens animam in ſomno eſt. Sed vacat, cum vero expergiſcimur, vigiliæque ſunt, facultas in organo exercet operationem, quæ non abiicit nec facultatem, ſeu potentiam animæ, nec eius eſſentiam, quæ habent potentiam abiicientem actum exemplo declarantur. At ſemen, non genitale nunc, & ſi ſit in potentia organicum, ideſt illud corpus, quod poteſt per animam exercere actionem, ſed ſemen quale ſeminetur a colono, quod ſemen etiam eſt fructus in pericarpiis, ſicut ſupra cont. 6. & fructus tale eſt corpus, ideſt organicum ſeu habens vitam poteſtate, quia vbi ſeminentur, & vi accepta a tellure, & ſole euadit in plantam, quare fit corpus organicum, ergo potentia erat tale corpus organicum, & per conſequens tale habens vitam in potentia, ſemina caulis, papaueris ſemina condunt corpora organica, & abiicitur potentia illa, & alia inſurgit exercendi operationem, quæ eſt actus ſecundus, & huius exēpla tria afferantur. Primum propter exemplum ſecuris, vt ergo inciſio, ceu ſecuris, Secundum propter exemplum oculi inſpectio. Tertium ob verba iam. 6. contextus, ita etiam vigilia, quæ erat ibi introducta pro actu ſecundo entelechia. De tertio in hoc contextu facit exemplum de primo actu, & de anima. Vt vero aſpectus, &, ideſt facultas inſtrumenti anima. De quarto proponitur materia animę perficientis in his verbis corpus autem poteſtate, ideſt organicum, quale poteſt vti operatione. Quinto exemplum adducitur de animali conſtituto ex corpore, & anima, Vt oculus eſt pupilla, aſpectuſque, ita animal exiſtit corpus, & anima ſimul, & ſi vtrunque eſt neceſſarium, tamen magis

eſt

est animal anima, quam corpore organico. Quæritur ne potentia sit idem cum anima, vel organo, Respondemus nunc idem subiecto differre ratione, & natura rei, quoniam si potentia esset essentia animæ ceu sentiendi, & mouendi, hæ duæ potentiæ essent idem, quia quæ eidem sunt eadem, etiã inter se sunt eadem, si potentia sentiẽdi eadẽ est anima, & eidem animæ potentia mouendi, ergo potentia sentiendi est potentia mouendi. Et si potentia ideo sunt tertio physicorum actus, & operationes eadem, quare idem sentire, & moueri, Dicimus ergo potentias non esse rem, quæ est anima, cum illæ sint qualitates, anima substantia, attamen sunt eadem subiecto, quia anima communiter subiicitur illis, aut corpus organicum, sed id erit latius infra euidens; Themistius asserens animam non esse cadaueris, neque seminis, quia nondum habet, neque in vita promotum est dedit occasionem dubitandi, quia semen genitale est animatum, siquidem habet spiritum gignitiuum, & hic non est nisi in animato, Adde semen apud Aristotelem conuerti in spiritum, qui est similis elemento stellarum, idest soli. cap. 3. libri de partu animalium, ergo est animatum. Arist. hanc quæstionem mouet in libris de partibus animalium, in præsentia dicito esse animatum, & organicum potentia, quia apud Gal. est potentia os, neruus, vena, arteria, quæ præcisa non fiunt restituta saluti ob defectum seminis.

## Contex. XI.

*ERGO animam non esse separabilem a corpore, aut quasdam eius partes si diuidua est, non est obscurum; Quadam enim ipsarum actus sunt, sed secundum quasdam nil prohibet, propterea quod nullius sunt corporis actus, Ac non liquet, si anima sit actus, sicut nauta nauis, Adumbrata igitur sic definita descriptaque sint de anima.*



COLLIGIT hic locus quæ è definitione promi possunt aperte, & quæ ha ?enus non liquẽt, nec plana. Tertio facit epilogum primi tomi. Auerhoes putat promi ex definitione quantum dici possit de abstractione animæ, aut non abstractione a corpore, Philoponus credidit conclusionem ex definitione necessariam colligi, hanc videlicet animam inseparabilem a corpore viuo, siquidem eius forma est, & perfectum sine perfectione esse non potest. Et confirmat, quia perfectio, forma ad aliquid dicuntur, ergo ad formatum, & simul sunt, & non sunt quæ ad aliquid dicuntur. Ego statuerim colligi ex definitione quid certi, & incerti adhuc sit ex diffinitione. Inquit ergo vox inferendi ex definitione quasi dicatur, si anima est entelechia prima, & forma essentialis corporis organici; profecto animam non esse separabilem a corpore certum est. Animam dicit mortalium. Separabile multis modis, ceu accidens commune a subiecto, & inseparabile, ceu accidens a proprio subiecto, velut nasi simitas. Separabile item, idest diuisile in partes, sicut corpus. Contra inseparabile, quod diuidi nequit, vt punctus. Deus, substantiæ abstractæ, & quicquid caret quantitate perse, ex accidenti qualitates separabiles sunt. Rursus separabile velut locatum a loco, & vestitum a veste, Inseparabile autem ceu caro a corpore. Ac separabile loco, subiecto non solum, sed etiam actione, ceu cum aliquis inexstasi est, inseparabilis qui ita esse non potest. & denique separabile subiecto, inseparabile actione, & separabile vtroque modo. Anima vegetatiua, sensitiua cum suis potentiis inseparabiles sunt subiecto quoad actus sunt corporis, & si separari possunt post mortem, idest interire, atque inseparabiles actione, quoniam operari non possunt, nisi in corpore, Anima nostra actione, & organo, subiecto separabilis est & antequam laberetur in corpora apud Platonem, & post mortem, & in hoc statu separabilis est actione, quia viuere potest mente abstracta, sicut in Phædone Plato ait, Cæterum cum animæ vox capiat etiã nostram visam Platoni separabilem in vita, & morte, subiungit aut quasdam eius animæ partes, vegetalem, sensitricem cum suis potentijs, vt vegetalis nutriendi facultas, augendi altera, & generandi. Quid enim generabit, aut augebit separatam. Similimodo potentiæ sensitricis visus, auditus, &c. quæ dependent a corpore obiectiue, subiectiue, & organice. Vocat partes modo Platonis sed suo potentiæ dicuntur, & ne verbo partium sit obiectio, addit si diuidua est in partes, non cuiusmodi corpus diuiditur perse, quia quantum est, sed alio modo, vt totum potestate in potentias, & si animæ vegetalis sensitrix substantiæ sint in corpore, tamen extenduntur

tur extensione subiecti, & diuiduæ fiunt per corpus, sicut etiam, albedo per superficiem extensa diuiditur per eam. non est obscurum ex definitione. Hactenus quid certi dixit aut proposuit, & probat ex definitione quasdam partes animæ esse inseparabiles. Quædam enim ipsarū actus sunt corporis, & partium. Cum igitur dixit quasdam inseparabiles, plane indicauit alias separabiles, de quibus inquit, Sed secundum quasdam nihil prohibet, aliquæ animæ partes possunt separari. Intellectus agens plane separatus est, qui habet substantiam, quæ est sua actio prima independens a corpore subiecto, & obiecto, licet in secunda actione transmutandi phantasmata in vniuersalia sit agens in corporeo. sicut & intelligentiæ motrices spherarum sua actione prima separatæ sunt ab orbibus, vt vero mouent, in corporibus agunt. Et nil prohibere quasdam separatas esse docet argumēto isto, quia nullius corporis sunt actus, neque organo vtuntur, propterea quod nullius sunt corporis actus. Intellectus etiam potestatis dicitur separabilis organo tertio libro de anima, & corpore, atque immixtus. & tota anima intellectiua, quæ extrinsecus accedit, & nil commune habet cum corpore in tertio cap. de partu animalium. Hinc patet persidia Alexandri Aphrodisæi, qui lecta priori parte contextus asseruit omnem animam esse actum corporis, & dependere ab illo, itaque mortalem, quod etiam Auerhoes annotat ad finem fere xj. commentarij, siquidem debuit etiam obseruare hæc verba, cum dicit, quod nullius corporis sunt actus intimi perficientes, & dependentes a materia. Vnde entelechiæ corporis aliæ sunt intimæ perficientes e semine procreatæ dependentes a corporibus, quæ cum sint formæ dantes esse, etiā vtuntur organis corporum, sicut sensitiua, vegetalis, aliæ sunt, quæ quandiu præsunt corpori, & non insunt vtuntur organis, sed non sunt in eis, sed præsunt, cuiusmodi anima intellectiua, & ob id ne quis dicat, quid ad nos, si quædam sunt nullius corporis actus, ergo neque animæ, Arist. iccirco inquit nondum e definitione euidens si anima quædam sit, quę non perficiat, sed solum sit actus, qui vtatur, & præsit, sicut nauta vtitur naui, & præsit, attamen non dat illi esse, & vtraque possunt separari sine interitu alterius, vt nauta a naui. Quare solum de omni anima data est definitio, quæ perficiat, & sit primus actus, & vtatur organis, sed nondum de illa quæ solum vtatur, & non perficiat dans esse genita è semine, Ac non liquet, si anima sit actus, sicut nauta nauis, & quia nondum constat ex definitione id, iccirco annectit epilogum in hunc modum adumbrate, & velut in typo sic definita, idest definitio communissima, vt Simplicio, Auerhoi placet ideo adumbrate data, quia sine propria assignanda non est certa, neque cuiusque substantiam indicat, & descripta sint de anima, idest apud Themisthū definitio tradita est similis descriptioni. Ex his eliciuntur duo esse genera animarum vnum earum, quæ perficiunt corpus, & eo, ac eius partibus vtuntur vt organis, ceu vegetalis, sensitiua, quę dependent a corpore, velut subiecto, organo, & obiecto. siquidem perficiunt intrinsecus, subiectum, & conseruantur ab eo, & organis vtuntur vt vegetalis corde apud Arist. secondo libro de partibus animalium, vel iecore apud Gal. & Platonem, & sensitiua varijs locis in corpore vtitur in sentiendo, & mouēdo, Alterū est animæ intellectiuæ, quæ non est intima perfectio corporis, nisi vtens ipso, sicut nauta naui vtitur, & præsit. Si ergo ita est, nil aliud dicit Aristor. quam Plato in Alcibiade, cum dicit. Anima humana est substantia humano vtens corpore. Rursus saltem anima intellectiua vtendo corpore erit eiusmodi actus corporis, Quomodo ergo non est actus corporis? Adde hominem esse rationale formaliter per aliquam formam, non per vegetalem, neque sensitiuam ergo per intellectiuam. Non oportet dicere per cogitatricē, quia illa est sensitiua potentia quare si homo est quid diuersum ab omni animali per rationem, anima intellectiua erit actus corporis humani, & actus eius siue vtatur, siue etiam perficiat. Postremo Arist. fuit magnus rethor, qui in exordio promisit exacte se dicturum de anima, & toto primo libro, vt definiret animam exploratissime, postea sicut in prouerbio est, mouent maria, montes, & nascetur ridiculus mus, Arist. tot, tantas dubitationes mouit, vt inuestigaret definitionem optimam, & tandem descriptionem nobis dedit adumbrate, vt pictor typos facit rudes primum. Ad hæc respondebis nondum Arist. dicere & profiteri animam intellectiuam solum vtentem corpore, sed dicit nil prohibet, Ad secundū dic, vbi esset sicut nauta naui actus, esset actus corporis secundus non primus, vt erat anima, & ita equiuoce diceretur actus siquidem omnis anima est actus primus, Et vbi sit anima actus vtens potest separari, vt homo nauta est separatus, licet vt nauta inseparabilis, & talis actio gubernandi nauem est corruptilis, & sic corruptilis est actio, qua anima gubernat ipsum hominem, sed tamen qua substantia est a Deo, seu diuinitas data homini habet operationem propriam, & immortalis est. Ad tertium dixerim animam intellectiuam esse formam propriā hominis

tutinis contra Auerh. qui putat cogitatiuam, atque perficere hominem, & esse actum primum vtentem organo, sed non productam è semine neque constitutam per subiectum, neque in organo, vt dependeat ab illo. 3. libro de anima, idque cum latinis expositoribus, quia reuera ego sentio animam intellectiuam perficere corpus, & adesse cordi secundum Aris. & vti corpore, & organis, in quibus non inest, sed præest, cum sentiam animam non esse calorem dico vegetatiuã, sensitiuam contra Hippocratem in libello de carnibus, quem citãdo Arist. secundo libro de partibus animalium inquit aliquos dixisse calorem animam instrumentum ipsum vtentem, ob id sancit calorem instrumentum ibi animæ, sicut facturus est in hoc secundo. Et Gal. vbique fere calorem natiuum confirmat instrumentum animæ, attamen substantiam esse aeream, & aqueã in commentario suo aphoris. primæ particulæ, pueri plurimum calidi innati habent, & aduersus Lycum, & Iulianum. Sed mox videro, Assero intellectiuam aliunde accedere & cordi præesse in via physicorum, quia Aristotelice omnia sunt vel in corde, vel præsunt cordi. Animæ igitur plantarum, & ferarum non sunt nisi calor natiuus vegetatiua fumosior, crassior, sensitiua purior agilior, & mobilior interea ad quartum respondeatur. Dicimus Arist. promisisse quantum potuit exactam definitionem, & cum Alexandro nemo potuit plus isto in 2. phys. in definitione materiæ. Quocirca videamus quæ Alexander dicat probando animam nostram esse formã corpori inseparabilem, Deinde si sit vegetatiua & sensitiua calor natiuus. Quoad Alexandrũ hic probat animam nostri generis inseparabilem, quia forma est, ergo materiæ, sunt correllatiua, ergo inseparabilis. Addit entelechia est, ergo nisi equiuoce sit, continet corpus, cuius entelechia est. Atque intellectiua est finis corporis humani, ergo inseparabilis, Et nisi anima nostra esset corporis forma, de nomine esset anima. Atque semper dependet a corpore saltem intelligendo, quia a phantasmatibus dependet. Necesse est intelligentem phantasmata speculari. Hæc dissolues, Negabis consequens. Nam ideæ, substantiæ separatæ sunt formæ, & nullius materiæ, oportet addere formam vel naturalem, vel materialem esse, ergo materiæ est, Anima non est forma materialis, Ad secundum anima entelechia est perficiens, & assistens, & continet gubernando corpus, vt nauta nauem. Ad tertium dicito animam nostram est finem corporis assistentem, & gubernantem, ac perficientem, vt det esse intrinsecus, Ad quartum affirma non esse de nonnullius solo animam, quia vtitur corpore, & tum inseparabilis vsu, sed separabilis essentia, & natura. Ad quintum actio dependet obiectiue a corpore quædam, sed non omnis, vt separata post mortem, & cum vixerit, vt intellectus agens, cuius sua substantia est sua actio. Hæc de hoc contextu.

## *Digreßio pulcherrima scitu probans vegetatiuam animam, & sensitricem esse calorem natiuum, sed nostram uenire deforis, & præesse cordi.*



NESCIVS non sum hoc decretum meum visum iri tanquam paradoxa, quippe qui ausim decernere calorem naturalem esse animam vegetalem, & sensitiuam, citra fere omnium philosophantium opinionem. & si sciam Democritum putauisse animam esse sphærulam igneam ex atomis orbicularibus conflatam. Et Heraclitum Ephesium posuisse illam ignem. a quibus non hausi opinionem meam, sed ab Hippocrate parente philosophiæ, & Medicinæ, qui cœpit tamen seiungere vnam ab altera teste quoque Cornelio Celso. Hic in libello de carnibus scriptum reliquit. Nunc autem ipse meas sententias profero. Et sane videtur mihi, id quod calidum vocamus, immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire tum præsentia, tum futura. Hactenus Hippocr. Calidum enim calore calidum est, & si calidum intelligit sentit calore id facit, sed quo nutrimur, sentimus primo est anima vegetalis, sensitiua, ergo calor est vtraque anima, sed crassior, terrestrior halituosior in plantis, & tenuior in animalibus. Ego autem non audeo dicere calorem intelligere, neque calidum, proinde assero cum Arist. de anima intellectiua, vt hæc veniat aliunde substantia incor-

incorporea mere ſpiritualis nihil habens commune cum corpore, ſed quid diuinum, ſicut Ariſt. cap. 3. lib. ſecundi de part. animalium fatetur, Ergo anima noſtra eſt data nobis diuinitus, & vtitur ſenſitiua, vegetali, ſeu calore natiuo pro ſua potẽtia, & inſtrumẽto. Verũ nunc cura ſit de anima plantarum, & ferarum, quæ eſt calor natiuus, Ne iccirco videatur hæc mea opinio recentior legeris in Ariſtotelis libro de partib. animaliũ. cap. 2. & cap. 7. vbi dixit aliquis importune ponere animam eſſe igneam, & poſtea ſubdit, igitur ponere animam eſſe ignem eſt ſimile, atque ſi ſerram, aut aſciam, fabrum aut artem fabrilem eſſe arbitreris, quia opus, non niſi hjs iunctis efficiatur. In his verbis Ariſt. habes ante me fuiſſe, qui putarint animam eſſe calorem natiuum, qualem ipſe cenſet inſtrumentum animæ vegetalis. Veruntamen ſequar Hippocratem. Et duo explicabo. Primum calorem naturalem eſſe ſubſtantiam ſimpliciorem compoſito animato etiam ſecundum Ariſtotelem, Platonem, Galenum, & Hippocratem. Deinde eundem eſſe animã vegetalem ſtirpium, plantarum halituoſum, & craſſum. Tertio ſubtiliorem, agiliorem animam belluarum. Calor elementaris, cœleſtis, artificialis, calor natiuus. Calor elementaris igneus, aereus apud Alexandrum Aphrodiſæum habetur pro forma ſubſtantiali ignis, An ſit, aliás, nunc qualitas aſſeratur, & ſi qualitas eſt, Accidit, & nulli eſt ſubſtantia, Calor cœleſtis forte eſt ſubſtantia, ſed communiter exiſtimatur accidens calor carbonum ardentium, & quicunque medice in cauterijs, & cauſticis accidit. Calor natiuus in corde eſt ſubſtantia, Hippocrates ait calidũ eſſe ſubſtantiam, ergo etiam calorem per quem calidum eſt. Et in Aphoriſmo 14. primæ particulæ Aphoriſmorum inquit ille, Qui creſcunt plurimum caloris innati habent, vbi ſubſtantiam eſſe indicat Hippocrates, ſicut etiam in xv. aphoriſmo iubens hyberno tempore plus exhiberi alimenti, quia ampliorẽ tum calorem innatum habent, At Hippocratem intelligere calorem innatum eſſe ſubſtantiam teſtis eſt Gal. in commẽtario ſuo vbi inquit, verum Hipp. nomen caloris non ad qualitatem, ſed ad ſubſtantiam in præſenti refert, Gal. item 14. methodi hunc calorem cenſuit ſubſtantiam virtutum, Aduerſus Lycum ſubſtantiam affirmat, & in 1. comment. de humana natura eſt temperatus humidus, ergo ſubſtantia eſt, quia ſi accidens, foret calidus, & ſiccus, aut non tẽperatus, Adde calorem innatum nutriri, augeri, 3. lib. de temperamentis, & ſæpe alibi, ergo non accidens eſt, quia accidentia non nutriuntur, & præſertim quia materia caloris eſt ſanguis, & alimentum in habentibus ſanguinem, in expertibus ſanguinis proportionale ſanguini. In libello de vtilitate reſpirationis, & ideo dicitur in libro de curatione per ſanguinis miſſionem conſeruari a ſanguine, Atque 2. volumine ad Glauconem dicitur apud aliquos calor natiuus ſubſtantia virtutum naturalium, Quinimo calor naturalis apud Gal. eſt ſpiritus innatus, hecticus habitus ſingularum partium corporis, quæ aluntur, quod cum apud doctos Medicos id conueniat, non obſtant argumenta hæc, quia ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus, hoc eſt non intenditur, & remittitur, Sed calor natiuus intenditur, remittitur, ergo non ſubſtantia. Minor declaratur ex eo, quod in febre ſiue ſit in ſpiritibus, ſiue in ſolidis, ſiue in humoribus eſt calor innatus conuerſus in igneum primo de differentijs febrium, ergo intenditur, Et calor iuuenis eſt acrior calore puerorum. 2. libro de temperamentis, quia ille pueri eſt, ſicut calor aquæ calidæ, ſed ille iuuenis eſt velut calor aeris in balneo. Quinetiam ira accendit calorem natiuum in ſiniſtro ſinu cordis, & auget, ergo intenditur. Præterea quod accidit vni non poteſt eſſe ſubſtantia alterius, Calor natiuus accidit oſſibus, neruis, cerebro, pilis, pituitæ, & quibuſcunque exanguibus, ergo non eſt ſubſtantia. Accedit ſubſtantiæ nil cõtrarium & ſi proprium ſit ſubiici contrariis alternatim. Sed calor habet contrarium, ergo non ſubſtantia. Nam extinguitur in morte violenta apud Ariſt. & tabeſcit in ſenio in libellis de morte vita, de ſpiratione, Atque omnis ſubſtantia vel corporea, vel incorporea non incorporea eſt, ſiquidem ex aerea, & aquea ſubſtantia conſtat apud Gal. non autem corporea, ne corpus ſit in corpore, ſiquidem calor eſt in corpore. Ad hos cauillos reſpondebis ſeriatim. Quoad primum ſcias velim eſſe in nobis calorem elementarem, qui eſt calor mixtionis, & hic etiam in morte remanet in cadaueribus quoad diſſoluitur, & eſt hic calor ante animæ aduentum apud nonnullos, in mixtione ſeminis, & menſtrui. Eſt calor idem in membris & humoribus ita, vt ſanguis ſit calidus, humidus caliditate, & humiditate elementari præter caliditatem caloris innati, ſecirco in miſſione ſanguinis exiens, & collectus in vaſe mixtus eſt ex calore elementari, & deficit illi calor natiuus, Et ſemen demiſſum in terra antequam aggeſcat, & cum in aquam conuertitur obtinet calorem elementarem. Sic fel, & bilis flaua, amara, & denique omnis pars humani corporis mixta continet calorem elementarem. Alter calor in nobis eſt, & partibus corporis cœleſtis virtute, quia cũ homo, & ſol generent hominem retinemus calorem illum virtute, ſicut dicebat Ariſt. 2. libro de

part. animalium cap. 3. non esse calorem natiuum ignem censura Platonis, sed spiritum, ac substantiam spiritalem similem elemento stellarum, idest soli, Alter calor est in nobis quâ animati sumus, (Vt dico de corpore nostro, ita sentio de quocunque belluarum quo ad istos calores) qui natiuus dicitur primũ in corde, deinde fusus per omne corpus, & transmissus ad pulmones, & ad iecur per venas, & arterias. Alter calor est acquisititius ascititius Galeno referente. 3. libro de causis pulsuum, & de difficultate respirationis, qui etiam monet in libro 2. de temperamentis cap. 6. vt ipsi distinguamus calorem adscititium a natiuo, ne quis putrescentia æstimet calore natiuo calefieri, aut qui meridianam incolunt regionem calefieri hoc natiuo calore. Hic autem calor acquisititius aut non lædit, aut lædit, vbi offendat præter naturalis dicitur. His annotatis responde ad primum, calorem elementarem, & ascititium, præter naturalem dicimus intẽdi remitti, sed naturalem augeri, minui proprie, & si quandoque confundamus nomina in Medicina, Et cum dicitur in febre intenditur dico per acquisititium elementarem in mixtis, & putridis intendi non quod calor natiuus quoad suam substantiam intendatur, sed quia est aptus suscipere intensionem, & remissionem, sicut substantia manus meæ suscipit maiorem frigiditatem, & minorẽ, Et proprium est substantiæ suscipere contraria, & excessus contrariorum, cum ergo Gal. ait calorem natiuum in febre conuerti in igneum, & præter naturam intelliges non eandem caloris natiui substantiam intendi, & remitti, sed hanc suscipere aduentitium, & præter naturalem calorem & tum scutum extraneum, quia calor adueniens facit incendi, hoc est suscipere maiorem calorem, vt fit in putrefactione, calor enim carnium moderatus accedente extraneo æstatis, & ambiẽtis intenditur, & suo excessu corrumpit substantiam carnium, Hic vero calor naturalis non intenditur, sed recipit extraneum, cuius causa facit febrem. Vnde calor natiuus, & extraneus sunt idem subiecto, cum calor naturalis subiiciatur illi, sed re differunt, & natura, Quoad secundum respondeto quoad calorem acquisitum maiorem iuuenis, idest intensiorem sed quoad natiuum maiorẽ pueri. Vnde humidior calor natiuus pueri est, quam iuuenis quia non exercitijs, non laboribus, non vigilijs adhuc suscepit siccitatem ampliorẽ, sicut facit calor iuuenis, qui acquisiuit ex his maiorem siccitatem, & eo magis, quod propriũ subiectum caloris innati humidũ radicale, seu primigenium quotidie plus consumitur. Ad tertium verũ est, vt ira accendat calorẽ natiuum non secũdum gradus in essentia, videlicet, vt calor natiuus sit intensibilis, & remissibilis de se, sed secũdũ gradus in esse, hoc est quatenus substantiam ejus suscipit æstum iræ extraneum, Do exemplum, sit flamma facis alicuius naturalis huic faci, & accedat flamma maior, prior flamma non intenditur, sed cum recipit maiorem ascititiam corrumpitur, vel hebetatur, signo, quod præsente maiore fatiscit, si porro intenderetur, non fatisceret, immo magis intenderetur. Si ergo calor natiuus corripit qualitatem aduentitiam, quia est aptus recipere contrariæ aduentu caloris conuertitur in igneum, & fit materia sub igneo, & feruido, alioquin si substantia caloris innati conuerteretur in igneum calorem natiuum substantia eius corrumperetur, & ita cum homo febriret, semper moreretur, quia corrupto calore natiuo, non potest aliquid superesse, siquidem mors est corrupti & extincti caloris natiui actio. Ad tertium, cum dicitur calor natiuus accidit ossibus, & cæteris negatur, immo est anima eorum, & substantia dum sunt partes animati. Ad quartum minor est falsa, videlicet contrarium esse calori natiuo frigus, vel mortem. Nam suscipit cõtrarium frigus, & extinctionem in morte, & ita deficit, sicut deficiunt indiuidua substantiæ per remotionem animæ, Ad quintum dic esse substantiam corpoream, sed non corpus, sicut dicimus formam materialẽ, & non materiã. Quare calor natiuus est substantia simplicior mixto, & corpore quouis secundũ Hippoc. & Gal. Cæterum secundum Plat. & Arist. idem ostensuri sumus. Et primum Platonice calor innatus est ignis in Timæo, & Gal. id de mente Plat. asseuerat in libello de decretis Hipp. Plat. 8. & cap. 7. Sed ignis est substantia, ergo calor natiuus est substantia. Verumenimuero caue putes Platonem voluisse dicere calorem innatum ignem elementarem, aut artificialem, sed quia calor est nomen potius qualitatis, quam substantiæ icc irco voluit appellari ignem. Et si Gal. affirmet potius appellandum calorem substantiam temperatam in sanguine, & pituita ex caliditate, & frigiditate, vbi habes adhuc calorem natiuum substantiam a Gal. & substantiam quidem mixtam, temperatamque ex qualitatibus elementorum. Postremo Aristotelice calor natiuus est substantia, & si apud eum est instrumentum. Et multa instrumenta sunt substantiæ, vt manus, oculus, & partes corporis. Calor naturalis apud Arist. est spiritus innatus in corde in libello de motionibus animalium, & tertio capite secundi libri de partib. animalium, vbi dicit, inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis

facul-


facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, &c. Ac esse spiritum docet paulopost gignitiuum, in quem resoluitur substantia seminis, & est qui velut coagulũ cogit menses, & facit mulieres concipere. Sed spiritus est substantia, non accidens ergo calor natiuus substantia Aristotelice, Vt taceam alia loca. Colligamus ex Hipp. Plat. & Arist. Galeni calorẽ naturalem esse substantiam simpliciorem composito animato, sed apud Arist. est substantia spiritualis, & solet vocare flammam spiritũ sicci ardoris, & ventũ spũm substãtias scilicet tenuissimas.

Restat, vt doceamus apud Hipp. animam esse vegetalem sensitiuam calorem istũ & apud Galenum aliquando, sicut apud Arist. & Stoicum vtranque esse hunc spiritum qui dicitur calor. Et si Aristo. statuit instrumentum, attamen cogitur è suis dictis asserere hunc spiritum esse animam vtranque. Vt ordiar ab antiquioribus. Hippocrates plane libro de carnibus asserit animam esse, & hanc calidum, quod sentit, videt audit, Si calidum facit hæc officia, plane animatum est, vel animal, & cum calidum sit calore primo calidum, itaque si animatum anima primum est tale, sequitur, vt calor sit anima istius calidi. Et Hipp. in 6. libro de morbis vulgaribus, com. 5. Gal. scripsit Hominis animam semper vsque ad mortem produci, si autem ignescat, simul cum morbo, & anima corpus depascitur, in quibus plane calorem natiuum facit animam, & produci vsque ad mortem, quia ibi extinguitur, & si ignescit, hoc est in febrem conuertatur, tum ignis, feruor, & febris cum anima, seu calore natiuo corpus depascitur, & fit consumptio, Galenus plane ibi fatetur se ignorare naturam animæ, & paulopost refert Hipp. sentire animam esse calorem natiuum, & confirmat illa sententia eiusdem in secundo libro prædictionum, quando asserit animas, & corpora hominum differre. Plane calores natiui discrepant in singulis hominibus Ex his constat opinio Hippocratis confirmata Galeno. Et Arist. in secundo libro de partibus animalium cap. 7. suppresso nomine Hippoc. narrauit esse quosdam dicentes animam esse calorem innatum, ac si arbitrentur asciam, & malleum esse artem fabrilem. Ergo euidens sit apud Hippocr. animam esse calorem natiuum. Quoad Galenum de natura animæ, quæ sit calor natiuus nil certi. Tam varius, tam anceps, vt quid sentiat diuinare oportet. Plane se scire naturam animæ negat in commentario supra citato in sextum de morbis vulgaribus, quinimo addit esse superuacaneam medicis de anima notitiam, cum satis sit cognoscere temperaturam cerebri, & spiritus, qui in eo continetur, vt incolumis seruetur, in quo demiror Galenum, qui rectricium virium corporis curam habuit, & neglhgit animam principem rectricem in corpore omnium, Atque dum quęrit essentiam animæ a Stoico addiscere, a Platone, ab Aristotele, videtur habere curam, sed quia non potuit summo studio perdiscere alios medicos dehortatur a notitia animæ, & tamen ipse aliquando spiritum animalem asserit, licet tenere, cum sit instrumentum potius animæ sensitricis, aliquando fatetur esse temperamentum cerebri, in libello de moribus, qui sequuntur temperamenta corporis & interdum quandam vim propriam cerebro inditam a conditore nostro, & recedẽtem in morte, & interdum temperamentum qualitatum actiuarum, aut nasci ex temperamento, quæ opinio fuit Alexandri Aphrodisæi interpretis Arist. idem Gal. affirmat cap. 7. tertij libri de tuenda sanitate, Quinetiam in libris de decretis Hippocr. Platoni studiose perquirit quid anima, & quod sint de mente Platonis, Arist. Stoicorum. & si postea in libello de fetus formatione ad extremum tradat se nescire quid anima, & si sit corporea, vel incorporea, & libello. 5. de simplicium medicamẽtorum facultatibus cap. 9. dixit se non audere quidpiam de animæ essentia pronunciare, & si Stoici calorem, quem spiritum innatum vocant animam asseuerant. Possem & alios citare locos, sed vnum in Galenum notarim. inconstantiam, qui cum notitiam de anima superuacaneam Medico dicat, ipse tamen ingenue fateatur capite 6. libri noni vtilem esse cognitionem partium animæ, & principatus Medico. Et si non erat vtilis, cur ipse tantopere laborauit in libris de peccatis animæ. Quinetiam si anima læditur læso corpore, cur non subijcitur curationi medicorum, Ac si febres ex mestitia, gaudio, ira citantur, quæ sunt affectiones animæ, quare non debet curare hos morbos? & cognoscere animam? Vnde necessaria est medico illa cognitio, quæ indicat principẽ omnium actionum in corpore, sicut est anima, quam & ipse scribens aduersus Lycum asseruit innatum calorem esse generis initium, & præter eum nec naturam, nec anima esse, sicut etiam in libro de rigore, tremore cap. 6. hæc reliquit. Calorem autem non acquisitum, neque animalis generatione posteriorem, verum ipsum primum, primogenitum, & insitum, Ac natura sane, & anima nihil aliud, quam hic existit. Ecce plane confitentem Galenum animam esse calorem primigenium, natiuum. Veruntamen cum alibi affirmet esse instrumentum animæ, & citare cap. 6. supra quinti libri de simplic. medicamen. facultatibus, & libro secundo ad Glauconem, &

alibi videtur negare esse animam, quia vtens diuersum est ab eo, quo vtitur vtens, iccirco in tāta contouersia sententiarum Gal. quid sentiendum sit, plane affirmo eum cogi sequi Hippocratem, quem vbique laudauit, & si interdum dicat calorem instrumentum natiuum intellige de illo, qui est in iecore tanquam in fonte nutriendi, cum plane Galen. in sexto de popularibus morbis duplicem natiuum calorem tradat in iecore, per quem sanguis gignitur, & alium in corde maiorem etiam ad iracundiam datum, quem etiam in corde tanquam in foco domus primo de temperamentis locat, Hunc esse animam fatetur in libello de tremore palpitatione, rigore, cuiusmodi inconstantia Gal. tollitur. & concludatur de mente Hippocratis, Gal. anima esse calor natiuus, sicut etiam de mente Platonis, & Aristotelis, Cum enim Plato in Timæo tria posuerit genera animarum, Vnum subter præcordia, alterum in præcordijs, & tertium in capite separauit tertium a secundo, & primo tanquam immortale a mortalibus, & huic nomē dedit rationis, secundo in præcordijs irascibilis, & primo concupiscibilis, Vnde irascibilis non est nisi calor natiuus in corde, qui accenditur præ ira. & concupiscibilis nisi idem calor impertitus iecinori, cuius postea fit fons, Quare, & Plato sentit animam esse vtrunque calorem innatum. Legeris Timæum, & alios locos adhibebis pro confirmatione, & veniamus ad Aristotelem, qui plane facit illum calorem instrumentum in secundo isto libro, & cap. 7. secundi libri de partibus animalium, quem tamen cōpellam ex eius sententijs fateri animam vegetalem, & sensitricem esse calorem natiuum. Ait in primo libro, & secundo de partibus animalium marem fœtui dare animam, & fœminam corpus intra præscriptum septem, vel nouem mensium spatiū. Ait conferri animam a mare per semen. Sed per semen non confertur nisi calor gignitiuus, qui ceu coagulum cogit lac, sic cogit menses muliebres, ergo anima est calor primigenius, innatus, quem etiam spiritum vocat. Nam ille euanescere substantiam corpulentam seminis in spiritum ait, quem calorem facit similem elemento stellarum, idest soli cap. tertio secundi libri de partibus animalium. Rursus in eodem capite ad calcem in semine duo reponit. Vnum separabile a corpore, quod diuinum vocat, & mentem nostram, aliud inseparabile, quale spiritum ait, & calorem natiuum, ergo sicut intellectiua anima hominis est, ita calor natiuus sensitiua, vegetatis inseparabilis. Tertio animæ est formare, animare, sed calor natiuus format, animat, ergo est anima, minor declaratur. Vbi concepit mulier, calor natiuus chorion format primū inuolucrum, & allantoidem intestinalem, & alias membranas, atque venas vmbilicares, iecur, & totum corpus, ergo calor anima est, At dices tu pro Aristotele sicut intelligis primum formari cor ante omnia, quia quod primum gignitur cor, & vltimum, quod moritur, & in eo est anima, Verum non vides ante cor formari membranas venas vmbilicares, quæ quid format. nisi calor natiuus, & spiritus gignitiuus similis elemento stellarum, quod non negaret Arist. Et si dices calor ea membra facit, sed non est anima, & ego obijciam ea membra augeri propric, ergo nutriri, ergo habere animam nutricem, & tum non est cor formatum, ergo calor natiuus anima. Rursus quatuor modis res generantur, E semine, e putri materia, ex ouo, ex verme, Quę putri materia fiunt, plane habent calorem pro anima, quia calor cœlestis vbi e materia suscitauit calorem, tum animal oritur. Ecquid aliud sol potest conferre, quam calorem suo motu, & lumine. secundo libro de cœlo? Rursus Gallina, vel gallus incubans ouis, quid aliud confert, quam calorem, quo pulli animati exeunt, ita in verme, & semine. Sunt qui oua in fornace tepida reposita aiunt edere pullos. Adde animam prebere vitam, Calor præbet vitam, icirco græce (ζῆν) quasi (ζεῖν) feruere, calefacere dicimus viuere. Quintimo iubent medici tactu pedum frigidorum cognosci extremum vitæ in morbis acutis, & qui moriuntur, amittunt sensim calorē in extremitatibus, & amisso calore nulla est vita, & anima, ergo calor est vita, inde facio argumentum Aristot. probantis animam esse entelechiam corporis, quo ablato deficit illud est substantia, essentiaque rei, sed calore sublato tollitur vita, & obit animal, ergo est substantia, & anima. Nam ilico calore amisso vita extinguitur, vt cernitur, & quoad calor inest in membris, inest vita. Hinc fit, vt præciso capite adhuc bustum corporis aliquandiu moueat, & sentiat. Hinc etiam illud, quod vidit Gal. extracto corde adhuc arietem fugere in victimis, quia inerat calor in fluxus in membris. Hinc caudam lacertæ separatam a corpore cernimus moueri, & anguillas sectas in partes adhuc sentire partes, & moueri ob calorem aliquem remanentem. Narrat Arist. cap. x. tertii libri de partibus animalium in Caria quidam sacerdos cū fuisset occisus capite detruncato nec cognosceret q occidisset, retulerunt quidā caput præcisum missa voce dixisse nō semel, Cercidas occidit, icirco quæsitus fuit homo in ꝓuincia. Adhuc in capite calor sensitiuus remanserat.

rat. Cęterũ legito libros de motionibus animaliũ, de vita, & morte, de iuuentute senectute, de spiratione inuenies vitã & animã esse calorẽ natiuum, quo insistite vita est, & quo ablato vita abit, Verumtamen obijciunt quidam animam apud Hippoc. maribus accedere post 32. & feminis post 42. dies. quoq; quod Aristotel. confirmat tertio cap. septimi libri de historia animalium, ergo cum calor initio formet venas vmbilicares, & principio fætus sit, non erit anima vegetalis, & sensitrix. Adde. calor natiuus semper minuitur, & nisi reficeretur, consumeretur, at nulla anima quotidie absumitur. Illud constat æstate minui, & hyeme roborari apud Gal. Hippoc. Arist. Item anima sensitrix vacat saltem in somno, calor naturalis nunquam, ergo non anima. Rursus calor naturalis non est entelechia corporis organici, neque quo primum sentimus, nutrimur, mouemur, ergo non est anima. Ad hæc respondebis. Primum dic eundem calorem post 32. vel 42. effici plane animam cum imperfecte esset, quia nondum conformata erant organa, vbi igitur absoluta fuit, calor fit anima perfecti corporis organici. Aut dicito Hippocratem loqui de anima nostra, quæ non e semine oritur, sed aliunde venit. A Deo secundum Arist. ab astro secundum Platonem, sed non de vegetatiua, & sensitiua, quæ principio fætus sunt obscurius tamen, quam vbi condita sunt organa. Ad secundum dicito etiam animam vegetalem consumi, & sensitiuam, ideo mortales esse, citra nostram, quæ venit a Deo. Ad tertium in somno vacat, & calor ab ista, vel illa coctione indefinite sicut potentia eius nutritiua facit, tametsi Gal. in libello de motu musculorum negat animam vllam ociari, quia semper spirat. Ad quartum assumptio negatur, quinimo est, & primum quo nutrimur, sentimus mouemur. Hæc dixisse volui, alij cogitent. Nam vitam præstari a calore, & quoad est illam esse constat, dico vegetalem sensitricem ita, vt Hippocrates sit laudandus.

## *Tomus secundus Aristotel. secundi libri Lucillo interprete, cum argumento tomi.*



LIAM inuestigabit author definitionem in primo capite, cum tomus contineat 4. Et caput primum patefaciet viam venandi definitionem a notioribus nobis, quæ sunt accidentia magnam partem conferentia ad notitiam definitionis, sicut superiore libro præscriptum est, qua via confisus, vt primo etiam phys. vsus est, hæc notiora assumit. Animatum ab inanimi differre actione viuendi, Elementa, mixta siue intra viscera terræ nascuntur, siue in sublime petant, omnia habentur inanimata, & augeri proprie. Hæc non viuunt, neque organica sunt. Plantæ quia viuunt organicæ, & animalia differunt hac actione primum, sicut etiam Zoophyta ancipitis vitæ vegetalis, & animalis. Asseritur ipsum viuere dici multipliciter, ceu mentis intelligentia, sentire, moueri, ali, augeri proprie, & diminui, & quidque animatum etiam si vno modo viuat vel mente, vel sensu, dicetur viuere, tametsi nullum animal potest viuere sensu sine altrice, nec intelligere sine sensitrice, & altrice. Antequam hæc assumat reddit rationem inuestigandæ alterius definitionis, quia illa tradita est conclusio, & quia significat, non propter quid, nec medium est in demonstratione, ob id hæc inuestiganda est, & cuiusmodi sint pleræque definitiones dicentes quia, & non quid exemplo, vt is in geometria, videlicet si quis quadrationem definiret aream esse 4. lateribus, & angulis ęqualem quadrangulæ. Hæc quia dicit, & nisi addatur inuentio mediæ lineæ non est propter quid. Quæ via patefacta a notioribus nobis, & assumptione notiorum, subiungit conclusionem hanc quæcunque e terra nascuntur vitam degere, propterea quod viuendi initium obtinent, quo capiunt ad loca contraria accessionem, & decessionem, cum ex omni parte supera, infera alantur, & viuant donec alimentum attrahunt. Hactenus ergo quatuor habes in tomo. Viam inuestigandæ definitionis e notioribus nobis, idque primum. Secundum vero causam cur alia sit elaboranda definitio, vt dictum est. Tertium principium inuestigandæ notius nobis hoc. Animatum differre ab inanimato ipso viuere, quod multipliciter dicitur, ceu viuere mente, sensu, motu statu secundum locum, atque nutritione, accretione, & diminutione. Quorum vnoquoque animatum solo dicitur viuere, si viuit vita plantę sola dicitur viuere. Quartam conclusionem illatam ex tertio, videlicet quæcunque ex terra nascuntur videri vitam degere, propterea quod in se ipsis initium viuendi habent, per quod ad loca contraria accipiunt accretionem, & diminutionem,

quoniam

bis,& naturæ,& nobis simul. 6. Topicorum libro. & si ęquè primo non sunt eadem nobis nota, & simpliciter, in addiscendo, inuestigando, de quibus primo phys. disserui. Nunc ex rationibus intellectui potestatis per sensum vult inuestigare definitionem animæ, sicut superiore libro xj. contextu asserebantur accidentia magna ex parte conferre ad cognoscendum quid est, hac igitur via denuo de eadem animæ definitione hoc modo, hac methodo dicere aggredi sermonem experiundum est, hoc verbum cautionis. Experiri, tentare vult. Et cur denuo dicere velit reddit causam. Non enim solum opus est rationi definiendi rem quia sit declarare, apud Auerh. idest demonstrare genus rei tantum, Philoponus quatuor quæstiones esse ait, si est, quia est, quid est, propter quid est, & prior definitio communis si est, quia est tradiderit, alia opus est quæ tradat propter quid, & quid. Et si dicas, cur incepit ab illa dicente si est, & quia est, respondebit, quia ordiendum a notioribus, & triplex est notius, primo notius est quia, & si, quam propter quid. Secundo cōfusius, & magis vniuersale, vt 1. physi. tertio notius, quā particulare, vt corpus, quam tale corpus est illustrius. Tertio est notius quoad nos, vt composita nobis notiora. Simplicia vero naturæ, Quare incepit a communissima definitione, quia si est & quia est notiora ipso cur est, & ipso quid, & quia confusa notiora, & quia compositor est illa definitio. In his bene Philoponus, sed sibi inconstans, quia in prologo physicorum fassus est notius nobis non vniuersale, sed particulare confuse cognitum, ceu procul video quid moueri, mox subit in animum id esse animal. Deinde hominem mox tale indiuiduum, nunc autem dicit vniuersale magis confusum esse notius. Vide quem ipse primus verti sub cognomine Dorothæi in latinum sermonem, & si quidā pædagogus sibi voluit arogare fur aliorum laborum sicut etiam admouit manum in Medicina delens nomina priorum transferentium, & suum ponens non habens præ oculis. Deum, cum restituere ablata debeat. Quapropter habes causam reddendæ alię definitionis, vt reuertar eodē, quia prior solum quia tradit. Ceu plurimæ diffinitiones explicant quia solum verumetiam causam exponere cur illa sit, oportet redde, cur anima sit entelechia corporis physici organici prima & ita reddere, vt plane appareat, quia scire est rem per causam cognoscere sic, quoniam sic causa re ipse, & appareat esse talis causa. Apparet esse causa cum non aliter esse possit effectus, quā per illam causam. Definitio ergo prior non reddit cur, sed potius est illata, & conclusio. Nunc vero paulo supra terminorum idest definitorum, alij dicunt, idest silogismorū, & definitionum, rationes, idest definitiones quasi conclusiones sunt. Tria genera definitionum. 2. libro poster. analyticorum. Vnum earum quæ sunt conclusiones, & ignoratæ apud Auerh. quæ sciri non possunt nisi argumento, secundum earum, quæ sunt media demonstrationum per se notę, & claræ. Tertium earum, quæ continent totam demonstrationem, a qua differunt solum positione terminorum, idest dispositione præmissarum, & figura sillogismi. Definitio prior est quasi conclusio. Et dixit (quasi) quia definitio, qua definitio non concluditur libro 2. poster. Huiusmodi sit conclusio. Quo primum vegetamus, sentimus, mouemur, ratiocinamur, est id entelechia prima corporis organici. Anima vegetalis, sensitiua, intellectiua sunt quibus primum vegetamus &c. ergo anima est prime entelechia corporis physi. &c. postremo exemplo vtitur Geometrię. Velut quid sit quadratio, quæ definitio complectitur quia solum dicens hanc esse æqualem quadrāgulæ figuræ, & non tangit cur sit æqualis quadrangule. Nam quo scias, quadratum est figura rectilinea constans 4. lateribus æqualibus, & quatuor rectis angulis, velut, & quadrangulus est figura rectilinea cōstās binis lateribus ęqualibus, & binis lōgioribus in æqualibus si ergo vis definire quadrationem per æqualitatem quadrangulæ figuræ oportet inuenire lineam mediam tanquam causam, cur quadratum sit æquale quadrangulo, legeris tu reliqua verba. Et decerne aliam definitionem colligi oportere, ex euidentioribus nobis. Attende definitionem qua est conclusio affirmationem, & orationem esse, aliter nec esse dicit, nec non esse. An promissa definitio sit communis cuique animæ? Responde vtique, si communiter proferatur, si singillatim, erit cuique propria.

## Contex. XIII.

*Dicamus igitur considerandæ rei hinc sumpto initio. Animatum ab inanimo internosci ipso viuere, quod dicitur multipliciter. Et si vnum horum solum inest, nihilominus dicimus ipsum viuere, velut mente, sensu, motu, statu secundum locum. Quinetiam motu alimenti, accessionis, decessionis,*

VIA


IA, & methodo patefacta ab euidentioribus nobis procedit sumpto initio ex hoc. Animatum differre ab inanimato ipso viuere. Est enim viuere actio vitæ, & vita alia separabilis, vt animæ nostræ, cui nil est commune cum corpore subiecto, sed venit aliunde, & accedit corpori, vt nauta naui, & gubernat per intelligentiam, & prudentiam omnia acta hominis, idque reperies. 2. in libro de partu animalium cap. 3. hac vita homo per philosophiam separatus ab illecebris mundi, & negotiis totus deditus contemplationi viuit, vt est in phedone Platonis, de qua disputabo tertio postea in libro, nunc sermo est etiam de vita inseparabili a corpore, quum nec solitaria vegetatiua, nec sensitiua viuat ante corpus nec post mortem, sed omnem, quam vtraque anima obtinet in corpore exercet. Et proinde viuere, quod exercet per operationem anima intellectiua, & vtraque per essentiam, & actionem animatū differt ab inanimato sine anima, quale multipliciter dicitur, & analogice prius de ipso viuere humano, quā ferarū, & plantarum. Et quamquam multipliciter dicatur viuere, attamen vno modo si quid viuat, vt vegetatiuæ vita, dicitur viuere. Pro ipso viuere multipliciter hypalage figura vtens accepit hæc. Mentem, sensum, motum, statum, secundum locum, atque motum nutriendi, augendi, diminuendi. Inquit. Dicamus igitur patefacta via ab euidentioribus nobis, & assignata causa, cur elaboranda sit altera definitio, quę propter quid afferat, & sit principium demonstrationis, & non conclusio sola considerandæ rei hinc sumpto initio. Hoc est igitur primum sumendum. Animatum ab inanimato internosci ipso viuere. Sententia hæc veterum fuit ex cont. 19. primi libri potest elici dum dicebat veteres posuisse animatum ab inanimi discrepare sensu, & motu, propterea quod plantas non habere vitam putabant sine sensu, vt Emped. Anaxag. dixere testimonio Aristotel. primo de historia animalium. Et Stoici in plantis fatebantur naturam, sed non animam, quos sequitur Gal. primo libro de facultatibus naturalibus, & alibi passim, cum neget vegetalem altricem esse animam, & affirmet esse naturam. At noster philosophus cum Platone separat ipsa viuendi actione animatū, ab inanimati, sicut in phædro ille tradidit diuidere vnum ab altero, quia animatum intrinsecus mouetur, sed inanime ab externo. Et Arist. 8. libro phys. animal moueri ad omnem differentiam positionis, scripsit, non autem inanimatum, nisi ad vnam differentiam, velut ignis sursum naturaliter, & terra deorsum, cum planta nutritur, æque supra, & infra alitur, & vndique. Verumenimuero viuere communius est sentire ipso, & moueri animastice ad locum, quia moueri per animam, & sentire est viuere, non omne tamen viuere est sentire, moueri, intelligere, quia plantæ nō sentiunt, non feruntur nō intelligunt, & viuunt. Quid animatū? Illud, quod in se habet principium, & vim viuendi primam. Quid inanime quod hoc caret. Et quod caret hoc in mortalibus non potest sentire nec moueri. Demiror Simplicium, qui censet Aristotel. vere asserere animam non mobilem per se, & postea subiungere eam ex se agere, & excitari a seipsa, idque commune Aristotel. cum Platone, quod e quibus verbis nunc depromat nō video, iccirco alibi erit de hac re dicendi occasio. Nunc græce ζῆν, quasi ζεῖν feruere a calore ipso dicimus, & ζωὴ vita est calor, non omnis, sed natiuus. Placuit tamen Aristoteli vocare animam pvchin a perfrigeratione, de qua in perfectione libri primi, & postea erit consideratio, nunc Simplicio, & mihi visum est annotare, quale, seu quod dicitur multipliciter non equiuoce vt sit vox equiuoca, sed analogice per multas actiones viuendi, quarum vna est prior alia vel origine, vel perfectione, ipsum viuere communiter est quid competens animanti, & dicitur multis modis nec oportet si quid viuit, omnibus illis modis viuere, sed sufficit vno. Et si vnum horum solum inest, nihilominus dicimus ipsum viuere, ceu plāta vegetatrice sola viuit. Enumerat multos viuendi modos velut mente pro intelligentia. Viuunt Dii, & numen deorum, hoc est mentes motrices orbeum mente pura sine phantasmate. Intelligere vita eorum est idem cum sua substantia, de qua mente nunc non sermo, sed de vita mortalium. Mente viuit homo intelligendo. Et Soc. in phedone viuere se mēte dicebat per philosophiam abstractum ab his mundi negotiis. De vita, & ocio philosophorum in politicis Aristotel. Sensu pro sentiendi actione, motu pro animali motu intimo organice, qui in Zoophytis velut ostreis, & similibus herentibus saxis est dilatationis, & constrictionis, instar fere cordis motus, & in natatilibus natatio, in uolatilibus uolatus incessus &c. de quibus in opusculis de motibus, & de incessu animalium. Statu secundum locum in hominibus per voluntatem, & appetitum, phantasiam, & neruos motorios, musculos apud Gal. in libris de motu musculorum, &c. in animalibus brutis per appetitum solum sensitiuum, & phantasiam. Motus ad locum animalibus fuit necessarius. 3. libro po

flea ob victum sibi quęrendum, cum affixum, vt plantę non habeant. Icirco non plantis inest hic motus, quia, non est illis necesse quærere pastum, cum habeat sibi iunctum. Necessarius item sensus, vt prosequatur cognoscens sibi vtilia, & fugiat contraria. Postremo addit quos supra etiā numerauit modos vitæ. Quinetiam motu alimenti, qui est alterationis sine attrahatur, expellatur, retineatur, assimiletur alimentum nutrito, accessionis. Augentur proprie ex omni dimēsiōto corporis non per additionem materiæ, vt primo libro de generatione est dictum sed per calorem naturalem intrinsecus operantem, & conuersum alimentum in nutriti carnem distendentē, & augentem. Contra fit decessionis, & diminutionis in senectute, & naturaliter non vitiose in pthisi, atrophia, & similibus. Diminutio est ob imbecillitatem caloris per defectum nutrimenti, quod senibus datur ad tutelam vitæ, & caloris, pueris ad nutritionem, & incrementum, athletis ad robur. Tria annotabis, primum indicari definitionem præcipue animæ vegetalis per vltima verba. Secundum viuere diuidi generatim in hæc mente, sensu, motu &c. Et si dubium sit, ne mouendi actio faciat distinctum gradum animæ, propterea quod eadem anima initium sentiendi, etiā mouendi est, & si antiquius facit sentire, quā moueri, iccirco primum sensu constituitur animal, & completur motu ad locū, vel circa locū, sicut Zoophyta mouentur. Tertium, omnibus animatis, & quibuscunque ætatibus motus alimenti est necessarius, non autem accretio, nisi vsq; ad certum tēpus, vt homini vsque ad 25. annum, neque diminutio nisi naturaliter senibus.

## Contex. XIIII.

*QVocirca & quęcunque ex terra nascitur, vitam degere videntur, quandoquidem constat hæc habere in seipsis vim, & initium eiusmodi, per quod capiunt ad loca contraria accessionem, & decessionem. Non enim supra crescunt, & infra minime, sed æque ad ambo, & vndique, quæ sane aluntur, & viuunt perpetuo donec possunt sumere alimentum.*




COLLIGIT e dictis his supra, Quinetiam motu alimenti, accessionis, decessionis quæ e terra nascuntur, pullulant germinant cum Themistio vitam degere videri. Si enim viuere est etiam ipsum nutriri, augeri proprie, & diminui, cum plantę fructices, suffrutices, & generatim stirpes vel sponte, vel etiam arte editæ alantur, crescant &c. ergo viuunt. Inquit, Quocirca, & quęcunque ex terra nascuntur, non metalla, non lapides pretiosi, non alia, nisi quæ pullulant, & frondescunt, & generatim plantæ vitam degere videntur, quod etiam probat, si legeris tu primum (Videntur) pro hoc constat inter scriptores, quibus videntur stirpes viuere, immo sentire sicut Anaxagoræ, Empedocli in primo de plantis Aristotel. sed absurdum est plantas sentire, de quo postea, viuunt tamen, & probatur, quandoquidem cōstat hæc habere in seipsis vim, & initium eiusmodi. Et constat per nutritionē accretionem operationes animæ vegetalis. Et habent in seipsis in trunco, qui est loco cordis in plantis, vt est in libello de motu animalium, despiratione. Alij reponunt intra radices. At vero primum est Aristotelicum. Dixit vim referens ad potentiam animæ, & principium ad animam ipsam. Qui separant calorem natiuum ab anima vegetali, hi sentiunt vim accipi pro calore instrumento naturali, & principium pro anima. Sunt qui vim referunt ad spiritum innatum, quod inficior, quia in plantis non est spiritus vllus, nisi in corde animalis libello de motionibus animaliū, per quod initium capiunt ad loca contraria accessionem, & decessionem, per loca intelliges partes corporis, Aristotel. ab Hippocrate didicit appellare membra, & partes corporis loca, cum Hippocra. reliquerit posteritati librum de locis in homine, quem secutus Galenus sex volumina scripsit de locis affectis. Loca quo ad circunscriptionem propriam, & situm, non quia sint superficies corporum continentium quarto libro physi. Contraria item statuit, idest opposita, velut supera, & infera loca naturaliter in plantis non quo ad cęlum, & nostri corporis collationem, ceu radices loco oris supra sunt, sed cæli, vel nostri corporis collatione inferæ, contra superi apices plantarum, sed inferi naturaliter, iccirco opposita dicuntur potius, quam proprie contraria, quæ se pellant de eodē subiecto, cum interitu alterius accessionem incrementum Gemina accretio abusiue, quæ fit cumulo, vel additione materiæ, vt hordei cumulo, si addas alium vel eiusdem, vel alterius materiæ, & alia naturalis, hæc item duplex, vel fit cuiusmodi naturaliter dicitur ef-

fiel primo libro de generatione, vel fit per calorem intimum natiuum, ceu de hac nunc mentio est. Est enim accretio hunc in modum motus ex alimento assimilato nutrito ad maiorem molem æque secundum longitudinem, latitudinem, profunditatem, alioquin secundum vnam, & non aliam dimensionem vitiosa esset accretio, de qua postea. Et decessionem, diminutionem naturalem motum ad minorem molem secundum omnem diametrum. Cęterum docet simul ad contraria augeri animatum. Non enim supra crescunt plantæ, & infra minime, sed æque ad ambo, idest simul ad ambo loca contraria, & æque pro equali ad iusticiam vndique augētur, quæ sane aluntur, etiam viuunt. Vide de qua accretione sit sermo. Nempe de animata propria vbi est vndique, & in profundo, non solum in summa corporis. Intelligo pro æquali ad iusticiam distributo alimento, prout conuenit membris, alijs plus, alijs minus augeri animata, & viuunt perpetuo donec scilicet possint sumere alimentum presens, non de nomine sicut in vitiligine, in anasarca morbis apud medicos, in atrophia. Nam in anasarca hydropisis spetie alimentum agglutinatur, non apponitur, & iccirco oritur hæc species hydropisis, vt nomen ostendit, in vitiligine, & de albatione partium agglutinatur, & apponitur, sed non assimilatur, ergo oportet intelligere verum alimentum, sicut Gal. primo de facultatibus naturalibus scripsit cum Hippocrate triplex alimentum futurum, quod nondum est, vt cibi sunt, & sanguis nōdum assimilatus nutrito, præsens quod iam assimilatur, Et nominetanus alimentum; Secundum igitur intelligatur, quale habet quatuor tempora secundum quatuor facultates. In primo facultas attrahit alimentum, in secundo expellit alia facultas excrementum, in 3. retinetur per vim retratricem, in 4. assimilatur assimilatrice potentia, donec igitur non solum attrahere, retinere, sed etiam assimilare alimētum possint, viuunt, iccirco dixit author donec possint sumere, idest simile reddere alimentum nutrito, caue igitur putes intelligi donec possint sumere, idest comedere. Etiam morbosi comedunt prædicti, & non nutriuntur. Hinc Arist. in libello de spiratione vitam definiuit permansionem communicationis animę altricis cū calore natiuo, Quoad alitur vere, animans viuit. Ex hoc contextu quatuor eliciūtur. Primū plantas nō natura sola, vt Stoici, vt Gal. primo de facultatibus naturalib. aiunt, sed etiā anima vegetali perfici, & gubernari, ac facultates appellari debere animales, & non naturales. Atque vegetalem animam dici oportere, non solum naturam, quia natura ad vnum inclinatur, vt ignis naturaliter sursum, sed vegetalis alit, & auget simul diuersas partes supra, & infra. Rursus natura solum perficit corpus simplex, aut mixtum non organicum, sed vegetalis etiam corpus organicum multiplici actione, & diuersa, cum forma naturalis moueat vno modo, nec implicetur tot actionibus, vt anima, quinimo mixtum fertur elemento prędominante. Nihilominus Arist. fatetur animam vegetalem dici naturam primo libro cap. 4. de partibus animalium, quia est principium intrinsecum motus alterationis, accretionis. Sed hoc habet amplius, vt sit anima, iccirco qualibet anima intimum initium motus est natura, non autem omnis natura est anima. Non forma elementi, non mixti. Placuit autem Galeno vocari naturam, quia solum animal putauit esse quod ad omnem differentiam positionis potest moueri, sicut Arist. 8. physicorum asseruit, & proinde plantas non habere animam, sed naturam dixit, quia non ad omnes positiones fertur. Reprenditur Gal. & iure, quia simul ad contraria loca nutrit, & auget anima vegetalis, & si nō ad omnes differentias positionis, attamen ad omnes, quas habet, auget. Rursus partes corporis humani iecur, ventriculus, intestina animatæ dicuntur, & reguntur vegetatiua, ergo est anima earum partium. Ac organicorum corporum anima vegetalis est essentia, ergo anima. Dico organicorum physicorum potentium exercere actionem vitæ. Atque anima vegetalis apud ipsum vtitur calore natiuo, ergo non solum natura est, sed anima etiā. Atque Plato, quē ille sequitur in libris de decretis Hippoc, Plat. tres animas affirmans in Timæo vegetalem censuit animam. Si viuunt item plantę, & viuere est actio animati, ergo anima est vegetalis, & non solum natura. Quare Gal. cum Stoico abijciendus est in hoc quæsito. Secundum elicitur, quod est definitio animæ vegetalis. Si enim e terra genita pullulantia, germinantia habent principium, & vim alendi, vegetandi, ergo anima est initium vegetandi primum. Tertium promitur ex contextu differre animam vegetalem a forma naturali, quę & si est quidditas essentia corporis mere naturalis, attamen naturaliter non est causa contrariorum motuum, vt vegetatiua accretionis, & diminutionis. Quartum ducitur e contextu cum sint sex positionis differentiæ sursum, deorsum, ante, post, dextrum, lęuum, in plantis inesse duas solum naturaliter supera, & infera.

## Contex. XV.

*A C id ab alijs separari potest, sed reliqua ab hoc in mortalibus nequeunt, idque in his perspicuum est, quæ e terra nascuntur. In his enim nulla vis animæ alia inest. Ergo cunctis viuentibus ob tale principium datum est viuere.*



VERHOES falso credidit ordinem proponi animarum, Satius dixisset persequi authorem cuiusmodi anima sit principium vegetatiua in natis ex terra. Huiusmodi scilicet, vt sit commune omnibus mortalibus, attamen separari posse in genere plantarum, vbi vegetalis sine sensu, & motu, ac intellectu est, & per quod cunctis viuentibus datum sit viuere. Addit proinde. Ac id, ab alijs principijs sentiendi, mouendi, intelligendi separari potest, quinimo separatum est in plantis. An etiam in eodem animali moriente sit vltimum separari ita, vt intellectus, sensus prius, & motus separentur, quamuis vegetalis, & nutritiua? Quinimo hoc vltimum est principium alendi, quia mors est extinctio calidi innati circa cor, ergo calor natiuus vltimus deficit instrumentum animæ vegetalis. Hæc prima fuit in ortu, & vltima in occasu. Ergo separabilis est in plantis, & in eodem animante in articulo mortis, sed reliqua principia ab hoc vegetandi initio in mortalibus scilicet ante mortis articulum nequeunt, Simplicius præoccupat lectorem dicens, quia ex ea nascuntur animalia, & conseruantur. Philoponus ex verbo Gal. in primo de tuenda salute ait non posse separari in animalibus ex defluxu substantiæ animalis, in cuius resarctione oportet semper aliquid alimenti suppeditari, alioquin exsiccaretur animal arbitratus, sicut velle videtur Arist. animalia ali per nutritiuam potentiam vegetalis, de quo dubium graue est, siquidem sensus alimenti est tactus, sicut euidens erit postea, per quem aluntur animalia, & hic differt a vegetali anima, ergo animalia non per vegetalem nutriuntur, sed per sensum tactus. Hæc dubitatio semper grauis mihi visa est. Respondebis id explicandum in processu apto loco, nunc solum difficultas est, quia in mortalibus videtur seiungi sensitiua a vegetatiua, cum animalia sensu tactus nutriantur, ergo vegetalis superflua est, sed id suo videro loco, nunc in mortalibus aliæ animæ nequeunt separari a vegetali, quæ dici putant, ceu Philoponus, Auerh. ob cœlestia corpora animata motu, & intelligentia, quæ separatur a sensu, & vegetali anima. Non sentiunt cœlestia, neque aluntur primo libro de cœlo, idque Aristotelice, ego sentio ali corpora cœlestia solem, lunam, astra humido, quod etiam declarasi in commentarijs de cælo, quod etiam Plinius sentit dum lunæ maculam explicat ob nutritionem lunæ ex vaporibus limosis sublatis, & fuit vetus opinio Heracliti, & aliorum. Cæterum docet separari vegetalem a reliquis animalibus euidentia plantarum, in quibus sola vegetalis cōtra Anax. Emped. sentire has opinantes, de quo in 3. libro. Ait. Idque in his perspicuum est, quæ e terra nascuntur, idest euidens est vegetalem in his separari a reliquis, & reddit rationem. In his enim nulla alia vis animæ inest non sentiendi, non intelligendi poeticæ fabulæ conuertunt plantas in homines, postremo ex his colligit conclusionem, quia si cuncta animalia retinent vegetalem, & hæc etiam in plantis inest. Ergo cunctis viuentibus plantis, Zoophytis, animalibus, hominibus, & caducis, ob tale principium vegetandi datum est viuere. Adde si nutritio, accretio, diminutio sunt vitæ ex dictis in cont. 4. supra, & animalia nutriuntur, crescunt, ergo omnibus his anima vegetalis confert viuere, & vitas. Et si vita est permansio communionis altricis animæ cum calore natiuo, ergo si viuunt animalia, habent istam communicationem per vegetalem. Auerh. uerba illa (in plantis nulla est alia uis animæ) scribi in eos putat, qui plantas aiunt dormire, & vigilare. Aduerte separari ad tempus potentia genitricem in pueris, & in senibus potentiam gignendi, & augendi sic, ut priuentur. In etate consistentiæ separatur auctrix, nunquam autem nutritiua. Comes uitæ est. Dices, ne in somno separetur sensitrix a uegetali? Minime, & si quibusdam uacat actionibus sensuum, non omnibus tamen. Non enim respiratione, inspiratione, sed de hoc abunde supra.

## Contex. XVI.

*SED animal ob sensum primo. Etenim quę non mouentur, nec locum mutant, dummodo sensu fruantur, animalia uocamus, nec solum viuere dicimus. Hic autem inter sensus ille tactus est, qui primum inest omnibus.*



E quis obijciat, si viuere datum est omnibus ob vegetalem animā, ergo animal primo viuit vegetali. Respondet animali datum viuere primum ob sensum. Et iure, si per animam sensitricem animal quicque est, & anima est entelechia prima corporis habentis vitam potestete, ergo etiam per eandem potest viuere, vt qualis anima, tale sit viuere. Hic locus est difficilis, neq; Auerh. vere ait nunc assignari differentiam inter nomina altricis, & sensitricis, quia vi uere dicitur in lingua græca primum de ipso per nutrimentum, quinimo primo viuere animal dicit ob sensum, & ratio adducta cogit. Difficultas est, quia si non potest sepa rari vegetalis in mortalibus a sensitrice, vel econtra sensitrix a vegetali, & viuere per hāc omnibus datum est, ergo animal primum viuit vegetali vita, & non sensu. Iccirco puto respondeti per quam animam constituitur primum animal, per eandem primo viuere illud, sed primo con stituitur anima sensitrice, ergo per sensum primo viuit. Dic in eo quod animal, vel melius sicut processus declarabit orationis postea. Nutritiua in animali non est vegetatiua, sed sensus tactus est sensus alimenti, vt dicet author, itaque sicut per hunc sensum animal constituitur primo, ita viuit per eum primo, & alitur, augetur, &c. Vnde tactus fungitur officio vegetalis. Et tu conside ra, quia dixit supra per hoc vegetale principium datū est viuere omnibus viuentibus. Non enim animali, si per tactum alitur. Alias arguebam Aristotel. inconstantiæ, nunc tibi relinquo iudicium. Sed animal supple viuit ob sensum primo, quia per eum habet vitam in potentia. Et pri mo viuere, & esse animal per sensum docet, & per quem sensum. Intellige interea verbum illud. Primo non solum origine, natura, perfectione, sed etiam per se, & primo, ac secundum quod ipsum primo post, quia in primo dicendi modo per se, animal est substantia animata sensus capax. Probatio autem est in his verbis. Etenim quæ animalia non mouentur adde motu locali, & cum nullū sit animal, quod nō moueatur sub ratione corporis physici a predominio terrę nec item ullum infimi generis, ceu Zoophyta spongiæ marinę, ostrez, & omnino conchilia quale non circa locum saltem sistole, contractione, & diastole, dilatatione moueatur, ob id subiunxit, nec locum mutant ex vno ad aliud, sicut conchilia sunt, dummodo sensu fruantur animalia vocamus, nec solum viuere dicimus more plantarum, sed etiam viuere more animalium per sen sum. Hic autem sensus: inter alios sensus ille tactus est plures erunt sensus externi, & interni in animali perfecto, quorum primus est tactus, quo constituitur animal primum in essentia, & in vita propria animali. Qui primum origine imperfectione, vniuersaliter inest in omnibus ani malibus. Non placere Philoponum ob id dixerim, quia plantas affirmat non dici animalia, ex eo, quod obscuram vitam habent. At animalia manifestam, quasi dicat plantas esse animalia contra Aristotel. in 3: libro, vbi a plantis aufert omnem sensum etiam tangendum. Illud potius est Platonicum Empedoclem, Anaxagoricum in primo de plantis, vbi etiam plane Arist. adimit omnem sensum plantis, stirpibus, fructricibus, suffructricibus. Sensus tangendi est primus, quia corporatior est apud Simpl. quia item in primis vim patiendi obtinet, qui Simplicius cum Plinio nostro decimo naturalis historię libro non separat tactum a gustatu, quinimo gustum necessarium addit animātibus, Plinius asserit conchylijs, vermiculis tactum & gustum inesse. Philo ponus Zoophytis tribuit solum tactum, quo tristantur, & lętantur, sed ostreas etiam habere gustum. De hoc erit suo loco sermo. Cęterum primus sit etiam tactus omnium sensuum, quia imperfectior est, licet homini exactior, & natura ab imperfecto procedit ad perfectum, quia item est sensus temperamenti cum percipiat calidum, frigidum. Sic. hum. & ad eius tutelam salutaris, quia item sensus alimenti, quo primum eget animal. Quia rursus communior reliquis sensibus est. Et denique animal cęteris orbari potest, non autem tactu. Elice insinuationem definitionis animæ sensitricis, vt sit principium sentiendi primum.

Contex.

## Contex. XVII.

A *C quemadmodum altrix a tactu, & ab omni sensu seiungi potest, ita sensus tangendi a cæteris. Altricem autem eam partem animæ vocamus, cuius plantæ etiam participes sunt, sed animalia cuncta habere sensum tangendi constat. Cur vero horum vtrunque eueniet, postea explicabitur, nunc vero duntaxat tantum dicatur animam esse principium horum, quæ diximus. Ac his contineri altrice sensitrice, ratiocinatrice, motu.*



TRIA capit hic locus similitudinem sensus tactus cum altrice, & quæ vis vocatur altrix, atque constans esse animalia habere sensum tangendi. Tertio epilogum, qui duo facit, indicat scopũ præcedentis orationis a contex. 12. vsque ad hunc locum, & enumerat gradus animarum, vel species, vel genera, vel facultates, de quibus in alio tomo. Similitudo in eo est, vt sicut separatur altrix in plantis a cæteris sensibus nedum a tactu, & adde sensus ab illa in mortalibus nequeunt seiungi, ita tactus a reliquis sensibus, & illi non possunt inesse sine illo. Et ne sit in verbo mora, statim subdit quid per altricẽ intelligat, Nempe eam facultatem, qua stirpes, & plantæ omnes participant sola sine sensitricẽ. Secundo constare tactum inesse omnibus animalibus subdit. Sed quomodo hic sensus, & altrix seiungi queant, illi a cæteris sensibus, hæc a reliquis animalibus postea explicabitur in tertio lib. nisi intelligatur etiam hoc modo, quomodo anima altrix, sensusque tangendi separabiles a cæteris sunt, & animalibus plane tactus datus sit cunctis, postea explicabitur. Tertio lege epilogũ, & accipe scopum huius capitis in secundo tomo primi, quia intentio fuit inuenire genus definitionis elaborandæ, quale est principium vegetandi, vel sentiendi, vel ratiocinandi, vel mouendi, Vnde infert quatuor genera, vel gradus viuendi, & dat in sequenti capiti materiam dubitandi de his generibus, an sint tot animæ, vel vnius particule in vno genere animalis, vt in homine, de quo protinus. Interea legito. Ac quemadmodum similitudo. Altrix vsurpatur facultas, potentia ve vegetalis animæ pro tota anima, de qua erit sermo suo loco. Hæc comes vitæ, & non natura sola, vt Stoicis, & Galeno visa est, supraque fuit horum dogma confutatum, & si Themistius hoc loco infringat eorum sententiam affirmans nisi anima vegetalis esset vitã tribuens quoties non sentiretur, vita priuaretur animal, aut duæ vitæ inessent in illo, vna per naturam, altera per animam, quod absurdum censet. Neque verum illud naturam præstare vitam, Non enim elementis. Et si potentia generandi est animæ atque nutrix, & auctrix erunt animæ. Etsi quis peteret cur animalia non dicuntur plantæ? Respondet vsu communi dici animatas, sed nõ animalia, quem vsum approbauit Arist. Aberrat Themistius non quia rationes parui momenti sint, sed quia plantæ nullo modo vocari debent animalia non vsu solo, sed nec re ipsa, Quæcunque enim vacant sensu, dici animalia non possunt, quæ si vitam obtinent, animata appellabuntur, de quo supra disserui, nunc persequamur contextum, ac quemadmodum altrix a tactu sensu. Multiplex nomen tactus, & contactus, & ab omni sensu interno, externo seiungi potest, vt in plantis est, ita sensus tangendi in Zoophitis à cæteris sensibus, & intellectiuo, & a motiuo ad locum sequente maxime perfecte animal, In forti apoplexia, attonitoue morbo concidunt motus, & sensus, sed siquid superest, vltimum sensus est, & quid vitale. Medicis non credendum his, qui vitiari omnem sensum superstite motu putant. Reliqua in contextu clara sunt. Hæc tamen animaduertito. Principium pro formali præcipue accipi. Nam anima tale principium est, & cum sit etiam finis, & efficiens, secundario erit vtrunque principium. Ac pro ratiocinatrice intelligi intellectum possibilem, cui datum est a præmissis ad conclusionem progredi. Docet Auerh. sensum tangendi sine cæteris esse posse, quia est necessarius cuilibet animali, & quia reperitur solus sine alijs in conchilijs, & Zoophytis, iccirco naturaliter prior est reliquis. Qua de re in tertio libro.

## *Secundi Tomi caput secundum Lucillo interprete.*



VMMA est secundi capitis primum dubitandi, ne quatuor in epilogo numerati gradus animarũ, vbi sint, in eodem, ne tot animæ sint, an vnius potius particulæ, & potentiæ, Et secundo vbi sint particulæ, nunquid diuersæ loco, vel ratione tantum. Secundam quæstionem declarat affirmans euidens esse in nonnullis animalibus sensitricem motricem inseparabiles loco, & subiecto, & in plantis, quarum si separaueris ramos virides, non aridos, & inserueris, denuo pullulant, germinant, ergo anima quæ in tota planta inerat, etiam in ramis inest, & vbique potentiæ altrix, auctrix, genitrix cum suis ancillis attractrice, retentrice, expultrice, assimilatrice inseparabiles loco, & subiecto videntur sola ratione, & munere diuersæ in his. Atque in animalibus insectis, & annullosis, ceu in lacertis, anguillis, serpentibus, quæ si animalia secueris transuersim in frustra, quodlibet videtur motu agitari simul, & sentire. Nam si pungantur, se contrahunt, simul ergo sunt motus, & sensus inseparabiles, & cum his etiam appetitus, quoniam vbi percipitur sensus doloris, & voluptatis, ibi appetitus, quo animal vitat noxia, & prosequitur vtilia, ac salutaria, & vbi appetitus, ibi imaginatiua confusa quidem, & non illa inseruiens intellectui nostro, de qua ad finem secundi libri. Hactenus de his partibus animæ, quę citra dubium simul loco, & subiecto videntur. Reliquum de his, ceu de mente humana, & contemplatrice facultate sermo erit, quia nondũ ex dictis constat, ne sit loco separabilis, aut etiã separata, sicut in Timæo Plato diremit rationem, & collocauit eam in capite ab irascibili in corde, & concupiscibili in iecore tanquam perpetuam diuisam a caduca, & mortali, & illam statuit alterum genus animæ ab his. Ergo Platonice differt rationalis ab omni irrationali loco, ratione, essentia, cum sit alterum animę genus. Addit deinceps reliquas facultates animæ sensitricis esse ratione diuersas, & separabiles, & si non loco, ceu animæ facultas sentiendi, opinandi contra Platonem, qui & loco separauit eas. Argumento docet eas facultates sola ratione disiungi, quod actiones earum sunt diuersæ, ergo & ipsæ diuersæ. Actiones sunt sentire, & opinari. Hoc est argumentum Platonis in tertio & quarto de Repub. Postremo annectit quomodo animæ faciãt diuersa genera animalium. Vbi enim sola vegetatiua est, id differt a brutis, vbi vegetalis, & sensitiua, facit quoddam genus animalium imperfectum, Vbi addatur etiam motiuum, erit animal perfectum, vbi omnes animæ, erit homo, Atque sensus in genere sentientium faciunt differre animalia, sicut quæ vno potiuntur differunt ab his, quę duo habent, & hæc ab illis, quæ tres, quę quatuor, quę omnes obtinent, Cur vero sic differant animalia, postea erit expressum.

## Contex. XVIII.

*Veruntamen quærendum est, an harum quæque sit anima, vel eius pars, ac si partes, ne. ita sint, vt sola ratione, vel etiam loco discrepent.*



OC caput secundi tomi ex numero quatuor gradum animæ, videlicet vegetalis, sensilis, motricis, intellectricis ducit initium dubitandi non tripliciter, vt Auersh. male, sed dupliciter. Et primam dubitationem tractauit in primo libro versus extremum, atque dissoluit non posse plures animas in vno, velut in equo Troiano plures milites, quia quid vniret eas simul? Ac incertum esset quã earum vnum animal diceretur, & cætera lege, Secundam vero illustrabit hoc loco. Hæc prima veruntamen quærendum est, an harum quæque adde supra prædictarum, vegetatricis, sensitricis, intellectricis, motricis ad locum sit anima in eodem animante, quia in diuersis generibus, vbi quæque suũ genus constituit, plane discrepant hæ animæ, & sunt, vel eius pars, aut particula nõ integralis more partium corporis circumscriptę quantitate, sed formalis ita, vt plures varias corporis partes perficiant, & quæque suam, sicut in Timæo proditum est rationem in capite, iram in præcordijs,

altricem

altricem in iecore. Auerh. ante hanc quæstionem præposuit vnam, An quodlibet quatuor dictorum principiorum supra sit anima in animali. Superuacanea quæstio. Præsumitur esse anima in animali, atque perpetuo sermone supra Arist. ea principia censuit animas. Non ergo reuocare in dubium ne sint oportuit. Quæritur cur author eandem quæstionem dissolutam primo libro repetat? Simplicius ob perfectam diuisionem inquit. Quoniam secundam quæstionem de partibus animæ diligenter exponere habet, præponitur iccirco prima propter secundã diuisionem. Themistius videtur affirmare primam quæstionem afferri ob commodiorem explicationem. Ego subscribo Simplicio. Prima igitur proposita dubitatione infert secundam. Ac si partes prædictæ quatuor vnius animæ sint, quærendum item ne ita sint, vt sola ratione, definitione, aut proprietate referente Simplicio, vel etiam loco discrepent, sicut Plato in his verbis Timæi seiunxit partes animi humani loco & subiecto. Cæterum ne diuinum vlla mortalium cõtagione, nisi quantum summa necessitas cogeret, pollueretur, seorsum ab illo in alia sede mortale collocauerunt, Atque a pectore caput ceruice, collo interiecto separauere. In pectore igitur & thorace genus animæ posuerunt. Cumque id naturaliter partim melius, partim deterius esset, disposuerunt rursus Thoracis capacitatem, discernentesque sedem tanquam virorum alteram, & alteram fœminarum. Chartilaginem enim quandam nomine diaphragma, quod etiã phrenas vocant, inter hęc mediam interiecerunt. partem igitur fortitudinis animæ, iracundiæque participem, contentiosam, capitique propinquiorem facere inter diaphragma, ceruicemq; mediam, vt hæc obediens rationi vna cum ipsa cupiditatum genus vi illata coerceat. Si quando rationis in capitis arce habitantis iussa cupiditas respuat. Aduerte illud (etiam) quia Plato separat has species animæ non solum loco, sed etiam ratione, loco quidem in citatis verbis paulo supra Timæi. Ratione autem in 3. 4. 9. de Republ. cum idem contraria esse non posse docet, & irasci, & cupere escam, aut non ratione vti, & ratione vti dicat contraria, diuersaque, quod postea Arist. affirmabit. Vt sciatur dogma Aristoteleum. Hic omnem animam locat in corde vegetalem, sensitiuam, motiuam, & cordi assistere intellectiuam tanquam nautam naui credidit. in secundo de partu animalium. & cordi instrumenta addidit, per quæ transmittit ad omnia membra calorem alimentum vt per venas, & per arterias spiritum, pulsum, & per neruos motum, & sensum, cuiusmodi animæ mortales fusæ sunt per omne corpus, non quia essentiæ illæ incorporeæ extendantur per corpus vti membrana per diuersas paries, & ros per amplas partes terræ, sed cum regiam sedem habeant in corde, inde mittant per instrumenta vim suam, & qualitatem spiritus innati in corde, vt est traditum libello de motionibus animalium. Dogma autem Platonis est, vt separentur animæ, & cuique membro principali sua instrumenta, Galenus Medicus in libris de decretis Hippoc. & Platonis præcipue, & passim in suis operibus sequitur Platonem de separatis locis animarum, dissidet autem ab eo, quia Plato solum rationem locat in cerebro, non sensitricem. Atque Plato sensitricem reponit in corde, & Gal. vitalem solum, naturalem vero in iecore. Vnde dissidet ab Aristotele, qui omnem animam figit in corde, vel adiungit ei, & neruos, venas, arterias ex eo proficisci ait ex corde, ipse autem neruos motorios, sensificos a cerebro tradit duci initium siue a cerebro, siue a cerebello prodeant, instrumenta animæ sensitricis, & motoriæ, ac spiritus animalis vicarij, & summi instrumenti animæ. In corde statuit vitalem, & inde arterias, vt a læuo eius sinu manant ad reliquum corporis traducentes spiritũ, & pulsum. In iecore denique posuit vegetalem animam, & instrumenta venas ab eodem procedere. Quare hactenus habes diuersa dogmata. Hippocr. censetur author dogmatis Galeni, quę etiam atque etiam illustrabuntur.

## Contex. XIX.

*Verum de nonnullis non arduum est perspicere, Quędam tamen dubitationem habent. Vt enim constat in his, quę terra gignuntur, nonnulla cum abscissa sunt, & interse disiuncta perinde viuere, ac vna anima sit reuera in quauis planta, sed potestate plures. ita quoque in alijs animę differentijs videmus accidere, in ipsis insectis quidem plane cum inciduntur cernimus. Etenim vtraque pars sensum, & motum ad locum obtinet. Si porro sensum retinet, etiam imaginationem, appetitionem obtinet. Nam sensum vbi est, dolor, & voluptas consequuntur, & vbi hęc necessario, ibidem cupiditas est comes.*

DIMIS-



DIMISSA prima quæstione forte quia superiore libro fuerat declarata, nūc de secunda proponitur non esse arduum de nonnullis quatuor animæ graduum perspicere, videlicet aliquos esse inseparabiles loco, & subiecto ita, vt vbicunque sint, simul se esse reperiant. Sicut in plantis simul sunt vegetalis facultatis altrix, genitrix, auctrix, & in ipsis insectis, ceu anguillis, lacertis, serpentibus sensus, & motus. Additur item vbi dubitatio sit. Tria legeris in hoc contextu. Primum quæ proponuntur, secundo quomodo in plantis, & insectis planum sit simul esse quasdam animæ partes. Tertio & quomodo comitentur sensum appetitio, imaginatio confusa. Reuertere ad primum, vt declaretur ne particulę sint loco separatæ. Verum de nonnullis particulis animæ totius in toto animante. pars refertur ad totum. Ergo si anima habet particulas est quoddam totum non quantum corporeum. Incorporea enim. Non extensa per corpus secundum substantiam suam indiuisilem, ceu albedo extenditur per superficiem. Hoc enim modo diuidua esset saltem ex accidente, & quanta esset, & si quidam putant vegetalem, & sensitricem animam extendi extēsione corporis quod dogma suum est, non Aristotelicum, quia omnis anima apud Arist. est in corde, aut proportionali cordi secundo libro de partu animalium cap. quarto. & libris de motu animalium de vita, morte, & alibi. Extenditur per vires & facultates suas, iccirco cordi arterias, neruos, venas ille primū adiungit tanquam traiectus virtutum per omne corpus, atque per spiritum e corde influentem ad partes corporis. Rursus non est totum nunc essentiale ex materia, & forma, licet quoddam totum definibile sit per aliquid loco materiæ, & aliquid loco differentiæ. Ac totum concretum non est, vt musicum, sed velut genus, & potestatibus varijs præditum, sicut vegetalis tribus Altrice, auctrice, Genitrice constat. cum ergo de nonnullis particulis non arduum sit perspicere, quomodo sunt loco inseparabiles, Quædam ceu rationalis, voluntas, intellectus, mens tamen dubitationem habent. De primis particulis nunc exemplo plantarum monet euidenti. Vt enim constat in his, quæ terra gignuntur, plantę stirpes &c. nonnulla cum abscissa sunt a tota planta, velut rami, & aliqua radicitus, & inter se disiuncta, Nam tota planta radicitus potest euelli, & transferri alio, vbi videretur etiam tota anima actu traduci, ob id ergo addidit inter se abiuncta, & seorsum perinde viuere, ac vna sit anima reuera actu in quauis planta, sed potestate plures, tum scilicet, sed cum hęc disiuncta fuerint actu plures animas numero differentes specie similes habebunt, sicut plantæ omnes habent. Et coniectura hac optima, quoniam siue ramos cum radicibus aliquibus abstrahas, siue semina, & fructus intra pericarpia separata ab his seminentur, Siue auulsione, ramo, surculo, trunco, & vtcunque denuo inserantur, germinant, pullulant, edunt fructus, aluntur, augentur, generant, quare obtinebant animam. Cæterum perpende verbum illud, nonnulla, quia non omnia adiuncta obtinent animam, non folia, non arida, non flores generarim. Attende alterum verbum. Vna anima in trunco numero non specie, quæ tamen potest euadere in plures similes specie, diuersas numero. Sed quomodo, assignare hoc opus, hic labor est. Verum antequam arceatur hæc dubitatio, & illud explicandum venit quomodo Arist. numeratis 4. vegetali, sensu, motu, intellectu numquid separatæ loco, necne, docet nunc inseparabiles esse quædā exemplo plantarum, cum sola vegetalis sit in planta? Dicito Aristoteli scopum ostendere facultates animæ inseparabiles esse, & vnam totam in toto, & in qualibet parte, sic, & in plantis possit esse vna actu plures potestate. sicut idem tradidit superiore in libro, & eo de vitæ breuitate, & diuturnitate. Auerhoes se expediuit dicens esse vnam, quæ diuidi possit in animas quæ sint eiusdē speciei cum anima plantæ diuisæ, & in libro priore asseruit animam in planta esse vnam specie, & plures potestate numero, si enim esset vna numero in planta, cum diuideretur planta, ipsa interiret dissectione partium. Themistius, Simplicius contenti verbis Aristot. neglexere quomodo vna sit, & plures animæ in planta actu, vel potestate. Philoponus contra Auerh. sentit vnam esse numero in planta actu ante diuisionem ramorum, idest in medulla trunci, sed post incisionem in ramos tot animæ fiunt quot rami decisi plures numero actu similes specie, latini exploratius id inquisiuere admirati quomodo ex vna numero, vel specie anima per incisionem efficiantur plures actu. Ioannes de Gandauo non indiligens author quæstionem hac de re scripsit. Constituit item quatuor. Primum cuiusmodi incidenda sint animalia, & plantæ. Secundum qua quātitate. Tertium ex operationibus colligit animæ facultates simul esse in ramis decisis. Quartum, & quanto tempore. Quoad primum asserit non incidendas anguillas secundum Spinam recte, adde tu nec serpentes, nec insecta alia, nec proportionale cordi incidatur, sic enim anima interiret.

ret. Decipitur Ioannes, quoniam testimonio Galeni collocantis principatum vitæ in cerebro arietem sine corde aliquandiu vixisse dicimus, sicut in cap. quarto ad finem secundi libri de decretis Hippocrat. Plato. indicans cor nil conferre ad vocem, siquidem sine vulnere extrahitur cor, animal adhuc vocale est, quod felicitate chirurgiæ fieri, & in sacrificijs victimam erepto corde, arisque imposito respirare clamare, tantisperque fugere quoad profluuio sanguinis concederit ait. Quinimo Alexander Aphrodiseus vltimo capite suæ commentationis de anima inquit non valere hoc argumentum de corde ob principatum, cum visa sint testudo, Chamæleon etiam testimonio Arist. execto corde aliquandiu in vita persistere, Quare si moriuntur anguille serpentes incisione directa, & non transuersa non fit ob proportionalis cordi ictum, sed quia omnia cohe rent spinæ qua dissecta non possunt partes persistere, secus autem si transuersa fit sectio. Quo ad secundum ait non esse plantas, nec animalia insecta incidenda in minimas partes. Tum enim sensus, & motus in his non apparebunt, nec in plantis per insectionem denuo prodibit planta animata. Ergo secanda hęc sunt in bona frusta alicuius molis. Quoad tertium ex operationibus colligit inesse simul animas. Quia idem ramus abscissus alitur nutritur, & insertus generat, ergo simul in eodem tres facultates sunt. Eque in partibus anguillæ, cauda lacerte, scorpionis, quia simul cernuntur motus, & sensus, Nam agitantur bono temporis spatio, & si acu rãgantur, se contrahunt, ergo simul sunt animæ sensitrix, & motrix in eodem loco, vel vna anima potius verbo Simplicij in omni parte simul cum binis facultatibus sentiendi, & mouendi. Quoad quartum inquit Ioannes, non longo tempore permanere animata, vel animalia imperfecta, nisi breui propter defectum organorum inseruientium nutrimento, Aduerte etiam non diu viuere partem anguillæ vbi sunt organa alimenti, etiam si esca apponeretur, & in fluminibus denuo reponeretur, vel mari, siquidem ob defectum caudæ non posset natare, iccirco nec viuere. Cæterum quod & ipse vnam animam actu ante diuisionem fatetur, & tum plures potestate, ac diuisione fieri plures actu ab eodem quæritur quid illas in actu facit plures, Non diuisor siue casu, siue voluntate agat, alioquin ab agente voluntario aliquid naturale fieret. Rursus diuisio primo libro de generatione facit interitum, non ergo diuisor deducit eas ad actum, Adde si quando planta fit ramus insertus præesset anima, ergo non generaretur, nisi materia, & generatio non esset compositi per formam nouam, Quinimo idem esset, antequam esset, ac simul esset, non esset, cum omne habeat esse per formam substantialem, iam ramus esset planta, antequam in plantam euaserit. Habet enim animam ante actu facta diuisione nondum inserta, atque simul non esset, quia nondum planta est nisi post insectionem. Adde contra Arist. dicentẽ animã esse in tronco in libello de longitudine vitæ, ergo erit etiam in quolibet ramo. Et cum plura absurda congeri possint decerne in Aristotelem animam esse solum vnam actu, & non plures potestate, sed ibi esse humidum radicale in ramis, quale aptum est si denuo plantentur rami facile animari a sole, & terrestri calore. Iccirco aridi rami rursus inserti, non generant. Aeque de partibus insectorum animalium dicendum, quia in his est quid loco sanguinis, & spiritus in eo humore agitatus agitat illam partem anguillæ quoad durat. Equidem quibus amputatur caput reliquum corpus mouetur non anima, sed spiritu in sanguine agitato breui agitante. Et caput sacerdotis referente Aristotele abscissum ab inimico per insidiam cum subita fuga dixit Cercidas occidit, quo audito a superuenientibus hi ad præfectum rerum capitalium retulerunt caput ea verba pronunciasse, ob id quæsitus homo in prouincia repertus fuit, ob igitur spiritum vel vincius in sanguine, aut proportionali sanguinis fit ille motus, & sensus imperfectus, Quare Aristoteles hoc loco non audiendus si putet per diuisionem fieri actu plures animas in pluribus ramis. Dato casu, quo non rursus inserantur, morerentur plures plantæ, aut perirent. Sed maiora sileo argumenta breuitatis causa. Cæterum persuadet suum dogma exemplo quoque animalium insectorum. proponit. Ita quoque in alijs animæ differentijs. Ne cures quæso si Arist. tum differentias animæ, tum particulas, tum facultates, tum genera, species vocet, quia eadẽ possunt subire talia nomina, sicut & Gal. sexto libro de decretis Hippocr. Plat. asserit partes simi lares dici species, & partes, videmus accidere, ceu de motu, & sensu simul. Exemplo. In insectis plane cum inciduntur cernimus, quid cernimus? Etenim vtraque pars a toto semota sensum, & motum ad locum obtinet. præclare simul vtraque sentit, & mouetur in anguillis, lacertis, & fere omni animali annulloso, quod vel prona, vel supina parte, aut vtraque incisum constat. Aduerte reperiri sensum tactum hunc fusum per omne corpus, alij sensus certis sedibus continentur, vt Gustus lingua, Visus oculo, Auditus aure, aut simili, Odoratus naribus,

punctis partibus se contrahunt, ergo ibi sensus. Cernuntur quoque moueri ad locum, vel circa locum. Qui aiunt id non accidere homini,& animalibus alijs non insectis, vt decisa moueantur, & sentiant, plane falluntur. Nonne dicebatur corpus a capite abscisum loquutum, & videri moueri per breue spatium, & arietem sine corde fugere? Interest solum temporis mora longior, & breuior, propterea quod insecta magis constant humido tenaci spiritus agitantis. Postremo adiungit author sensui tactus etiam imaginationem non perfectam, de qua erit sermo ad extremum libri. & appetitum animalem, non naturalem, & animalem irrationalem, qui communis est iræ, & concupiscentiæ, sed nunc concupiscentiæ appetitum addit inquiens. Si porro sensum obtinet, etiam imaginationem phantasiam confusam, appetitionem obtinet simul, quare in partibus anguillæ, simul hæc erunt. Argumento probatur. Vbicunque sensus est, ibi dolor & voluptas. Hæc minor argumenti oratio. Nam sensum vbi est, dolor, & voluptas consequuntur. Maior deinde hæc oratio, Et vbi hæc, videlicet dolor,& voluptas, necessario ibidem cupiditas est comes, subiunge tu conclusionem prædictam, ergo vbi sensus est tangēdi, ibi appetitus, & imaginatio. Imaginatio imperfecta est quædam vis concipiens solum dolorem, vel voluptatem præsentem, non autem absentem, sicut in vermibus, & taphanis, muscis, quę absentia non sentiunt per phantasma seruatum in phantasia.. Appetitus latissime funditur etiam ad voluntatem, quæ in Deo, in ipsis mentibus motricibus sphærarum est. in homine, & ad cupiditatem in brutis, ad naturale desiderium, & ad materiæ appetitum, quia & illa appetit bonū, sicut fœmina marē. Nūc appetitus intelligitur animalis. Dolor animati, & tristis sensatio affi ciens partē sensitiuā, voluptas est dilatatio per suauis perceptionē iocunda. Sed de dolore alias fusius, cum moralis, naturalis, medicus de his disputent affectibus, Causa porro breuitatis differam hæc ad alium locū. Nūc dubitatio est quomodo sensus motus simul in insectis q̄n secus nō fit simul vbique vnus, vt in oculis ita visus anguillæ, vbi non auditus &c. sicut etiam in animalibus alijs. Secunda dubitatio si appetitus est rei absentis. quod quis habet non appetit, ergo etiā imaginatio erit rei absentis quare ibi vera phantasia erit. Ad primam Philoponus respondet sensus esse simul in primo sensiterio apud ipsum cerebro, vel spiritu, & si in secundis instrumentis diuisæ sunt potentiæ, & actiones, vt in oculo, aure &c. Reprehenditur hic homo, quia non sequitur Aristot. dicentem cor primum sensiterium. Reprehenditur item quia sensus, & motus simul sunt in organis secundis, vt in cauda, ergo etiam visus,& auditus esse deberent. Reprehenditur quia cerebrum sine membranis apud Arist. non sentit, & apud Gal. in libris de simptomatum causis, ergo non est primum sensiterium. Neque spiritus potest esse, quia non sentit, alioquin si sentiret, haberet sensitiuam animam, & tum esset organicum, cum sit simplex corpus. Thomas Italiæ ornamentum de communibus facultatibus decerni ait simul esse loco, situque non de particularibus, vt visu, auditu. In Thomam animaduertitur, quia apud Arist. cerebrū, ossa, nerui non sentiunt, & tamen aluntur vbi vegetatiua est sine sensitiua, ergo separatæ sunt loco, & subiecto etiam communes animæ, & facultates. Quare dicito in oculo, & lingua, ac alijs instrumentis simul inesse totam animam sensitricem, & motricem per diuersas facultates secundum diuersa instrumenta, Quia dicis ossa non sentire, nec neruos &c. fateor primario sensu, attamen beneficio tactus, qui est sensus alimenti aluntur, & crescunt, qui sensus est in alijs partibus circumiacentibus ossi, cerebro &c. De secunda dubitatione dicito appetitum perfectū esse rei absentis cum quadam imaginatione, sed in Zoophitis, conchilijs,& alijs imperfectis inest appetitus imperfectus cum imaginatione tali, ob id appetunt pręsentem, & absentem si dolor pręsens fuerit, iccirco si pungatur frustum anguillæ cupit reuniri partibus ob naturalem statum, & voluptatem, attamen non nisi præsente contrario dolore. Sed hæc hactenus.

## Contex. XX.

*AT vero de mente, & facultate contemplatrice nondum liquet. Videtur tamen hoc genus animę alterum esse. Et hoc solum perinde seiungi contingit, atque ęternum a corruptibili.*



CVM supra proponeretur illud quasdam animæ partes habere dubitationem, ne sint inseparabiles loco, nunc has tangit dicens. At uero de mente, & facultate contemplatrice nondum liquet, quia etiam supra contex. xi. dubiū erat an anima intellectrix esset separabilis actu s,& sicut nauta nauis, illa corporis. Liquebat autem in tertio expressa

pressa eius natura. Alexandrum demiror impium defensorem mortalitatis animæ, qui nunc dici de mente diuina putat. Arguitur, quia uerba contex. contra illum. Nam de mente illa est sermo, quæ uidetur alterum genus animæ. Deus non est anima hominis. Adde non contingere Deo separari tanquam perpetuum a caduco. Semper separatus est æternus omni ex parte. Neque paulo supra quæstio mouebatur de Deo, sed de particulis animæ. Sed cum ille teneat in 3. libri commentatione intellectum agentem Deum, ob id putauit hæc dici de eodem intellectu. Vtcunque pellitur Alex. qui hunc locum cauillatus non intellexit. Themistius per mentem intelligit ipsam meram per se, per facultatem contemplatricem eandem iunctam cogitatiuæ facultati, dū discurit de sensilibus. Simplicius intelligit per mentem intellectum imparticipatum supra animam, nos hunc dicimus agentem, & uerbo facultatis contemplatricis accipit participatum coniunctū nobis patibilem. Confutatur, quia intellectus imparticipatus non est particula animæ, ergo non de eo nunc sermo, sed de eo, qui est particula, vel putatur esse, Philoponus accipit mentem, & facultatem pro eodem, quia in ea natura duæ sunt potentiæ vna speculatiua, altera practica quæ differūt fine, & opere, siquidem practica vtitur corpore, & finis eius est bonum efficere, & consequi visum, vel verum, at finis speculatiuæ est contemplari varietatem, quare per mentem practicam vim accipit, & per facultatem contemplatricē intellectum speculatiuum. Errat Philoponus non solum quod mens non vsitatur pro intellectu practico, sed etiam, quia Arist. 3. cap. secundi libri de partu animalium assent mēti nil esse cōe cum corpore. Si practicus igitur intellectus est vtens corpore, ergo non est ipsa mens, & multominus facultas contemplatiua. Auerh. in suo commēt. sumit mētem pro agēte intellectu dicto in actu, & per facultatem intellectū possibilem, qui perficitur ab eo in actu, & de vtroque dubium est, an sit anima. Vnde nōdum liquet an sit anima perficiēs materiam, nisi quātum ex opinione hominum cōstat, postea in 3. lib. per demonstrationem erit cōspicuum. Nos dicimus hos cūctos errare interpretes, quia nō viderūt Timæum Platonis, cuius causa hæc scribūtur, si quidem ille separat rationem, mētem a reliquis loco, ceu capite, cum aliæ sint in Thoracæ, ob id inquit ex dictis nōdum liquere ne mēs, idest facultas cōtemplatrix sit separata loco, & possit separari pro statu isto a corpore in exstasi, vt in phædone proditū est Platonis. Et addidit facultatē mēti, quia etiā Deus, angeli, intelligētiæ separatæ dæmones apud illum dicuntur mentes, vt de nostra solū intelligatur, subiūctū est. Et pro idest facultate ɔtemplatrice, q̄ est in anima humana, & ob id quod visum est Platoni subnectit dicens. Videtur tamē hoc genus animæ alterum esse, & diuersum a sensitiua, motiua appetitu irrationali, vegetali. Appellat animam, ergo nō deum o Alexander, Appellat itē animā, ergo o Auerh. nō dubitatur, ne nostra sit anima, sed videtur Platoni hoc genus animæ diuersum in 3. lib. & 4. ac 9. de Rep. argumēto, quod idem nō facit cōtraria, vti ratione, & nō vti vnquā nō potest esse idē. Nostra vtitur, Brutorū, aut irascibilis, cōcupiscibilis nō vtūtur, & si coercētur ratione, ergo diuersæ sunt animę. Itē in Phędro reliquit rationē esse velut aurigā, & irascibilem, concupiscibilem, velut domādos equos, Atq; in Phædone mētem in exstasi tāquam separari dum philosophus viuit seiunctus ab hoc mūdo. Quapropter nostra est diuersa ab eis. Et quomodo Platoni videatur ac Socrati, Pythagoræ nostra anima diuersa ab alijs, subdit. Et hoc genus animæ nostrę solū exclusiue ita, vt excludat animas mortaliū perinde seiungi contingit nūc nō dicit a corpore, neq; vt subiecto ante lapsum in corpus, & post mortē, sed pro statu isto a reliquis animabus irascibili, cōcupiscibili atq; æternū a caduco, ergo ratio apud Platonē & anima nostra æterna est, & aliæ duæ irascibilis, cupiditas mortales, subditæq; morbis. Et quāquam illud verbū, videtur, aliorū opinionē indicat, vt nouit quoq; Auerh. tā & si in eodē errore cū græcis putet authorē loqui de separatione a corpore. tamē accipe verba
„ Platonis in Timæo. Cęterū ne diuinū vlla mortaliū cōtagione, nisi quātum summa necessitas
„ cogeret, pollueretur, seorsum id ab illo in sede alia mortali collocauerūt. Atq; a pectore caput cer
„ uice, collo interiecto separauere, In pectore igitur, & thorace genus animæ posuere &c. legeris & noueris in capite repositam rationem. In pectore irascibilē, & in abdomine cōcupiscibilē, quare genus animæ nostræ separatur ab illis non a corpore, si est in capite vtens eo videlicet animabus de quibus etiam erat proposita quæstio, an separabiles essent mutuo animæ inter se, & non a corpore, si sunt in corpore. Deprehende ergo ex his erroresinterpretum, nō eorum solū qui putant dici de separatione animæ a corpore, sed etiam eorum, qui nunc credunt orationem elici de immortalitate animæ ex mente Arist. cum loquatur de opinione aliorum, & dicat nōdum liquere. Potius ex mente Platonis eliceretur remanere animā post obitū, si diuina est, si contingit ei, idest necesse est separari tanquam perpetuum a caduco si separate a caducis animabus, quanto magis

a corpore. Veruntamen id nō dicit', sed videri separari mētem, ab irascibili, & cupidine, vt ęternam a mortali, Quid ergo Alexandri in mētē subit dicere ex hoc loco de animi mortalitate post obitū, & tueri suū dogma, cū nil sit de hoc plane dictū? Quid Aristotelice reliqui cōtēdūt ↄtra dici animā immortalē, si quātum aliis videtur, nūc asseritur. proinde supersedeat tanta quęstio vsq; ad 3. lib. & nūc alterū genus animæ nostrę declaretur sex. origine, natura, loco, ratione, officio, cōditione. Origo animæ nostræ apud Platonē est a Deo, qui certo cōdidit animas numero, & tot, quot astra, singulisq; astris assignauit animā hoc pacto, vt cū suū voluerit fatū labatur in corpus nostrū, Arist. non plane affirmat a Deo illā traxisse originē. Sed capite 3. secūdi lib. de partu animā liū θύραθεν deforis accedere ait. Vnde vero, & a quo silet. Verbo iccirco illo cū appellat animā diuinū quoddā cōpello ipsum affirmare animā a Deo proficisci, siquidē diuinū a diuino manat, & cū animus sit res maxime diuina a Deo diuinissimo cōdita est. Nō enim a cęlo, quia corpus, & anima spiritus. Nec opus est sequi cōmētum Auerh. dicētis. 5. comēt. 3. lib. de anima nostrā esse vnā in omnibus hominibus ęternā pręsidē vniuersæ speciei humanæ, & assistere huic, vel illi homini, ita, vt accedat a septēnio, & recedat in obitu ab hoc, vel illo, si quidē Arist. subscribit Hippocr. asserēti femellæ post 42. dies aduenire, & mari post 32. in libello de natura pueri, & ipse subscribit ca. 3. septimi de hist. animalium. Tū de nostra sermo est, nō de sensitiua, quę aduenit prius, & de vegetatiua, quæ vtraq; est calor natiuus. Verū de his in 3. lib. erit sermo, nūc satis sit origine esse nostrā diuersam ab alijs. cū istæ a semine, illa deforis accedat. Natura itē discrepat a reliquis. Vtraq; vegetalis, sensitiua est calor naturalis, vt supra, aut forma in materia a qua cōseruantur, Nostra vel quinta essentia est cęlestis, vt Cicero primo Tusculanorū lib. prodidit, vel ætherea flāma, Ac plane vtraq; illa natura est cap. 1. primi de partib. animalium, Nostra est res diuinior natura, forma separabilis simplex Aristotelice apta omnia intelligere. Loco itē dissidet. Nam nostra in capite tāquā in arce, cui astāt sensus tāquam satellites, & nūcij. Reliquæ intra præcordia, & subter præcordia. Aristotelice anima intellectiua nō est in loco cōclusa, neq; in parte aliqua, neq; in organo, neque in corpore vt in subiecto, sed adest cordi, vt nauta clauo regens nauem, ita illa corpus administrans, Vnde nō format, nec perficit intrinsecus, nec huiusmodi est actus primus corporis organici, sed actus primus vtēs corpore. Forma perficiens, & formās nō potest perse existere, nec separari sine interitu, at hæc separatur, vt nauta naue separabilis. Solum dependet a corporeo phantasmate dum intelligit, nec ob id materiata est. Et mouens orbem coelestem dependet a corpore in motu, attamen separatum est essentia, & propria actione. Differt item ratione, si quis definiat nostram, principium, quo primum intelligimus, & sensitiuam, quo primum sentimus, & vegetalem, quo primum viuimus &c. sed principium equiuoce dicitur. Intimum formale secundum esse. & operati sensitiua, vegetalis dicitur, Nostra extrinsecum secundum operationem solam intrinsecum. Dissentit officio item nostra a reliquis. cum officium sit intelligēdi, imperādi per volūtatem. At sensitiuæ sentiēdi, mouēdi per neruos, & musculos, tendines, &c. atq; inseruiēdi intellectui. Vegetalis munus nutrire, augere, procreare cum muneribus quatuor facultatū inseruiētium alteratricis, retētricis, expultricis, assimilatricis. Denique cōditione dissidet, cum hæ mortales inseparabiles sint, & cum separātur intereūt. Nostra vero separabilis est, & nō dissoluitur dissolutione corporis. Postremò scribit Arist. hoc genus animæ nostræ cōtingere separari. Cōtingēs multis modis, vt plurimū, ceu in senectute canescere, vt raro, ceu hieme depluere grādinē, & equale ad vtrunque, velut ambulare, nō ambulare cōtingit. Nūc cōtingere ait pro necesse esse, ceu cōtingit sol moueri. Mētionem facit de æterno. Tu intelligē æternum secundū quid ex altera parte, scilicet in posterum, quia anima habuit principium, & quandoque fuit, & nō erat ante, cōtra in posterum nūquam erit, quādo nō sit. An Aristotelice aliquid tale possit affirmari, videro in 3. libro, quoniam omnia orta occidunt apud Arist. in 6. classe primi de coelo in Platonē nil ortū sempiternum fore concludit. ob id tota controuersia in hoc est, quæ de immortalitate animi affertur, quod modis caducum, corruptile vide in citata classe.

## Contex. XXI.

*Constat item reliquas animę partes ex his contra quam nonnulli inquiunt, neque quam seiungi posse, attamen euidens est has ratione diuersas esse. Nam alia est essentia sensitricis, ab illa opinatricis, quandoquidem etiam actio sentiendi discrepat ab illa opinandi. Itidem quoque aliarum, quas diximus se habent.*

Consti-


ONSTITVIT clarum esse quasdam animæ species, partes inseparabiles loco, ceu sensum, motum, altricem, subiungit ob id quomodo differant, si nō situ, loco subiecto, organo. Nempe ratione, idest apud Simplicium proprietate, apud Themist. Philoponum, definitione. Idque argumento confirmat. Quorum essentię diuersę, hæc ratione diuersa. Sed essentiæ diuersæ ceu sensitricis, & opinatricis, & probatur minor hæc oratio argumenti, quia actiones cum sequantur formam, sunt diuersæ, ceu alia opinandi est actio ab illa sentiēdi, æque mouendi ab illa sentiendi, intelligendi, & similiter in alijs particulis animę, ergo particulę animę differunt ratione, & intentione apud Auerh. Propositio repetit quas diximus inseparabiles loco, & alias indicat. Constant item ex his dictis paulo supra reliquas animę partes. In verbo reliquas, indicatur intellectiua anima esse pars apud Simplicium contra Alexan. qui putabat dici supra de Deo. Sed equiuoce est pars animæ apud Auerh. Non enim format, sed solum vtitur corpore assistens, & apud nos item equiuoce pars ex dictis sex differentijs supra inter animā nostram, & caducas sensilem, vegetalem. Credidit Simplicius intellectum dici partem, quatenus participatur, & ratiocinatur coniunctus sensibus. Et si illud verbum etiam reliquas dici potuit propter sensum, & motum, cum opinatrix sit alia, & phantasia, & similes, quę putantur animæ partes. Addit author id constare contra quam nonnulli Socr. Timęus, Plato in Timeo inquiunt, cum dirimant, & disclludant loco irascibilem, & concupiscibilem. In precordijs illam tepo nuut, & hanc subter præcordia. Verum non inuenio in Platonis operibus alias disclusas locis, sed essentia, & ratione in 3. 4. 9. de Repub. constet igitur contra Platonem reliquas nequaquam seiungi posse addit Philoponus neque a corpore, & non solum a seipsis. Ecquid? Non mirum, si vna est anima sensitiua a qua tot actiones proueniunt sentire, moueri, opinari, appetere &c. vbi ergo erit illa, simul erunt hæ facultates operandi hæc diuersa non loco, sed ratione. Hinc subiungit reliquam propositionis partem dicens, attamen euidens est has ratione, proprietate, intentione, definitione, & hoc melius est, diuersas esse. Hanc secundam propositionis partem argumento docet, scilicet differre ratione. Nam alia est essentia esse sensitricis, sensitiui ab illa opinatricis, opinantis. Hęc minor erat, cui subiecimus supra maiorem, & conclusionem, quam rursus probat e diuersis actionibus. Facultates, partesque animę definiuntur instrumenta, & actiones, si actiones diuersæ, ergo & definitiones varię erunt, quandoquidem etiam actio sentiendi discrepat ab illa opinandi, & generatim inquit. Itidem quæque aliarum potentiarum, & partium animæ, quas diximus se habent, iccirco Auerh. solum hæc dici de supra memoratis 4. generibus ait, & in suo contextu licet male pro illis verbis ab illa opinatricis, vel opinatiui barbare habet (cogitatione) & pro altero, opinandi, habet item cogitare, quod intelligit per istam actionem intelligere, & per cogitationem intellectum. Verum graue dubium insurgit, si opinio est quidam sensus, & opinatio quoddam sentire. Non enim est intelligere, ergo si inferius non differt a superiore definitione, cum eadem competat inferioribus, vt substantia animata sensilis omni animali, non igitur opinari, ab ipso sentire discrepabit diffinitione, Nisi differat ob differentiam additam essentialem constitutiuam speciei, licet opinari sit sentire, & opinio sensus, attamen non omnis, sed talis sensus apprehendendi aliquid vniuersale, & particulare cum formidine ad oppositum, icciro opinio etiam falsa inuenitur, vt illa scoti dicentis de mente Arist. animam esse mortalem si recte recordor in libro 4. sent. distinctione 41. & 45. si quidem Arist. vbique indicat ipsam immortalem. Subtilis Theologus scotus fuit, sed parum sudauit, & alsit in peripathetica doctrina, cum tamen sępe bene intelligat res Theologorum, & aliquando aliquid philosophiæ, & ipsi in nostra iuuentute huic dedimus operam propter subtilitatem ingenij siue in Henricum, siue in Thomam disputet. Reliquum veritatis studio cogor breuiter (alioquin immensum est referre opiniones absurdas. Stultum est solicitum esse de omnibus, quæ dicuntur) videre, ne in belluis duæ sint, aut tres animę vegetatiua, sensitiua, motiua, an vna sola cum his potentijs, & alijs appetendi, &c. Et si sola, an tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, an extensa extensione corporis, ceu albedo extensa est corporis tota in superficie. De hominis anima vel animabus, alio loco differam, ne sim hoc tædiosus lectori. Decernere autem id ex mente antiquorum difficile est, quia illi solum de anima nostra curam habuerunt teste Arist. superiore in libro. Difficile etiam fuerit ex libris medicorum promi decretum, quia versantur magis in corpore, quam in anima illi, & si versantur, in nostra fere sola curam ponunt. Quare si quę ad extremum primi libri vere Aristotel. præscripsit, solum vna anima est in bruto diuersis predita facultatibus. Fac duas, quid

in vnum

in vnum copulabit has duas? Ac animal non tam planta, quam bellua diceretur, siquidem ani ma vegetalis dat esse,& nomen rei, vt queque forma. Nisi dicatur nomenclatio a meliori effici, attamen reipsa erit planta. Adde superuacaneam vegetalem in animali, siquidem per tactum viuit animal, qui est sensus alimenti. Alitur sensu, augetur, generat,& facit omnia opera vegetalis, ergo non opus est vegetali. Et si dixeris superiores animas non posse esse sine inferioribus, licet inferior sit sine superioribus, vt in plantis sola vegetalis, nos dicemus satis non fuisse aliquando sensitricem sine vegetali, donec animal formabatur in vtero per vim vegetalis ante aduentū sensus,& motus, sed adueniente vtroque hoc cesset anima vegetalis,& loco eius sensus tactus est. Et venę vmbilicares cessant a partu suo officio. Non mirum, si vacet etiam vegetalis presentia sensu, qui potentior,& maior est sensus alimenti. Nec mirum si vegetalis fieret potentia sensus tum,& ita sensitrix non esset sine vegetali potentia, tamen si dubium sit, quomodo essentia vegetalis conuertatur in essentiam sensitiuæ,& remaneat velut potentia,& facultas sensitiuæ,& qualitas, de quo aliqui dicunt, vt quadratum est duo trianguli potentia,& actu fit per dimetientem, ita sensitrix est vegetalis,& ipsa facultate,& virtute. Alij dicunt sicut vnus est aer, vel vna vox, quæ per diuersa foramina fit varia, ita vna sensitiua anima, quæ per vegetalem,& sensitricem potentias operatur. Vnde confunduntur plures in hac quæstione. Nos vero supra constituimus ex Hippoc. Plat. Aristotel. Gal. animam vegetalem in plantis,& sensitiuam in animalibus calorem natiuum, qui cum sit vnus in corde diuersis praeditus facultatibus, iccirco vna est anima in bruto referta varijs potentijs. Vt calor coquit, maturat, attenuat, separat dissimilaria,& multa opera facit, sicut reliqui scriptum in comment. in Artem Gal. Medicinalem, ita hæc anima habet varias potentias & vna est in toto animante,& tota in omni parte pro captu tamen partis, quia calor natiuus distribuitur secundum equalitatem ad iustitiam ita, vt hæc anima alio modo in oculis, alio modo in aure, in pede, in capite, quod etiam de sensu vidit Plato in Theeteto dicēs vnum esse non plures, attamen pluribus facultatibus & actionibus implicitum, si ergo anima sensitiua est calor natiuus,& hic vnus est in toto corpore,& totus in qualibet parte pro captu partis, non ergo plures animæ, sed vna erit predita multis potentijs, quibus oportuit apta organa condere, iccirco videt per oculos,& non nares,& odoratur per nares non per oculos,& itur per pedes, non per caput. Contra vtranque sententiam alij sentiunt animam non calorem, sed formam incorpoream non esse vnam in animali, sed duas,& vtrāque extensam extensione subiecti. Alij vero vnam esse, sed tamen non totam in toto,& in qualibet parte, sed diuisam,& extensam ita, vt alia sit pars in pede, altera in manu,&c. Quorū argumenta non refellam antea, quam dogmata Arist. promulgaro. Coegimus supra Arist. fateri ex suis verbis animam esse calorem natiuum, qui etiam Arist. omnem animam ponit in corde,& certa hac parte. Hinc nescio quomodo aliqui id negant. Id non solum ex verbis in libello de motionibus animalium, vbi animā sicuti regem locat in vna parte regni, ita in corde reponit, siquidem est animal, ceu ciuitas, aut regio, quod cauillantur aliqui dici de motrice anima, quasi eadem non sit sensitrix. Verum etiam ex libello de somno,& vigilia, vbi in core primo sensiterio initium sentiendi, mouendi, idest animam collocat,& spiritum vitalem. Nunc cor & proportionale cordi intelligo, quinimo in eodem libello de motionibus animalium principium animam locat in corde, quod medium vocat vnum actu plura potestate in quo etiam spiritum ponit innatum. Inquit, principium alijs in corde, alijs vero in parte proportionali cordi. Ac in libello de iuuentute senectute statuit animā vegetalem in trunco arboris primum, non in medullam eius Philopono. Alberto dicentibus,& sensitiuam in medio pectore,& in corde atque vegetalem decernit, itidem facit in libello de spiratione,& plane 4. cap secundi libri de partu animalium locat in corde, quod primum oritur,& denique moritur vegetalem,& sensitricem, quare etiam Theophrastus subscripsit,& Possidonius, Chrysippus, Zeno Elentes, Alexander Aphrodiseus. Et siquis hoc non videt in Aristoteli ea doctrina ignarus est. Idem sensisse Aristotel. testatur Gal. in libris de decretis Hippoc. Plat. Collige igitur animam esse totam in corde,& totam in qualibet parte,& si per suas diuersas potentias diuersa agit officia pro diuersitate organorum, neque extensa est, sicut albedo in superficie. Hinc descendamus ad eos, qui fatentur plures animas in bruto per verba futura Auth. vbi affirmat vnam in plantis,& plures in belluis, vt est de sensibus. Quibusdam solus tactus, alijs plures. Secundo Stoici reprehenduntur, quia vnam animam ponunt in animali,& homine. Gal. in libris de placitis fatetur plures animas in vno, quas si vocat Aristotel. particulas, ergo plures erunt. Et rationibus probatur. Si diuersæ sunt in separatis generibus animalium, ergo suapte natura

tura diuersæ erunt in eodem etiam animali. Non enim videtur quid eas faciat esse easdem, vel idem. Adde oportere duas esse, vegetalem propter ossa, pilos, neruos, cerebrum non sentientia, & tamen aluntur, & sensitiuam propter membra sentientia. Accedit, quod animal est animatum, & animal, ergo animatum per vegetalem, animal per sensitiuam. Præterea vbi superior, etiam inferior anima. In brutis sensitiua, ergo altrix, quia sine illa non est sensitiua dicente Arist. Ac separata locis, ratione, officijs, natura non sunt idem. Sensitiua vegetalis dissident his in bruto, non igitur vna anima. Minor Platone Galeno authoribus declaratur, siquidem in iecore vegetalis, sensitrix in corde, vel cerebro. Alia est definitio vegetalis, & alia sensitricis, vt erit paulopost perspicuum. Aliud officium nutrire, aliud item sentire, quare plures in eodem animali animæ. Hac de quæstione non conuenit inter Aristotel Platonem, nec inter Gal. & me. Plato. Gal. in libris de decretis Hippocratis Plat. fatentur plures animas in eodem bruto, & homine sicut cap. 7. libri quinti, & in sexto libro ostendit, & non vnam esse, qui si tres facultates in homine poneret ratiocinandi, sentiendi, vegetandi, sed non tres substantias conueniret. Nam & ipsi profitemur vnam animæ substantiam diuersis facultatibus præditam. Verum videtur tres substantias ponere, & species, ac partes, iccirco dissidet ab Aristotel. possidonio. Ac cap. 2. sexti libri de decret. &c. ait de Aristotelis errore, qui tres vnius naturæ potentias, & facultates esse existimat, tametsi superius abunde diximus &c. Has tres capite. 3. discludit. In capite rationem locat, in corde vitalem, irascibilem, in iecore vegetalem, & esse ibi probat instrumentorum, & actionum euidentia. Nerui a cerebro, arteriæ a corde, venæ a iecore inseruiunt animabus necnon operationes diuersæ ex illis locis prodeunt. Sensus motio a cerebro, pulsus a corde, nutritio a iecore. Non referam amplius Galeni argumenta, cum dilui simili modo queant. Illud mirabile, quod vitalem facultatem addit in corde, & cuius sit facultas non affert. Non enim naturalis est, non sensitiua, alioquin vel in iecore, vel in cerebro sita esset, ergo cuius est facultas, nisi animæ differentijs ab illis, & ita quatuor erunt. Cæterum nos Aristotelice fatemur vnam esse animam in brutis sensitiuam in corde, cuius ui omnis pars sentit, & alitur sensu tactus, & gustus, vbi est. Et cum omnis pars corporis sentiat vel primario, vel per consensum, merito vna est anima. Et item cum omnis nutriatur particula, per eandem animam nutritur. Et vnumquodque est vnum per vnam formam, & animal, ergo non plures animæ in eodem. Sed respondeamus argumentis aduersantium. Quoad primum de verbis Aristotel. dicito verum illud, plures facultates eiusdem substantiæ animæ inesse in eodem, non autem animas. Et sensus sunt plures facultates eiusdem animæ sensitricis. De secundo Stoici reprehenduntur quod vnam animam cum vna facultate posuerunt in animalibus, & homine, sicut prodidit Gal. in libris de decretis Hippoc. Plato. De tertio si Gal. ponit plures animas, non vidit rationes Arrstotel. qui & si particulas vocet potentias, plures asserit, Nisi more Platonis vocet particulas, suo enim modo dicuntur potentię, & hæ sunt plures. Quoad quartum dicito separatas esse animas in diuersis, & vbique vnam, sed in mortalibus inferioris loco superior per vnam facultatem vice eius exercere officia in eisdem, ita vt sensu tactus sit loco nutricis facultas sensitiuæ. Nec replicari valebit id aduersari Aristoteli dicenti non posse in caducis sensitricem, & nostram separari a vegetali, sed hanc ab illis, quia tactus est loco eius & ita non separatur. Aut conuertitur in substantiam sensitricis, & remanet illa cum facultate etiam nutriendi, quia nobilior assumit vim inferioris. Quoad quintum respondebis ossa, neruos nutriri per alimentum a fusum, & difusum illis, aut per consensum sentire & ita vti facultatibus attractrice, retentrice, expultrice, assimilatrice, formatrice. Ad sextum dic fuisse ante animatum per vegetalem dum fiebat animal, sed postea eadem sensitiua dicitur animatum, & animal, ac viuere sensu tactus alimenti. Quoad septimum diximus. Quoad octauum affirmo diuersa officia, diuersas actiones, instrumenta diuersa indicare diuersas facultates ratione, sed non varias substantias solum, siquidem vna est quinque sensuum exteriorum, qui operationibus, officijs distinguuntur, & instrumentis. Quare Aristotelice vna est anima in vnoquoque animante pluribus facultatibus prædita. An hæc sit tota in toto, & qualibet parte, proxime in comment. dijudicabitur, ne sim longior, & tediosus hoc in loco lectori.

Contex.

## Contex. XXII.

*QVinetiam animalium nonnullis hę omnes inditę sunt, nonnullis vero horum quędam, reliquis autem vna duntaxat. Id item facit animalia differre. Quamobrē autē post scrutandum est. Nunc quoq; per simile sensibus accidit. Animalia enim partim oēs habēt, partim quosdā partim vnū tangēdi, qui maxime necessarius est.*



IMPLICIVS, Auerh. putant ex his significare differentiam animalium prout plures habere, & pauciores particulas, & potentias animæ. Philoponus censet declarari nunc differre potentias ratione. Themistius cum Simplicio probat animalium differentias indicari. Hæc melior explicatio, siquidem verbotenus Aristotel. inquit idem. Adhuc sermo est de eisdem particulis & potentijs. Quinetiam animalium nonnullis, homini hæ omnes quatuor virtutes vegetalis, sensitiua, motiua, intellectiua inditæ sunt, & ita in eodem animali sunt potentiæ cum vna anima, sed in diuersis generibus animalium ea faciunt differre, vt vegetatiua in plantis, sensitiua in bruto, & motiua ad locū in quibusdam, & intellectiua in homine, nonnullis vero quædam harum insunt, vt bruto vegetalis sensitrix, non motiua ceu conchilijs spongijs marinis, & quibusdam etiam motrix. Reliquis autem vna duntaxat, ceu plantis sola vegetalis. Id videlicet plures, & pauciores habere facit animalia differre, non autem secundum materiam, & instrumenta more Pythagoreo dissident, qui Pytag. migrare animas de corpore in corpore censuit, & differre ob ipsa corpora, ceu vna vox per diuersa foramina tibie, flauti differt per foramina, vna grauior, altera acutior ob foramen, sed opinio falsa arguenda postea, nunc vero animalia differunt paucitate, & multitudine potentiarum animæ, quæ differentia, an sit essentialis, an vero accidentalis dubium est. Nam accidentalis per numerum videtur, & si essentialis, ergo plures animæ in eodem contra decretum superius, Nisi respondens differre animalia inter se potentijs non substantijs. Talpa si ei deficit visus, differt ab auicula potentia, non essentia, quia auicula habet sensum videndi. Et reuera differentia est formalis per potentias plures, & pauciores, quando nulla potentia est apta constituere genus animalis, sicut materialis illa per plura, & pauciora organa. Verum id suo loco melius, ob id ait Aristotel. Quamobrem autem, scilicet differant animalia paucioribus, & pluribus potentijs post sumendum est, in alio capite paulopost. Aduerte vocari plantas animalia, siquidem sunt illæ, in quibus vna sola est anima, & particula, Nisi more Platonis loquatur, & Emped. Anaxagoræ, Nisi aut diuisionis causa vbi duo membra sunt de animalibus, & tertium solum de animatis plantis. Simili modo de sensibus vnius animæ sensitricis facultatibus ait. Nunc quoque persimile sensibus internis externis accidit, & probat. Animalia enim partim oēs habēt sēsus externos, & internos, vt homo, partim omnes externos, sed non omnes internos habent, non enim opinionem, & cogitatiuam alia ab homine habent, partim quosdam. De externis. Conchilia partim solo fruuntur sensu tactus, partim etiam gustatu, partim vt echini odoratu, partim vt talpa sine visu. Attamē habet subcute oculos, alioquin quomodo e loco ad locum sub terra mouerentur, nisi viderent sed natura operta est membrana oculos, ne pulueribus intra terra degentes talpæ læderentur oculis. Ego expertus sum, & vidi oculos tectos cute. Etiam quæ sensus omnes externos non oēs internos habent, sed quosdā. Partim vero vnū tangendi externum, quibus nullus internus nisi phantasia imperfecta, appetitus eiusmodi, qui maxime necessarius, quia facit ad esse, & ad bene esse simul. Iccirco exquisitissimus homini datus est. Visus, auditus ad bene esse magis. Tactus est, sine quo non animal, nec nutriri potest, iccirco fusus est per omnes partes corporis, & magis corporatus apud Simplicium. Tactus est sine quo item non est custodia vitæ. Quem faciant medici in tangendo pulsu, in eorum libris legens, ergo quoque ad discernendum, & prouidendum febribus. Sed in tertio libro erit de hoc oratio. Reliquum stemus promissis, & videamus ne anima tota sit in toto, & tota in qualibet parte vegetalis, & sensitrix. Videretur secus, quia vegetalis est in trunco certa parte, & sensitiua in corde, vel proportionale cordi tota, non æque igitur in singulis partibus tota. Rursus in minima particula tota inesset, quod falsum. Si auellitur minima, non vegetatur rursus inserta, neque in ossibus, neruis, cerebro inest. Non enim sentiunt, er

go caret anima sensitrice. Tertio si tota in toto, & tota in qualibet parte, erit indiuisilis, sed quod est indiuisibile. 8. phys. est abstractum a materia, ergo nulla erit actus physici organici &c. Quarto particula esset æqualis toti, si vt in toto est anima, ita in particula, id contra Geometriā. Quinto, quelibet pars esset animal. Vbi tota anima, ibi animal. Si ergo tota est in partibus, ergo quelibet animal quinimo quelibet videret, audiret, & quelibet organica, si quidē anima est actus organici. At partes similares nō organicæ. Pars & totū diuersa perfectibilia, ergo habet diuersas perfectiones, animas. Qui nimo vna parte dissoluta, tota anima dissolueretur, siquidē ad interitū corporis interit anima. Vnde fuerunt qui vegetalē, & sensitricem, motiuamque extendi extensione subiecti velint, vt quālibet partem animatam, sed non animal dici, de qua opinione in altero vicino contextu, vt lector singillatim has quæstiones mandet memoriæ. Ergo ad præmissam. Dicimus nos animam vegetalem, & sensitiuam, vt est in parte, ita in toto totam contra quam alij interpretes dicunt asserentes animam totam in toto, & totam in qualibet parte, at nos affirmamus vt tota est anima in parte, sicut vegetalis in trunco libello Aristotel. de diuturnitate vitæ, & breuitate, & sensitiua in corde Aristotelicæ, ita tota est in toto & qualibet alia parte. Nec obstat si exactius in trunco, vel in corde, aut proportionale cordi sit. Vbicunque est calor natiuus, est sicut in corde totus, & in trunco. Hinc fit, vt omnes partes alantur, & sentiant. Verumtamen non equali mensura, sed pro capacitate partis. Et dico non equali mensura, quia iecur plus calet liene & cerebro, tamen vbi est pro captu membri, ibi totus est pro capacitate eius, alioquin lacessitus, & diminutus alicubi faceret imperfectas operationes. Vnde alibi crassior fuliginosior est, alibi subtilior, mobilior. Quo igitur ad gradus in essentia quia non habet est totus in corde, & in qualibet parte, & in toto, sed quoad gradus inesse in fele maior, in osse minimus, aut pilo, vngue, ceu coagulum lac cogit omnes partes lactis, totum vbique est, sed a terrestrioribus aliter sumitur, & aliter ab aereis. Ad argumenta. De primo, anima vegetalis est in trunco, vtque ibi tota etiam tota est in toto, & qualibet alia parte, sed in trunco primum, deinde in cęteris qua alia reguntur a corde secundi lib de partu animalium cap. 4. Atque dicito de sensitrice in corde. Quoad 2. dic in minima parte non esse vegetalem, neque sensitiuem, & si minutim ligno inciso exoritur planta, propterea quod non potest tam parue pars non organica retinere animam. Et in ossibus, neruis per consensum. Ad tertium dic animam esse totam potestatibus, non essentialiter ex materia, forma, nec totam quantitate, attamen non omnino in corde est indiuidua, sed pro captu cordis extensa est, & 8. physi. loquitur de indiuidua re potestate, quantitate. Anima est diuidua potestatibus in organis, iccirco non est omnino indiuisilis, & sic est in materia. Ad quartum dicito etsi tota anima sit in parte, vt in toto non fore partem quantitatiuam equalem alteri in quantitate, alioquin omnes partes corporis essent æquales mole, contra sensum, virtualiter ergo pars est equalis toti, sed non quantitate, sed proportionaliter pro captu membri, vt dictum est. Ad quintum respondebis more quorundam omnes partes esse animalia imperfecta, vel fore animalia, si queque existere per se seorsum ab alia partes similares retinēt essentiam animæ, & organicæ facultatem vtendi. Est ergo anima essentia similarium, & vtens organicis. Ad 6. dixeris partem, & totum diuersa perfectibilia non omnino, cum etiam tanquam pars totius perficiatur a tota anima. De septimo dic non interire animam dissolutione partis, sed talem facultatem animæ in ea parte.

## *Capitis. 3. in secundo tomo summa.*



ENVS definitionis principium declaratur esse formale, & quo primum alitur, sentimus, mouemur, intelligimus, non autem materiale. Duplex porro initium duplici exemplo, scientiæ, & animæ vna, & altero sanitatis, & corpore humano. Et colligitur definitio formalis communis, quæ singillatim cuique animæ accōmodatur, Hæc est anima principium quo primum viuitur, sentitur, mouetur ad locum, & intelligitur. Vegetalis sola est principium formale, quo primum vegetamus, sensitiua, quo primū sentimus, & quo primum mouemur ad locum. Intellectrix, quo primum intelligimus. Repetit triplicem substantiam, cū quadam cuiusque substantiæ descriptione. Materia, forma, compositum, & anima asseritur energia

corporis. Vnde infert corolarium, quosdam bene dixisse animam non esse corpus, sed non sine corpore, non tamen cuiusuis corporis anima est forma, sed sui corporis queque contra pythagoreos asserentes migrationem eius ex corpore in corpus nō accōmodantes aptum subiectum, & tale, quale sit receptiuum animæ cum debuissent, siquidem actus agentium in patientibus apte dispositis collocantur.

## Contex. XXIII.

*CVM rursus dupliciter id, quo viuimus, & sentimus, ceu quo scimus, & horum vnum scientiam, alterum autem animam nominamus. Vtroque enim sciri dicimur, necnon similiter id, quo bene valemus, partim quidem valetudine, partim aliqua corporis parte, vel etiam toto. Horum certe scientia, atque salus forma & species quædam, ratioque, ac velut perfectio recipientium erit, sed hæc apti ad scientiam, illa vero recipientis sanitatem, siquidem quæque efficientium actio imprimitur in patiente, & præparato. Anima porro id est, quo viuimus, sentimus, ratiocinamur primo ita, vt sit quædam ratio formaque, & minime velut materia, idque quod subijcitur.*



VERHOES censet philosophū reuerti ad declarandū animam esse formā substantialem, non materiam, nec corpus. Male continuat prædictis. Iam superuacaneum id esset, nec breuitati scriptoris consulit. Themistius arbitratur velle scriptorem declarare quomodo animatum differat motu, sensu ab inanimato. Non vidit iste adiungi viuere, & intelligere, ergo quid vniuersalius tractatur quam quomodo motu sensu animatum distet ab inanimato. Philoponus putat velle docere quomodo anima sit entelechia corporis organici qua viuat, & sentit animal. Neque is recte intellexit, quia id supra fuit expositum. Simplicius melius scopum attingit scriptoris, asserens animam dici causam animati non materialem, sed formalē, qua distinguatur ab inanimato primo, & non per materiam, vt Pythagorei tradunt. Et recte iste, dummodo causa, & principium idem significant, sentit. Supra reliquit animam esse principium viuendi, sentiendi &c. nunc qualē sit, indicat, nempe formale, nō materiale. Diuidit igitur id quo viuitur, & sentitur dupliciter, siue sit forma, efficiens, & finis apud Simplicium. Et exemplis binis ostendit, & colligit animam esse velut formam, rationem qua viuimus, sentimus, & patefacit definitionem, atq; insinuat Pythagoream opinionem absurdam, quæ quamlibet animam in quolibet corpore constituebat dicens aptam apto corpori tribuendum, de qua paulopost euidentius loquetur. Inquit. Cum rursus propter maiorem explicationem principij, quod est anima, dupliciter id, idest principium, quo viuimus, vegetamur, & sentimus anima, & corpore quidem viuitur, sentitur, sed anima tanquam forma, & corpore tanquam materia, iccirco anima erit principium viuendi formale, & sentiendi primum. Huc pertinet scopus, sed hunc exemplis ostendit, vel inductione apud Philoponum. Addit Arist. Simplicius indicare animam esse substantiam. Sed redeat sermo ad contextum. Exemplum primum, ceu quo scimus dupliciter dicimus. Et horum vnū scientiam. Siquidē scientia scientes denominamur, vt albedine paries albus, alterū autē animā, idest subiectū scientiæ nominamus: probat exēplū ex vsu loquēdi sapientū. Vtroq; enim sciri dicimur. Secundo quoq; exēplo vtitur aptiore. Necnon similiter id, quo bene valemus partim quidē valetudine, velut forma, partim aliqua corporis parte vt oculo ceu subiecto sanato dicimur sanari per partē primo contex. quinti physi. libri, vel etiam toto corpore, cum e febri conualemus. Hinc accipe Gal. & medicorum duo genera morborum verbis. Morbi particulares partibus insensi, & vniuersales vniuerso corpori, ceu febris. 8. cōment. Gal. 6. de morbis vulgaribus, qui etiā scripsit de locis affectis particularibus. Et Auicenna separatim scripsit de febribus, & de morbis partium. Et apoplexiam fortē putant morbū vniuersalem, elephantasim, lepram, & similes cōtagiosos morbos. Subiungit differentiam. Horum certe scientia, atq; salus non materia est, sed forma non accidentalis, vt pulchritudo, & si morphe grecæ potius formam extrinsecam significat, & corporis pulchritudinem, iccirco subditur & species quædam intrinseca dans esse, & rationem, non sicut idea, nec forma separata, ratioque forma est rei essentia, & definitio, ac velut perfectio recipientium erit. Hinc Simplicius promit scriptorem indicare animam substantiā

esse

esse, si corpus substantia est, & corpus animatum magis, & animatum ob animam est substantia magis, igitur anima multo magis substantia erit, quæ est forma. Verum hæc repetita sint. Principio secundi sepe hæc diximus. Illud potius aduerte, quia dicit velut perfectio recipientium. Etenim est perfectio anima recipientium, & entelechia. Dixit autem velut propter exempla scientiæ & sanitatis, quæ non sunt perfectiones substantiales, sed quodammodo. Et ne quis Pythagoreo modo cogitet animam esse indistincte cuiusque corporis perfectionem, addit, sed hæc apti ad scientiam, est perfectio, illa vero sanitas recipientis sanitatem, in Pythagoram generalis oratio, siquidem quæque efficientium actio, vt sentire in proprio subiecto, & organo, & vegetare similiter imprimitur in patiente apto, & præparato, ita vt actio sit loco animæ, & patiens sit loco corporis, non ergo quæuis anima in quouis corpore. Illa generalis oratio intelligitur dum nil obstat, & in debita distantia sit agens cum patiente. Vt exempla dedit, & animam comparauit scientiæ respectu subiecti animæ, & sanitati respectu corporis, & dixit esse spetiem, formam, &c. explicat quomodo supra dixit animam esse principium, quo viuimus, &c. formale, non materiale, & simul definitionem propter quid scribit. Vnde cuique animæ propria depromi potest. Anima porro id principium est quo viuimus, vegetamur. Sentimus, ratiocinamur primo, secundo enim corpore apto viuitur, sentitur, &c. & quomodo sit primo principium exponit, vt sit quædã ratio, essentia, non accidens, formaq; non materia, & minime velut materia, idque subijcitur pro materia secundo, & corpore. Superiori comment. accepimus totam animam vegetalem in plantarum trunco cum Aristotel. in libello de longitudine breuitate vitæ, & sensitiuam in corde, aut proportionale cordi, quinimo vegetatiuam euadere potentiam censitiuę, & appellari tactum sensum alimenti. Vt ante sensum cor alebantur, & aliæ particulæ fętus, post vero sensum vegetalis fit tactus, qui est sensus alimenti, alioquin si remaneret vegetalis, & eius vi aleretur animal tactus non esse sensus alimenti, sed vegetalis, ergo sicut erit paulopost euidens sensus alimenti tactus sibi cessantis animæ officium vsurpat, & adiungit. Restat igitur videre, an anima sit in vna parte corporis primũ, quæ nempe quæstio & si ex citatis locis in Arist. constat animam esse in vna parte, tamen aliqui se opponunt illi. Anima est actus corporis organici primus naturalis, cor, aut truncus plantæ nõ est organicũ, sed similare, licet figura videãtur dissimilare apud Arist. 2. libro de partibus animaliũ cap. primo, & alibi, ergo nõ est anima primus corporis actus. Secũdo supra cõtextu. 9. tradebatur sicut pars animæ ad partẽ corporis, ita tota ad vniuersum corpus, ergo anima est actus primus totius corporis, & nõ cordis, aut trunci. Tertio, exẽplo plãtæ decisæ in ramos habentes animã, & insectorũ habẽtium in partibus animã sensitricẽ, ergo est anima in toto corpore primũ, & nõ in vna parte, & eo magis, quod Arist. dicebat animã plantæ esse vnã totã actu, & plures potentia, ergo totius plãte est actus, & nõ in trunco primũ, Aduch quarto Gal. Alexander Aphrod. testãtur adẽpto corde arietem fugisse, ergo anima erat in toto reliquo corpore sine corde, quinimo Arist. in libello de lõgitudine vitæ, & breuitate tradit viscera testudinũ exempto corde palpitare: ergo anima in toto corpore primũ. Rursus argumẽto Thrusiani in secũdo commẽt. in artẽ Medicinalẽ. Vbiq; corporis est sensus, & motus, ergo vbiq; corporis anima, & totius actus, operatio enim cõcludit formã esse. Adde totũ corpus habet esse, ergo aliqua forma dat illi esse, & nisi anima, ergo totius corporis primũ anima actus, Quinetiã si vegetatiua est primũ in corde, quia cor primũ nascitur, & vltimũ moritur, ergo nõ sensitiua, quæ diuersarũ potentiarũ diuersa organa. De hac cõtrouersia cõuenit inter Plat. Arist. & Sectatores Chrysipũ Possidoniũ, & Galenũ ex altera parte, & nõ cõuenit. Concordia est, vt essentia animæ cuiuscunq; mortalium sit in aliqua primaria parte corporis. (Tres sunt primariæ apud Plat. Gal. cerebrum, cor iecur) & per consequens sit actus totius corporis organici, dummodo illa primaria pars habeat potestatem in omnes corporis partes. Primarias partes aiunt, quæ gubernant alias, & infundunt cæteris virtutem, & vna in suo officio non dependet ab altera. Cerebrum nihil habet a corde in dando per neruos sensificos sensum, & per motorios motum. Contra cor nil habet a cerebro vitalis facultatis, caloris innati, spiritus, & motus sistoles contractionis, aut diastoles, æque iecur non habet ab utroq; vim alendi, sanguificandi &c. Quare cum reliquæ partes accipiant ab his sensum, vel motum, aut arterialem operationem vitalẽ, aut naturalẽ, merito hæc tria membra primaria dicũtur & si quæras quale sit horũ trium principalius. Respondet Gal. lib. 7. Methodi cap. vltimo in sanis par momentũ cordi & cerebro ad vitam, sed in ægris robur cordis, & vitalis facultatis attendendũ est, non æque cerebri vis pensitãda, quia nõ ita necessaria est ægrotantibus, quare cerebrũ præponit, cum ei tribuat in secũdo ad Glauconẽ originẽ cõmunis toti animali virtutis, cõtra Aristo

cor præponit, & cerebrũ ex cremẽti quoddã genus affirmat. 2. libro de partibus animaliũ cap. 7. 10. quale aptũ est moderari calorẽ cordis, vt sæpe ait, sed de principatu mẽbrorum alias, nunc cõuenit inter hos de collocãda anima in aliqua primaria parte corporis. Non cõuenit autẽ, quia Plato tres disclusit primarias animas in eiusdẽ animalis tribus primarijs mẽbris, & ei subscribit Gal. lib. 5. 6. de decretis Hipp. Plat. libro, & sæpe alias, contra Arist. cum Theophrasto, & secta vnam animã esse sensitricẽ in corde postquã accessit illa & vegetalẽ cõuertit in potentiã suã quæ est sensus tactus, & alimenti, quæ mutatio essentiæ, & conuersio nemini mirabilis esse debet cũ nostris temporibus contra quã Arist. 8. metaphy. credidit acetũ mutari in vinũ cognitũ sit, & semen euanescit in calorẽ natiuum coagulantẽ menstrua apud Arist. lib. 2. de generatione animaliũ, sat est animæ sensitrici posse supplere inferiori essentiæ, cuius facultatẽ cũ officijs in se cõuertit, & maior flãma absorbet minorẽ, eiusque vim in se adigit cõsumens eius pabulũ apud Arist. in libello de longitudine, & breuitate vitæ, quare cõclude in corde inesse animã vnã, per quã animal est, & viuit, vt in eodẽ libello asserit Arist. in his verbis. Necesse est vnam, & eandem partẽ esse, per quam & viuit, & id animal nuncupamus. & hanc partẽ esse cor subdit cõmune sensiterium ad quod cõfluunt omnes sensuum actiones, cũ sit in medio partiũ priorũ corporis vbi sensus, & posteriorũ, ac superiorum, & inferiorũ, vnde anima in medio est pectoris, quale pectus est mediũ inter caput, & abdomen vsque ad coxas. Quare omnis anima in medio sui generis est. Non enim anima vegetalis primo est in radicibus, aut apicibus, sed in trunco. Et in expertibus cordis animalibus anima est in medio, & proportionali cordi. Hæc autem sententia est vbique Arist. in cap. 4. secundi de partu animalium, in libello de motu animalium; de inspiratione, & Gal. Theophrastus, Alexander Aphrod. idẽ testantur. Dissentit ergo Arist. a Plat. a Galeno de numero animarũ, & de primo subiecto eius, quia Plato vegetalẽ in iecore, Arist. in corde ponit & a Gal. quia ille sensitricem in primis anterioribus ventriculis ponit. 7. de decretis. 12. meth. & alibi cum spiritu vicario, vel instrumento animali, & Arist. ponit in corde cũ spiritu innato in libello de motu animaliũ. Quæ autem sit harũ opinio verior apud me facile est decernere, qui animã vegetalem, sensitricemque statui calorem natiuum cum Hippoc. & coegi Gal. Arist. Platonem ex suis sententijs idem sentire. Cum porro calor natiuus sit in corde, & primũ nascatur, & vltimo extinguatur, dicitur calor anima viuentis. Et permansio vitæ quoad calor alit, & alitur in libello de spiratione Arist. cogã porro Gal. idem sentire ex verbis suis. In corde est virtus vitalis apud eum, ergo vita primũ in corde vnde vitalis virtus. Non potest aliter fingere Gal. aut virtus vitalis a vita manat, aut illa facit vitã, vtroque modo est in corde primũ, sed anima omnis confert vitam, & viuere, ergo omnis anima est in corde, vbi primum vita. Rursus mors est contraria vitæ, vitam autem dat calor naturalis, quia extinctio eius est mors asserente etiam Galeno, ergo si anima dat vitam, & quod dat vitam est calor, ergo hic calor anima sensitrix, cum iste sit in corde primum ergo calor primũ in corde. Quod vero vitalis virtus sit sensitricis animæ virtus, ex eo patet quod virtus, potentia, facultas (appella vt libet) est alicuius virtus, cuius ergo non vegetalis, vt idem Gal. fatetur, non rationalis animæ, quia etiam est in brutis, ergo sensitricis, & motricis animæ. Alia anima mortalium non reperitur. Et si quid sit facultas vitalis non exprimitur a Galeno, tamen ex eius verbis indicatur. Apud eum vitalis potentiæ cor est fons, & vitalis spiritus sedes prima, vnde manat ad arterias. Atque si vitalis facultas est maxime spirandi, & continentur anhelitu attracti boni aeris, etiam spiratio, & expiratio sunt actiones animæ sensitricis, & cum anhelitus fiat gratia animæ, & vitæ, & fiat caloris causa natiui refrigerandi, itaque calor natiuus anima in corde. Hinc Gal. tum spiritu in quarto libro de locis affectis tum respiratione in libello de difficultate respirandi. 3. tum item calore vitam conteneri dixit. Et nihil aliud est vitalis facultas, quam potentia, perfrigerandi caloris, quæ est in eodem calore, dum potest perfrigerari. Verum enucleatius alibi de virtute vitali, nunc velit nolit Gale. si asserit in corde vitalem cogitur asserere ibi sensitricem primo inesse, licet in cerebro quod ad vsum motus, & sensus magis appareat, sicut etiam fatetur Aristotel. secundo libro de partibus animalium cap. decimum. Quapropter vbi sit calor natiuus anima vegetalis, quæ crassior terrestrior, & sensitiua, subtilior exactior, illa erit in corde. Ac si non esset anima calor natiuus, adhuc potes alijs rationibus persuadere primo animam sensilem in corde, siquidem vbi primum sensiterium est sensus tangendi, ibi anima sensitrix, quia tactu omne animal constituitur, sed primum sensiterium tactus est cor in hoc secundo libro, vt dicemus, ergo ibi anima primum, quod confirmant aliqui ex eo quod fœtus in vtero formato corde si pungatur, se retrahit, ante vero non se retrahebat. Id


signum

signum est, quod formato corde ibi est anima sensitiua primum. Hoc est ridiculum, Qui potest pungere foetum formato statim corde? Ac prius est in corde vegetalis apud Aristot. itaque non sensitiua. Sed illud magis verum, quod in morte caput, pedes priuantur vita sensu adhuc in corde existente etiam per dies quinque, vt obseruaui in quibusdam ergo animæ sedes est cor, ex quo exit denique, vel interiit, Atque illud magis cogit argumentum. Primum, & commune sensiterium, ad quod omnes confluit sensationes magis est sedes animæ, quam quod non est sensiteriū, nec sentit, sed cor maxime est sensiterium, & sentit, & non cerebrum, quale apud Arist. est quoddam excrementi genus, & apud Gal. membrum principalissimum, qui tamen fatetur illud non sentire. 8. cap. primi de simptomatum causis, proinde melius est dicere primam animæ sedē sensitiuæ sensiterium primum, communeque & quod sentit, quam id, quod non sentit, nec defendes Gal. dicendo satis esse cerebro vt sit primum sensiterium, & sedes sensitiuæ, quia est influens vim neruis, per quos sentimus, cum si non habet cerebrum sensum, non potest influere. Nil dat quod non habet. Non habere sensum etiam chirurgus, qui medeatur cerebro, & infirmus affirmabit. Atq; cū maius momentū ad vitam, & sentiēdum habeat inspiratio, respiratio, quā motus principium, ergo vbi primum inspiratio, ibi primum anima sensitiua, sed ob cor primum inspiratio fit, ex consequenti cerebro, cum non sit ita calidum, vt cor, vt perfrigerari postulet æque, ergo in corde primum anima sensitiua, Rursus cor maxime sentit, vt quoq; fatetur Gal. & sensum non dat ei cerebrum per neruum, quia sistolem, diastolem per neruos non communicat cordi vitalem motum, & sensitiuum, ergo cor per se habet sensum, Adde si calor natiuus est instrumētum animæ sensitiuæ, ergo non fuit consentaneum separare instrumentum ab vtente anima, si calor natiuus in corde, etiam anima ibi. Hæc nunc nostra argumenta. At vero accipe quæ Alexander Aphrodiseus scripsit supremo capite commentationis suæ. Aliqua animalia sunt sine capite, & sentiunt, ergo anima sensitiua non in cerebro, sed in corde. Ad quod si dixeris sermonem Galen. esse de anima sensitrice hominis non cuiusuis animalis obijcitur idem iudicium de anima vnius animalis sensitiua, & de quacunque, etiam hominis. Atque contradicit Platoni Gal. qui rationem in cerebro, non sensitiuam locauit, Hæc enim mortalis est, & rationem disclusit a mortalibus in Timæo, ergo sensitiua est in pectore apud Platonem, cuius affectio est ira, & facultas irascibilis. Nec potes dicere animal aliquod sine proportionali cordi, & si sine corde. Addit primo tactum, & gustum in corde, & si apparet in lingua viæ sunt, quæ a corde ad cerebrum cōcedūt, per quas gustus remeat ad cor, & actio gustandi, ergo anima ibi, cum vbi tactus ibi anima sit necesse, Accedit, quod si ossa, nerui, pili, vngues non sentiunt, quia sanguinis expertia sunt, ergo vbi sanguis, ibi maxime sensus, nihil sanguinosius corde, ergo ibi maxime anima sensitiua. At dices in iecore sanguis primum conficitur apud Gal. vt dicimus, contra ille sanguis iecorarius indigestus, non coctus non meretur nomen proprij sanguinis, sed potius parenchima est cum Erasistrato certa affusio sanguinei humoris, Rursus principium motionis est cor, ergo anima in corde quę est initium mouendi. Nec obstat si dicatur cor non esse organicum, quia & si quoad carnem videatur similare, tamen quoad figuram pyramidatam eius dissimilare est. Denique ibi sensitricē ostendit motitio, & fabrica facta gratia tuendi cordis, quod muniuit ante, & pone, supra, infra tot præsidijs ossium, pectore membranis, capsula, vt si quis vere velit metiri, nullibi aptius essentia sensitricis possit collocari, ac in corde, vbi humidum radicale, vitalis spiritus, calor natiuus constituunt viæ, & animæ patrocinia. Ecquid hoc euidentius capite abscisso adhuc viuere animal? Ecquid preclarius adhuc sensum in præcordijs inesse capite pedibus iam frigidis, & mortuis? Hoc fit videre in senibus moriētibus præcipue, in quibus vltima lux lucernæ est consumptio humidi in corde, & extinctio caloris natiui. In cerebro nō est humidū radicale, non calor natiuus primū &c. Quare & meis, & Alexandreis argumentis collocabis animam in corde, non in cerebro contra Galenum, cuius tamen rationes cras audituri estis, vt non videatur deserta protectione eius prolata sententia. Decretum igitur nostrum est cum Aristotele, Platone, vt principatus animæ sensitricis sit in corde. Ad argumenta aduersantium dicito singillatim. De primo negabis cor non organicum, & dissimilare, quinimo est quoad figuram dicente Alexandro, qui istud accepit ab Aristotele ad calcem fere primi cap. in 2. libro de partibus animalium, sicut citat argumentum. Et tūcus est organicū corpus bifidū, in cuius similari parte est essentia animæ, & vsus in organica, & dissimilari, Duo facit anima perficit similatē partē, & vtitur dissimilari organica, vt paulo supra fatetur in his phy. Cū autem partes aliæ instrumētariæ, aliæ sensoriæ sint, instrumentariæ omnes vt iam dictum est, dissimilares sunt, sensus autem omnibus contingit per similares &c. Ad secun-

dum dicito factam comparationem, seu similitudinem de parte, quæ nõ habet potestatem in omnibus sicut cor, & ideo dixit totam animam ad totum corpus, vbi primum est in corde quod tanquam filius emancipatus videtur in se habere propriam vitam, & animam, quam communicat alijs, cor autem habet potestatem in omnibus partibus animalis. Ad tertium de ramis decisis habentibus animã actu, & antequam amputarẽtur habebãt animam totius dicimus quod illa anima erat in trũco vna actu, & plures potestate, quia trũcus habet potestatem in omnibus partibus plãtæ, iccirco negamus illationem, animam scilicet esset primam in toto corpore. Ad quartum dicito præciso corde arietem fugisse ob vim spiritalem remanẽtem aliquãdiu post animam, sicut remanet in palpitantibus visceribus exceƈto corde, vel proportionali testudinibus, & si hoc argumentum dicente Alexandro non valet, cum etiam exceƈto capite a nõnullis animalibus hæc diutius vixisse compertum sit. Ergo paria momenta rationũ nõ sinũt certum cõcludi decretum. Vbi ergo cõiecturæ nõ suppetũt, ibi rationes admouendæ, De quinto ad Thrusianum respõde vbicũque corporis motum, & sensum esse per influẽtiam vel spiritum, vel qualitatem spiritus, sed quia professi sumus animam in toto totam, & in qualibet parte dicimus vbique esse animam sensitricem totam, sed principatum eius in corde, vbi viget magis operatio sensus, & motus. Ad sextum dixeris animam esse vbique corporis totam, & dare esse, & operationem pro captu, & potentia operandi, ergo primo totius corporis actũ esse, & non cordis negamus. Nam primum est cordis, quod primum generatur, & viuit, & vltimũ moritur, deinde cuiuslibet partis, & totius actus est. Et cum subditur prima est vegetatiua in corde cõcedo antequam sensus facultas accedat, sed vbi sensitrix aduenit illa trãsit in taƈtũ, qui est sensus alimenti, & cessat substantia vegetalis, vt quoque Alexãder citato supra cap. reliquit verũ esse, nec aliter dici potest. Quare primum tota anima sensitiua Aristotelice habet principatũ in corde sicut, & vegetatiua, & phantasia, memoria & ratio tã quam assistens, vt apta aduenire, ita recedere sine sui interitu. Sed de his postea.

## Contex. XXIIII.

*CVM tripliciter dicatur substantia (sicut proditum est) quarum alia forma, alia materia, altera ex vtrisque, & harum materia sit quidem potentia, & forma actus, atque ex vtrisque animatum, certe corpus non est actus anima, sed ipsa cuiusdam corporis.*



ADHVC docet author animam esse principium nõ quo materiale, sed formale ex repetita diuisione substantiæ, Auerh. fatetur esse aliam rationem a prediƈta, & eo meliorem, quod illa solum demonstrabat esse, hæc dat causam, & esse. Conditio demõstrationis potissimæ in primo gradu certitudinis. Est ergo argumẽtum tripertitum. Animæ est principium substantiale, aut materia, aut forma, aut animatum corpus. Nõ est materia, quia imperfecta substantia est, in potẽtia. Anima est perfectio, actus, entelechia. Nõ itẽ est corpus animatum, quale apud Simplicium sicut medicus dicitur Medicina medicus, & sanum sanitate sanum, ita dicitur illud anima animatum, ergo si sanitas nõ est sanum ipsum, neque anima animatum, quinimo dicente Auerh. animatum in actu est per animam, qui actus est endelechia eius quod est in potẽtia, & nõ hoc est actus ipsius entelechiæ, ergo animatum corpus non est actus entelechiæ. sed cõtra anima est entelechia eius, quare cum forma ita se habeat, Anima erit forma, seu formale principium, & non materiale viuendi, sentiendi &c. potes breuiter cõdere argumẽtum. Anima aut forma, aut materia, aut corpus ex his maxime animatum, Non materia, quia est potẽtia natura quædam perfectibilis, nõ perfectio, Nõ corpus animatum, quia hoc perficitur ab anima, ergo forma erit, & formale principium dicitur corporis sentientis, vegetalis &c. Clara sunt omnia. Cæterum. Ne videamur Gal. medicumque deserta causa damnauisse, oportet videre quibus argumẽtis Gal. doceat animam sensitricem in cerebro cõtra Plat. reponẽtem eam in corde sub nomine irascibilis, si quidem Plato rationem tãquã immortalem disclusit ab alijs, & locauit in cerebro, ergo sensilem animam mortalem nõ potest, nisi reponere intra pręcordia, & corde, sicut vegetalem subter pręcordia. Gal. ergo dissidet a Plat.

& ab

& ab Ariſtotele Theophraſto, Poſſidonio, Chryſippo, & omnino a Stoico, qui eam ſenſitricem locāt in corde. Hæc igitur illius argumēta, quæ vocat demōſtratiua, nō oratoria, nō cauilloſa, nō topica dialectica, non falſa. Vocat rationes oratorias veriſimiles communes nō ex rei ſubſtantia deprompras primo & ſecūdo libro de decretis Hipp. & Plat. & præſertim cap. 3. ſecundi. Dialecticas vocat, quæ ex extrinſecis fiūt vtiles ad exercitationem, ad arguēdos ſophiſtas, & ad faciēdum periculum de aliquo. Ariſtot. primo topic. cap. primo vtiles ait ad exercitationem, vt e methodo tradita quiſque poſſit in vtrūque partem argumētari. ad colloquia arguēdi dogmata cōtraria philoſophantium cauſa, & ad philoſophiæ ſcientiam, vt factis rationibus in vtrāque partem verum diſcernatur. Addidit Gal. & ad inuentionem alicuius rei valere. Has vocat diſputabiles, dialecticas, topicas locales, exercitatorias per ſillogiſmum dialecticum ex probabilibus primo topicorum, & probabilia vel omnibus, vel pluribus, & his ſapiētibus omnibus, aut plurimis, & probatis. Cauilloſas item & ſophiſticas rationes decipiendi cauſa adductas, quæ videntur fieri per ſillogiſmum litigioſum primo top. & primo elench. qui ſillogiſmus procedit ex viſis probabilibus, & non ſunt. Gal. ergo promittit rationes demonſtratiuas ex primis, veris neceſſarijs, &c. ad probandam animam ſenſitricem in cerebro primum. An vero id fecerit, videro. Ordiamur ergo a ſuis demonſtrationibus. Vbi primum eſt origo ſenſus, & motus localis, ibi eſt anima ſed in cerebro eſt origo motus, & ſenſus, ergo ibi primum anima ſenſitiua, Maior vera, quia motus ſenſus ſunt primę opationes animę ſenſitricis. Minorem probat multipliciter, primo in aduerſarium, Si non in cerebro, ergo in corde eſſet origo ſenſus & motus, ſed ſi ibi eſſet origo, eſſent quoque meatus, & viæ traiectus, per quos ſenſum, & motum mitteret ad membra, ſed nulla via eſt, neque traiectus, nō venæ, nō arteriæ, nō neruí. Hæc enim ſunt partes maxime corporis traducētes per omne corpus opportuna, & hoc oſtēdit inuocata anatome mortuorum, & viuorum, & ſic procedit. In cordis anatome hæc ſpectāda ſunt. Situs, Quantitas, Nexus, Formatio, Diſpoſitio, Motus. Quoad ſitum eſt in medio pectoris cum ſua baſi, & mucrone vergit ad lęuum, & pro quantitate cordis plus minus baſis eſt in medio, vnde exit arteria venoſa, & ramos diſpgit, tot quot ſunt lobi, fibræ pulmonis. Quinque fere ſunt, & vna tegit cor, quale magnum eſt pro mole corporis. Nectitur autem cerebro venis, arterijs neruis. Et venis quidem iugularibus, arteriis ſoporarijs, quas vocant carotides, & neruis, qui ſunt his arterijs annexi, ſed per nullum horum cor mittit cerebro ſenſum, motum ad locum, ergo non in corde origo animę ſenſitiuę. Nō mitti autem ſenſum, & motum docet vincto collo animalis ſupra, & infra, ne ſanguis effundatur, & præciſis iugularibus venis, arterijs neruis ſupra cernitur motus, ſenſus, nō autem pulſus, neque nutritio, ergo ſignum eſt quod cor nō mittit ſenſum, & motum cerebro, per ea vaſa tria, quia pręciſa, & vincta ſtricte nō permittere͏̄t, ſicut pulſus, & nutritio nō permittūtur, ergo cum adhuc ſit ſenſus, & motus in ſuperiori parte capitis his factis, ſenſus, motus eſt in cerebro origo, & nō in corde. Hæc ratio Gal. in 6. capite ſecūdi libri de decretis, in ſexto & ſeptimo libro ſæpe alibi etiam repetita, Quinimo addit neruis annexis ſoporarijs arterijs pręciſis, aut laqueo bene vinctis ſolum mutum fieri animal, non autē carere ſenſu, videt, audit, &c. Et ſi quis diceret præciſis illis fieri animal ſopitum, ſopor ergo fit, quia ſenſus, & motus a corde non mittitur. Reſpondet Gal. & inquit erratum eſſe in verbo, quia obmuteſcentiam ſoporem vocabant, neque ex arterijs ſectis vel laqueo vinctis obmuteſcit animal, ſed quia nerui ſunt adeo nexi arterijs, iccirco ſimul cum arterijs neruos præcidebant, iccirco mutū fit animal, quare non fit ſopor cum amiſſione ſenſus, & motus ſupra. Sed mutum animal. Et ſi dicas ad quid ergo ſoporariæ carotides arteriæ dictę ſunt? Reſpondebit Gal. nō propter eas, ſed propter neruos annexos, & iccirco ab errore ducti vocarunt arterias ſoporarias. Rurſus ait Gal. ſi anima ſenſitiua in corde primum videtur, maxime ex eo, quia triſtitia, metus ad mentem e corde cōſcendūt in caput, atque ex cardialgia dolore cordis, quæ omnia indicant ſenſum accerrimum in corde, & mitti ad alia, ſed hæc falſa ſunt, ergo non primum ſenſus in corde, Cōnexio argumenti eſt ab aduerſario, iccirco probantur eſſe falſa, ſiquidem quoad męſtitiam, & metum non ſolum, in capite, ſed etiam reliquum corpus tremere, in ira, manusque, cur nō ad manus, potiuſquā ad cerebrum mitti ſenſum non dicunt. Quoad cardilagiam decipiuntur, quia ille dolor eſt oris ſtomachi, quod quia veteres vocarūt cor Nicādro, Thucidide, Hippocrate authoribus, iccirco dolorem oris ſtomachi vocarunt cardialgiam ex morſu bilioſorum humorum. Hippocrat. tamen vocauit cor illud os ſtomachi propter vicinitatem. Hæc ratio promitur ex 7. 8. capitibus ſecundi libri de decretis Hipp. Plat. Tertio in aduerſarium, ſi cor eſſet ſedes animæ ſenſitiuæ prima, id eſſet quia eſt in medio pectoris. Nam medium totius corporis eſt vmbilicus, & quia primum naſcitur, &


vlti-

vltimum moritur, ergo sensus primum in eo, & vltimo restat in eodem, ergo ex eo sensationis fluunt, & ad illud confluunt, sed hæc non obstat, ergo non est anima sensitiua primum in eo. Cõnexio argumenti est Arist. Alexandri, Theoph. iccirco probandum est hæc non obstare. Hæc ratio depromitur ex capite 4. & 8. secundi libri de decretis Hipp. Plat. Sed non obstare probat Gal. & primum, quia vmbilicus est in medio totius corporis, & si cor in medio pectoris non valet argumentum perinde non valet cerebrum est tanquam arxs sensus, circa quam sensus sunt velut satellites, nuncij. ergo ibi est prima sedes sensuum. Deinde nec verum nasci cor ante iecur, & si nascatur ante cerebrum, non est instrumentum primum mouendi motus voluntarij, sed pulsus, vitalisque, nec sensus, nisi formato cerebro quale per neruos communicet sensum cordi. Quarto illa pars est sedes prima animæ sensitricis, vnde sunt meatus, viæ, per quas cerebrum mittat sensum, & motum, sed cerebro sunt annexi nerui sensifici, & motorij, & inde manant, non autem a corde contra Arist. ergo in cerebro est anima sensitrix, Minor ostenditur anatome, nec oportet dicere in corde sunt neruosa corpora, & apophyses neruorum, ergo inde nerui, quia non similitudine, sed vsu dignoscuntur partes corporis, Corpora illa neruosa sunt ad retinendam substantiã cordis in vnum, & non ad sentiendum, Et si cor maxime sentit, ob neruos commissos ei sentit, sed motu voluntario non mouetur, sed vitali sistole, diastole. Ac quinto, vbi est vegetalis, vbi etiã sensitiua anima, in corde vegetalis, ergo & sensitiua. hoc argumentum nullum est, ergo non cõcludit sensitricem in corde, quia vegetalis est in iecore, nec cor primum instrumentum alendi, Sed os, gula venter, mesenterium, iecur, venã caua per quã alitur cor, cum e gilbo iocinoris ascendat ad dextrum cordis sinum, & purgatum sanguinem excrementis per vesiculam fellis, & lienẽ transmittit ad cor, & in hoc deceptus Arist. qui credidit venas oriri ex corde arbitratus truncum venæ cauæ conscendere, & descendere, atque accipere originem a corde. Sexto si cor esset prima sedes animæ sensitricis, in eo esset spiritus animalis, sed in corde est spiritus vitalis materia animalis, nec naturalis, nec animalis, quia non dat cor motum voluntarium, cuius motus instrumentũ est spiritus ille, aut qualitas eius influxa. Hæ rationes e cap. 8. 2. libri desumuntur. Septimo cerebro vitiato grauiter sensus, & motus amittuntur in apoplexia, epilepsia, & non corde affecto, ergo in cerebro origo sensus, motus, ergo & causa originis anima. Hæc ratio ex 6. capite tertij libri de decretis Hipp. Plat. elicitur. Octauo iecur radicatio venarum, apud Hipp. in libello de ossibus, & in libro de morbis vulgaribus. 2. capite de venis, Hepar item venam ait, ibi demonstrat venas e iecore oriri, si vero in 2. de humana natura libro, & alibi inueneris e capite quatuor paria venarum oriri dicito libros non esse Hipp. aut illam sententiam, cuius sit Arist. prodidit 3. lib. de historia animalium dicens fuisse Polibij, Si ergo iecur est principium venarum, & hæ traducunt alimẽtum elaboratum in iocinore per omne corpus, ergo ibi vegetatiua. Atque si ex corde, arteriæ, ibi principium vitale, non animale, Et si ex cerebro nerui, in cerebro igitur sensus. primum origo sentiendi, & mouendi motu voluntario, sed ita est, ergo sensitiua in cerebro, vitalis in corde, vegetatiua in Hepate. De minore oratione lis tota est, quia Polibius a capite nasci venas, Pelops magister Galeni cap. 3. libri 6. de decretis Hipp. Platon. idem. Contra autem Archigenes. Erasistratus. Arist. Possidonius, Theophr. Chrysippus a corde. De origine arteriarum a corde fere nemo dissentit, nisi Pelops magister, vt dixi, Gal. qui contendit omnia vasa doceri ab eo contendit. De neruorum origine a corde omnes fere consentiunt præter Gal. ita conficiamus argumentum vt quid sit probandum sciatur. Vbi est prima sedes sentitiue, inde origo neruorum quia per eos motus sensus mandatur ad reliqua. Sed cerebrum est origo omnium neruorum dummodo cerebrũ, cum cerebello, & spina dorsi fluente ab eo intelligatur, ergo cerebrum fons sensus, motus. De minore controuersia, quam reseruo alibi tractandam vberius. Nunc quid Arist. responderet ad hæc videamus, & Alexander Aphrodisæus, qui inter cæteros interpretes sumpsit sibi hoc onus vltimo capite. 3. libri de anima. De primo negatur minor. Ad probationem dicit esse vias, traiectus, venas, neruos, arterias Alexãder Aphrod. & si dicis nec per soporarias arterias, nec per iugulares, nec neruos annexos arterijs, negatur, & ad laqueum, & præcisionem dicit aliquandiu remanere vim influxam in capite, sed non semper quia intercisæ sunt viæ ad cor, vnde vita, & materia suppeditetur perpetuo, Quoad responsum de sopore in causa est, quia non potest mitti calor per venas, & arterias sursum ad cerebrum frigidissimum, iccirco frigore illo sopor citatur. Ad secundũ dicitur cor dolere & primum sensiterium tristitiæ, metus, siquidem in his affectibus spiritus contrahuntur ad cor sicut effunduntur in lætitia, & gaudio, Et quamquã dolor sit tristis sensus, tiatque cum solutione continui, tamen non tanta fit solutio in corde, vt soluatur, sed vel in lipophsichia,

vel sincope, hoc est in defectu animi, & in subita interceptione virium maxime patitur, alioquin si dissolueretur continuitas cordis non viueret animal. Ad tertium, ēt quia in medio, & quia primum nascitur, & vltimo moritur cor, sedes animæ sensitricis dicitur prima. Nam credibile est naturam, quam nos imitamur non tot præsidijs muniuisse cor supra, deorsum, ante, pone, dextrorsum, sinistrorsum, vt in media regione ossei pectoris esset intra, nisi quid regium, & præstantissimum contineret. Nempe animam sensitricem. Cerebrum nō tot munimit præsidijs, nisi accessorijs capillis præter craneum. Et si dicatur vmbilicus medium magnitudinis corporis, attamen cor est medium virtutis, quale habet potestatem in reliquis partibus, Adde quia item primo nascitur accipit sensum, vt dispenset cæteris cap. 4. secundi libri de partu animalium, & vltimo moritur, ergo capiti iam deficiente sensitiua, & remanente in corde signum est, quod in sua sede fortificata eandem perit, Quinetiam cor ante cerebrum formatum dat initium mouendi circa locum in vtero. Ad quartum Aphrodisæus inquit a corde oriri neruos primum, & erigi sursum ad cerebrum, & si multitudo est in cerebro ex eo est, quia ibi terminantur. Plerunque fit vt fons exilis sit sicut padi in Italia, & tamen locus quo confluit latissimus multis ramis sit confertus fluuij, ita origo neruorum tenuis in corde, latissima in cerebro. Ad quintum cauillatur Gal. quia os venter, gula, mesenterium, iecur caua sunt instrumēta alimenti futuri, non actu, quia solum conficitur in corde. Sanguis autem in iecore parenchima est apud Erasistratum, & sanguis incoctus indigestus apud Alexandrum Aphrodisæum capit. vltimo tertij libri de anima. Ad sextum respondebis non esse alium spiritum, quam innatum in corde apud Aristot. in libello de motionibus animalium. Ad septimum dabis responsum in apoplexia, & similibus ob id vitio cerebro concidere sensum, & motum, quia vitium illud obstructionis primorum ventriculorum facit quo minus possit vis cordis calorem mittere per venas, & tollere illam obstructionem, atq; quominus assiduam spiritus in corde vim accipiat, Ad octauum argumentum dicit Alexander cum Arist. 3. historiarum de animalibus, & tertio de partibus animalium cor radicationem venarum primam transmittentem perfectum alimentum, & arteriarum, & neruorum. Verum de principatu membrorum in illis libris differendum, nobis sat est decreuisse in corde primum animam sensitricem esse, quæ in se vegetalem conuertit, & vtitur sensu tactus pro ea, & est calor natiuus totus in corde, & totus in qualibet parte pro captu partis, quia essentia caloris innati haberi non potest, nisi tota, & si secundum gradus inesse pro habilitate partium, & captu sit plus in vno membro, quam in alio. Hic dat esse partibus similaribus, & vtitur dissimilaribus organicis. Hæc hactenus.

## Contex. XXV.

*HINC quidam bene existimant, quibus videtur anima non sine corpore esse, attamen non corpus aliquid. Corpus quidem non est. Sed corporis aliquid, & ob id inest in corpore, & in corpore tali, & non sicut qui ante corpori accommodabant ipsam non statuentes in quo, & quali corpore inesset. Licet neque videatur quodcunque recipere quoduis. Huiusmodi enim fit secundum rationem. Vnusquisque enim actus inest in eo quod potestate est, & in propria materia aptus est gigni, constat igitur eam actum quendam esse, & rationem eius, quod potestatem habet, vt sit huiusmodi.*



CONFIRMAT animam non esse corpus animatum sententia eorum, qui asserebant animam non esse sine corpore, non tamen aliquod corpus. Putat Auerh. e definitione animæ, quia entelechia est corporis laudari opinantes animam non sine corpore. Huius censuræ est, quoque Simplicius Philoponusque. Themistius mecum sentit affirmans recte dici ab illis animam non corpus. neque citra corpus. Vtroque tamen modo potes interpretari. Animam non esse corpus confirmat, quia dicente Philopono nō esse idem perfectionem alicuius cum eo, quod perficitur, Corpus animatum perficitur, anima est perfectio, ergo non est eadem cum corpore animato, Hinc videri inquit Arist. animam facere inseparabilem a corpore, & ob id de sensili, & vegetali dici oportere putat non de intellectiua, nisi quatenus vtitur corpore practicus intellectus, & cōtēplatiuus dependet a phantasmate obiectius, quatenus

tenus sit inseparabilis, sicut nauta a naui in gubernando, sed qua homo est separabilis, ita anima est saparabilis propria natura, & operatione licet inseparabilis vsu. Simplicius videtur dicere idē, & addit actum esse, qui perficit corpus, & qui vtitur eo tanquam organo, & vtrunque fatetur nō esse corpus, sed aliquid corporis. Auerh. addit rationem quamdudum vsurpatam ab Arist. cōtextu quinto videlicet corpus non est innatum, vt sit in subiecto, anima est in subiecto perfectio essentialis, ergo anima non corpus. Hactenus prima pars contex. Secunda reprehendit Pythagoreos animam inesse in corpore, & non corpus dicentes, quia non in quo, & quali corpore instrumentario, & humano, an ferino, an plātali constituerunt, sed temerario aduentu tū hoc, tum illud corpus perficere dixerunt, Simplicius prætermisit explicare hunc locum, quem Philoponus explicat, & Themistius, Auerh. interpretatur dici contra eos, qui dicebant animam corpus, & posse ingredi aliud corpus, & nihil de corpore recipiēte corpus dixere. Decipitur Auerh. quia solum vituperat Pythagoreos, sicut priore libro fecit credentes animas migrare de corpore in corpus, & non posuere propriam animam in proprio corpore, vt plantalem in planta, & sensilem in belluis, & intellectiuam in rectiformi corpore, quinimo iuxta vltimum sermonem in Timæo Platonis pro meritis vitæ anima humana mutabat corpus ex corpore, ceu ex humano in aquileum, leoninum corpus ita, vt esset illud corpus purgatorium vitiorum animæ donec immaculata posset redire ad astrum suum, a quo illabitur in corpus humanum, & illapsa erat. Repræhenditur ergo Pythagorea secta, quia forma apta in apta materia artis inest, & forma naturalis similiter, & anima merito æque debet reponi, Quisque enim actus recipitur in proprio subiecto, & apto, non enim vis audiendi in naso, nec gustandi in aure, sed in lingua, neque fructices capaces disciplinæ, nec aquilæ rationis, discursus. Tertia pars contextus est epilogus. Legatur. Hinc quidam, idest quia anima non est corpus, hinc quidam bene existimant confirmantes idem, cum dicant animam non esse corpus, quibus videtur anima non sine corpore. Anima separata nostra immortalis veniens deforis, non ergo anima appellari potest, quia nil commune cum corpore habet, sed quid diuinum, & separabile est tertio capit. secundi libri de partu animalium, & tertio libro huius immixta corpori, separata, nec in organo vllo, ergo non anima. Nisi quia assistit cordi, vt nauta naui, & vtitur corpore, eiusmodi vocetur anima vtens non perficiens, sicut sensitiua, vegetatiua intrinsecus in corde, attamen non corpus aliquod. Vtroque modo bene dixerunt, & quia dixere animam non sine corpore, & quia dixerunt itē non esse corpus vllum. Sed dices qui fuerunt isti? Non potuerunt esse veteres, qui substantiam incorpoream non nouerunt, quos vocat Plato in Theeteto atheos, impios, prophanos, de quibus est mentio in primo metaphys. Arist. Ergo fuere qui nouerunt incorpoream substantiam, inter quos Parmenides, Socrates, Timæus, Plato, Reasumit denuo id. Corpus quidem non est. Sed corporis aliquid, ergo corporea est, sed non corpus, sed quomodo est aliquid corporis, non pars integralis, nec ramus, nec membrum, nec accidens, nec follia, pili, excrementa, nec humor, nec materia, sed forma, & ob id inest in corpore, & in corpore tali, hoc adiunxit, vt Pythagoreos reprehendat. Inquit. Et nō sicut qui Pythagorei ante corpori accōmodabāt, videlicet humanam animam corpori humano, sed postea pro demeritis migrabat in quoduis corpus quoad purgaret vitia non statuentes in quo, & quali corpore inesset. in quo quoad formam, in quali quo ad temperamentum. Anima apta corpori rectæ staturæ, non prono est habilis, Anima idonea temperamento humano non est apta temperamento æqui, Lincei, aquilę vt videamus visum non aptum naribus, neque odoratum oculo, quinimo in omnibus oportet materiam aptam propriam subijcere formæ. quare merito reprehenduntur, & eo magis, quod ipsi sciebat, & videbatur illis non quodcunque recipere quoduis, sicut primo physic. dicebatur non quoduis e quouis effici. quod quidem fit secundum rationem, Et hæc ratio vnusquisq; enim actus inest in eo, quod potestate est illius actus, & in propria materia aptus est gigni, vt in lapide marmoreo non nauis, ita nec in ligno fundamentum montis forte. potes tu abundare exemplis in medicina, in artibus, in philosophia. Epilogus. Constat igitur eam actum esse quendam, scilicet perfectionem, & non quemuis, sed rationem eius essentiam, quidditatem quod potestatem habet recipiendi eam, vt sit huiusmodi animatum tale, vt planta per vegetalem, non per sensitricem, & fera per sensitricem non per vegetalem, & intellectum, & homo per intellectum. Aduerte animam posse corpus dici tenuissimum, sed non illud, quod perficitur, quia perfectibile non est ipsa perfectio. Arist. autem & si non corpus animam dicat, attamen fateretur corpoream esse, quia est aliquid corporis. Calor natiuus est vegetatiua anima, & sensitiua, & corporeus

est,

est, & in corde quinimo spiritus quiuis in corpore corporeus est, & perfectio corporis, nec fit penetratio corporum, quia perficit intrinsecus sua essentia penetrante, non sua mole. An sit migratio animarum de corpore in corpus videat, cui otium est. Anima omnis sensitiua, vegetalis apud Arist. oritur e semine tertio cap. secundi libri de partu animalium. Intellectiua a Deo fit adueniēs humano corpori, & assistens cordi.

## *Secundi Tomi caput quartum, & summa breuiter.*



NVMERAT aliquas potentias, & præsumit in quibus, vt in hominibus omnes, in quibusdam, velut in feris, & belluis quasdam præter intellectum, in quibusdam vnam solā in plantis. Potentias vocat, & partes, species, facultates, potestates (appella, vt vis) synomina sunt. Nutrix, Sensitrix, Appetitus, Motrix ad locum, Intellectrix potentiæ. In plantis vna altrix, vegetalis, in belluis vilibus vegetalis, sensitrix, appetitus, nō omnis tamen, cum tribus cōtineatur appetitus, Cupiditate, Ira, Voluntate. Animalibus omnibus, quibus tactus solus inest appetitus, siquidem hæc tristitia, voluptatem, triste, iocundum sentiūt, & vbi est sensus homini, ibi cupiditas, siquidem iocundi est appetitus, ergo vbi tactus, ibi appetitus, quæ cōclusio alio item argumento demōstratur. Vbi est tactus, ibi sensus alimenti, cum tactus sit sensus alimēti, propterea quod alimur sicco, humido, frigido, calido, quorum cognitor est tactus, sed vbi est sensus alimenti, ibi cupido, probatur vbi sensus alimēti ibi fames naturalis, & sitis, & vtraque hæc affectio est cupiditas. Fames enim calidi, & sicci per se, Sitis humidi, & frigidi, ergo vbi sensus alimenti & tactus, ibi cupiditas. Nec oportet dicere sensum tangendi esse coloris, odoris, soni, quia horum est ex accidenti, nec saporis, fames, & sitis, quia siquidem sapor est causa condimenti. Sitis est frigidi humidi etiam insipidi, & fames calidi sicci non sapidi. Sed de his alias, nunc latet an in quibus est appetitus sit etiam imaginatio, nisi cōfusa sit, illa perfecta inseruiens intellectui, aut in animali perfecto non est, de quo postea. Aliquibus item animalibus perfectionibus inest motrix ad locum, & homini cogitatio, intellectus, & alteri si quid melius, vel etiam dignius est.

## Contex. XXVI.

*Potentiæ animæ iam dictæ quibusdam omnes, (vt diximus) alijs vero quædam earum, nonnullis vna sola. Vocamus autem potentias nutricem, sensitricem, Appetitum, motricem, secundum locum, intellectricem. In plantis autem inest nutrix, cæteris hæc ipsa, ac sensitrix, & appetitus, Nam appetitus est cupiditas, ira, voluntas. Cuncta uero animalia unum habent e sensibus tactum. Cui autem sensus tactus est, huic voluptas, tristitia, iocundum, triste, & quibus hæc tributa sunt, etiam cupido data est, quippe cum iocundi sint appetitus.*



STAT promissis author. Supra 22. contex. pollicebatur se postea reddere quā obrem potentiæ partim omnes quibusdam, partim nonnullæ, partim vna sint datæ, nunc prodit. Et repetit eas, vt probet quare quædam in nonnullis sint, ceu vbi est tactus, ibi esse cupiditatem. Hinc male Aueth. continuat existimās quia dicturus est author de potentijs primum vult stabilire eas, sicut artifex stabilit subiectum, & species subiecti, quas quia non debet probare, cum sint notissimæ, velut ianua intranti, iccirco cum potentiæ sint species animæ, quæ est subiectum operi huic primum assumit vt notas. Philoponus nobis fauet asserens Arist. stare promissis ostensurus quibus superiores potestates insunt, etiam inferiores inesse, vt cui sensus, etiam vegetalis, & cui intellectus, etiam sensus, & vegetalis. Simplicius connectit superiori contextui inquiens, quoniam quisque actus in suo organo esse debet, ob id reuocemus in memoriā quot, & quales sint, vt quelibet in suo animante collocetur. & ob id repetit. Potentiæ animæ, quas particulas, species vocauit iam dicit, quinque apud Themistium, Altrix, Sensitrix, Appetitus, Mo-


trix in locum, Rationalis quibusdam animalibus omnes, vt diximus contex. supra 22. vt hominibus. Alijs vero quædam harum, Non intellectus est, sed in perfectis phantasia, memoria primo metaph. animalia viuunt quædam memoria, &c. At vero imperfectis non omnis. Sensus nedũ memoria, phantasia inest, vt spongijs marinis, conchilijs, & aliquibus duo sensus gustus tactus, quibusdam, & odoratus, & aliquibus etiam auditus, vt talpæ creditur sine visu, sed falsum est. habeat enim oculos cute tectos. Nonnullis animatis vna sola vegetalis plantis. Quas vocet potentias in eodem animante, non in diuersis, quia sunt animæ. Vocamus autem potentias nutricem, sensitricem, appetitum, motricem secundum locum, intellectricem. Quinque enim, de quibus supra. Aduerte si potentia vocatur nutrix cum sit anima in plantis, attamen ibi est potentia, & anima & quomodo differat potentia ab anima videbitur, sed vegetalis in bruto est potentia, non anima Aristotelice. Has numeratas locat in suis. In plantis autem inest nutrix sola potentia, & anima. Cæteris animantibus hæc ipsa vegetalis ac sensitrix & appetitus. & probar generatim inesse appetitum, quia tribus diuiditur. Cupiditate, ira, voluntate, cupiditas omnibus animalibus etiam perfectis sed sola imperfectis. Nunc cupiditas animantis intelligitur nõ naturalis, qua materia appetit formam, vt turpe bonum primo phys. & graue locum deorsum; Ira est in perfectis, voluntas in homine solum, Cupiditas docere esse cupiditatem in ipsis imperfectis addit. Cuncta vero animalia vnum habẽt a sensibus tactum, sine hoc nullum est animal vt in tertio libro fusius declaratur, & supra fuit decretum, Addit huic orationi, Cui autem sensus tactus est, huic voluptas in vtilibus, & salutaribus, ac iocundum apte adiecit (ac iocundum) quia tactus percipit non voluptatem sed iocundum, salutare conueniens naturæ, Et contrarium tristitia, triste. Subdit tertiam orationem, Et quibus hæc tributa sunt cognitio, perceptio iocundi, & asperi, aduersique etiam cupido data est, probatur hæc tertia. Quippe cum iocundi sit appetitus. sensus tactus percipit iocundum, & cupido est iocundi, vbi ergo tactus, ibi cupido iocundi. Hæc de contextu. Reliquum videre est tot de potentijs, quia sunt, quot sint, an infinitæ, an finitæ, vt Alexãder Aphrodisæus quærit in sua paraphrasi, & Gandauensis in quæstionibus 3. libri de anima. Et si finitæ quot sint genere, specie, numero. Deinde si differunt a substantijs animarum, & cuiusmodi. Primum ergo duo sumus facturi. primum quomodo hæc vox potẽtia, facultas intelligatur. Supra est monimẽtum de potẽtia, quæ duo significat passiuam, & effectricem. Patibilis est, qua aliquid habile est pati, Effectrix qua quid potest efficere, cui nomẽ aptius facultas, & hæc refertur ad patiẽs, illa vero ad agẽs, & actum, formamue, siue sit actus primus, siue secundus, in potẽtijs animæ aliæ effectrices dicuntur, velut altrix genitrix, auctrix, & pedissequæ harum formatrix, attractrix, alteratrix, retẽtrix, expultrix, assimilatrix, & aliæ complures numerãdæ. patibiles vero sunt sensus externi, interni. Effectrices partim in anima rationali intellectus agẽs, intellectus practicus, volũtas, seu appetitus, partim patibiles intellectus materialis, possibilis, Facultas ergo aptius dicitur effectrix animæ potentia, & dicitur effectricis facultas, & si effectrix causa operatur per organum, etiam facultas refertur ad instrumẽtũ, vt aptũ sit propriæ facultati, facultas tamẽ a Galeno pro vi patiẽdi, & agẽdi sumit cap. 2. primi libri de methodo curãdi, & quæ requirit accõmodũ instrumẽtũ lib. 1. de causis pulsuũ cap. 4. iccirco 1. cap. in primo de facultatibus simpliciũ medicamentorũ definitur cã effectrix actu, vel tpe futuro, quod cõfirmat 1. lib. de facultatibus naturalibus asserẽs facultatẽ esse causam actionis, & hãc in essentia temperamẽti cõsistere lib. 2. de pulsuum præsagatione. c. 8. Facultas ergo animæ est qualitas, quæ in apto organo, vel sine organo causa efficiendi apud Platonem semper. Sed etiam patiẽdi apud Arist. & Gal. dicitur. Si ergo facultatem appellaueris etiam potẽtiam nihil impediã, seu vim, potestatẽ. Cæterũ cõstat nõ vnam esse animæ cõtra quã placuit Stoico animam vnam cum vna facultate inesse in corpore. Opinio cõfutatur a Platone, quod facultas rationalis cõtraria est irrationali. 3. 4. 9. de Rep. & pugna potẽtiarum inter se vt irascibilis, & cõcupiscilis docet esse varias, Cõfirmat Arist. qui differre ratione plures potẽtias dicturus est, ob id Alex. Aphrodisæus in capite, ne finitæ sint partes animæ asserebat e pugna Simplicium, & cõcretarum facultatum euidẽtem multitudinem potẽtiarum, Addebat nil fieri a natura temere, plura organa, & diuersa sunt, plures ergo potẽtiæ, Quinimo cernimus aliquas intermittere fũctiones, dũ aliæ operãtur, ergo nõ vna potẽtia est altrix. Sẽsitrix, intellectrix, Abeat ergo Stoicus sine nũmo, qa victus est sicut pluribus adhuc argumẽtis vinci põt, sed nõ necesse est id fieri, sint ergo plures potẽtiæ, An infinitæ? Dices minime, cur? qa de infinitis numero nulla sciẽtia. Iubebat Plato quiescere ante infinita numero, An infinitæ spẽs potẽtiarũ, vel gña? Minime. Quia spẽs nõ infinitæ, nisi hoc modo, qa difficile sit eas nũare. Adde ad qd natura fecisset infinitas poas animæ cuiusuis

&illis

& illis non fungeretur? Certe hoc modo temere fecisset eas. Accedit partes corporis finitas numero, ergo & potentiæ finitæ, cum potentiæ sint ob vsum partium, & instrumentorum corporis. Quinetiam vbi primum, secundum & ordo, ibi non infinitis est, quia oportet ad primum, & vltimum deuenire, sed in potentijs animæ ordo est. Nam imperfectiores sunt priores natura perfectioribus, vt vegetalis sensitricæ. Quare si prima, & vltima potentia reperitur, non ergo infinitæ sunt. Quo ad id Gandauensis infinitas potentias quoad nos fatetur, quia a nobis non facile numerari queunt, sed simpliciter quoad naturam minime. Verumtamen genera numerat & species potentiarum, addit si infinitæ essent species potentiarum non esset vna summe perfecte, sicut est intellectus agens, quia de infinito semper aliam, & aliam est abstrahere perfectiorem. Atque duplicaretur infinitum, & id maius esset infinito vno, siquidem infinitæ species potentiarum continerent infinitas numero, ergo conduplicatur infinitas, postremo infinitas numero credit, quia si potētiæ differunt per actus. 3. phy. Nam egrotare differt a sanatione, ergo potentiæ differunt, cum actus infiniti sint, vt videre hoc, & illud &c. igitur numero infinitæ sunt. Quare Aristotel. cum numerat in his locis facultates, & potentias, genera, & species potentiarum animæ numerat, non infinitas numero. Quis posset complecti hoc infinitum? Sint ergo finita genera, & species potentiarum, & quot sint experiamur, referre secundum phisicos, & medicos. At vero videamus quomodo nunc potentias numeret Aristotel.

## Contex. XXVII.

*Præterea habent sensum alimenti. Nam sensus tangendi est alimenti, siquidem siccis, humidis, calidis, frigidis aluntur omnia animalia. Horum autem sensus tactus, & aliorum sensilium ex accidenti. Nihil enim ad nutritionem sonus, color, odor spectant, sapor autem vnum quoddam ex his est, quæ tangi possunt. At fames, sitis cupiditas. Fames quidem calidi, sicci, sitis autem humidi, & frigidi. Sapor autem, seu condimentum est horū quoddam, sed de his erit postea illustrior sermo. Nunc vero id constitutum sit. Animalibus habentibus tactum, etiam inesse appetitum. De imaginatione autem adhuc incertum est, postea tamen inuestigandum, ac quibusdam est motrix ad locum. Alijs vero ratiocinandi vis, & intellectus, vt hominibus, & si quid est alterum, & honore præstantius.*



LIA ratione in hoc contextu primum docet eandem conclusionem, vt supra, videlicet quibus inest animalibus tactus, etiam comitem esse appetitum, nondum tamen compertum, an sit etiam phantasia in his. Deinde numerat alias potentias. Quoad primum sic cogerem argumentum. Vbi est sensus alimenti, ibi appetitus eius, sed in omnibus animalibus sensus alimenti est tactus, vbi ergo tactus, ibi appetitus. Maior probatur, quia vbi sensus alimenti, ibi fames, & sitis, & vtraque est appetitus, cupiditas. Fames, cupido calidi, sicci, sitis cupiditas frigidi, humidi, quibus si sapor accedit, ille non facit ad nutritionem, nisi condimenti gratia. Iccirco hebreis iussum fuit quicquid comederis, sale condies. Verum quia sapor est partis nutritiuæ qua calidus, & humidus sicco terreo dilutius in libello de sensu, & sensili, ob id differt dicendum vberius, & hactenus maior oratio patet. Minor probatur, quia nutrimentum est calidum siccum, & humidum, frigidum propterea quod, quibu constamus, is nutrimur, constamus a 'tē dictis quatuor, ergo his alimur, sed horū cognitor est sensus tactus, vt liquet & liquebit in sermone de tactu, itaq; sensus iste in animalibus est sensus alimenti, qui dijudicat conueniens a non conueniente, & facultate attractiua salutare, & expultrice noxiū (vt ait Auerh.) attrahat, & pellat, sed dices ergo etiam plantis datus erit sensus tangendi, cum illæ nutriantur his &c. Respondet Auerh. tactum fuisse necessarium animalibus, quia nutrimentum eorum non est potentia in pluribus, sicut est nutrimentum plantarum, quale vt cunque alimentum terra hauritur etiam cum fecibus, & terrestre non ita elaboratum. At animali cuique suum aptum debet tribui, iccirco eget virtute discernente, quæ alimentum addat conueniens restaurationi eius, quod est deperditum, & quod deperditum est, id calidum, humidum, sic cum, frigidum, ergo tactus cognitē horum sensus est alimenti in animalibus, quod siquidem est

eſt aliorum ſenſilium, ceu odoris, ſoni, coloris eſt particeps id accidit ei, quod tripliciter exponitur, vt erit in explicando contextu illuſtrius, nunc ſapor ſi pertinet ad nutritionem non qua ſapor eſt, ſed qua eſt vnum quid tactilium vel calidum, vel humidum &c. de quo erit dicendum. Nunc ſufficiat concludi vbi eſt tactus, ibi eſſe cupiditatem. An ſequatur etiam phantaſia nondum certum eſt. Id erit inueſtigandum poſtea ad extremum ſecundi libri. Deinde enumerat alias facultates, quas verbotenus exponemus. Maior ex his cogitur. Præterea habent ſenſum alimenti animalia omnia, & hæc cupiditatem. Minor oratio ex his. Nam ſenſus tangendi eſt alimenti, quid ſit alimentum poſtea ſuo loco, & quid tactus, probatur ſenſus tangendi eſſe alimenti. Siquidem ſiccis, calidis, frigidis, humidis aluntur omnia animalia ſubdita ortui, interitui. Tuentur cæleſtia dicente Alexandro Aphrodiſeo. An mollibus, duris, aſperis &c. qualitatibus ſecundis aluntur animalia, quorum particeps eſt ſenſus tangendi? Reſpondebis non primo, ſed quatenus inſequuntur primas qualitates. Dubium grauiſſimum, quod præteriere ante me Græci, & latini interpretes cum ſenſus tactus ſit capax qualitatum, & non ſubſtantiarum, niſi ex accidenti, ſicut poſtea erit perſpectum, ergo ſi ille ſenſus alimenti eſt, alimenta erunt ſolæ qualitates, & accidentia, quare nutrimur accidentibus. Adde ſi nutritio eſt aſſimilatio ſola, & non generatio, ergo ſimilibus alimur, & ſimilia ſunt ſolæ qualitates in chategoria qualitatis, ob id quot modis calidum, humidum, ſiccum, frigidum dicatur attendendum, ſiquidem apud Ariſt. Hippocratem in libello de veteri medicina, & Gal. primo de elementis, & 2. de tẽperamentis, calidũ, frigidum, ſiccũ, humidum qualitatem ſignificat, & ſubiectum, ſeu ſubſtantiam. Reſpondent ergo quidam nutriri animalia calidis, ſiccis &c. pro ſubſtantia primum, & poſtea qualitatibus. Contra alimur, quibus tactus eſt iudex, & capax per ſe, ſed non capit ſubſtantias, ſed qualitates per ſe, ſic enim dicet non ſentiri tactu colorem, ſonum, odorem, niſi ex accidenti, & ſaporem qua parte tactilis eſt, ita vt non conferat ad nutritionem, niſi ſecundum accidens id, quod non ſentitur tactu per ſe, ſed ſubſtantia non percipitur tactu, niſi ex accidenti, ergo non nutrit, ſed qualitas. Hæc conſidera vna cum his verbis contextus. Horum ſcilicet calidi, frigidi, ſicci, humidi autem ſenſus tactus per ſe capax, & iudex eſt, & aliorum ſenſilium ex accidenti, quod probat. Nihil enim ad nutritionem ſonus, color, odor ſpectant, & ſi dicas quid de ſapore, qui eſt pars nutritiuæ, & nutrit in libello de ſenſu, ſenſili, ac dicimus dulcia nutrire ceu Galenus aſſerit 4. libro Simplicium medicamentorum, &c. ac alibi. Reſpondet nutrire, qua parte tactilis eſt. Sapor autem vnum ex his eſt, quæ tangi poſſunt, qua calidæ naturæ, & humidus terreſtri dilutus ſentitur, non qua condimentum alimenti. Et ſi ſenſus, guſtus, & tactus idem ſubiecto, tamen differunt reipſa, & facultate dijudicandi diuerſa, de quo erit ſermo, ſed aduerte illa verba. (Et aliorum ſenſilium ex accidenti) tribus modis explicantur primo, quod tactus ſi apprehendit alia ſenſilia vel ſolus, vel cum alio ſenſu, id ei accidit. Hoc autem commune eſt etiam alijs ſenſibus ſentire alia ex accidenti. Alio modo ſentit tactus ex accidenti, quia omnis ſenſus tangendo ſentit, & iccirco tactus dum oculus viſum tangit, ideſt medium deferens ſpetiem per accidens colorem ſentit, ſic etiam de alijs. Tertio modo Simplicij veriore tactus ſentit per accidens alia ſenſilia, quæ faciunt nutritionem quoniam illa ſenſilia non ſpectant ad nutritionem, niſi coniuncta ſicco, humido &c Philoponos refert ad appetitum ſuperiore contextu, vt ſit ſenſus iſte verborum, ſed aliorum ſenſilium appetitus eſt ſecũdum accidens, ceu ſi appetit quis vinum album qua album. Extorta enim explicatio, quia eadẽ ſententia erit Ariſtot. de ſenſilibus ex accidenti, non de appetitu, qui & ſi ſequitur primo ſenſum tangendi, tamen ſequitur & alios ſenſus vbi ſunt. Nam aſpectu iocundum deſideratur, & odoratu iocundum & ſapor gratus &c. At vero poteſt etiam ſic interpretari oratio illa. (Et aliorum ſẽſilium per accidens) ideſt per ſaporem, odorem, colorem dijudicare non bona, & bona nutrimenta. Sicut ſi quis ceruſam videt, aut oleat male quid, & recuſet, hoc ſenſus tactus fuit per accidens, ſicut ſi album vinum eligat. Reliquum ſcito ſi tactus tangit etiam non nutrimenta, immo venena, pharmaca, ferrum, marmor qua gelida, calida, ſicca, humida, eum facere qua ſenſum tactum, iccirco ſuſior eſt perceptio calidi, ſicci, gelidi, humidi, quam perceptio calidi, ſicci nutrimẽtalis, & frigidi, humidi, ne putes quicquid tactile eſſe nutrimentum. Cæterum probat maiorem videlicet vbi ſenſus alimenti, ibi appetitus, quia vbi ſenſus alimenti eſt fames, & ſitis. & vtraque eſt cupiditas, & appetitus, calidi, ſicci, vel frigidi, humidi. Ac fames, ſitis cupiditas, ex definitione liquet. Fames quidem calidi, ſicci, & ſi vinum ſedat famem, qua calidũ. Sitis autem frigidi, & humidi, ſed primum humidi, mox frigidi, vt fames primum calidi, mox ſicci. Duo contraria fames, & ſitis per contraria definita. Et contraria appetimus, quia ſumus ex contrarijs, & cuiuſmodi ſumus,

Ita expetimus,& quia quotidie deficit aliquid ex his quatuor,quibus sumus,icci'co semper oportet suppeditare vel frigidi,vel calidi,vel sicci,vel humidi. Et si dicas etiam fames est appetitus dulcis,ergo & saporis. Respondet verum qua condimentum. Amara,acria raro condimenta sunt, salsum,pingue,acetosum condimenta sunt. Sapor autem ceu condimentum est horum quoddam. Plura de saporibus dicenda,sed de hortatur hæc oratio nunc dicenda,& de sensilibus ex accedenti. Sed de his erit postea illustrior sermo. Interea fames,& sitis multipliciter sumitur. Vno modo fames est naturalis pro restauratione absumpti. Quotidie aliquid consumitur, ne deniq; fiat consumptio fames insita fuit animali,& sitis, vt propter penuriam,& indigentiam eius,quod absumptum est prouocat animal ad appetitum. De origine vtriusque erit sermo. Si antea explicetur alio modo fames canina,quæ dupliciter fit aut propter concursum acidi humoris ad ventriculum,vel ob corpus inops alimenti factum ex corpore immodice digestum. Acidus humor sua frigiditate vacuat constringendo,& initet appetentiam caninam. Et corpus immodice digeritur ob calorem,vel defectum retentricis, sanat pulegium. Alia fames dicitur bulimos ex indigẽtia,& imbecillitate, ac refrigeratiora ventriculi orta,de his Gal. Hippoc. secundo Aphorismorũ. Relinquam ergo famẽ preter naturalem,& explicabo originem naturalis Aristotelice, & secundum Galenum primo de Symptomatum causis. Equæ fecero de siti, vt taceam præter naturalẽ sitim vel e caliditate nimia, atque ex humoribus salsis,biliosis,acribus confluentibus ad os ventriculi vel e nimia siccitate ortam cap. 30.primi de Simplicium medicamenti, cui nec epotum acetum medetur, interea tamen accipe quid voluit secunda in hoc contextu ratione, & prima in alio concludere,id nempe. Nunc vero id constitutum sit. Animalibus habentibus tactum etiam inesse appetitum. An vero comes sit etiam imaginatio,sicut supra prodidit Arist. inquit incertũ esse,quoniam nondum de perfecta sermo habitus est. Ad extremum secundi erit sermo, & si quædam sit imperfecta,qua viuunt & appetunt imperfecta animalia. De imaginatione perfecta, & de imprfecta quomodo adhuc incertum est, & obscurum, nisi quid sit perfecta post omnes sensus externos aut aliquos data non potest esse id compertum. Et ne quis putet ob incertitudinem id negligi oportere subdit,postea tamẽ inuestigandum, ad extremum scilicet secundi libri exactius,sed paulopost in altero tomo. Reliquum procedit numerare reliquas potestates secundum ordinem prioris,& posterioris,licet Auerh. putet doceri quæ habent imaginationem. Nempe mota ad locum,satius est dici quemadmodum docet ordinem animarum facultatum. Ac in quibusdam est motrix ad locum,quia circa locum habent etiam condis marinę,ostreę, Zoophyta. Nam extenduntur,& contrahuntur circa locum. Quare habentia sensum tangendi & appetitum,quædam non feruntur ad locum,sed circa suum extenduntur,contrahũtur, quædam alio progrediuntur. Alijs vero ratiocinãdi vis,dianœa. Cogitatiua apud Arist.apud me intellectus patibilis seu possibilis. Et intellectus apud me agens,apud Auerh.possibilis,vt hominibus, & si quid est alterũ in alio genere ab hominibus cũ hac cõditione dicente Auerh.vt sit quid melius hominibus,si vero deterius carebit illis facultatibus,sed dubium est quid sit hoc alterũ. Philoponus refert primum apud quosdam dęmones esse eiusdem ordinis cum hominibus,apud Simpl. eos dęmones,intellige,quibus datum est ingredi corpora humana. Confutantur,quia sermo est de animabus corporum organorum dęmones habent corpora similaria aquea, terrestria. Deinde sermo est de anima mortalium. Dæmones immortales habentur. Atque intellectus, ratio præsumit sensitiuam,& hæc nutritiuam,quæ non est in dęmonibus.Nec reperiuntur dęmones apud Arist. & si. 5. metaphsi.inter substantias numerat Arist. dæmones, tum loquitur ad mentem Platonis, ob id Philoponus aliam adfert expositionem dicens esse triplicem animarum gradus. Aliæ sunt corporum ęternorum,ceu cęlestes, aliæ caducorum,mortalium,ergo tertiæ esse debent, quæ aliquo tempore in aere viuunt,& postea labuntur in corpus nostrum, & tale habens animam est alterum ab homine,& eo melius, dignius. Commentum anile,quia daretur migratio animarum ex aere in corpus. Et aer est corruptilis. Adde aerem non esse corpus organicum, ergo non habet animam, mortalium. Hinc oportet animaduertere in Simplicium qui putat alterum genus animati,& hoc præstantius esse cælum,quale habet sensus intra non patibiles ab externis,& phãtasiam,intellectum. Opinio iam dudum confutata. Nunc sermo est de anima mortalium, & habentium organa. Cęlum immortalem Aristotelice,& similare non organicum. Ac anima intellectrix præsumit altricem,quæ non est cęlo necessaria apud hunc authorem. Ob id alij putant esse larem,genium alterius generis animatum præstantiorem homine. Ego oedipo puto opus esse, qui diuinet quæ dicere cupiat Aristotel. Consuerim apud Arist. defunctos esse, sicut in

libris de Repub. Plato plane sentit, & introducit Pamphilum defunctum resurrexisse, & nunciare loca, & quæ viderat fieri. Hinc Vergilius in sexto Aeneidorum plura hausit, & Dantes, qui cecinit versu, & lingua maternis. Defunctos asseruisse Arist. & si mirantur quidam, tamen ego legi in primo Ethicorum 15. capit. vbi asserit mortuos felices non affici rebus aduersis amicorum sic, vt eo affectu quid felicitatis ammittant, & si quidam philosophrasti superficietenus adducti verbis philosophi tueantur mortalitatem animi, vt ille Petrus Pomponacius, melius poltronacius, qui nil sciebat bonarum litterarum. De Alexandro Aphrodiseo non ex me cognosces, sed e Simplicio, Philopono. Placuit ille mihi sæpe in suis commentationibus, sed in ea heresi de mortalitate animi, & essentia nunquam, quia confundit, peruertit sensa philosophi aperta de imortalitate, vt pertinaciam suam defendat. Hi ergo aiunt loqui Arist. ibi ad opinionem vulgi. Heu perfidi, solet ne Arist. in dissoluendis grauissimis dubitationibus, sicut est de felicitate decernere pro vulgi opinione, aut sicut videtur sapientibus? Decernit ibi felices defunctos non affici, vt aliquid felicitatis perdant, hos igitur præstantiores nunc dicit hominibus pro statu isto. Quamquam cum voce conditionis hæc dicat (Si) tamen id facit differens ad suum locum, vbi est sermo de felicitate. Ibi est videre si quid sit nobilius homine. Certe est felix, & beatus defunctus, lege contextũ.

## *De origine famis, & sitis naturali.*



GALENVS medicus cap. 7. primi libri de simptomatum causis definiens famen naturalem, & sitim appetentiam animalem cibi calidi, sicci, & potus frigidi humidi per se decernit originem huius, & originem appetentiæ, & inquit. Primum vacuatio est cum semper animal in ambientem aerem digeratur, & semper calor cõsumat mẽbra ipsa vacuãtur, secundũ est vacuatorũ appetẽtia naturalis, iccirco ingenita est vis mẽbris ad se trahere alimentũ ex vicinis, quousq; ad venas perueniat cõmissas vẽtriculo qui etiã ex vẽtriculo trahunt, vt radices a terra, & hinc tertium fit suctus ventriculi, qui ob neruos sexti paris, & precipue in ore sensu pollet citat sensum, & fit quartum sensus ipsius famis, & sitis. Quintum est appetentia animalis citato sensu, Arist. igitur, qui famẽ, & sitim sequi tactum, & effectũ animalis ait, profiteretur & ipse famen, & sitim esse appetentiã animalem, quia in solis animalibus inest. Verũ Gal. solum de fame, sitique humana loquitur, cui est prouincia de corpore solo humano, sed Aristotel. cuius est onus de omni fame, & siti dicere communiter asserit famen esse appetitum animalem calidi, & sicci primum ita, vt si potu sedatur, per accidens humore, & gelu sedatur quatenus scilicet his cõmixtus est calor, & siccitas, iccirco vina fortiora, & antiquiora citius famen sedant. Atque sitis appetentia est animalis frigidi, & humidi per se, ex accidenti calido, sicco sedatur, cum ex his nascatur, & fiat. Aut defectu humidi, aut excessu caloris. Et succi collecti in ventriculo salsi, acris ob caliditatem inducunt sitim, & febres siticulosæ dicuntur quædam ab Hippoc. 6. epidemiorũ, sitis ex calore facilis est redẽptione, sed e siccitate perdifficilis occurrunt duo dubia, quia plãtæ digeruntur ab aere ambiente, & consumuntur calore, tamen non famescunt, nec sitiunt, & quia si fames est appetentia animalis erit cum cognitione præcedenti, & tamen animalia sine cognitione sponte se ad cibum conuertunt. De primo dicimus in plantis non inesse famen, sed appetitũ naturalem se conseruandi indiuidualiter, iccirco reguntur appetentia naturali, & exarescunt cum deficit alimentum, & humor. Hinc prata irrigantur, & aquæductus fiunt &c. Animalia vero vltra appetitum naturalem, & vegetalem reguntur sensu, qui fungitur officio vegetalis, & cognoscit, ac distinguit vtile ab inutili, iccirco ad secundum argumentum dices cognosci cibos, & alimenta ab animalibus per notitiam tactus, non intellectus primum, nisi quatenus coniuncti tactui. Et puer se transfert ad lac cognitione sensus tactus. Nunc sermo est de fame, & siti secundum naturam, non de vitiosa, & ea præter naturam, ceu canina, aut bulimo, & pica pregnantium. Fames sitis sunt contrariæ passiones non obiectiue solum, sed etiam secundum originẽ. Obiectum famis calidum siccum, & origo est exsuctio ventriculi, & non indigentia, nisi ex accidenti, obiectum sitis frigidum, humidum, & origo calor, vel siccitas ventriculi &c. Ex accidenti vinum calidum pro siti sedanda deligitur. Et sedat famen per accidens, quia calidum. Vina frigida reperiuntur comparatione. An vero aqua sincera pro potu animalium nutriat? Dices non

inueniri

inueniri aquam sinceram,& puram omnino nec dulcem, nec salsam, nec insipidam. Et cum in quo inueniretur animal non nutriretur ex ea,sed ex mixtione eius cum cibo,vt fit. Cęterum de fame, & siti in commentarijs artis medicinalis agitur fusius,nunc satis sit hæc nouisse,famen accidere ex consumptione nutrimenti,& humidi radicalis,vt cumque fiat & ob id desiderium innatum est se tuendi, & fieri non potest id, nisi restauratione, & noui alimenti confictione, quare fames oritur, & insurgit. Aeque de siti dicendum.


## *Tertij tomi cap. primum.*



VIVS tomi tertij continuatio est cum superiore,quoniam si de essentia animæ, deque eius potentijs dicendum est; definitio animæ formalis tradita non est assimanda cuidam vniuersali animæ sine proprijs vt Plato in Phedro de idea animæ fecit,sed asserenda est analogicę, quæ possit accommodari etiam proprijs. Non enim cum definiebatur anima est principium quo viuimus formale,& primum, hæc definitio solum vegetali communi conuenit, & non huic,& illi, similiter neque definitio sensitiuę solum communi, verumetiam huic,& illi,æque de intellectrice,& motrice. Proinde erit definitio animæ atque ac ille figuræ. Vt figura non est quædam communis,nisi triangula,quadrata,rotunda, neque definitio eius, vide licet,quæ termino,vel terminis continetur erit,nisi triangula,quadrati,& reliquarum. Eodem modo nec anima est nisi vegetalis,sensualis,intellectrix,motrix ad locum. Hinc earum est definitio asserenda,& ridiculum quærere communem definitionem nulli propriam,vt Plato fecit.Et cum esponit similitudinem figuræ,& animæ,& de ordine se dicturum potentiarum, & animarum se merito stante similitudine indicat. Nam primæ figuræ potentia sunt in secundis, & hæ in tertijs,& sic deinceps presertim de rectilineis si fiat sermo. Nam triangulus est in quadrato, cuius diameter indicat binos,& si addatur altera diameter, quatuor erunt, ceu in exemplis liquet, & quadratum in pentagono,& sic deinceps,ita vegetalis anima, est in sensitrice potentia,facultate, & sensitrix in motrice, & hę omnes in ipsa intellectiua,ergo definienda est quæuis anima, & nō solum humana,vt tradiderunt antiqui,aut non sola communis,& idealis vt Plato condidit, sed quæcunque & plantæ,& ferarum, & hominis. Verum quia reddere causam ordinis istius promisit,infert,quia sensitrix non potest esse sine facultate vegetali. At hæc sine illa potest esse in plātis. Ergo vegetalis est prior. Prius dicitur, quod sine alijs, sed alia sine illo esse nequeunt. Aeque in sensibus ordo,tactus sine alijs esse potest in ostreis,in spongijs marinis,conchilijs,Zoophytis ancipitem animalis,& plantæ vitam degentibus,cum hæc non gustent, non odorent, non videant, sed reliqui sensus non sine tactu in animalibus esse potest,vbi gustus, ibi tactus, vbi odoratus, ibi gustus,vbi auditus,ibi odoratus,vbi visus,ibi auditus, & reliqui, & talpæ habent visum sub cute oculos tenentes,vt Arist. in 3. historie de animalibus libro narrat, & rei veritas a me deprehensa est,qui feri periculum. Cęterum eorum, quæ sentiunt ceu conchilia non habent vim motricem ad locum,alia habent,& horum minor pars habet rationem, & intellectum, vt genus hominū. Vnde postrema est vis intellectus, quemquę habent omnes animarū vires obtinent,contra reliqua non obtinent omnes, quinimo alia carent imaginatione perfecta,alia hac sola viuunt. Sed de intellectu humano alia ratio est. Ad tertium librum differenda, nunc constet definitionem traditam animæ esse cuique animę accomodandam,& non communi solum.

## Contex. XXVIII.

*Quocirca perspicuum est vnam esse animæ rationem perinde,atque figuræ. Neque enim ibi vlla figura præter triangulum,& alias deinceps,ita neq; anima vlla præter numeratas. Fieret etiam in figuris una communis ratio iunctis accommodata,quæ nulli esset propria,sic etiam in animabus eueniret. Quapropter ridiculum est in his, & in cęteris communem quærere rationem, quæ nulli eorum, quæ sunt propria sit, presertim si omittatur indiuidua secundum speciem.*



VERHOES peccat in primo affirmans dici de genere definitiones, animæ, quale erat actus, & principium, & hoc doceri esse analogum, non autem vniuocum, neque equiuocum, Philoponus quasi idem asseuerat ex eo, quod non est commune genus animabus vniuocum, sed æquiuocum, ac si esset etiam vniuocum, non oportere inquit persistere in sola definitione communi, sed transeundum est ad cuiusque speciei, & potentie definitionem. Themistius etiam genere primum quædam commentatur. Sed Simplicius recte copulat superioribus dictis. Quoniam tradita est definitio formalis animæ communis pluribus, quæ & proprijs accommodari potest, vt hæc. Anima est principium quo viuitur, sentitur, mouetur in locum, intelligitur primo. Nam communis, sed tamen potest separatim accommodari, vt dicatur anima vegetalis est principium quo primum viuitur. Animā sensitiua, quo primum sentitur, & intellectiua quo primum intelligitur, &c. iccirco Aristotel. docet rationem, cur huiusmodi tradita sit definitio simul apparans sermonem definiendi potentias cuiusque animæ, & dicens hac de causa id factum, quia non potest tradi definitio communis, sine propria, sicut nec figuræ sine propria cuiusque ita, vt illa communis figuræ est quæ termino ob circulum, vel terminis clauditur ob triangulum, quadratum &c. nec cōmunis est figuræ solum, sed etiam propriarum, ita definitio animæ se habet, & non sicut Plato definiuit ideam animæ in Phedro Ecce propositionem. Quocirca perspicuum est ex assignata formali definitione vnam esse animæ rationem, perinde atq; figuræ, & probat similitudinem, quia sicut nulla est communis figura præter particulares, ita nulla anima est, nisi hæc vegetalis, vel illa sensitiua &c. Experire quantumuis non poteris figurare nisi circulum, aut triangulum, & cæteras rectilineas figuras. Neque enim ibi vlla figura præter triangulum, & alias deinceps rectilineas, quarum prima & simplicior alijs triangulus. Tacuit circulum, semicirculum ovalem, & reliquas ad rotunditatem vergentes. Par ratio, ita neque anima vlla præter numeratas supra communiter quatuor quæ se habent deinceps. Nam triangulus in quadrato, & in pentago, exagono, heptagono est, ita vegetalis in reliquis potentia continetur, quare male Plato constituens ideam animę cū definitione separata, quia nō est talis anima, sicut neq; figura, si enim esse figura communis separata vniuoca, eius traderetur definitio separata nulli accommodanda, sed quia non est talis figura separata ab aliis ideo nec definitio tradi potest eiusmodi. Aeque de anima dicendū, lege. Fieret etiā in figuris vna cōmunis ratio cunctis accōmodata, quę nulli esset propria si esset quędam figura communis vniuoca præter particulares, sed non est, neque igitur tradenda definitio communis non apta proprijs. Sic etiam in animabus eueniret, quia non est anima communis per se, nec idea, ideo neq; definitio tradita est communis sine proprijs Simplicius obuiam it dicere potenti, ergo isto modo vniuoca non essent, & vniuoci non esset ratio communis, vt animal, cuius ęst definitio substantia animata sensitrix. Respondet vniuoca esse, & talium definitiones communes, sed eorum quæ sunt analoga, definitio non potest cudi communis, quia non est quid cōmune tale, nisi nomen, vt figura & anima. Figura præter has, & illas est nomen, ita anima præter has & illas est nomen modo generis, sed reuera non est, nisi formes chategoriam substantiæ incorporeæ in qua sit anima. Aristoteli placuit tradere definitionem analogam animæ. Vnde infert corrolarium de vano conatū Platonis quærentis condere definitionem animæ nulli propriam, quinimo apud Auerh. qui fuerit huiusmodi quæsitor, quæret impossibile, sicut qui dimittit modum traditum ab Arist dimittit possibile, & quærit quod fieri nequit. Quapropter ridiculū est in his figura, anima analogis. Et in cęteris, vt sit commune preceptum communem quærere rationem, definitionem, quæ nulli eorum analogatorum, quæ sunt propria sit, & eo magis ridiculum quando quæritur communis, & dimittitur propria. Si præsertim omittatur indiuidua secundum speciem, idest speciei definitio, sicut fecit Plato quærens communem dimisit propriam. Non ridiculum est quærere communem, vt ait Simplicius, sed quærere communem, & dimittere propriā. Et taxatur sane Plato citato libro, & Plotinus, Themistius addit analogam definitionem esse etiā propositionis primo priorum cum Alexandro Aphrodisæo. Amotat Auerh. Geometriam non versari in æquiuocis, alioquin esset sophistica, sed in analogis.

## Contex. XXIX.

*Simili item modo se habent in figuris atq; ea, quæ in animabus, Nam semper prius est potentia in eo, quod deinceps est, vt in figuris, ita in animatis, ceu in quadrato triangulus est prior, & in sensitiuo nutritiuũ. Quapropter in vnoquoq; quærendum est quid sit cuiusq; anima, vt plãtæ, hominis, bestiæ, sed quamobrẽ ita deinceps se habet considerandũ est. Sine nutrici.n.non est sensus, attamen nutrix in plãtis sine sensu est. Ac sine tactu nullus aliorum sensũ est, sed tactus sine alijs. Multa enim animalia neq; uisum, neq; auditũ habent, neq; odoris sensũ.*



CREDIDERIM non modum consimilitudinis figuræ, & animæ nunc quæri vt putat Auerh. Sed oportet tradi definitionẽ propriã, specificã rei, & animæ doceri, idq; primũ. Deinde reddi, cur deinceps se habent animæ, & analogatæ sint. Quoad primũ perstat adhuc author in eadẽ similitudine figuræ spetierũ, & animæ potentiarũ, proponitur simili itẽ modo se habent in figuris speties analogatæ rectilineæ, atq; ea, quæ in animabus, idest speties, potentæ, partes, genera. De nominibus nõ cura sit, & probat similitudinẽ quia prior semper est potentia, nõ actu in posteriore, & sine ea potest esse, sed posterior non sine illa, vt triangulus est potentia in quadrato. Actu fit si diameter ex vno latere ad alterũ traducatur, ante vero hanc diametri appositionẽ dicitur esse ibi potentia, velut, ita etiã vegetalis est potentia in sensitiuo, sed actu est cũ sensitiuũ iam est, lege probationẽ similitudinis. Nã semper prius est potẽtia in eo, quod deinceps est, vt in figuris, ita in animabus, ceu in quadrato triangulus est prior, & in sensitiuo nutritiuũ, ex his formatur argumentũ. Quæ sic se habent, vt vnũ in altero sit, definitio vnius petit alterius definitionẽ, sed animæ speties, partes ita se habent, ergo cuiusq; definitio assignãda. Cõclusio Quapropter in vno quoq; quærendum est, quid sit cuiusq; anima, vt plãtæ, vegetalis, hominis, intellectiua, bestiæ, sensitiua in locũ motrix. Ergo hactenus Arist. docuit bene definitã animã per partes, & speties. Deinde vero supra promisit reddere quomodo esset ordo in his potentijs, & generibus animarũ id facit. Sed quãobrẽ ita deinceps se habeant, considerandũ est, prior est vegetalis sensu natura, & generatione, quia sine sensu, & alijs reperitur in plantis, sed sensus nõ sine illa, prius dicitur illud, quod sine alijs esse potest, sed alia nõ sine illo, in caducis nil potest sine altrice esse aut eius vice eodẽ modo euenit sensibus, vt tactus sit prior cęteris, q̃ sine alijs esse queat, sed reliqui nõ sine ipso, & omnino imperfectiores facultates sine perfectioribus in caducis esse possunt, sed perfectiores nõ sine illis, vt in spongijs cõchilijs tactus est sine gustu, & omnino cum Auerhoe in illis, vbi nutritio fit sine sapore, tum solũ erit gustus, vt quædã tactus est & nõ gustus, addit etiã in animalibus perfectis nõ distingui tactũ a sensibus, quia omnis sensus fit tangendo. Reuera cõtra Pliniũ dicitur nunc tactus sine gustu aliquibus datus, ostræ autẽ hiatulæ, quibus os, venter insuper habent gustũ. Vbi os, ibi gustus, hæ tamen sine odoratu sunt. Signo quod non odoratis escis irretiuntur, & attrahuntur, sed testæ purpuræ vltra gustatũ, tactũ obtinẽt odoratũ, quia odoratus escas sequũtur piscatorũ testimonio, auditu carent cõiectura, quæ etiã strepita, sono nõ tentãtur, Talpe autẽ habere etiã auditũ ferunt sine oculis, attamen Arist. prodidit sub cute talpas habere oculos, & ego expertus sum. Natura prouidit cutẽ quia victũ quærit ore cõfodiens terrã, & per viscera terræ meant. ne oculi offendentur pulueribus cute obducti, & septi sunt, lege igitur. Sine nutrice enim nõ est sensus, attamen in plãtis cõtra Platonicos nutrix sine sensu est. De sensibus idem. Ac sine tactu nullus aliorũ sensum est sed tactus sine alijs, idq; inductione demonstret. Multa enim animalia neq; visũ, vt piscis in mari neq; auditũ habẽt neq; odoris sensũ, & quædã nõ auditũ, nõ visum, sed quæuis habẽtia visum reliquos obtinent, & quę auditũ, etiã inferiores. Philoponus recte appetitum sequi primũ sensum tangendi subiungit. Et quibusdã appetitus est, etiã motus, & imaginatio, vt apibus, formicis. De quibus sequitur oratio. Aduertit Simplicius nõ quoduis prius in suis posterioribus inesse, vt sub̃a nõ in accidẽtibus. Respõsio est de prioribus intelligi imperfectioribus, substantia nõ est imperfectior accidente.

## Contex. XXX.

*Ex habentibus sensum alia habent vim mouendi ad locum, alia uero non habent. Postremum vero quod minimum est habens ratiocinationem, & cogitationem. Nam in quibus ex caducis inest ratiocinatio, his reliqua omnia. Et quibus vnumquodque, non omnibus ratiocinatio. At vero illa ne imaginatione quidem viuunt, hæc vero ea sola viuunt. De contemplatiuo intellectu alia oratio, patet ergo de vnoquoque horum esse rationem conuenientem sermoni de anima.*

PERSEQVITVR ordinē dicēdi,& habētiū sensū,siquidē imperfectiora sunt,quę nō habent motricē ad locū,partim habēt.Zoophyta,quæ degunt ancipitē vitā cum plātę,tū animalis carēt motu ad locū,solū sistole percepto detrimēto, aut offendiculo mouētur,& diastole,dilatatione,cū salutare,& iocundū sentiūt,sed ad locū perfectiora mouētur quibus esca nō est cōiuncta,sed quærere oportet.Quæcunq; porro amplectūtur motū ad locū possunt in loco,& circa locū ferri,& hæc cūcta habēt sensū,& cupiditatē. At quæ sensū,& motū circa locū habēt,nō omnia mouētur ad locū,lege ex habētibus sensū &c.secundū in cōtextu postremū gradū tāgit animaliū, q̄ vocat minimū. Auerh.loco minimi legit (cōplemētū) qa quo pōt peruenire natura animaliū in procreatione est, vsq; ad id,quod patitur vi cogitatiua,& speculatiua,sentētia eadē Themistij est,Philoponus dicit minimū quātitate,& numero esse genus humanū,sed virtute præpotēs.Crediderim hoc genus dici minimū nō absolute, sed per cogitatiuā,quæ est minor,idest paucioribus cōueniens,quā in locū motrix & sensitrix, & intellectus etiā minor est,& minimus.Paucis apud Anax.datus est.Quod vero sit postremus & vltimus gradus docet,quia in quibus inest ratiocinatio ex caducis.Ne cælestia rationalia assumus , aut defunctos,aut mētis motrices spherarū,his reliquæ inferiores vires animæ insunt, & sensus, & nutrix,ac motrix in locū. Contra nō euenit,vt quicquid tenet aliquā inferiorū virtutū, id habeat ēt superiorē,de quibus alia viuunt imaginatione,alia sine phātasia perfecta,ceu vermiculi,putri materia multa genita.Formicæ tamen,& apes viuunt imaginatione,&quadā prouidētia.Conuehūt in cellam granariā pro hyberno tēpore separāt cellam defunctarū formicarū ab illa,vbi habitāt. Vestigia prouidētię,& solertiæ. Cęterum vbi est appetitus rei absentis,ibi quædā saltem confusa imaginatio,sed quia nunc sermo est de perfecta tractāda ad finē libri,ob id dixit author,quędam animalia viuere sine imaginatione. Attamen plātę plane viuunt sine imaginatione.Carent enim sensu.Occurrit dubitatio,quia videtur tribuere cęlestibus cogitatiuā,& intellectū,cum separet caduca,mortalia ab eis. Auerhoes vidit difficultatē,& tribuit cęlo cupiditatē,& intelligentiā. Mentes inferiores cupiunt assimilari primæ,sed hæc cupiditas est voluntaria sequens intelligentiā, nō sensum.Philoponus intelligit inesse in corporibus diuinis cogitatione propter corporis vsum cęlestis conuenientem suæ naturæ,non nostram dubiam, quæ differt ab intellectu propterea quod hic applicatione sola intelligit , at illa cum transitu , & discursu a quæsitis ad inuenta , a notis ad rem dubiā,Simplicius per ratiocinatione in cęlestibus sumit intelligentiā eorū agentem, & Aristotel. fatetur intellectū agere in illis. Vtcunque in corporis illis Aristotelice si ratio est, non aliæ sunt facultates non sensus,nō altrix. Reliquum de intellectu differt sermonē,quia de eo alia oratio,vel ratio est. Cur sit alia ratio reddit Auerh.dicens propterea quod existimatur nō anima,neque pars animæ,sed quædā natura anima superiore,idque cū Themistio. Sed ambo mihi videntur non probedicere, si quidem dudum supra asseruit videri alterum genus animæ, & separabile tanquam perpetuum a caduco. Vnde & si alterum videbatur genus,attamen animæ, & non extra naturam animæ.Hinc quoque reprehenditur Alexander arbitratus hæc. De contemplatiuo intellectu alia oratio,dici de mente diuina, sicut & supra cont. xx. ibi dixit nondum apertū , hic vero ait aliam esse orationem. Philoponus de nostra mente existimat dici, de qua est alia oratio, quia pertinet. 4. metaph. & primo libro de partibus animalium cap.4. ad diuinum , & solum ad philosophū de anima in materia,& si in hoc libro philosophiæ naturalis differit de ea,non mirū , etiam in 8.physi.de motore primo differuit,& maxime quia hic liber fere vltimus est negotij physici, At quis dicet,cur non de actiua mente,& practica meminit,quæ eadem subiecto est cū contemplatiua ? Respondetur quia separata est contemplatiua a materia,practica vero secundum rationem diuersa a contemplatiua non separabilis est saltem operatione. At replicabis neque actio ne contemplatiuam separabilem,si quidem a phantasmate depēdet in actione. Nisi dicatur obiectiue speculatio dependere a phantasmate, sed actiua subiectiue, sed verius dicendum intelligere hominis a phantasmate proficisci,non autem animæ per se,Simplicius etiam in Alexandrum animaduertēs de intellectu nostro hæc accipit, & separat speculatiuum ab actiuo, & phantasia materiali intellectu,quia hæc cum sensibus habet commune , sed actiuus saltem vtendo corporeis rebus actione est inseparabilis. Contemplatiuus autem separabilis est. Postremo facit epilogum colligeres Scopum suum , qui asserebat in sermone de anima non posse afferri communē definitionem,quæ non comprehendat etiam proprias,inde etiam videtur innuere ob id agendū esse de potentijs cuiusque animæ separatim,lege contextum. Hic planus est.

Quar-

## *Quartus Tomus secundi libri de anima. capitibus 4. concluditur. primo de genitrice. secundo de auctrice. tertio de altrice. quarto de calore naturali interprete Lucillo.*

## CAPVT PRIMVM.

### Contex. XXXI.

*NEcesse ei, qui considerationem de his habiturus est, vt quid sit vnumquodque horum reddat, Deinde vero, quæ cohærent. Ac si oportet quid horum vnumquodque dicere ceu quid intellectrix, quid sensitrix, quid nutrix. etiam prius quid intelligere, & sentire conuenit præscribi. Nam facultatibus sunt priores actiones & operationes secundum rationem. Quod si hoc modo est procedere, etiam ob eandem causam de obiectis prioribus erit primum decernere, ceu de alimento, sensili intellectili, & ita præponemus nutritionem, generationem, siquidem nutriendi facultatem animam habens alijs quoque tribuitur. Hæc prima, & maxime communis est uis animæ, per quam viuere omnibus est.*



IC tomus necessarius physico, Medico, & lectioni opusculorum de somno vigilia, de morte, & vita & reliquis, etiam de partibus animalium, & de partu. Continuatio est Simplicio, Philop. Themistio, Auerh. hunc in modum. Non posse communem definitionem animæ analogę siue definitione propria cuiusq; tradi asseruit author, fatetur necesse ita esse, vt pręponatur quid vnaqueq; sit, & postea quæ sint propria cuique opera, & affectus ostendere, legatur. Necesse ei, qui considerationem scientiam veram apud Simpl. vel perfectam cognitionem apud Auerh. de his rebus animasticis habiturus, facturus est, vt quid sit vnumquodque horum reddat. Et primo libro in contextu idem præscripsit.
3. Deinde vero quæ cohærent, & consequuntur necessario. Idest definitione, & demonstratione cuncta perstringere oportere, & quid, & quia colligere scilicet propria apta demonstrationi. Cōmunia vero addere, & per accidens, quia iuuant ad dignotionem propriorum. Methodus ergo præscripta est demonstratiua sed in colligendis demonstrandis vtitur methodo resolutiua, quia ab actionibus & prius ab obiectis monet incipiendum, & quicque eorum definiendum. Proinde secundum in cōtextu faciens ordinem resolutiuum indicat. Ac si oportet, quia ex rationibus superiore tomo oportet, quid horum vnumquodque dicere quid intellectrix, intellectiuum, Quid sensitrix, Quid nutrix potentia pro essentia animæ, etiam prius quid intelligere, & sentire conuenit præscribi, notiora nobis hæc sunt, & via resolutiua a notioribus nobis id quoq; Auerh. nouit. Quæritur tamen, si accidentia magna ex parte conferunt ad cognoscendum quid est substantia, leui phantasia habita de accidentibus primo libro, cur nunc definire quid sit quicque horū oportere dicit, Definitio non tradit leuem, & phantasticam cognitionem, Recognosce locum primi libri. Et adde adhuc difficile argumētum. Quæritur enim num definitio operationum, & horum propriorum accidētium possit esse medium in demōstratione, aut conclusio. Non conclusio quia definitio non demonstratur, ergo vt medium, quale aut concludet definitionem subiecti, & definitio erit adhuc conclusio, aut cōcludet quia est accidētis, quale est præcognitum ante totam demonstrationem. Respondebis ad primum sufficere leuem phantasiæ operam ad inueniendā substantiæ definitionem dico accidentium cognitorum per phantasiam, sed nunc Arist. proponi quid accidentium statuit pro notitia perfecta de anima, non pro inuenienda eius definitione, iam tradita & inuenta est, Ad secundam quæstionem respondebis valere definitiones actionum ad media concludētia si est facultatum; & essentię animi. Non præterea mirum, si reliquid motri

ticem in locum in his verbis. id fit breuitatis studio. Cæterum persuadet ordinem nobis hunc, quia a superioribus secundum rationem, idest intellectum nostrum apud Auerh. qui procedit e notioribus nobis ad notiora naturę, Nam facultatibus sunt priores actiones, & operationes secũdum rationem oportet procedere, Simplicius verbum, illud, Rationem pro perfectione, & forma intelligit, Nam tempore priores sunt facultates operibus, sed perfectione contra actiones facultatibus priores. Videtur & Alex. idem intellexisse, quia operatio est finis, & perfectio facultatis. Philoponus ratione priores actiones, idest doctrina primum credit intelligi oportere, mox addit quæ Arist. dicit. 9. metaphy. primo phys. priora ratione, idest definitione, quæ ingrediũtur definitionem posteriorum, & hæc non in definitione priorum, Hoc modo intelligi putat, siquidē definies potentiam visiuam dices esse vim videndi colores vbi mētio de actione, quam si definies hoc modo videre est apprehendere colores, nulla erit mentio facultatis in definitione, ergo prior est ratione actio, & operatio illud verbum, actionis infertur ad facultates intellectrices, illud (operationes) ad reliquas. Addit item si hoc modo est procedere in scientia methodo resolutiua oportere dici primum de obiectis, oppositis, & definire quid quicque horum maxime proprium & adequatum potentiæ, ceu quid visile, ante visionem, quia oppositum est prius actione secundum rationem. Quod si hoc modo & hac methodo resolutiua est procedere, etiam ob eandem causam, quia opposita priora ratione operibus ab oppositis prioribus erit primum decernere, exemplo. Ceu de alimento, opposito actioni nuttire, facultati altrici. Sensili pro quouis proprio sensili, ceu prius de colore, quam de actione, & facultate, de sapore prius quam de gustare, & gustu. Intellectili, quouis adequato intellectui. Aduerte de intellectili non disputaturum Arist. in tertio libro prius, quam de intellectione, & intellectu. Nunc autem proponit, ne ordo perturbetur doctrinæ. Quare autem non disputabit ante de intellectili propter difficultatem maximi intellectilis, de quo tertius liber te faciet certiorem. Dato ordine definiendi quid prius. Nam opposita prius, mox actiones, denique facultates, & essentiæ alterum subiungit dicēdi de obiectis, & actionibus ante animæ vegetalis, quia hæc prior cæteris, & omnibus communis viuentibus caducis, & prima quidem origine, quæ sine alijs esse potest, & fętus viuit primum vita plãtæ, & imperfectior cæteris, Communis autem est, quia nullum viuit primum nisi per eam, Communis plantis, imperfectis, perfectisque animalibus. Et ita præponemus nutritionem addit sub eodem verbo Simplicius accretionem, generationem non omnem sed viuentium. De communi generatione, & interitu in parte tertia philosophiæ naturalis disputatum est. De generatione animalium postremo in quinque voluminibus. probat ordiendum a vegetali anima, Siquidem nutriēdi facultatē anima habens alijs quoque tribuitur omnibus viuentibus, ergo de hac prius, & eius potētijs, actionibus, oppositis, argumento, quod de primis, & communibus prius agendum. Vegetalis est prima, maxime communis, ergo prima, Minor oratio probatur, quia quicquid caducum viuit, hac primum viuit, & omnibus viuentibus communis est. Hæc prima, & maxime communis est vis animæ, & probatur per quam viuere omnibus est viuentibus caducis, mortalibus. Dij, corpora cœlestia non aluntur. Nec necesse Apud Arist. secus apud me, qui cœlestia corpora contra Arist. ali cum vetere philosophia sentio, sed de hac opinione in primis commentarijs de cœlo. Deniq; illud verbum oppositis Auerh. intelligit de actiuis, & patibilibus, Actiuum, passiuum quædã modo opposita, vel contraria. Simpl. Philop. opposita relatiua aiunt, color non qua terminus in superficie, sed vt visiuis opponitur visui, & calidum, frigidum tactui. Philoponus ait ordiri a fine generatricis, non nutricis, sed eundem finem vocat oppositum, vt domus est finis, & obiectum ædificantis, quia nos tegit, ita tale procreare ob immortalitatem est finis, & obiectum genitricis facultatis, Nunc videtur locus disserendi an potentiæ animę differant ab essentia, & quomodo fluãt, & per quos actus, & per quæ obiecta, seu opposita distinguantur. Stoicus nisi essentiam seiunxisset ab animæ natura, non asseruisset vnam animam cum vna potentia esse, nec alij vnam animam cum pluribus facultatibus, quia non eadem illa secundum essentiam, quorum vnum multiplicatur, & alterum minime. Verum quo reddam aptiorem lectorem ad notitiam huius quæstionis. Quid sit essentia animę, quid potentia, vel facultas ante omnia explicabo. Deinde perstringam breuiter decretum. Essentia animæ [illegible] natura est ipsiusmet quidditas, & natura simplex incorporea non omnino, sed vergens ad incorporeum, vt sensitiua vegetalis, si intellectiua mere spiritualis est, & incorporea. Est enim principium formale, quo primum animal viuit, sentit, intelligit, fertur in locum. Sed rogabis iure. Ex quo philosophus conclusit ab oppositis, ad actiones, ab his ad facultates, & ab istis ad essentiam, cur quid anima primum communiter, & formaliter

tradi

tradidit? Respondebis ordinem procedendi ab obiectis &c. esse potentiarum, & propriam animarum, sed traditæ diffinitiones communes, quæ tamen proprijs accommodentur. Essentiæ vero animæ potentia accedit aut patiendi, aut efficiendi. Illa patibilis, hæc vero actiua dicitur. Et ab soluta, & relatiua. Absoluta vel est ipsamet substantia potens, vel qualitas quædam in secundo genere qualitatis, & dicitur naturalis potentia. Relatiua ad actum, vel ad efficiens si passiua, vel ad patiens, si actiua. Atque alia potentia, vel facultas est organica, ceu sensifica, alia non organica intellectiua, Non igitur dubium potentiam facultatem pro subiecto, vel agente potēte esse substantiam animæ. Sed qualitatem, & relatiuum minimæ, quia hæ accidunt, anima substātia est, ergo in diuersis chategorijs sunt, non ergo idem sunt, Et plane potentia organica communicata proprio organo non est essentia communis omnibus potentijs, alijs organicis, alioquin potentiæ eedem animæ essent inter se eedem, quia quæ in vno tertio consentiunt, eadem inter se cōsentiunt, & eadem sunt, si non visiua, & auditiua eadem, ergo neutra essentia animæ eadem. Potētia passiua est mutandi ab altero, qua alterum, & mutatio communiter accipitur. Potentia actiua transmutandi alterum, qua alterum, Facultas agendi potius est quæ alicuius est in organo, vel aliquid operandi in patiente. Semper facultas ad actum, vel patientem refertur. Potentia non organica creditur eiusdem essentiæ cum anima, quia non potest esse alibi, quam in anima, cōtrarium sentiunt Thomas, Aegidius, Gandauensis, qui fatentur potentias tam organicas, quam non organicas differre ab essentia animæ. Nam tertio physsi potentiæ eedem, actus ijdem essent. Si posse ęgrotare idem potentiæ sanari, sanitas ægrotatio idem essent, non idem, ergo nec potentiæ eedem sunt, ergo nec essentiæ animæ eedem. Vt item essentia ad esse, & potentia ad actum, ergo vt esse ad actum, ita essentia ad potentiam, sed esse differt ab actu, ergo essentia a potentia. Ac vna potentia est nobilior altera, vt visiua gustatiua, ergo non essentia est vtraque, alioquin cum par est essentia, par nobilitas esset, Essentia item non immediatum principium operandi, potentia immediatum operandi initium, ergo essentia ab ipsa potentia differt. Vt materia non principium immediatum patiendi, nec anima principium agendi, vel patiendi. Vtraq; est substantia simplex, ideirco non substantiatur materia per posse, sed cognoscitur per potentiam, Et quando potentia esset eadem subiecto cum anima, non tamen ex natura rei, & secūdum quidditatem eædem sunt. Nec valet si potentia esset accidens essentiæ animæ, potentiæ infinitæ in ea, quia potentia esset ad potentiam, Nam essentia animæ habet coeternam sibi quod est qualitatē, licet alia, & alia respectiua sit, cum ergo potentiæ differunt ab essentia animæ absolutæ, & respectiuæ per eadem argumenta, etiam inter se per actus, & obiecta adequata differant, ceu visus differt ab auditu per visionem, & colorem sed non primo per visionem albi, vel nigri, nec actus sunt principia essendi potentijs, sed perficiendi, & fines dicuntur, Ergo ex actibus, & operibus in potentijs differunt potentiæ inter se, & quoad nos, sed quo ad naturam differunt ex se, & non per actus. postremo dicuntur fluere potentiæ ab anima, idest dependere ab ea tanquam a causa materiali, in qua insunt, & a causa finali, quia omnis ordinatæ sunt propter animam operantem.

## Contex. XXII.

*CVius opera sunt generare, & vti alimento. Est enim maxime naturale operum viuentibus modo sint perfecta, non mutila, non sponte orta procreare alterum, quale ipsum est, Animal quidem animal, planta vero plantam, vt pro posse ipso diuino semper participent. Omnia enim illud appetunt, & gratia illius agunt quæcunque per naturam agunt.*



RAE definitio ordine resolutorio definiendi ab oppositis initio faciendo, videtur secus facere, cum initium det ab actionibus, Hæ præponuntur. Cuius opera sunt generare, & vti alimento. sed & alia dubitatio est, quia videtur de triplici animę vegetalis potentia, Nutrice, Auctrice, Genitrice incipere a posteriore, & a minus communi, cum genitrix facultas adueniat post nutritionem, & accretionem, pueri, & puellæ, & alia similia in suis speciebus non generant, nisi ætate perfecta. Ergo posterior est, Neque item communis est, Nō enim pueris, mutilis, senibus, orbatis, & sponte genitis, quibus tamen nutrix, & auctrix communes. Tertia dubitatio, quia omisit alias facultates vegetalis, Alteratricem, Expultri-

pultricem, Retentricem, Assimilatricem, de quibus in opere seorsum de facultatibus naturalibus egit Gal. & passim sæpe. Ad primam dices incipere ab operationibus ob oppositum, & finem, qui est etiam nutritiuæ, & auctricis facultatis, cum hæ sint ob generationem, & hæc ad opus procreandi pertinent, & operi procreandi oppositum, & finis sit procreare sibi simile in specie, non in ipso indiuiduo. Et specie quidem athoma specifica, non subalterna, qui finis, est etiam oppositū, sed alterius finis gratia, vt obtineatur sempiternitas cuiusmodi possit, res nempe diuina, ad quam omnia viuentia anhelant, & eius gratia agunt omnia, Quare non immerito proponitur actio relata ad obiectum. Ad secundam dubitationem dicito licere aliquando a præstantiore facere initium, & magis expetendo, & ita incepit a Generatione, & Genitrice. Nisi etiam dicatur generatio, & talis procreatio oppositionum, & scopus nutritioni, atque accretioni. De tertia forte sufficit præposuisse primarias, quia hæ citatæ sunt pedissequæ nutritioni, & generationi. Hæc hactenus. Si ergo generatio obijcitur nutritiuæ primum tanquam scopus, & finis merito incipit dicens, Est enim maxime naturale operum, ab operibus initium viuentibus Maxime inquam naturale non more Galeni distinguentis operationes naturales contra animales ab anima dictas primo capite primi libri de facultatibus naturalibus, & passim, sed naturale est, & animale opus procreare, quia anima vegetalis, sensitrix sunt animæ, & naturæ cap. quarto primi libri de partibus animalium, Dicitur ergo opus maxime naturale, quia omnem vim suapte natura animatum ponit in sui cōseruationem, & cum non possit in numero conseruari, cuiusmodi potest, quærit se conseruare in specie, quare maxime naturale est. Alij hæc verba accipiunt pro his, maxime proprium est. operum viuentibus. iam credo dictum cum Galeno præcipue primo in libro de facultatibus naturalibus interesse inter opus, & operationem, quia hęc est quædam motio operantis, & illud res effecta per motionem, ceu ædificatio est motio, & domus est opus, Verum Arist. confundit vnū pro alio, vt hoc loco. (Viuentibus) adiecit, vt de propria generatione solum viuentium credatur dixisse, non de naturali, aut artificiali, Et si ignis non viuens generat e ligno, materiaque ignem, & talem qualis est in specie, & metalla, aut alia mixta similia sibi, non modo viuentium per materiā intrinsecam, & intrinsecus generant, sed addita extrinsecus. Est enim semen intimum excremētum vltimi alimenti vtile apud Arist. 19. cap. primi lib. de partu animalium. Et viuentia multa sunt. Deus ex se viuit semper vita fęlicissima. 12. mataphys. Mentes motrices sphęrarum cœlestium viuunt perenni vita cupientes assimilari Deo, & obsequi. Viuūt corpora cœlestia, sol, astra. Viuunt Dæmones apud Platonem, incubi, succubi generationi maxime præfecti. Viuunt manes, & defuncti apud Arist. primo ethicorum, Viuunt homines, animalia rationis expertia, plantæ, & stirpes. Viuit & totus mundus in Timæo. Deus non gignit similem sibi, quia sempiternus est numero, & specie vnus, nec alium Deum potest gignere, cum apud Aristot. 12. sapientiæ vnus sit princeps totius mundi & si fides catholica Christiana in diuina essentia persona patris generet filium, non tamen alium Deum, quia pater & filius vnum sunt in essentia, in diuinitate. Veruntamen hæc oratio est vera, Deus generat, tanquam causa prima efficiens rerum omnium. 2. libro de generatione. sicut etiam hęc vera sol, & homo generant hominem, sed sol equiuoce, velut causa secunda communis, & homo vniuoce, iccirco & mentes motrices generant tanquā secundæ causæ. Tradunt & dęmones incubos succubos præfectos generationi. Manes, & defuncti iam suo functi officio non possunt procreare. Nec illis opus est in ea vita sempiternis. Homines viuunt, & procreant similes in specie, Et si dubium sit, quia non procreant formam animam intellectricem, quando hęc veniat deforis apud Aristotelem, & mas dat animam, & fœmina corpus intra septimestre, aut nouem mensium, aut decem spacium vitale, igitur non procreat similem in specie. Auerhoistę facile respondent dari cogitatiuam formam homini propriam, & ita procreat similē in specie, Ego quia sentio calorem innatum animam, & calor propriùs humano generi datur, facile esset mihi responsum, Veruntamen dices generari in specie simile propter organicum corpus humanum, & virtutes præcedentes ad conseruationem animæ intellectiuæ, quale, & quas dat homo, & mas, Et hoc esse verum ex eo constat, quod quicquid ab homine datur, dissoluitur, Animus mortalis est, Animalia expertia item rationis procreant sibi simile, & plantæ his tribus conditionibus obseruatis modo sint perfecta. Infantes, pueri, puellæque, senes admodum Hermaphroditæ vtriusque sexus, Monstra, Viragines, Imperforatæ. Ephemeron animal, & cui deest fœmina. Infantes, & pueri vsque ad pubertatem impotentes dicuntur, quibus alimentum omne absumitur in amplificandam molem, & nutritionem. Excrementum non superest sanguinis, quale semen est apud Arist. cap. 3. primi de partu animalium. Atque puellæ se habent, Ac non potentes dicuntur,

dicuntur, quia venæ angustæ, & organa nondum ampla, & apta. Fœminis autem ante pubertatem desunt menstrua, sicut, & senibus, iccirco non generant deficientibus menstruis. His enim calor deficit, his deest semen, cum alimentum non possit bene coqui, & partem reddere seminalem. Taceo natura steriles, vel ob vitio. Hermaphroditæ vtroque genitali impediuntur, Neque in se potest gignere. Quia fœmina non potest implere, qua mas nec impleri. Monstra nō apta, maxime si bicorporea, bicepitia sint. Viragines abdomine inepto, & vtero. Imperforatæ siue intra collum matricis, siue ante os, sicut etiam viri, quibus foramen glandis obstructum est nequeunt generare. Ephemeron. 5. libro de historia animalium quo die nascitur 24. horarum, hoc die perit. Hæc de prima conditione. De secunda. non mutila, manca, Spadones, tripospadones Eunuchi siue castrentur a puero fractis testibus, siue ad altiores excisis. Difficile est castrari feminas, neque has castrabis, nisi ilijs scissis, Castrati similes senibus, & mulieribus dicuntur, timidiores facti. Muli apud aliquos orbati sunt generatione, aliqui contra generare mulos, & mulas dicunt, sed non seruare prolem, Alij arbitrantur defectu mulæ marem non generare, si quidem mula non habet menses. Alij credunt nimia siccitate vteri, & calore absumi semen, Qua de re alias. Impresentiarum quoque Infecundi fiunt, quibus sectæ post aures venæ apud Hippocrat. in libello de aere, locis, & libello de carnibus. Defecta item, & manca vocabis quæcunque sterilia præintemperie, & vitio humoris, aut solutione continui, aut compositionis culpa, aut quibus virile per exiguum. De quantitate debita Medici scribunt. Aetius, Paulus Aegineta. Lati digiti nouem vicibus volunt longitudinem esse, vt bene iaciat sperma cum foramine læso. Cæterum tertia conditio est non sponte: idest putri materia orta. Quatuor procreantur animalia modis. Ex vermiculo, vt quoque phenix. Viuit fere annos. 600. dissoluitur in vermiculum, inde noua oritur Ex semine, vt pleraque, & quæ fetant. Ex ouo, vt pulli, & pisces aliqui. E putri materia, anguillæ, apes, vespe, mures, An vero genita e putri materia possint procreare similia specie quæritur in libris de partu animalium. Omnia fere viuentia gignunt similia specie subalterna. 7 meta phys. procreant alterum, quale ipsum est, quale substantiale, non accidentale, quia de similitudine in substantia est sermo, non de similitudine in effigie, cum de hac sit sermo in 4. libro de partu animalium, & in libris de semine Gal. cum scilicet homo generet qua homo, & qua Philander, Nunc sermo est, qua Philander homo procreant simile in specie, Exempla etiam indicant. Animal quidem animal procreat, Planta vero plantant, Duo occurrunt petenda. Si animal parit animal, nunquid generatio sit solius vegetalis animæ, an etiam sensitricis. Et si homo gignit hominem, nunquid intellectiuæ etiam sit facultas gignēdi, & actio generatio. Alterum, cum aliquod indiuiduum, ceu Philander generat indiuiduum, atque hominem simul, & animal, & corpus, nunquid eadem vis formatiua generet hæc omnia. Certum est, quod parens procreat corpus ac simile corpus, ac animal, ac hominem, hoc talem hominem. Aeque in alijs, vt ficus, olea &c. De prima petitione, Euidentissimum est in plantis solius vegetatis, & altricis esse facultatem genitricem, & actionem eius, sed in animalibus, quia animal generatur crediderim esse facultatem genitricem sensitiuæ animæ esse, quæ in se continet illam vegetalis, sicut sensus tactus est alimenti, & facultas nutriendi, quoniam ad se redegit illam vegetalis, Aeque cogitatiua, & intellectiua facit, etiam si deforis venit, quare generatio animalis, qua animal est actio sensitiuæ facultatis & non vegetalis. Hoc mihi semper dubium fuit, quia facultas genitrix tribui solet vegetali solum, quia semen suppeditat, attamen generatio animalis tribuitur animali, & facultati sensitrici. De secunda petitione assererem vltimam potentiam perfectiorem continere virtute imperfectiores, vt dum Philander procreat hunc hominem, procreat corpus animal hominem, hunc que hominem aliquando similem superioribus, fratribus, parentibus, agnatis, cognatis, & alijs, & interdum sibi, interdum matri, ita vt filias patri sibi similes reddat facie, excepto virili, & temperie frigidiore femellæ, interdum matri filios, & vicissim. Huius similitudinis causam putauit Arist. victoriam seminis, sed recordatus sui decreti, quod nil confert semen ad corpulentam materiam. Illud maris absumitur in spiritum gignitiuum, & calorem natiuum similem elemento stellarum cap. 5. libri secundi de partu animalium. Femina autē nō mittit apud eum, ergo non victoriæ seminis tribuenda est hæc similitudo effigiei, & indiuidualis. Accedit etiam, quod assimilatur partus his etiam, vt auis, abauis, qui nō miserunt semen, quāuis commentetur quandam solutionem motus in propinquos, & remotos, Medici potius id sustinerent, quia mitti semen a viro, & fœmina sentiunt, & copulari ad conceptum vna cum mēstruo affirmant, atque in vtroque semine vim inesse agendi, & patiendi. Nam si sola vis agendi in semine viri, & patiendi sola in

ſemine muliebri ineſſet, ſemper vir redderet marem ſibi ſimilem, & puellam ſibi mater. Sed cum hæc ſimilitudo permutetur, ergo in vtroque vis eſt vtraque efficiendi & patiendi. Præualere ſemen quandoque mulieris coniectura eſt ex eo, quod illud conficit inteſtinalem tunicam, cum igitur præualet ſemen etiam temperatura ſeminis præualet, Hinc aliquando filius matri, & filia patri ſimilis redditur, ſed Gal. non reſpicit quomodo etiam ſimiles nati fiunt his, qui nil ſeminis iaculati ſunt, vt aui, abaui, auiæ. Cognati &c. icirco fixa cogitatio mulieris valet ad hanc ſimilitudinem, quoties phantaſma diu aui, aut amici, aut fratris ob oculos fere habet, illa continens meditatio facit hanc ſimilitudinem. argumento, quod cum pica laborant mulieres, aut quid deſiderant, ſimile oboritur in facie, vel pectore, & alibi. Sed de his latius in commentarijs artis medicinalis. nunc redeat ſermo ad cauſam finalem, cur hoc ſit naturaliſſimum viuentibus ſimile ſpecie generare, vt pro poſſe ipſo diuino ſemper participent. pro poſſe quidem poſteaquam ſempiternitas in ſpecie conceſſa ſit, non autem indiuidualis. In indiuiduo materia cupida melioris formæ ſemper machinatur ad malum, iuncta eſt ei priuatio. In indiuiduo contraria. Nam ex elementis concreta ſunt corpora, moliuntur interitum. In indiuiduo virtus finita, ſemper primigenij humidi conſcriptio, & debilior calor naturalis ſuccedit, mors ergo neceſſaria, & extinctio, At vero referente Auerh. in commenta. ſuo 34. ſollicitudo diuina inſerta eſt, quæ cum vidit ea non poſſe in re indiuidua ſempiterna eſſe largita eſt æternitatem in ſpecie per ſucceſſionem filiorum. Hinc obiter vides diuinam prouidentiam ſolicitam circa ſingularia, quibus inſerta eſt. Non enim ſpeciei miſeretur. Non opus eſt, ſiquidem æterna eſt, ſed huius, vel illius miſeretur indiuidui non æterni. Ergo Auerh. affirmat prouidentiam de ſingularibus contra Auicennam cum Algacele, ſicut in diſputationibus ſuis prodidit. Vocat æternitatem in ſpecie diuinum quoddam. Vide quam deficiant, qui ſine liberis decedũt. Priuantur hac diuinitate. Verum quiſque hominum magis perpetuitatem appetit indiuiduũ eſſe ſui, quam ſpeciei, Nam per filios aliorum continuatur æternus in ſpecie, quia per alios filios ſemper habet aliquid de ſua ſpecie, Fraudatur ergo ille appetitus, cum accedat mors vltimum terribilium omnes adæquans. Et iumentorum, & hominum interitus eſt. Niſi fraudetur in indiuiduo, non autem in ſpecie. Denique probantur omnia generare ſibi ſimile in ſpecie propter æternitatem conſequendam, quia gratia illius omnia agunt per naturam, icirco quæ agunt contra naturam non gratia eiuſdem agunt, ſed ſolum feruidæ libidinis ardore, & voluptate, & omnia appetunt illam æternitatem ſi agunt naturaliter. Omnia enim illud appetunt appetitu naturali, ſiue animali, ſiue rationali. Etiã illud', ſcilicet diuinum eſſe, Et quia puto eſſe hanc probationem generalem de cunctis rebus in mundo, Etiam dixerim ſubſtantias motrices orbium mouere ſemper, vt aſſimilentur primo, auiæ æterni negocij, & motus. Hoc argumento potes perſuadere Deum eſſe. Et quoniam obiectum appetitus eſt finis, ſubiungitur, & gratia illius agunt quæcunque per naturam agunt. Si præter naturam agunt, non durant, ergo hæc, & violenta non ſunt ſempiterna. Quo ad generationẽ agunt præter naturam, niſi ſeminent in agro naturæ apto, vbi menſes ſint. Vitij cauſa fuit illud commentum naturæ in proritanda voluptate, quo animalia allicerentur ad hoc opus diuinum procreationis, ſicut Gal. declarat 2. 3. capite libri 14. de vſu partium, quo irretiti nonnulli nõ procurant ſobolem, ſed expleri voluptatem vtcunque, ſed boni cupidi æternitatis debito naturæ ſatisfaciunt, vnde coniugia, matrimonia, hæredes, icirco ſibi perſuadeant boni Deo nil charius, & naturæ, quam illum imitari. Ille genuit, & cauſa generalis ſemper generationi adſtat. Cœlum generat, Natura, ſtellæ ſuum lumen gignunt, & tu homo nequam abuteris tanto dono? Sed ſatis explicauimus locum, quem fore reperies ad vnguem in primo cap. ſecundi de partu animalium. Ex his quædam promuntur, Marem & fœminam in quauis ſpecie animalium non differre ſpecie, ſed vnius ſpeciei procreare mare, vel fœminam eiuſdem ſpeciei, & ſola differentia ſexu, cum mas in altero gignat, & fœmina in ſeipſo primo libro de partu animalium, Ac mas det animam per ſemen, aut ſemini proportionale, & mulier corpus. Vbi ſexus diſtinctus, neuter ſolus procreat naturaliter, Mas communiter calidior fœmina. Et plus excrementitij ſanguinis capit mulier, maiorem copiam boni vir. icirco menſes acceruat in vtero, qui conferunt ad generationem ita, vt ſine ſemine nil gignatur & menſtruo, An omnes fœminæ cuiuſuis generis, ſicut humana menſes cogant in vtero quærere difficile eſt, Quaſdam cogere compertum eſt. Requiri menſtruum ad prolem non ſicut prodidit Ariſtot. quia menſtruum eſt loco ſeminis, cum mulier non iaciat ſemen. In vtroque errat author. Et

fœmina

fœmina iacit, & habet testes per anatomen, & per experientiam, ac menstruum est velut materia fabricantis, quæ in vtero semper suppeditanda fœtui. post enim conceptum vis formatrix e menstruo format fabricam. Promuntur etiam genita similia specie generantibus specie sempiterna, non cœpisse alia e vermiculis (vt aiunt) homine e vermibus circa ripas nili ortum, e putri materia alia, quinimo quæ e putri materiæ procreantur, etsi plerunque figura, accidentibus similia, non tamen specie, Non enim formæ e simili materia procreantur. Putrida materia, & semen non eedem sicut homo e marmore sculptus, & ex ere differunt. Cæterum de semine, de ouo, de putri materia, de verme, quomodo ex his procreentur animalia, dicendum esset, sed sufficiat sermo de semine, si prius videamus in contextu qui finis sit hæc sempiternitas, seu immortalitas desiderata.

## Contex. XXXIII.

*SED illud cuius gratia duplex. Et hoc cuius gratia, illud vero cui, Cum ergo nil particeps eius, quod semper, & diuinum est continentur, & perpetuo esse queat, ex eo, quod nil caducum potest idem, & vnum numero permanere, cuiusmodi vnumquodque communicare potest, eiusmodi communicat. Sed aliud magis, aliud minus. Ac permanet non ipsum, sed quale ipsum, non numero vnum, sed specie vnum.*



MENTIONEM fecit cuius gratia sit, & id asseruit esse immortalitatem, & cum finis sit etiam esse immortale, dupliciter asserit esse, Hocque ostendit quomodo esse possit, & etiam sit. Tria igitur tibi legenda veniunt. Primũ de duplici fine. Sed illud cuius gratia duplex. Simplicius exemplis indicat, velut id quo viuimus dupliciter, ceu id quo viuimus, velut forma, & velut corpore, atque velut sanitas, & quod sanum est. & Philoponus duplex finis. Et hoc huius gratia, ceu domus propter tectum, & quia tectum propter nos fit, iccirco & ipsi erimus fines domus cui, Illud vero cui, Sepiternitas ergo est finis gratia cuius, Nos autẽ effici sempiternos finis cui. Philoponus conatur solum finem cuius gratia ostendere in rebus inanimatis, sed postea in omnibus vtrunque finem indicat. Hactenus primum in contextu. Secundum lege de fine cui, quod est particeps diuinitatis in specie, & non inesse indiuiduali & huius reddit causam. Singulare caducum, mortale est, & merito materiæ, & merito constitutionis suæ ex contrarijs & merito finitæ virtutis, &c. non potest permanere idem numero, nec particeps semper, & continentur diuinitatis. Fluit enim substantia eius, & resarciri non potest æquæ quod dissoluitur, ob id cuiusmodi concessum est, eiusmodi particeps est æternitatis. Cum ergo nil particeps eius quod semper, & diuinum est continenter quo ad motum continuum, & perpetuo quoad interruptum permanentiam esse queat, dum enim est vnũquodque, tum particeps est æternitatis, sed postquam deficit, non participat, & cum a priuatione ad habitum non possit fieri regressus naturaliter, iccirco neque interrupte vnam permanet, & idem. huius rei causa est, Ex eo, quod nil caducum, materiale, fluxile, obnoxium vicissitudini, & interitui potest idem, & vnum numero permanere nec natura, nec arte, iccirco qui student quemque hominem inesse suo tueri immortalem medicinis, succis, remedijs conantur impossibile facere. Producere vitam possunt, sed constituere immortalem inane studium, inanis labor est, si ita fieri posset, non prouidisset natura nobis, & alijs æternitatem in specie, iccirco cuiusmodi vnumquodque potest communicare, eiusmodi communicat in specie. Tertiũ in contextu docet quomodo communicetur æternitas. Sed aliud magis hoc est non diuturnius pro tempore, sed perfectius pro qualitate, ceu homo magis participat elephante, boue, Leone, aliud minus, idest imperfectius, non breuius, quia æternitas in specie æqualis est quoad æternitatem, Auerhoes participare æternitate non Dei, sed corporis cœlestis ait. Et quomodo participet, ostenditur. Ac permanet non ipsum, sed quale ipsum, qualequid, ceu qua homo Philander permanet, sed non ipse. Et non numero vnum, sed specie vnum, De multiplici vno, & eodem ex quinto libro metaphys. & nono dicere potes. Ex his duo argumenta eliciuntur contraria de immortalitate animi, vnum ex eo, quod si ignobiliori in specie prouidit corporeo in-

diuiduo æternitatem, quanto magis animæ nobilissimæ prouidere debuit immortalitatem, Aut saltem in specie æternam fecit animam ex mente Aristot. sed cum nil in specie, quin in aliquo indiuiduo, ergo etiam quoad indiuiduum æterna est. Contrarium argumentũ promitur, si nil permanet vnum numero, ergo nec anima vna numero, nisi in specie. Sed hoc argumentum facile dissoluitur qui vnum numero materiale constitutum ex contrariis non permanet, sed vnum sine materia, & contrario, cuiusmodi anima est, permanet. Verum non pudebit repetere illud in Aristotelem difficile, cum vnum indiuiduum permaneat æternum per alia indiuidua, cur debeat procreare, si procreatio maxime fit, ob hanc permanentiam. Nisi generatim dictum sit, ne omnia singularia abstineant procreatione. Magna ob id pars generat indiuiduorum. Reliquum de semine obiecto genitrici facultati, & de proportionali semini dicendum. Cum quicquid gignitur ex semine, vel e verme, vel ex ouo, vel ex putri materia gignatur, de obiecto generationis primo, vel instrumento dicendum venit, Et primum dico via generationis imperfectum, quoniam perfectum est obiectum tale reddi, quale ipsum, aut perpetuitas speciei. Quæcunque semine generant aut sunt eiusdem speciei, aut non eiusdem, quandoquidem ex æquo, & asina mulus fit, vel ex asino, & æqua. Vtcunque aliud vel mas est, vel vice maris, & aliud est fœmina, vel loco eius, An e putri materia orta suo semine possint procreare alia videre est, & potius breuiter dicendi causa, quam disputandi gratia. Neque disputarem, nisi me censerem docere. Iccirco semen, genitura; fructus differunt prioris posteriorisque ratione, & conceptus, ac menses. Semen est ex quo genitura, & fructus, ac conceptus, genitura, fructus, conceptus ex alio sunt. Genitura fit cum semen receptum est fœcundum in loco procreandi commixtum menstruo, aut simili. cuiusmodi Polybius gener Hippocrat. scripsit libellum de genitura. Non ergo mirum, si græce diuersa habent nomina. Semen, σπέρμα, Genitura, γονὴ. & fructus, κύημα dicuntur, Conceptus dicitur prima mixtura seminalium rerum, & menstrui. Aristot. qui falso credidit mulierem non mittere semen prolificum statuit menses semen eius, quod etiam absurdũ est, Et vno dato plura accidunt absurda. Neque ego arguo Aristot. nisi veritatis causa. Nam menses non e vasis seminalibus coguntur intestibus, sed e venis in vterum, ergo non sunt semen. Deinde menses excernuntur sanis fere quouis mense, semen non excernitur sic sine voluptate, & abiectæ. Sed alibi arguendus est fusius, illud vere ait Aristot. semen esse reliquias alimenti sanguinei, & excrementum eius non colliquamentum e corpore, vel totius corporis ex omni humore, sicut prodidit Polybius libello de genitura, quale excrementum vtile est ad procreationem, sanguis e venis emulgantibus ad renes, & inde per vasa genitalia incipit præparari in semen quoad gradatim in reuolutionibus & supergeminali veste, & in testibus absoluitur, & parastatis, & absolutum perfricationem excernitur, & per penem iacitur in vterum. Semen genitale hoc est ad differentiam seminis disseminati in agris. Albescit in testibus, & redditur candidius cum per fricationem spumescit, Quocirca mixtura est humida, aereaque crassa. Signo quod cum exit e genitali crassum candidum cernitur, & humescit. Vnde constat quatuor elementis a prædominio aqueum & aereum spirituosum calore natiuo calidum, iccirco Galen. putauit ipsum esse calidum, & humidum, licet siccius sanguine. Polybius etiam ex quatuor humoribus affirmat constare. Si sanguis primordium naturæ non purus, sed constat e quatuor, multo magis semen excrementum eius habebit quatuor humores. De semine differit Aristotel. capite 18. primi de partu animalium & capite secundi libri secundi. & nos breuiter quæ de semine a philosopho dicuntur attigimus, Primum semen fassi sumus illud e quo alia oriuntur. Id si fœcundum fuerit. Multis de causis fœcundum non est, attamen experientia solent experiri quale fœcundum sit cum in loco trasparenti iubent demitti excernique semen, si velut granum grandinis cogitur, & descendit in matula, tum fœcundum inquiunt, si enatat, minime. Infœcundum pueri, & admodum senis, ac puellę scimus, & quod vitiatum, de cuius vitio pertinet ad medicos referre. Dicitur aut ex quo, quæ vox multa significat apud Aristotel. 18. cap. primi de partu animalium. vt ex die noctem fieri dicimus, vel ex pureo virum, hoc est post diem fit nox, sicut etiam secundo libro metaphysicorum traditur. Item dicimus ex ære statuam effici, & ex ligno arcam & omnino ex materia. Ac ex musico immusicum, & omnino e contrario contrarium fit. Addit ex calumnijs maledicta, ex maledictis pugna, & omnino e primo mouente vsque ad proximum. Semen igitur dicitur ex quo fit aliud aut tanquam materia, aut quod

primum,

primum, vel e primo mouent, ob id quæritur ne sit semen materia, aut agens & forma, aut vtrique materia, & agens. Ergo semen est id ex quo dupliciter, velut materia, & agente, quale cum non sit colliquamentum, neque aliquod similare dissimilare corporis, videtur esse excrementum vltimi alimenti vtilis in sanguineis, vel proportionale in exanguibus vlterius concoctum tandē in membra digerendum, & iccirco potentia est quelibet pars corporis, & vim habet agendi, & mouendi propterea quod Aristotelice semen resoluitur in spiritum, qui calor natiuus est, & is cogit menses muliebres sicut coagulum cogit lac, & nil substantiæ admiscetur, iccico actiue concurrit semen viri, & non velut materia, contra quia mulieres apud phi. non mittunt, mensem earū concurrunt solum passiue. Hoc enim temperamenti est calidi humidi spirituosi, quale quia parum terreni habet, humescit delapsum extra vasa, & humescit subdio. & animatum est, calorem enim habet natiuum; neque animal est actu, licet sit animatum actu. Et partes corporis dicuntur animatæ, non animalia. Ex his de semine potes elicere definitionem seminis esse quid vltimi alimenti vtilis sanguinei excrementum animatum si fecundum aptum suo calore euanescēs menses mulieres fecundos cogere actiue solū. Proportionale semini in exāguibus animalibus est. Cęterū seminis loco in parientibus animal ex ouo, idipsum est, sicut vermis his, quæ e verme prodeunt. Inter ouum, & vermem interest, quia ex parte oui animal gignitur, ex alia parte fit cibus ei, vermis autem est, e quo toto animal gignitur. De his latius disseritur primo cap. secundi libri de partu animalium, mihi nunc incumbit solum prodere obiecta genitricis, sicut etiam putris materia e calore solis idonea facta, & proprio genitrici subijcitur ex materia putri. Hæc hactenus.

## Cap. secundum de auctrice.

### Contex. XXXIIII.

*Cæterum cum sit anima viuentis corporis causa, & principium, & hæc multipliciter dicantur, attamen anima dicitur causa tribus modis. Etenim vnde motus illi, & cuius causa, & sicut substantia animatorum corporum anima causa. Euidens est, vt si uelut substantia. Nam causa omnibus, vt sint, substantia est. Et uiuere uiuentibus est ipsum esse. Causa igitur, & principium horum anima. Præterea eius quod potestate est ratio, aut perfectio.*



ECLARATVRVS philosophus actiones, & obiecta nutricis, auctricis, genitricis, quarum aliquę efficiunt adhibito calore natiuo instrumento in obiectis, vt in alimento, ob id non solum animam velut formam, sed etiā velut efficientem, & finalem causam simul corporis, & actionum docet. Ad de nutritionem, accretionem esse motus, iccirco causa est eorum efficiens vnde motus, Auerh. visus est recte continuasse lectionem, & attigisse scopum. Assumit vnum ex dictis. Deinde alterum ex. 5. metaph. vel 2. physi. libro. Tertio proponit, & cuiusmodi intelligat propositum ostendit, & quod est euidens confirmat duplici argumento. Quatuor ergo lege. Primum assumptum. Cæterum cum sit anima viuentis corporis causa pro forma, & fine & principium pro efficiente. Secundum assumit ex 2. physi. & hæc multipliciter dicantur, scilicet causa, principium 5. metaphi. volumine, vide tu. Proponitur, attamen anima dicitur causa tribus modis. Missis causis Platonicis, exemplari, instrumentali, quatuor iamdudum per se conclusæ sunt in physicis. Materia, forma, efficiens, Finis. Declarat propositum, & animam esse corporis triplicem causam. Etenim vnde motus illi, idest efficiens causa est anima corpori. Et cuius causa scilicet finalis, ac tertia formalis per hæc indicatur. Et sicut substantia animatorū corporū anima causa, & corporū respectu est tribus modis causa, sed etiā materia est respectu cognitionis, quia sēsus est receptiuus, speciērū & intellectus sicut erit clarū. Quoad efficiente causā corporis intellige quoad affectus corporeos, quia generans facit corpus, vt parens fęmineo in suo corpore. Nisi etiam adsit anima a mare tradita per semen, quæ fingat corpus, ex sculpat, & pingat vsque ad corpus absolutum intra vterū, sed id videro mox. Auerh. autem facit animam causam efficientem horum trium motuum in corporibus

corporibus viuentibus generationis, accretionis, diminutionis secutus Themistitũ qui animam principium motus localis, vbi est, ac alterationis, & accretionis inquit, quinimo infra Aristotelem. Ego vero ostendam animam esse causam effectricem substantiæ corporis, & motuum in eo vt vtroque modo intelligatur, & si Arist. sat est docere quomodo sit causa efficiens motuum, de quo suo postea contextu, sed interea videamus quartum in contextu, quomodo binis rationibus confirmet quod est euidens, Euidens est, vt sit velut substantia, idest, velut forma causa ex dictis in primo tomo. 2. libri, attamen confirmat prima ratione. Quod est omnibus, vt sint, eorum est essentiæ, & existentiæ causa est, quia nil aliud est esse, sed anima est causa omnibus viuentibus, vt sint, & probatur, quia ea posita est, primum est viuens, & ea remota concidit. Hinc in vtero non animal primum est, quam sensitiua adueniat, & in morte ea recedente deficit animal. Auerh. probat minorem ex actione vitę, cuius causa est anima, & Alexandri vsurpat rationem. Vt quicquid est, per formam est, ita quicquid viuit, per animam viuit, estque viuum, & distinguitur a nõ viuente, Simplicius cum omnes causas dicat conferre ad esse eius, cuius sunt causæ primum indicat quomodo materia sit causa ipsius esse, quia recipit esse, & sine qua forma non esset. Causam efficientem subdit per generationem præbere esse, & finalem ipsius constituti propter aliquid, & formalem ait causam ipsius esse simpliciter. Vt forma elementi esse eius est causa, & vita viuenti, æque anima animato est causa simpliciter esse non secundum additionem, vt finalis, efficiens materialis sunt causæ ipsius esse, quare minor oratio manifesta, & cõclusio legatur cum maiore hac in contex. Nam causa omnibus, vt sint, simpliciter, substantia est, forma, quidditas, essentia, & ratio rei. Et finis aliquando substantia, & efficiens, & materia, sed non simpliciter causa essendi primum, vt forma est substantialis. Et si forma artificialis, vt dolabræ est causa, vt instrumentum tale sit, quæ est accidens, attamen non est causa substantialis, quia amota forma securis adhuc actu est ferrum, sed remota anima, cadauer est, & omnino æquiuoce, & omnis sublata est essentia. Non enim amplius effici animal potest, at ferrum potest denuo adaptari ad instrumentum. Hanc maiorem orationem probant hæc verba. Et viuere viuentibus est ipsum esse. Viuere Dei est ipsum esse. Quia in Deo omnia Deus sunt. Viuere mentiũ separatarũ est earũ esse, sed dependens. Viuere corporũ cęlestiũ cõmunicatũ est corporis, sed Simplicius, quam illud hominis. Viuere belluarũ, & plantæ tanto deterius, quanto a summo remotius. Et anima habet vitam, & hanc corpori nostro communicat, sensitiua non habet, nec vegetalis, sed in ortu ex materia vtrique, & suo corpori innascitur vita. Vtcunque viuere viuentibus est esse, non reciprocatur, quod est esse viuentibus est viuere, propterea quod caduca vltra animam habent naturale suum. Hactenus de prima ratione. Secunda ex definitione iam tradita communi confirmat causam formalem animam esse, vt taceatur conclusio prima clara. Collige secundã. Quod est ratio, ac perfectio eius, quod potestate est, causa formalis. Præterea eius, quod potestate est ratio, aut perfectio continens est causa formalis, anima est ratio, ac perfectio eius, quod est potestate. Ergo forma eius, & causa formalis. De his dudum supra est disputatum. Non repetam. Sed illud mihi videtur aptius differendum, ne anima sit animatorum effingendorum corporum causa efficiens ita, vt corpus in vtero, aut in putri materia formari nõ queat vniuoce, nisi ab anima. Quid ergo in conceptu seminũ formet corpus, aut in ouo, aut in verme, aut in putri materia? Naturaliter res fiunt tot modis sicut Arist. prodidit. Hãc quæstionẽ nouit Arist. primo capite. 2. libri de partu animaliũ, vbi ait. De quibus quæ
,, stio lõge dubia oritur quonã pacto e semine generetur plãta, aut animal. Quod enim gignitur &
,, ex aliquo, & ab aliquo & aliquid gigni necesse est. Ex quo gignitur materia est, quã nonnulla secũ
,, habẽt primã acceptã e fęmina verbigratia ea, quæ non forma animalis nascuntur, sed vermiculi,
,, aut oui, quędã diu ex fęmina capiunt, quoniã lactent, vt ea, quæ nõ modo foras, verumetiã intus
,, forma animalis gignantur. Talis id, ex quo oriunt, materia est, sed hoc loco nõ ex quo oriantur,
,, quærimus, sed a quo partes corporis generentur, aut enim extrinsecus aliquid, aut in genitura, &
,, semine insitum agit, idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam est, sed ab ali-
,, quo extrinsecus agente effici quæque aut viscera, aut alia membra remotum est a ratione. Et ne
verbotenus referantur omnia colligam breui quæ Arist. & Gal. reliquerũt nobis, cum philosophus formari corpus in vtero ex mensibus multis vt e causa naturali, quod conuenit inter Polybium. Hippoc. libellis de genitura, & pueri natura, ac Gal. de semine, & Arist. sed vnde, & a quo formante corpus formetur hinc dubium est grauissimum. Et soluit esse vim generantis relictũ in semine quam calorem similem elemento stellarum ait capite. 3. secundi libri de partu animalium, & instrumentum eius tanquam primarium cor. Sed mirum quomodo calor natiuus vicẽ

gerens patris, & maris tot impatia, & diuersa membra procreet, & quomodo cor sit instrumentum formandi reliqua. Et de calore natiuo, si hic anima putatur esse, anima erit vicem gerens patris, & parentis, si instrumentum, mirum quomodo instrumentum sine principe membra formet. Galenus autem in cap. 6. de fętus formatione non dici naturam formatricem, vt vulgo sentit, quinimo cum fabrica tanti operis indicet sapientiam, & potentiam, an Deus sit opifex quærit, vel anima, an ars, vel natura, quam Epicurus probat, sed cum natura sine ratione operetur, tantã fabricam irrationali opere fecisset, neque fecisset quidẽ more eorum, qui miracula moliuntur siquidem exhibito principio motionis discedunt, & quodam tempore artificiose impelluntur ex se ipsis, sicut Arist. narrat cap. primo libri. 2. de partu animalium, & cõfutat, propterea quod oportet esse quod semper fabricet de nouo aliquid. Non ita est in spontinis machinis, & miraculis illis & sicut addit Gal. non fieri posse, vt tanto tempore fabricandi molitio fortuita ordinate procedat in architectandis tot membris, vt musculis, proinde fortuna neque est causa tantæ fabricę. Ars neque est, siquidem non fabricat intrinsecus ars, & si tanquam sculptor, pictor, ædificator si gerat opifex in tanta molitione. Quod vero cor post sui formationem alia membra formet, iam explosum est, quod instrumentum sine artifice primario id queat facere. Atque ante formationẽ cordis quid erat opifex venarum, arteriarum, chorion, & reliquarum partium. Ergo sicut earum non erat cor opifex, sed alter, ita etiam reliquarum post formatum cor. Hinc alij putarunt semen esse fabricæ opificem. Alij autem non substantia, sed spiritum in eo. Ego ne multis id declarem, affirmarim duos opifices. Vnum communem Dei prouidentiam. Alterum proprium & tunc esse calorem natiuum, & animam. Calor natiuus est similis elemento stellarum idest soli cap. 3. libri. 2. de partu animalium, qui est anima preses operi, & faciens sibi domicilia, & organa facultatũ donec informet, tum dicitur perfectio intima, & actus corporis organici, & nostri est cogitatiua, cui animato anima aduenit extrinsecus intellectiua a Deo data, quare anima est etiam causa efficiens corporeæ substantiæ.

## Contex. XXXV.

*AC constat animam esse causam cuius gratia. Vt enim mens, sic & natura alicuius gratia facit, quod est ipsi finis, & tale in ipsis viuentibus est anima, & secundum naturam. Nam omnia physica corpora tam animalium, quam plantarum animæ sunt instrumenta, & iccirco gratia eius sunt. Sed ipsum gratia cuius dupliciter dicitur. Vnum quo, alterum cui. Quinetiam euidens est animam etiam esse, vnde primum motus ad locũ, & si hæc facultas non in cunctis inest uiuentibus. Adde per animam effici alterationem, accretionem. Sensus enim quædam alteratio esse uidetur. Nihil enim carens anima sentit. Itidem de accretione, decretioneque dicendum. Nam nihil accessionem, diminutionem admittit, quod non nutriatur. Nihil prorsus nutritur non vitæ particeps.*



ROPOSVIT animam esse triplicem corporis, & motuum viuentis causã. Formalem, cuiusmodi binis rationibus confirmauit esse. Atque finalem, & motricem nunc persuadet nobis primum finalem esse pro sillogismo, & sillogismo, & qualis sit finis ostendit. Hactenus prima pars contextus. Secunda ostendit animam esse causam efficientem tum sensitiuam, tum vegetalem. Proponitur. Ac constat animam esse causam cuius gratia, idest finalem. Definitio pro re definita ponitur, id probat argumento similitudinis. Vt intellectus, seu ars, agit propter finem. Intellectus practicus, seu mens actiua omne opus refert ad finem nec temere molitur, ita & natura. 2. libro physi. primo de partibus animalium, primo metaph. & sæpe alibi, sed intellectus practicus finis gratia agit, ergo & natura. Hactenus prosillogismus, cui annectitur sillogismus, sed in omnibus viuentibus talis finis, & cuius gratia est anima, & secundũ naturam talis, non arte, ergo anima est causa finalis, assumptio probatur. Omnia instrumenta sunt edita alicuius gratia, & finis, sed omnia corpora naturalia viuentium, tam plantarum, quam animalium sunt instrumenta gratia animæ, & facultatum eius, ergo omnia talia instrumenta, & corpora habent animã pro fine. Et quo sciatur qui finis sit addit. Sed ipsum gratia cuius dupliciter. Et quo, & cui, anima est quo, & cui animatum, quãdoquidẽ omnia organa ędita sint ob salutẽ,

&

& bene esse animali. Verũ tamen interpretes varie exponunt, legamus verba, propositio est. Ac constat animã omnẽ vegetalem, sensitricẽ, intellectricẽ, cogitatricẽ esse causam cuius gratia, finalem. De his nunc sermo. Et gratia mundanæ animæ mundus, & corpora cęlestia sunt gratia suarum animatum, sed nunc non est sermo de his animabus, sed de animabus mortalium. Probatio propositionis, & argumentum a simili. Vt enim mens, sic & natura alicuius gratia facit, vt ars & intellectus practicus nil facit, nisi ad finẽ, ita natura, quinimo imitatur ille in hoc naturã, sed argumentũ fieri debet e notioribus, quod est ipsi naturæ finis, & scopus. Hactenus prosillogismus. succedit sillogismus. Et tale in ipsis viuentibus est anima, idest finis viuentiũ est anima, Et secundũ naturã viuentiũ. Simplicius putat adiectum id alterius demonstrationis causa & huius quod est perfectissimum, & immo perfectio alicuius, & finis est naturaliter, anima perfectio viuentium naturaliter, ergo finis est, probatur assumptio sillogismi minor argumenti. Nam omnia physica, naturalia corpora tam animalium, quam plantarum animæ sunt instrumenta, conclusio & icer co gratia eius sunt. Cæterum dupliciter denuo distinguit gratia cuius. Vnum quo, alterum cui. Videtur obscure Simplicius finem quo vocare illud, quod est causa viuendi, & animam finem cuius, viuendi scilicet perfecte. Philoponus finem quo, vel cui animatum dicit, & finem cuius animam, quæ vtatur fine cui, & repetit distinctionem hanc supra contex. 33. Auerh. plane fatetur, finem cuius animam, & finem cui, vel quo animatum, quandoquidem corpus, & anima sint propter animatum. Themistius silentio præterit hunc locum. Dedit occasionem suspicandi, ne a scriptoribus sit adiectus. Hæc de prima parte cont. Secunda persuadet etiam animam esse causã efficientem binis rationibus, & secundum Auerh. per duo genera motuum verorum, vt sunt accretio, diminutio, generatio, seu nutritio, & existimatorum, sicut est alteratio sensus, & passio. Nam motus sensus a sensili existimatur esse, & non est proprie motus, verus autem est quando mouet corpus ad locum, & si hæc uis non in cunctis animalibus inest. Propositio est. Quinetiam euidens est animam etiam esse causam. Vnde primum motus ad locum, ponitur definitio pro re definita, vt clarior sit expositio. Secundo phy. primo metaph. 5. & 7. efficiens definitur hoc modo, & ne quis subdat motum hunc ad locum non in omnibus animalibus inesse, quibus tamen anima est, subiungit, & si hęc facultas non in cunctis inest viuentibus, non plantis, non Zoophytis, conchilijs &c. sat, vbi est, ibi esse animam causam, quia natura, & forma naturalis facit alium motum. Nam mouetur corpus plantæ, & animalis deorsum a predominio, sed volatus, natatio, incessus, serpere &c. ab anima hi motus proficiscuntur in libellis de motionibus, & de incessũ animalium ad varias differentias positionis. Simplicius efficientem causam intelligit, quæ per generationem constituit aliquid, ita vt sit intrinseca, & non extrinseca, de qua Arist. 7. metaph. decreuit posse sine effectu permanere. Sed efficiens intima constituens forma non permanet sine effectu, & formato. Vt 8. physi. statuit elementa moueri a generante primitum, etiam a forma generata vice generantis posteaquam genita sunt, ita putat causam factricem motuum esse animam, quæ intrinseca est, & animalia appetitu mouet. Prima ratio est quod est causa alterationis, & accretionis est efficiens, sed anima est causa vtriusque motus, ergo efficiens. In his continetur ratio. Adde per animam effici alterationem, accretionem. Minor ostenditur, & primum, anima esse alterationis causa, sensus enim, idest sensatio, nomen potentiæ pro actione quædam non proprię, neque omnis improprie. Non enim proprie, vt calefactio, frigefactio, neque improprie intellectio, ergo quædam est alteratio, ad alterum itio, Ethimologia vocis, Græce [illegible], itio ad alterum esse videtur, sed anima est causa sensus idest sensationis, vt ita dicam, ergo anima est causa efficiens. Minor adhuc declaratur, videlicet anima est causa sensationis. Nihil enim carens anima sentit, ergo si priuatio est insensibilitatis causa, presentia sensus est causa sensationis. Alteratio gemina cum interitu, & alteram perfectiua, de hac secunda est mentio. Alia ratio. Quicquid augetur, diminuitur, alitur. Quicquid alitur est vitæ, & animæ particeps ergo quicquid augetur, diminuitur est animæ particeps, ergo anima est causa accretionis, diminutionis. Conclusio, itidem de accretione, decretioneque dicendum, idest anima itidem est causa incrementi, & decrementi. Nam (minor oratio) nihil accessionem, deminutionem admittit, quod non nutriatur, Minor oratio. Nihil prorsus nutritur, nisi vitę particeps; ergo anima causa nutritionis & causa incremẽti. Reliquum quæritur a Græcis Simplicio, Philoponus, & a Gandauẽse, nunquid omnis accretio, diminutio, generatio, nutritio sint ab anima. Opponitur, Simplicius ait quędam inanimata nutriri, augeri, diminui, lapides augentur, plumbum crescit, ferrum, argentum, minium, auricalcũ, & similia mineralia, & metalla, & non ab anima, ergo hęc non est principium horum motuum,

adde argumenta Gandauensis, ignis nutritur ex humido, augetur esca, generatur ex aere, ergo sine anima fiunt hi motus. Et reuera mirum est, quomodo intra viscera terræ procreentur res, & augeãtur sine anima. Immo quidã Alchimistæ hæc appellant vegetabilia. Gerberus, & alij, & sicut plãtas, vt corallũ, vt sulphur, & Mercuriũ viuere, & vegetari credunt. Verũ enimuero debes distinguere generationem naturalem a procreatione animantis & accretionem, ac diminutionem. De prima enim Aristotel. disseruit in primo libro de generatione, & interitu communi. De secunda hoc loco, quoad animæ facultatem, & actiones, & in quinque voluminibus de generatione animalium quo ad animam, & corpus simul. Generatio igitur naturalis est mutatio subita de non re, ad rem simpliciter, sicut primo physi. indicatum est, & quinto physi. decretum, & hæc generatio dicitur simpliciter, & substantialis, vbi forma est terminus dans esse, nomen, diffinitionem, & distinctum esse, vt quoque Auerh. in libello de substantia orbis statuit, cui opponitur interitus, qui mutatio est de re ad non rem simpliciter subita. Alia generatio est secundum quid, & quodammodo non subita de quadam non re ad aliquid. Et hæc est subiecti in actu, & in alijs generibus a substantia, ceu cum fit quantum, cum fit quale, cum locum acquirit 3. physi. est in tribus generibus, & quinto physicorum præcipue & omnino hæc generatio est formæ fluẽtis per fluxum eius donec terminetur & fit in tempore, & pars post partem acquiritur, aut deperditur in ipso interitu secundum quid. Hæc vero generatio substantiæ simpliciter naturalis est, vel elementi, vel mixti, si elementi est mutatio de non subiecto in subiecto nullo sensili remanente, siquidem ex nihilo nil fit, ergo gignitur e non subiecto actu, sed potentia, & materia ad formam elementi sic, vt in materia nil sensile remanent præcedentis contrarij, aut elementi. Generatio autem opus rei mixte ex materia secunda fit ad formam eius, interitus est oppositus ei. At vero generatio opus animæ non sine calore intrinseco naturali fit, tanquam instrumento, & fit e materia plerunque generantis præcipue si fiat e semine, ex vermiculo, e putri materia, & ouo, quibus differt a generatione naturali. Ea enim non per calorem natiuum instrumentum, neque per materiam e corpore generantis fit, sicut generatio animati. Cum ignis ligna comburit sine extramissione suæ substantiæ ea conuertit in ignem. Rursus generatio animati fit per organa quædam, non item naturalis, vt taceam alias differentias, quas poteris tu aggregare, generatio igitur animati est quædam procreatio e semine, vel proportionali seminis per calorem natiuum alicuius animati ex non animato actu similis in spetie vel subalterna, vel specifica. E putri materia orta sunt similia in spetie subalterna. 7. metaph. alia vero in spetie athoma, Et muli, vel mulæ generatio similis est in spetie subalterno, cum sint animalia, æque dici oportet de accretione. Naturalis vna, de qua scripsit Aristotel. primo de generatione, altera vero animalis, de qua hoc loco, & in libris de generatione animalium. Vt ergo scias discrimen multis modis accretio dicitur prima abusiue, quando aliquid additur extrinsecus tum eiusdem spetiei, vel non, sicut dicitur cumulus hordei creuisse ex addito hordeo, vel milio, & vinum mixtione aquæ crescit, aut aqua mixtione vini, & oleum mixtione aquæ, & caro flatu intumescit, & vesica, atque pila magna, qua luditur, & ne plura referam, inspice etiam nostros commentatios de cęlo. Verum accretio non fit e diuersis spetie, nisi tumor, si autem fit ex similibus spetie sine alteratione abusiue dicitur, vt cumulus pecuniæ si addatur cumulo pecuniæ, & quadratum crescint apposito gnomone sine alteratione, secunda accretio dicitur naturalis per alterationem præcedentem quoties materia additur externa, & non interna, vt ignis crescit addito combustili ligno, & quauis materia. Differt accretio naturalis a generatione simpliciter, quia quod subijcitur generationi est materia potentia, quod subijcitur accretioni est materia actu quanta, & hac ratione differt ab alteratione, & motu locali. Atque differt, quia quod augetur extenditur, quod alteratur, & mouetur, ac generatur non extenditur semper, ergo accretio differt a generatione, motu ad locum, alteratione. Quocirca accretio, & diminutio sunt motus in quantitate continue, & in vtraque quid augens, quid auctum, qua materia augentur. Materia est secunda non prima, siquidem est quanta quantitate continua sensili actu in potentie tamen maior permanente, & saluata forma per molem aduenientẽ materiatam fit accretio, quæ maneat sub forma præexistente ita, vt adueniens non præfuerit, sed vbi adfuerit faciat idem maius sub forma propria persistente, quibus differt a generatione, & alteratione, ac motu locali. Nam generatio est compositi per nouam formam, & alteratio per nouã qualitatem, & motus localis per nouum locum, Accretio vero præexistenti forma additur materię similis quantitas maior. Est ergo incrementum motus ex minore materia quanta simili ad maiorem secundum omnẽ diametrum longitudinis, latitudinis, profunditatis sub eadẽ forma

substantiali. At vero accretio animati & si e minori materia quanta fiat sub eadem anima,& forma corporis,tamen interest,quia materia extrinsecus apponitur in accretione naturali sine instrumento,sed in illa animati nutrimentum intrinsecus actu per calorem conuertitur in carnem,aut quid simile carni,& tum nutritio dicitur, quod si qua quantum auget formam carnis tum dicitur incrementum existente eadē anima,eodem calore,eadem forma similaris, Iecirco dicitur accretio animati motus ad maiorem molem secundum omnem diametrum,ne sit vitiosa secundū vnum,vel duos sub vna forma,vt Gal.primo lib.de facultatibus cap.2. statuit. Vt porro nutrimētum in omnem partem digeritur, ita etiam quātum ipsum distribuitur,ob id cum adolescit,quis ex omni parte augetur,& signum bene nutriti est accretio ipsa in omni parte non sicut pueri inflatu vesicæ augent nō ex omni parte,sed de his postea distinctius,nunc contenti esse debemus accretionē,diminutionē,generationē accipi,quę ab anima fiunt,& calore natiuo intrinsecus per organa &c.& non sumi naturale merā,& simplicem,sicut generatio,ignis accretio, diminutio, aut mixti. Plenius autem de accretione animati dixero,vbi de nutritione sermo precedat, sed videamus quomodo Empedocles nutritionem,& accretionem a natura effici putabat, & non ab anima, & subiungam ipse quomodo Democritus, & Mochius Syrus. Et erasistratus, atque alij crediderunt effici incrementum.

## Contex. XXXVI.

H*Hinc Empedocles non bene cecinit addens incrementum plantis adesse deorsum ad radices,propterea quod terra suapte natura sic pergit,& sursum,quia ignis eo scandit. Sed primum non recte accipit superum, & inferum. Non enim eadem sunt omnibus,& vniuerso superum inferum. Quinimo sicut caput vt est animalibus,ita radices plantis, si diuersa,vel eadem instrumenta sunt operationibus, & officijs. Ac quid continet ignem, & terram dum ad contraria digrediuntur loca. Nam nisi quid vetet, distrahentur, quod si est aliquid, id erit anima, hacque causa agendi, & nutriendi.*



CVM anima sit incrementi, & nutritionis causa, nec Empedocles bene cecinit,nec alij bene dixerunt. Nunc proponitur Emped. siculus patria Agrigento non bene dicere, deinde quid male cecinerit, exponitur. Tertio binis rationibus confutatur. Quarto decernitur anima causa detinendi,& agendi,& nutricandi. Hæc igitur seriatim explicabo. Si anima est incrementi, & nutritionis causa. Hinc Empedocles non bene cecinit. Scripsit de natura versu heroico,nec ob id poeta, sed philosophus fuit, si nosti, quæ vendicet poetę. 4. Aristotel. primo de arte poetica. Et quid non bene cecinit? Id nempe,addens incrementum plātis adesse deorsum ad radices, propterea quod terra suapte natura sic pergit, & natura facit augescere terræ ibi radices. Et sursum ramos crescere fecit ignis, quia eo ignis scandit. Hæc de primo, & secundo. Tertium binis rationibus confutat eius sententiam, prima est, quia non recte capit supra. & infra in plantis. Secundo libro de cęlo.2.sectione disserui de sex positionibus supra, infra, dextro, leuo, ante, pone. Ratio est,ille non recte in plantis sumit superum, inferū, qui vt putat superum inferum in mundo,ita esse in omnibus,cum aliter sint,siquidem supra sunt radices naturaliter in plantis, vt homini caput. Nam instrumentum animātum differunt operibus, & vsu, & cum superum ibi sit, per quem locum attrahitur cibus, vt per os in capite animalis, & facit, ergo radices erunt supra, per quas planta attrahit cibum suum, & non rami, immo deorsum sunt. Confutatio prima. Sed primum non recte accipit superum, & inferum in plantis, ratio. Non enim eadem sunt omnibus, & vniuerso superum,& inferum. Non pro naturæ capitibus animalium,licet homini, si quo spectat homo sit superum mundi. Nam nos septentrionales spectamus inferum, antichthones superum quoad cęli motum diurnum, contra quoad motum planetarum suspicimus ipsi superum, illi inferum. 2. libro de cęlo. Nec plantæ superum tenent cum cęlo, sed contra radices supra sunt ab officio trahendi cibi, par supera differt ab ima opere, & vsu trahendi cibi, sed per radices planta attrahit sicut os in capite supra, ergo radices supra. Quinimo sicut caput est animalibus supra vnde os attrahit cibum, ita radices

ces plantis, probatur similitudo, quia supera ab imis dissident officio trahendi alimenti si diuersa, vel eadem, aut similia sunt instrumenta operationibus, & officijs, supra quomodo potētiæ distinguntur per actus diximus. De partibus vero animalium in 4. voluminibus differit Aristotel. quomodo officijs discrepent, & Gal. in 17. libris de vsu partium. Secunda ratio sequitur siquidem non vna virtute, sed bina augeretur planta & vna deorsum, & altera sursum, hę distra herent, diuellerentque corpus augmenti, & inde molem plantæ, si ergo non cernitur diuelli, aliquo continetur, & id non potest esse, nisi animal. Ac quid continet ignem, & terram in eadem planta dum ad contraria digrediuntur loca, quinimo partes plantæ quid continet? Nam nisi quid vetet diuelli, & digredi distraherentur ita, vt ignis supra euolaret, & terra deorsum, sed media planta quomodo continuaretur extremis, nisi sit quod continuet. Conclusio. Quod si est aliquid sicut est, id erit anima, hæcque causa agendi, & nutriendi. Democritus causam augendi, inane intimū finxit arbitratus quod auget esse corpus, & id nō recipi in corpore, ne detur penetratio, itaque recipitur in vacuo, vtque erit plus vacui, plus augebitur corpus ex athomis con flatum, & spatijs imbibitis, vt pumex spongia videtur. Mochius Sidonius Strabonus. 16. libro de situ orbis inuentor fuit athomorum, & horum meatuum inanium. Erasistratus vir medicus censuit effici accretionem per additionem rei ad rem, vt annulli ad annullum in cathena, donec absoluta esset. Reprehenditur a Galeno. 2. libro de facultatibus naturalibus cap. 3. Cęterum quos refert Aristotel, legamus. Inquit.

## Contex. XXXVII.

*Sunt item, quibus ipsius ignis natura simpliciter causa nutritionis, & accretionis esse uidetur. Nam solus omnium corporum, aut elementorum nutriri, augeri videtur. Quapropter & in plantis, atque in animalibus quis putant ignem esse, quod operatur. Verum non ita est, sed cum comitetur causam, ob id non simpliciter est causa, sed talis potius anima. Ignis enim accretio progreditur in infinitum, & donec fuerit combustibile. At vero omnium, quæ natura constant terminus est, & ratio magnitudinis, & incrementi. Hæc autem animæ sunt, non ignis, & rationis potius, quam materiæ.*



NARRAT alia opinio ignem faciens authorem nutriendi, & augendi solum, & eius argumentum adducit, quia solus corporum, & elementorū videtur nutriri, & augeri pro esca, & pabuli quantitate, quare etiam calor in plantis, & animalibus est, qui dum alitur, & augescit facit ali ea, & adolescere. Huic opinioni aduersatur philosophus vno argumento, & pro ponit ignem, caloremue esse con causam & non primariam, sed hanc esse animam. Ratio, quia omnium natura constantium terminus, & ratio est, accretio, nutritio natura fiunt, ergo habent terminum, qui non potest esse per ignem, cum crescat in infinitum semper addita materia vtenda, & apta, ergo erit per animam, igitur causa primaria intra terminos contineas accretionem, nutritionem anima est, & forma potius quam materia. Accipe hæc seriatim. Sunt item, quidam putant falso hos esse Democritum, Leucippum, alij Platonem, ego Hippocratem statuo in libello de carnibus, qui etiam animam vegetalem voluit esse ignem calorem natiuum. Alioquin si ignem elementarem intelligit author, dic opinionem fuisse Heracliti, & Metapontini Hippasij, quibus ipsius ignis natura simpliciter idest sola. Multa significat aduerbium illud (simpliciter) nunc pro sola accipitur causa nutritionis, & accretionis esse videtur. Aduertitur quo argumento moti id fatebantur. Nam solus omnium corporum cęlestium, & mixtorum, ac Simplicium, aut elementorum nutriri, augeri videtur, ignis Simplicius intelligit naturam, idest formam. Auerhoes naturam intelligit ignem in eo, quod ignis, aut pars ignis, aut quid igneam, & eorum argumentum in 2. figura colligit, id est causa sola nutriendi, & augendi, quod omnia mutat in sui substantiam; sed ignis mutat omnia in sui substantiam, ergo ignis est sola causa nutriendi, augendi, Sillogismus peccat in figura, & minor est falsa, cum & ipse mutetur, & semper fiat, & ideo non nutritur dicente Simplicio, cui simpliciter (Hęc est sillogismus) conuenit nutriri, augeri, vbicunque erit nutritio, & ác-

cretio ob illum erit, sed igni simpliciter competit nutriri, augeri, ergo vbicunq; ille fuerit ob eum erit nutritio, & accretio, minor falsa, quia ignis fit semper, & non nutritur, ob id hæc cõclusio falsa: Quapropter & in plantis, atq; in animalibus, quis putabit ignem esse quod operatur, hoc est causam esse. At dices famosum esse ignem nutriri. Respondebo non esse omnino verũ, sed quomodo verum sit, declaratur, quia in animatis calor natiuus est concausa, & instrumentum horũ operum, sed non primaria. Hæc anima est, iccirco inquit. Verum non ita. sed cum comitetur causam, vt instrumentum, & concausa cooperans, & non adiuuans solum ob id quodammodo, & non simpliciter, solus est causa, sed talis potius anima. Verum aduerte quod & si Arist. postea calorem natiuum concausam dicet nutriendi, augendi, nunc tamen videtur dicere de elemento ignis, alioquin conturbatur oratio, siquidem illi ignem elementarem causam dicebant horum motuum, non calorem natiuum, sed reuera & ignis elementaris est more veterum concausa. Quod vero anima sit potius principalis causa motuũ docet argumẽto prædicto cuius minor hoc est. Ignis enim accretio progreditur in infinitũ & donec fuerit conbustibile, ergo de se non habet terminum, & formam terminantem actionem. Maior oratio hæc. At vero omnium, quæ natura constant, terminus est. & ratio magnitudinis, & iuramenti, qua naturalia sunt, & quia formæ causa naturalis consistit accretio 3. physi. Decernitur igitur anima esse primaria causa, & non ignis, neque materia aliqua, lege vltima, Simplicius dum ait. Hæc autem animæ sunt, opera nõ ignis. Et rationis potius, quam materiæ, intelligit per materiam ignem, qui mouetur ab anima, & hæc est ratio. Auerh. idẽ videtur dicere. Et duo addit, vnum cur tribuatur igni potius, quã alio elemento nutritio, accretio, Et dicit, quia ignis est magis alterans & magis actiuus. Alteri addit actionem nutriendi & augendi tribui igni, sed absolui, & finiri animæ, sicut mollificare ferrum competit igni, sed quoad certum terminum mollificare competit arti, simili modo nutrire, augeri igni, sed ad præfinitum terminum animæ, quia si primũ competeret igni augeri procederet infinite. Non procedit aut ex eo, quod coniunctus est animæ terminanti. Aliquæ difficultates occurrunt, prima, quoniam ignis qua ignis habet formam, ergo terminatus. Non ergo potest procedere infinite addita materia ratione suæ formæ. 3. physi. Præterea quis diceret non procedere ignem infinite in accretione, quia oportet permanere quod crescit, sed ignis vorat, consumit, & conuertit in cineres, ergo non potest ex se crescere ad infinitum. Rursus non potest adhiberi materia infinita mole, quia non est, ergo nec ignis augebitur infinitæ. Atque ignis apposita semper materia fit, & non augetur primo libro de generatione, ergo Aristotel. male argumẽtatur. Quinetiam argumentum cum conditione fit, cuius vtraque pars impossibilis & si illatio necessaria, ceu si asinus habet alas, potest volare. Non potest asinus habere alas, neque volare, ergo si ignis apposita materia semper infinite augebitur, impossibile est habere semper materiã infinitam, & semper augeri. Denique implicat in verbis author contradictionem. Ex eo quod natura constãtium est finis, non processus est infinitus, sed ignis constat natura, ergo non infinite augebitur. Et cur non poterit diminui ad infinitum, si materia semper diminuetur, & eo magis, quod ignis magis est consumere iuxta illud primo meteorum, si cęlum esset igneum iam omnia consumpsisset vniuersi præ mole tanta ignea cęlesti, quare si augeretur materia subdita semper, eo veniret magnitudinis, vt consumeret omnia, nec semper augeretur. Ad hæc respondebis. De prima dic ignem habere formam, & esse finitum propter animam cęlestem, quæ terminat eius vim cum cęlo. Et si forma sit terminus, attamen eiusmodi est, vt extendi possit maiore addita materia semper. Ad secundum dicito illud verum esse attamen accretionem procedere vbi materia suppeditaretur qua talis materia permanens. Ad tertium respondebis argumentum esse data materia semper addenda. Ad quartum responde reuera esse, sicut argumentum proponit, sed non sequitur, ergo Aristotel. male argumentatur, quia ex supposita materia semper addenda concludit. Ad quintum dic authorem contentum esse illatione necessaria, etiam quod antecedens, consequens esse non possint. Ad sextum dicendum ignem reapse finitum, sed vbi esset causa sola incrementi addita semper materia cresceret infinite, idest supra quam conueniat igni, vt quidam nolunt, sed vtcunque dicendum est ignem qua authorem accretionis solum materia infinita subdita crescere infinite. Ad vltimum casu dato addende materiæ non diminuet infinite, sed augebit, & quanto maior fuerit, tanto etiam plus materiæ requiret.

De

## *De obiecto auctricis facultatis Quid sit accretio, quid facultas auctrix.*


T SI Arist. in sermone de nutrice, etiam de auctrice disputabit, deque obiecto eius, nunc summa scribenda est, Accretio non abusiua, non naturalis, sed animata praeponitur. in plantis, & animalibus, cuius obiectum est moles alimenti, aut quantitas, iccirco praesumitur actio nutritiuę, quā miror Arist. postponere in ordine, etsi promisit seriatim dicendum de primis. In omni accretione abusiua, naturali, animata quantum maius est obiectum, sicut quantum minus obiectum diminutioni & terminus, ac finis Verum aliter hoc obiectum est naturali accretioni, Nam additum est extrinsecus, sine opera caloris natiui, & organi, & animatae, quandoquidem hoc fit alimentum quantum calore, & organo animante conficiatur, quod requirit tot. Animam vegetalem operantem per facultatem auctricem. Calorem innatum, instrumentum, tertio quod augetur, quale est corpus animati per partes suas similares, & dissimilares, inde quaeritur quae harum partes primum augeantur, & quae prima similarium, aut dissimilarium, necnon requirit id, quod auget. Anima est primarius author accretionis, quae sicut est, ita auget corpus plantae, & animalis. In genere plantarum, Arbores maximae sunt, & procerae, vt abies, pinus in Italia, & in Corsica sicut & aliae referente Theophrasto libri quinti de historia plantarum capit. 9. altae ad quam insulam quondam confluxere Romani fabricadam, & multitudine, & altitudine arborum territi supersedere facto, Aliae arbores mediocres vlmus, pyrum, pomum, & id genus, aliae exiguae, ęque de herbis, fruticibus, suffruticibus magnę, mediocres, exiguę, vt ergo anima harū, & calor natiuus, ita mole producuntur, & terminantur. Simili modo animalia magna elephas, Dromedarius, Camelus, Ceruus, aequus, idque genus, Alia mediocria leo, lupus, vrsus, panthera, leopardus, & id genus, Alia exigua culex, formicae, taphani, & similia, Anima ergo vegetalis auget primum pro debita quantitate, & calor natiuus ita, vt accedēte cultu, & circa in eadem quoque specie indiuidua alia maiora, alia minora nascantur, & fiant. Anima vegetalis est, qua primum viuitur, nutritur, augetur quid, Huius essentiae tres primariae facultates genitrix, formatrixque ac nutrix, & auctrix. Nunc de obiecto auctricis, quale augmentum, incrementum communiter, & quantum dices, sed proprie quantum alimentare, & alimentare probum. Hoc solum aptum est conuertere in augmentum proprium animati. Alimentum, de quo dicturi sumus suo loco si assimiletur solum, vt sanguis si fiat caro, est nutritio, sed si caro augetur, tum est quantum, & obiectum auctricis, quod etiam Aristoteli dat Gal. primo libro de humoribus cap. primo si Gal. est opus, & primo de facultatibus naturalibus definiens accretionem motum ex minori quantitate ad maiorem secundum omnem diametrum vbique eadem seruata forma molis minoris, & maioris molis, atque anima. Quantitas maior est alimenti disfusi per omne corpus dum quaelibet pars attrahit proprium alimentum, & facta primum assimilatione permanente forma nutriti augetur quantitas eius, quia eadem forma fit sub ampliori simul longitudine. latitudine, profunditate, Haec actio simul augendi in omnes partes, & secundum omnem diametrum simul est opus solius naturae, aut primariae naturae, idest animae, sicut Gal. cap. 7. primi de facultatibus naturalibus reliquit. Sed tamen triplex obiectum auctricis. Remotissimum, cibus. Propinquum, alimentum, sanguis, aut proportionale sanguini in exanguibus, aut succus in plantis. Propinquissimum est alimentum iam assimilatum, iccirco nutritio praecedit, & hoc assimilatum extensum fit obiectum auctricis, sicut coarctatum, & diminutum est obiectum diminutionis, quale aduenit ab anima defectu spiritus, & caloris innati, Hinc recte Gal. dicebat senibus nullum augmentum. 3. lib. de causis pulsuum. Est ergo obiectum auctricis alimentum iam assimilatum sub eadem anima, & forma similari, atque organica extensum, sicut declarabitur. Etenim ossa, musculi, nerui, & reliqua crescunt, & cum his simul organum, velut brachium, tibia, caput. Hactenus de anima prima causa, & de obiecto. Mox de calore naturali, qui secus desideratur a nutritione, & ab accretione. In nutritione concoquit, digerit, & prius alterat, & vno verbo est qui attrahit, qui expellit, retinet, assimilat, & idem fit quatuor qualitates, aut facultates dictae animae altrici seruientes. His qui collocantur

in omni membro similari, & dissimilari, ob id instrumenta etiam condita sunt, villi nempe recti attrahendi, transuersi retinendi, obliqui expellendi, de quibus in libris de partibus animalium, Hunc ergo in modum calor naturalis operatur ad nutritionem, sed ad incrementum solum dilatando, & extendendo, & congregando similia, cum omne augentur a simili. Et calidi est dilatare, Quare ob dilatationem calor natiuus est necessarius accretioni, cum elementaris pars mixti concurrat solum, vt materia. Augens dicitur obiectum & materia alimenti assimilata, sed hæc subiens formam eandem patibilis in quod anima, & calor natiuus agunt, & concurrit tanquam altera pars aucti, cum omne auctum duplici parte constet & materia maiore, & forma præexistente anima, & membri. Iccirco quod augetur est quoddam corpus actu perfectum per animã, & calorem natiuum sub forma propria, quæ non migrat de subiecto in subiecto per se seorsum diuerso, sed perficit partem, quam non perficiebat, & nondum erat, vt formato corde anima sensitrix statim erat, & postea perficit cerebrum nondum factum tum, sed postea. Migratio de subiecto in subiectum præsumit quod migrat actu esse separatum, vel separabile seorsum, & id quoque per se actu in quod migrat. At caro extensiore facta remanet eadem forma, quæ perficit accedentem materiam, & non præexistentem. Cæterum prius augetur pars similaris, & postea dissimilaris, quod erit etiam illustrius in sermone de nutrimento, & nutribili, Hæc sine argumentis placuit dici, quia Aristotelice doctrina est, & medica.

## *Caput iij. de nutrice, & nutrimento cum mentione de auctrice, & obiecto.*

### Contex. XXXVIII.

***CVM eadem sit facultas animæ altrix, & genitrix, primum de alimento necesse est decernere. Hoc enim opere separatur ab alijs facultatibus. Videtur iccirco alimentum contrario contrarium, & non cuius omne. Sed quæcunque contrarium non solum mutuo ex se fiunt, sed etiam accretionem habent, Nam multa ex sese mutuo oriuntur, sed non omnia sunt quanta, ceu, ex laborante fit sanum. Constat verò neque illa sibi mutuo esse alimento, sed aqua quidem est igni alimentum, At vero ignis non alit aquam, Quare in corporibus simplicibus hæc videntur maxime, ut unum sit alimentum, & alterum quod nutritur.***



PHILOPONVS de cohærentibus proponit, ceu de nutrimento, vt de facultatibus deinde tractet additque vsurpari nutritiuam pro vegetali anima, sicut fecit supra, Simplicius subscribit dicens, vt demonstrauit author facultates nutriendi non esse corpora, nec formas naturales corporum, idest nec leuitatẽ, nec grauitatem, neque ignem sicut proxime supra legisti in Empedoclem, & Heraclitum, sed facultates animæ, quæ quo ad essentiam eedem generandi, & nutriendi, tamen differunt ratione inter se, & prius de nutritiua agendũ esse, & si ab initio sermo sit factus de genitrice, & generatione, quæ perfectior est, nunc tamen præferenda est nutritio generatione, quia communior, & quia obiectum genitricis animæ semen, aut proportionale semini fit post nutritionem siue sit quid superfluum alimenti, sicut Pythagoras partem superuacaneam alimenti, siue quædã particula corporis ceu, qui sanguinem aiunt Pythagorei quidam, Arist. sentit 18. c. primi de partu animalium esse excrementũ sanguinis, & ceu qui sentiunt esse medullam, vt Alcmeo cerebri, & Plato spinæ dorsi in Timęo ad calcem & Epicurus quid corporis seiũnctum, siue sanguinis spumam, siue aliud opus naturæ, Auerh. colligit ordinem fuisse dicendi de nutritiua vtpote communiore anima, & facultate, & de actionibus augendi, nutriendi, generandi, nunc ait proponi de quo primo dicendum scilicet de subiecto, idest obiecto potentiarum trium quodammodo communi, quia non potest cognitio assequi substantiam, essentiamque facultatum harum, nisi præcognoscantur hæc obiecta, quę passiua, & subiecta dicit, propterea quod patiuntur, contra sensilia agunt in sensibus, & phantasmata


mata in ipso intellectu, vnde de cibo, idest de nutrimento credit esse ante dicendum, Themistius assentitur. Et Alexander sic ait in sua paraphrase. Quare consensu omnium Arist. disputaturus est primum de alimento tanquam communi obiecto tribus facultatibus alia, & alia ratio, Nutritiuæ qua alimentum, generatricis, qua ex eo semen Auctricis qua quantum extensum, proponitur, Et proponendi redditur causa. Assumit duo, quæ breuitatis causa verbotenus exponam. Propositio cum eadem sit facultas animæ altrix, & genitrix, sub verbo altricis, intellige quoque auctricem. Easdem esse has facultates obiecto communi inquit Auerh. Et Philoponus sensit etiam auctricem mediam comprehendi inter illas duas, & easdem esse fine, qui est procreare sibi simile ob æternitatem, omnia a fine denominantur suo. Nam nutritiua suppeditat materiam semen, aut semini proportionale, & auctrix facit generantem potentem, icirco pulchre generat cum ad iustam creuerit molem. Mole methodo resolutiua generatio petit accretionem, & hæc nutritionem, sunt igitur hæ potentiæ eedem essentia animæ vegetabilis apud Philoponum, primū de alimento necesse est decernere, supra autem de fine animæ vegetalis dictum est, nunc de communi obiecto vnde quantum obiectum auctricis, & semen, aut semini proportionale oritur obiectum genitricis. Aduerte grece τῆς τροφῆς verti in Simplicio de nutritione, Alexander, Themist. Philop. Auerh. de nutrimento, & quia istiusmodi legendum venit Simplicius etiam capit nutritionem pro nutrimento. Cur autem sit prius agere de nutrimento, redditur causa, siquidē hoc opere (vocat alimentum opus) & nō nutriri aut educari, vt Simplicius, Philoponus inquiūt, & Auerh. vocat cibū. Differt opus ab operatione, vel actione quoque apud Gal. ad finē. 2. cap. in primo de naturalibus facultatibus, quia actio, & operatio est actiuus motus, sed opus quod relinquitur effectum, & absolutum, causam vero facultatem. Alimentum est opus factum ab anima, & calore natiuo, quo opere tanquam obiecto distinguitur anima vegetalis a cæteris facultatibus sensitricis, & intellectricis. Supra decreuimus potentias differere interse actibus, seu operationibus adequatis, & obiectis. Verum scias velim nutritiuam differre reipsa a sensu, intellectu, & ratione ab eiusdē animæ potentijs velut ab auctrice, genitrice. Idē alimentū qua assimilatū est obiectum nutricis, qua quantum extensum obiectum auctricis, qua seminis effectiuū obiectū genitricis, Ergo ratione differunt obiecta, & facultates, & actiones. Cæterum Alexander cap. de altrice distinguit alimentorum duo genera. Vnum incoctum indigestum, extrinsecus admotum, alterum concoctione elaboraturo, quod obijcitur corpori, & inquit nomine nunc alimenti vtrunq; intelligi, ob id etiam Auerh. attigit primum genus alimenti dicens quid cibus assignandum, & ab hoc fieri initium, Simplicius cum Alexandro itidem dicit, & Philoponus. Vt sis informatior, & certior hac de re, Tradunt quidam compendium editum ab Arist. de nutrimento, & nutribili, citat Themistius in libello de somno, & vigilia cap. 13. librum de alimento, Hippocrates edidit librum de alimento, qui sic orditur Alimentum, & alimenti species vnum, & multæ. Vnum quidem quatenus genus est, species verò humiditate, siccitate definitur &c. Doctissimus parens Medicinæ senex Hippocr. communiter alimentum accepit diuersum a medicina, a veneno, & quod non potest esse alimentum, verum quia loquitur de alimento cōmuni generis humani, cui mederi tantum studet. Arist. longe communius accepit. Nam pro nutrimento plantarum, & animalium, ac hominis. Venenum siue calidum, siue frigidum a substantia sua extinguit calorem naturalem. Si calidum, vt flamma maior corrumpit minorem, si gelidum, vt cicuta, opium, mandragora extinguit contrarietate. Deleterion est substantiæ, & vitæ. Pharmacum alteratur, & alterat, purgat, soluit lenit, &c. Neutrum vincitur a calore. Sed interest, quod deleterion non vincitur, sed vincit corrumpendo. Pharmacum vero non vincitur, attamen non corrumpit, quinimo aliqn̄ excitat, & iuuat. Alimentū autē vincitur, & cōuertitur in naturā nutriti pro sua maiori, aut meliori parte, vt omittamus nunc dicere de excrementis, atq; auget quātū & roborat sic dicēte Hipp. citato libello. Auget, corroborat, incarnat, assimilat, icirco alimētū, quod non facit hæc vocatur de nomine alimētū, si facit ope, & nomine dr̄ alimētū, quod triplex dicitur ibi, & citatur a Gal. tertij libri de temperamētis, cap. 2. & primo de naturalibus facultatibus cap. xj. & alibi. Vno modo quod iam nutrit, ceu sanguis, aut proportionale sanguini, alio modo quod est velut nutrimentum, siquidem non alit, & futurum alimentum, quod habile est, & potentia potest assimilari, Proprijssime dicitur alimentum quod iam nutrit atractum, agglutinatum, appositum assimilatum vertitur in substantiam nutriti, & calefacit, augetque calorem innatum, & roborat vires, Quod nominatenus est alimentum est id, quod in atrophiæ vitio sumitur in anasarca, in vitiligine, Aut agglutinatur, non apponitur, aut apponitur, non assimilatur, Equiuoce ergo alimentum.

Futurum

Futurum alimentum, quod nondum est, sed potest esse. De hoc genere alimenti tres libros conscripsit Gal. Nunc ergo proponitur alimentum præsens quod nutrit, & futurum. Equiuocum autem negligitur, de quibus fusius in posterum, nunc tantum sit huic loco opportunum. Reliquū duo assumit. primum de alimento futuro nondum concocto, vt sit contrarium nutrito, Sic Alexander credidit, & Auerh. idem confirmat comment. 43. Simplicius confirmat, & addit nutrimentum esse contrarium nutribili, vt priuatio habitui. Cum enim quod nutritur, & nutrimentum sint ambo substantiæ, igitur in hæc non possunt cadere contraria, nisi forma, priuatio. Ego diu cogitaui in hac expositione contextus censui, quæ dicuntur ab istis bona esse, sed non ad mētem authoris. In animo authoris est quid sit alimentum referre. Ex eius conditionibus conatur id facere. Et assumit primum contrarium vnum esse alteri alimentum, non tamen omne cōtrarium esse alteri alimentum, sed si unum mutuo ex altero fiat, & augeat, quandoquidem extent multa contraria non quanta, quinimo & quanta, quæ non mutuo sunt alimenta, Et in quantitate quodammodo contraria, non absolute tamen, Et id declarat in corporibus simplicibus, vt ignis quantus, aqua quanta, attamen aqua dicitur alimentum igni, & ignis non alimētum aquę, Ex his elicit differentiam inter nutritum, aut nutribile, & nutrimentum, vt sit alterum non nutrimentum, sed quod nutritur tantum, & aliud nutrimentum solum, idque maxime in simplicibus, Quare differt nutrimentum, a nutrito. Hanc interpretationem Themistius nouit. Ego vero puto assumi, quomodo non omne contrarium sit alimentum, sed quoddam contrarium nutrito esse alimentum. Assumit primo videtur icciteo alimentum contrario esse contrarium, vt aqua igni, non sicut Simplicius ait contrarium, velut priuatio habitui, & formæ, quia non ita ignis, & aqua, nec sanitas, & labor differunt contrarie, sunt vere contraria, de quibus exemplum facit. Sed potius qualitatibus contrarium, cum principio dissimile, & in fine simile sit, Ac potētia, & actu, Nam alimentum est potentia nutritum, & non cuiuis omne contrario contrarium est alimentum, non morbus est sanitati alimentum, nec contra sanitas morbo. quot modis dicantur contraria, & opposita habes 5. libro metaphys. & non omne contrarium est alimentum, sed quæcunque contrariorum, quæ mutuo ex se fiunt non solum, sed etiam accretionem habēt alia, quæ non sic se gerunt non sunt alimenta, quia alimentum est quantum, sed multa ex se mutuo oriuntur, contraria, Sed non omnia sunt quanta, ceu ex laborante fit sanum, & neutrum quantum est, nec mutuo se alunt, sed pellunt, & perdunt alimentum est cum materia, & quantitate, & corpus mutabile de potentia in actum, Confirmat item exemplo simplicium elementorum, quæ sunt contraria positiua, licet impropríe dicantur nutriri, quod enim formalius est nutritur, & non nutrit, vt ignis aqua nutritur vulgo, non vere tamen, Nam potius fit primo libro de generatione constat vero neq; illa contraria simplicia mutuo esse alimenta, sed aqua quidem est igni alimentum. At vero ignis non alit aquam, cæterum quia hęc assertio debilis est vniuersaliter prolata, iccirco in corporibus simplicibus, Quare in corporibus simplicibus per comparationem hæc videntur maxime alimentum contrarium nutribili, sed nutribile non nutrimentum alteri, & subiungit quid videatur maxime. Vt vnum sit alimentum, & alterum quod nutritur, per aquā intellige omne aqueum, & aereum aptum esse ignibus pabulum, & per ignem elementarē, & mixtum ex eo maxime si ignis actu fuerit, vel igneum. Oleum, pix, cera, sulphur, bitumen, ligna dicuntur ob humidum nutrimenta ignis. Sed dices cur ignis alitur aqua, non contra? Quia est ignis formalior & aqua materialior. Et quia continet, aqua continetur, Et deterius est magis meliori alimentum. Adhuc dices quomodo aqua alimentum si extinguit ignem? Dices in aqua duo inesse, frigus, & humidum, ob humiditatem esca est ignis, ob frigus extinguitur, cum ignis suo calore præualet frigori aquæ depascitur humidum. Postremo vere ali animata dicuntur quæcunq; altrice potiuntur anima, & per calorem natiuum alimenta alterantur, & per propria organa, & conuenientia nutriuntur, & per mutationem substantiæ, idest materiæ agglutinatæ, appositæ, & assimilatæ fit nutritio, vbi non noua forma gignitur, sed præexistens est eadem alioquin nunquā idem esset nutritum, sed quotidie aliud. Verum erit id postea clarius. Hactenus de ratione alimēti non est, vt sit contrarium, quia non omne contrarium est alimentum. & si quodammodo cōtrarium sit principio nutribili. Et nutritio non generatio est, quia elementa ceu ignis aqua mutuo fiunt, non mutuo tamen nutriuntur.

## Contex. XXXIX.

*Verum id dubitationem habet, siquidem aiunt simile simili nutriri, sicut & augeri, Nonnullis uero (vt diximus) contra uidetur, nempe contrarium contrario ac si simile pati nequeat, & alimentum oportet mutari, & concoqui, sed mutatio cunctis est ex opposito in oppositum, uel intermedium, Ac alimentum patitur aliquid ab eo, quod nutritur, sed id non ab alimento, quemadmodum neque faber a materia, sed hæc ab illo. Faber autem solum ex ocio mutat ad operandum.*



VONIAM aliquo modo contrarium alimentum nutrito præcipue in eo dictum, & futurum tradidit, licet non sit de ratione alimenti, vt sit contrariū, iccirco mouet de hoc dubitationem in vtranque partem ob duas diuersas scriptorum opiniones. Quidam secus putant asserentes simile simili nutriri, & augeri, forte argumento moti, quod caro carni, os ossi simile fit in nutritione, & quia erat famosum, simili simile alit, & auget, vel quod augetur nutritur, quod augetur simili augetur, ergo quod nutritur simili nutritur, iccirco subiunxit, (Sicut & augeri) lege tu primam dubitationis partē. Verum id dubitationem habet. Dicit Auerh. etsi opinio de contrario alimēnto sensu, & inductione constet, attamen locus est dubitationi ex propositionibus famosis, & quæ sint istæ famosæ narrat cum contextu siquidem aiunt simile simili nutriri, sicut & augeri, ita, vt sit simili augeri ratio, cur simile simili nutriatur, aut similitudo. vt sicut augetur simili ita nutriatur simili. Contrarium potius perdit contrarium, & non nutrit, nec auget. Mox addit aliam partem dubitandi cum duplici opinantium argumento. Nonnullis vero (vt diximus) contra videtur. Qui sint isti, nemo interpretum expressit. nempe contrarium contrario ali. hæc prima ratione. Quod uis alimentum oportet mutari, & pati, necnon concoqui, vt genus proprium patiendi indicetur. Sed simile non potest pati a simili, & probatur, quia omne quod patitur mutatur, & omne quod mutatur ex opposito, vel contrario mutatur in oppositum, vel in ipsum intermedium, ceu, & albo in nigrum, vel in medium fuscum, igitur simile non potest esse alimentum, sed contrarium, Ratio hæc. Ac si simile pati nequeat. Minor oratio, Et maior & alimentum oportet mutari idest pati, & hoc genere patiendi, videlicet concoqui, male Argiropolus vertit digeri nesciens quantum intersit inter coctionem, & digestionem, de qua mox. Minoris orationis probatio. Sed mutatio cunctis est 5. phys. & primo ex opposito in oppositum, vel intermedium si fuerit. Nam etiam sunt immediata contraria sanitas morbus sine medio in post categorijs Aristot. quare alimentum non simile, sed contrarium. Aduerte Auerh. duo in his colligere argumenta. primum. simile non patitur a simili, alimentum patitur quia concoquitur &c. ergo non simile. Secundum ibi. Sed cunctis est mutatio ex opposito scilicet e contrario. &c. Sed alimentum mutatur, ergo est contrarium, Cæterum secunda ratio in context. Efficienti contrarium est patiens relatiuæ, & per contrarias eorum qualitates, sed nutrimentum patitur ab eo, quod nutritur, & id non ab alimento, sicut materia ferrea a fabro patitur, & non faber ab ea, igitur alimentum contrarium nutrito, minor oratio vera est, quia videtur alimentum mutariq;, quod non manet in sua forma, Et nutribile, nutritumque manet in eadē forma. iccirco exemplo fabri id docuit. Auerhoes hæc legit videlicet. Ac alimentum patitur ab eo aliquid, quod nutritur, Sed id non ab alimento dupliciter, & tanquam argumentum persuadēs alimentum esse contrarium non ex eis quæ mutuo patiantur, sed sicut carpentarius, qui agit in ligno, & non patitur ab eo, sed lignū ab illo, & legit pro dissolutione quæstionis indicans cuiusmodi nutrimentum patiatur, sine passione nutribilis, quam vocat actionem de ocio in negocium, & Philoponus perfectiuam sine alteratione de quo video, ostendit exemplo duo, Et nutrimentum pati a nutrito; & non cōtra, Et cuiusmodi nutritum agat in alimento. Primum inquit quemadmodum neque faber a materia lignea, ferrea patitur. Faber loco nutriti ponitur, & materia loco alimenti, sed hæc ab illo Secundum cuiusmodi sit actio nutriti. Faber autem solum ex ocio mutat ad operandum, Nutritum igitur solum se transfert ex cessatione ad negotium quoties nutritur. De quo mirum, cū

nunquam intermittatur nutritio, sed cessatio est mors in libris de morte, vita, de spiratione. Dubitatur item de conditionibus alimenti quot sint, Aliqui quatuor reddunt, vt sit primo cõtrarium, Deinde quod augeat, vel augere possit. Tertio quod sit velut materia. Quarto vt sit materia rei animatæ, vel animæ. Verum de his postea nunc semper alitur nutritum, & per nouum alimentum quotidie adiectum ad restaurationem deperditi, & materiæ fluxæ traducitur de cessatione ad actionem, quia non ante operabatur in nouum alimentum, & postea operatur, & toties id facit nutritum, quoties apponitur nouum, aut in venis reseruatum, sicut accidit in fame, vbi noui non est copia, quare semper quod nutritur agit in alimentum vsque ad mortem, & toties ex ocio ad actionem excitatur, quoties nouum aggreditur alimentum conficere, & assimilare. Hæc de admiratione illa dici oportuit. Reliquum quia sumus in parte dubitatiua, non possumus aliquid decernere, nisi audiatur sententia philosophi.

## Contex. XL.

*Verum interest, an nutrimentum sit quod postremo adnascitur, vel quod primum. Quod si vtrunque, & vnum incoctum sit, aliud vero concoctum potest dici alimentum, qua nimirum incoctum est, contrarium contrario alitur qua autem concoctum, simile simili. Quare perspicuum est vtrosque quodammodo recte, & non recte dicere.*



ISSOLVIT dubitationem, & conciliat opinantes facta distinctione alimẽti. cuius duo genera facit explicante Alexandro Aphrodisæo, & vnum ait cõtrarium, alterum simile, non quia duo sint alimento, sed vnum aliter mutatum, & perfectum, & vnum cum Hippocrat. futurum, aliud iam assimilatum, & præsens, Et cum futurum sit multiplex, & præsens merito de his erit consideratio, Nunc dissoluatur controuersia, siquidem recte vtrique dicunt, & non recte vtrique, si accipiatur nutrimentum postremum, & admittatur dici nutrimentum, sicut sanguis, aut proportionale sanguini, id nempe est simile, quia nutritio est motus ad simile ex contrario, si fuerit nutritio absoluta, perfecta, & hoc modo bene dicunt qui affirmant simile simili augeri, nutriri, & eorum argumentum valet, contra male qui dicerent hoc modo effici ex contratio nutritionem, & alimentum contrarium. Si vero sumatur alimentum primum, hoc est crudum, incoctum, & vocetur alimentum, tum illud verum, alimentum contrarium nutrito, & dissimile esse, quo iure illi bene, qui contrarium aiunt nutrimentum, & male qui simile. Ergo differentia primi, & vltimi, vel cocti, & incocti alimenti tanta controuersia sublata est. Cæterum verbotenus annotanda multa. Verum interest, an nutrimentum sit quod postremo adnascitur, aut apponitur, accedit, aduenit, quale dicit Auerh. copulatum cum nutribili apud complementum digestionis, & nutrimentum actu, & hoc simile, quia est pars nutribilis, de quo Philoponus dubitat, si est pars nutribilis, non ergo alimentum. Videtur respondere partem esse, quod iam aggregatum est carni, alimentũ, quod fuit ante aggregationem, sed Philoponus in alio foro agit. Parum Medicinæ nouit, Themistius per alimentum ad finem accedẽs intelligit sanguinem, & id coctum summum, & rarissimum, sed peccat & ipse, quia finis nutritionis est assimilatio, sanguis non est assimilatus alito, sed expectat adhuc attrahi a nutrito, alteram apponi, agglutinari, & denique assimilari. Etsi attraheretur, & non agglutinaretur, vt atrophia & in vitiligine, non fieret nutritio, ergo antequam sanguis assimiletur non est vltimum alimentum, quod postremo aduenit, Quinimio si sequi oportet Galen. capit. xj. primi de facultatibus naturalibus sanguis est futurum alimentum, non præsens, propterea quod antequam fiat actu alimentum oportet assimilari, & ante assimilationem præcedit agglutinatio, & ante hanc appositio, & ante hanc dispersio e venis sanguinis in partibus nutriendis, quem quælibet pars proprium attrahit. Et quandoque sanguis non fit alimentum, nisi de nomine, ceu quando agglutinatur, & non assimilatur, vt in vitiligine, sicut etiam quando apponitur, & non agglutinatur, vt in anasarca specie

ca specie vna Hydropis, proprie nutrimentum est quod iam assimilatur præsens, & non futurum, vt sanguis, & ita futurum, quale non esse etiam alimentum potest. Et ideo Hippocrat. in libello de alimento recte dixit, Alimentum, quale non nutrit nominatenus alimētum est, & non opere. Aliquanto melius Alexander scripsit subinde alimentum esse, quod adijcitur, idest agglutinatur, & adiudicatur corpori, idest assimilatur. Alimentum enim (vt aiūt) rei alitæ alimentum est. Verum his interpretibus venia danda est, quia non norunt medicam artem, sed physico medico nulla venia admittenda, si rem non persequitur diligenter. Etsi physicus in libro de generatione, & in hac parte disseruit de nutrimento, & altrice, vt ingenue fatear, non tamen exacte vtroque loco absoluit, nisi id fecerit in libello de nutrimento, & nutribili, qui adhuc desideratur. Alberti autem Alemani codex de nutribili & alimento miscet falsa veris, iccirco non fidendum omnino nisi matribus qui sciat internoscere, sed Albertus dignus venia, qui non calluit Medicinam, Hippocrat. Galen. vt medici solum differentes multa præteriere, quę philosophi vellent. Dabimus operam, vt breuiter lector consequatur summam de nutrimento, nutribili, & nutriente, sed redeat oratio ad cōtextum, Quod postremo adnascitur, idest quod iam assimilatur corpori non velut res aspersus, sed velut iam assimilatum, quia assimilatio est finis nutritionis. Additur aliud genus alimenti, vel quod primum non adnascitur, sed ingeritur, additur corpori. Vt ergo exactius intelligatur, hoc verbum (primum) Nempe multa compræhendit, etiam omnia edulia, esculenta, quæ in agris, & hortis extant, quinimò, & semina potentia fructus, & folia possunt appellari alimenta, & quicquid cuique animanti loco nutrimenti esse potest. Taceo nunc abusiue alimenta, sicut aqua igni, & humidum omne. De hoc genere alimenti habes in libris de plantis Arist. duobus, in libris Theophrasti de historia plantarum, de causis, Dioscorides etiam multa tractauit, ac Plinius, & Galen. in libris de alimentis, de simplicibus medicamentorum facultatibus de dieta, de assuetudinibus &c. Hippocrates, & Polybius in libris de diæta. Alimenta hoc modo vocantur quæcunque non venena, non pharmaca. Et non solum alimenta dicuntur, quæ terra oriuntur, sed etiàm e mari pisces ex aere volatilia ex metallis ferrum struthio cibus est, excrementa multis nutrimenta quicquid sapidum est, & calidum, siccum, humidumque est alimeutum, sed cuique generi animalium suum est ita, vt quod vni alimentum, alteri sit venenum, aut pharmacum Homo lupus est omnia fere vorat, Abstinet venenis, & noxiis admodom, Arte etiam parat, condit, & sale facit sapere insipida, Dulce nutrit, & alia aliant secundum eam partem, quam continent dulcis, Acria, amara, salsa, &c. Post hæc sunt prima etiam parata, ceu hordeum spelta, auena, & similia animalibus, atque legumina, etholera, salita, & id genus. Prima adhuc dicuntur quoties cocta, maturata, macerata, ac cocta, dixata, assata, & similia. Prima quoque quoad ore, aut simile ori sumuntur. Radices in plantis similes ori. Trahunt succum a terra legitimum. Prima adhuc in ventriculo aut simili instrumento, Prima item donec in meseraicis, Prima in iecore, prima in venis, prima quoad apponuntur, agglutinantur, & futura dicuntur alimenta, quo tempore primum assimilantur alimenta sunt, Denique, vt euasere partes non alimenta, sed corporis partes dicuntur. Hæc dicuntur. vt tuum sit (mi lector) in quouis animantis genere distinguere quæ futura sint alimenta, & quæ præsentia, aut quæ potentia, & actu, Hactenus vtrunque genus alimenti, quod si vtrunque concedatur vocari alimentum, Quod si vtrunque, quoddam incoctum est, & quoddam concoctum dici potest alimentum, idest si tam primum, quam vltimum vocetur alimentum, quamuis proprie est præsens, & quod assimilatur, & improprie incoctum, &c. Annotabis alio modo distingui alimentum per operationem instrumenti caloris natiui. Hæc distinctio est aptior prima; quia hæc fit de alimento animantis, qua anima est principale agens, & calor natiuus instrumētum. Prima vero est communior etiam inanimatis de primo, & vltimo alimento. Nunc oportet dicere de coctione, incoctione. Vna est actio caloris, altera rei affectio. Alias est a me dictum de quadruplici calore. Coelesti, qui præcipue solis est, alter elementaris, Tertius artificialis, Quartus natiuus similis elemento stellarum apud Aristotel. tertio cap. secundi libri de partu animalium, qui dicitur calor natiuus animantis, calidum innatum, spiritus innatus, apud Aristotel. & instrumentum animæ, sed apud Hippocratem anima vegetalis, sensitiua. Huic primum

subiectum est humidum radicale, humidum primigenium, de quibus postea breuiter suis locis, nunc supponatur omnis cruditas, & incoctio esse rei affectio alimentariæ futuræ, quæ incoctio non est phormaci, neque mercurij apud alchimistas, neque elixatio, assatio, frictio apud coccos, neque fructuum, & fruguum. Quocirca quod modis coctio, totidem incoctio, Quoad igitur coelestem calorem alimenta dicuntur coqui in agris, & hortis, & maturantur atque coagente calore elementari prout præualet in mixtura, De vtraque coctione 4. meteorum, seu primo de mixtis, coctio ab elementari igne dicitur mutatio facta ab obtinente calore materiam, iccirco quoties non obtinet cruditas, & incoctio dicitur, vnde putrefactio, & maxime quoties humor non obtentus a proprio calore ab alieno alteratur acris, aut alterius, Coctio igitur definitur perfectio a naturali, & proprio calore in humido etiam si adiuuetur ab alijs, sicut hyberno tempore frigore perantiperistasim iuuatur calor ventris, & totus in se conclusus magis concoquit. Iuxta illud ventus hyeme calidiores, & fontes, estate, gelidiores, calor igitur vincens humidum prout conuenit facit concoctionem, & dicuntur concocta, quorum humor vincitur a calore proprio, ob id medici hanc victoriam noscunt ex vrinis, & alui deiectionibus, & excrementis. Et concoctio hęc procedit cum crassitie & maiore caliditate, & siccitate. Inconcoctio est imperfectio ob proprij caloris defectum ob frigus, & tum non vincit humidum, Inconcoctio dicitur priuatio coctionis, & huius sunt, velut species dispesia, difficultas coctionis, & tarda concoctio, sicut Galen. in libris de simptomatum causis monet, Cruditas autem opponitur maturationi in fructibus, frugibus, de quibus alias nunc concoctio dicitur huiusmodi naturalis ab ipso calore elementari quoque, & maturatio dicitur concoctio facta a sole in fructibus &c. Coctio item sumitur a medicis pro ipsa alteratione humoris peccantis victi a natiuo calore interdum sola natura, interdum cum pharmacis operante, quam vocant nonnulli digestionem. Hanc dixit Galen. esse bonum signum crisis, eiusque notas esse in vrinis, & excrementis, Hanc expectandam in diuturnis morbis. Hanc sequi excretionem testatur idem, & eandem videant alij Medici qualitatem, quæ faciat cessare putredinem, aut maturet cruditatem humoris iuxta Aphorismum primę particulæ concocta medicari, & non mouere cruda adhuc repugnantia, Concoctio item dicitur alimentaria quæ fit a calore natiuo per propria instrumenta, vt alimentum fiat, & assimilari possit, de qua longior sermo erit. Si interea legatur conciliatio in eo quod vtrique opinantes bene dixerunt, & male. Si enim qui contrarium contrario ali fassi sunt, de primo, & incocto alimento, quod futurum Hippocrat. vocauit erat eorum assertio bene dicebant. ideo dicitur. Qua nimirum incoctum est, contrarium contrario alitur, & qui ita asserebant, bene fatebantur, sed si accepissent postremum alimentum & coctum, male. Hinc ergo illi bene, qui sumebant coctum, & vltimum alimentum asseuerantes simile simili nutriri. Et ob id scribitur, Qua autem concoctum simile simili. hi tamen male, vbi intellexissent primum, & incoctum, quia illud est dissimile, & contrarium, sicut maza, panis dissimilis, & vltimo fit sanguis, & caro. Quare perspicuum est vtrosque quodammodo recte, & non recte dicere. Hactenus hæc.

## Contex. XLI.

*ET quoniam non nutritur, quod vita non est particeps, animatum ergo corpus esse oportebit, quod nutritur qua est animatum ita, vt nutrimentum pertinent ad animatum, & non per accidens. Verum aliud est nutrimentum esse, & id quod potest augere. Siquidem quod potest augere est animatum quatenus quantum, sed qua hoc quidpiam, & substantia nutrimentum. Nam seruat substantiam & eo usque donec nutritur, Et generationis effectiuum est, haud tamen eius, quod nutritur, sed eius quale est quod nutritur. Iam enim est substantia ipsa. Nibil autem seipsum generat, sed seruat.*

PHILO-



HILOPONVS a nutrimento ad a?ionem nutriendi transire nunc arbitratur philosophum, cum nutritio sit actio eius, quod nutritur, & nutrientis facultatis, quæ possit seruare substantiam nutriti operans circa nutrimentum. Deinceps ex operatione ista definietur facultas nutritiua. Decipitur Philoponus, quia vult definire nutrimentum hoc loco, & vnico contextu quomodo ratione differat ab opposito auctricis facultatis, quod actiuum, & quantum vocat, & ab opposito, seu obiecto generatricis, cum istud sit quale & vtrunque obiectum proficiscatur ab alimento. Vnde etiam definitiones vtriusque obiecti auctricis, & genitricis indicat, Alexander putat Aristotel. velle docere solum animata nutriri, quæ præsertim altricem animam habent. Hæc omnia sunt mortalia animata. Cælestibus nulla nutritio, nec opus est. Et Auerh. idem ait, & addit corollarium, quod actio attribuitur nutriendi animæ essētialiter, & non per accidens, qua cognita erit & facultas clara. Et Simplicius idem asserit, sed vtinam nouissent morem Aristotel. cum præponit illā coniunctionem græcè ... continuationem sequentis sententiæ. Quocirca cupiens definire quid sit nutrimentum, sicut contex. 31. promisit. Præponit proprium alimentum, & non abusiue dictum, ceu aquam, humida dicimus alimenta ignis, & quicquid fouet aliud, de quo primo lib. de generatione. Et quia tria sunt quæ nutriunt, alimentum, anima: calor natiuus, vt instrumentum, & quod alitur, de quibus postea, iccirco ab eo quod nutritur animato, docet alimentum proprium esse id, quod pertinet secundum se, & nō per accidens ad animatum. Hactenus prima pars contexnis. Secunda vero explicat quid sit alimentum, & indicat quid obiectum auctricis, & genitricis assignatis differentijs secundum rationē vbi idem nutrimentū sit triplex obiectū aliter, & aliter operans. Exponemus igitur primam partem. Et quoniam non nutritur proprie, quod vitæ non est particeps, non ignis, non elementa, non mixta inanimata contra Alchimicos nebulones, qui se appellant phi. Summi essent, si transmutare spetiem in spetiem nouissent, & Mercurius non fugeret, & materia apta cum tanta caloris qualitate adderetur, sed alio loco ridendum omnis horum, nunc non vitæ particeps non nutritur proprie. De vita supra est dictum. Particeps vero vitæ est corpus organicum, & animatum. Dicitur particeps, & anima vegetalis, & sensitiua particeps vitæ, quia neutra habet vitam cōsubstantialē sibi, sed in ipsa cōiunctione animæ cum corpore nascitur vita vtrique corpori, & animæ communis, & si primum animæ tribuatur, quia potior pars est, & perfectio animati. Secus dicendum de intellectiua. Hæc habet vitam propriam, qua adsistit cordi, & deforis accedit. Verum de hac in 3. libro. Duæ vero animæ antedictæ nullam vitam, nec operationem vitæ propriam habet. Si vegetat, ergo corpus, si alit, auget, procreat, ergo corpus, omnis ergo actio, & vita illarum est corpora nec animæ, nec corpori propria, sed enascens e coniunctione vtriusque, iccirco dictum est. Viuere viuentibus est esse. Si porro expers vitæ non nutritur, per locum a contrario, quod nutritur proprie id est particeps vitæ, seu animatum ita, vt nutrimentum conueniat animato secundum se & non ex accidente aliquo. Dicit, animatum ergo corpus esse oportebit, quod nutritur qua est animatum, non qua calidum, frigidum, non qua carneum, neque qua mortale, caducum, aut fluxilis substantiæ, & quia semper est in fluere, & consumptionem. His modis accidit, sed nutritur ob animam altricem, & calorem natiuum, atque corpus animatum habet in se causas nutriendi, & actio nutritionis fluit ex principijs essentialibus corporis animati ita, vt conuertatur oratio. Quicquid proprie nutritur animatum. Quicquid animatum vere nutritur. Defuncti non nutriuntur, quibus si crescunt vngues, & capilli, dic non crescere, sed videri crescere ex eo, quod in longum protrahuntur. Et quia hæc dicuntur gratia nutrimenti proprie definiendi, iccirco inquit ita, vt nutrimentum pertineat ad animatum secundum se, & non per accidēs, idest nec qua calidum &c. vt dictum est, sed adde neque qua refertur ad alitum, quia nutrimentū rei nutritæ nutrimentum & nutrientis nutrimentum. Duplicem fundat relationem ad nutrientem animam, & calorem, & ad nutritam, licet calor, & anima sint partes nutriti, attamen non dicitur anima nutriri per se, sed per totum animatum. Dicitur tamen nutrire, quia est causa efficiens, formalis corporis animati, vt supra patuit, & corpus non dicitur qua corpus nutriri, sed qua animatum. Calor item natiuus dicitur nutriri non per se, sed qua pars animati. Vt anima dicitur moueri moto corpore ad locum ex accidenti, ita nutriri ex accidenti anima & calor, ergo per se solum competit animato, & non animæ, nec corpori, & si alicui eius parti competit integrali vt capiti, manui, hoc est non primo sed per partem sicut. 5. physi. dicitur mutari tripliciter aliquid & primo, & per partem, & per accidens, ita nutriri dicitur animatum primo, & per partem, non

autem per accidens, sed anima pars eius, & calor natiuus per accidens, idest per aliud. Hoc loco necesse est videre si solum animatum nutriatur, & eo magis, quod Gal. comment. primo de humana natura in verbis Hipp. Vt annus omnium horum particeps, calidorum, frigidorum &c. censet alimenta mutuo nutriri, quod etiam contra aliqua in cont. 38. asseritur quando Aristot. t adebat aquam alimentum igni non econtra. Gal. mutuo elementa esse nutrimenta ait argumento ne in nihilum recidant, & auctoritate Platonis, Satius fuisset Galeno ibi dicere elementa mutuo gigni, non autem ali, sicut Arist. 3. cæli. 2. libro de generatione tradit. Idcirco Gal. in eo loco loquitur valde abusiue. Aliud enim est gigni, aliud mutuo ali. Hoc enim fere impossibile, illud verum, siquidem nutrimentum absumitur in nutritum, sed nutritum non in nutrimentum, & quis vidit flamma oleum nutriri, aut sanguinem nutriri hominem, aut plantam succo? Atq; si nutritio est assimilatio, non potest quod nutritur assimilari nutrimento, vt homo fiat sanguis, & panis, nec caro, nec brachium simile vino. Atque alimentum conseruat substantiam nutriti, elementum si fiat simile nutrito, non conseruat substantiam suam. Quomodo ignis si mutetur in aerem ignis est? Rursus conuersio elementi in elementum generatio est, & non nutritio. Et quanquam possim abundare argumentis, non conteram tempus Galenus abusiue asserit mutuo elemẽta nutriri. At vero gigni proprie. Ob id occurrit decernere q̃d intersit inter generationẽ, & nutritionẽ. In quo decreto venia Aristotelis dixerim, accusans defectum Gal. & interpretũ Arist. qui debuissent hac in parte docere. Primum quod nulla nutritio fieri potest sine precedente generatione, nec accretionem, incrementum sine generatione. Deinceps, quomodo hæc generatio esset, & quomodo differret ab vtraque mutatione, videlicet nutritione, & accretione. Tria ergo expposituri sumus, sed iuuerit hæc lectio secundæ partis in contextu. Verum aliud est nutrimentum esse, aut nutrimento esse, & ei esse, quod potest augere, hoc est alia est ratio nutrimenti & altera eius, quod potest augere. Esse vsurpatur pro ratione ab Aristotele, sed dicitur ratio esse contra Platonem, quia omnis ratio apud Arist. est sensilium rerum in materia. Idee non sunt. Quare idem alimentum differt ratione a seipso, qua alimentum, & qua quantum auctricis facultatis obiectum. Ostendit ergo differentiam, siquidem quod potest augere animatum est, in hoc conuenit ei cum nutrimento, & obiecto generationis. Tria obiecta trium facultatum animæ vegetalis sunt animata, sed differunt, quia quod potest augere est animatum, quantum. Ratione ergo differt obiectum nutritiuæ ab obiecto nutricis, quia illud quale est assimilatum præexistenti, hoc vero quantum est extendens secundum omnem diametrum corporis & partis. Quale illud est quoad similarem partem in qualitate, compositione, figura, situ sub substantia præexistente, actione, & passione. Quantum vero est continuum longum, latum, profundum, cuius partes copulantur ad vnum terminum, & quod diuidi potest in semper diuisilia. Verum quantum istud naturale est sub terminata forma, iccirco non potest crescere ad infinitum, Alia differentia indicatur, quia alimentum est hoc quidpiam, substantiam composita, corpus & non incorporeum, vt quoque asseritur primo de generatione, nec propter hoc adueniens corpori penetret ipsum, sed fluens ad ponitur partibus corporis solidis sanguis, vel proportionale sanguini aliud est. Corpus enim humidum, & substantia nutrimentum, non per facultatem nutritiuam, sed per generatiuam, quæ fecit illud sanguinem, & postea alimentum. Et id est in quo Aristotel. defecit, & Gal. qui debuissent dicere prius de genitrice facultate alimenti, & postea de alimento iam facto, & quomodo postea illud vis nutritiua conuertat in alitum. Certo scio Aristotel. primo de generatione non nihil innuere, sed breuissime. Ob id supra promissi dicendum de ea. Nutrimentum est ergo substantia composita humiditate præpollens, aut siccitate, vt sitim, & famen compleat. Probet esse substantiam, & tertiam differentiam indicat. Nam seruat substantiam partium mixtionis elementorum, calid siccit. frigid. humid. Hinc alimur ex similibus, quibus constamus, seruat partem similarem ex humoribus 4. constitutum, iccirco in omni alimento potentia, virtute sunt quatuor qualitates elementares, & quatuor humores. Seruat dissimilarem, & totum corpus in vita in libellis de longitudine breuitate vitæ, de morte, & vita, de spiratione, sed quomodo indicabo, nunc tertia differentia additur, quia nutritiua comes est vsque ad supremum spiritum, & alimentum, sed auctrix post adolescentiam cessat, & quantum post annos in homine. 25. Genitrix neque in puero, neque in sene post 70. annũ & ad summum & in muliere neque puella, neq; post cessationem mensium. Seruat ergo substantiam alimentum reficiens, & resarciens consumptum & eo vsque donec nutritur, vsque ad calcem vitæ. Postremo separat alimentum ab obiecto, generatiuæ facultatis quia alimẽtum est vnde oritur effectiuum generationis, siue sit semen,

siue

siue, ouum, siue vermis, siue putrida materia, quale obiectum est pro generatione similis in spetie, non pro generatione formæ nutriti, & substantiæ. Quia hæc iam est. Et nihil generat quod est, nec nutritum generat se in sui nutritione, alioquin esset, & non esset. Equidem esset, quia alitur. Non esset, quia generatur, omnis generatio est de non ente ad id quod est, quare in sui nutritione alitum non se gignit, sed seruat se, & generationis effectiuum est alimentum, hoc est seminis genitalis aut proportionalis, pro generatione non nutriti, sed alterius similis in spetie, haud tamen eius, quod nutritur, iam est, quod generatur non est, de quo dicitur, sed eius, quale est, idest indiuidui quale est quod nutritur, idest, quale est simile in spetie, & aliquando in effigie nutrito. Et probat non efficere semen ad generationem nutriti. Iam enim substantia quæ est nutriti quale non generat se. Nihil autem se generat, ergo nutritio non generatio, sed seruat, nutritio, & nutrimentum primo est ad tutelam nutriti, & ad incrementum sui, & postea ad semen obiectum generationis. Iccirco puer alitur facile sui conseruatione, & accretione donec ad constantem etatem perueniat, in qua cum abundat alimentum, superfluum in semen adigitur excrementum vtilis & vltimi alimenti cap. 18. primi de partu animalium. In hoc contextu multa veniunt illustranda, primum quid faciat alimentum. Secundum, quomodo fiat accretio. Et tertiũ quomodo generatio a nutritione, & accretione differat. Et quanquam sermo sit communis de nutrimento, & nutrito, tamen ex nostro de cæteris coniiciemus. De alimentis antequam sumãtur in ore quomodo fiant a terra pertinet oratio ad 6. partem phi. de plantis, & ad medicos, sicut supra indicaui. De modo præparandi, & conficiendi ad diuersos artifices, De modo coquendi, assandi, &c. ad cocos, nunc dicemus quomodo in ore præparentur, & gradatim fiant. Horum itaque confectio an pertineat ad vim nutritiuam, an ad generatricem videre est, ceu cum panis in ore disponitur, & paratur dẽtibus, & saliua, & labitur in fundũ ventriculi, & fit cibus chylus an chylus generetur, an nõ? Et similiter si chylus fiat sanguis ne generetur an nõ? Si generatur, ergo nõ uis nutritiua, sed formatiua, generatiua facit alimentum. Nam vis gignendi sanguinis in iecore conficit sanguinem, vel in corde apud Arist. proculdubio gignitur, quia chylus fit ex eo, quod non erat chilus, & sanguis fit, & antea non erat sanguis. Ergo nutrimentum generatur, & eius generatio non est nutritio, quia nutritio fit ex eo, quod est iam genitum alimentum, & generatio ex eo quod non est. Rursus cum panis conuertitur in chylum non amplius panis est, vt etiã chylus factus in ventriculo non est sanguis, itaque vterque corrumpitur, idest vtriusque forma deficit, & alia oritur, ergo generatio est nutrimenti, nutritio autem non, quia non nutritur quid, sed solum fit assimilatio secundum substantiam. Quare vt in ventriculo est vis generatiua chyli, ita in iecore, vel in corde est vis generatiua sanguinis nutrimenti. Hæc ratio promitur ex primo libro de generatione. Vbi ergo genita est materia a facultate formatiua insurgit nutritiua cum suis facultatibus ancillis quatuor. Attractrice, quæ transmissum alimentum per venas in suam partem attrahit conueniens, & alterat illud, & dum expultrix eiicit rebelle, & non aptum retentrix apponit, & bene appositum nutrix agglutinat, & assimilatrix quod erat agglutinatum assimilat, non generando formam similem quæ non præfuisset, hoc enim modo generatio esset, sed assimilat, quia iungit formæ præexistenti partis similaris, & dissimilaris, & hoc modo seruat substantiam donec non poterit amplius iungere, idest vsque ad finem vitæ, & tum finis, quando nutrix non potest iungere alimentum sub forma præexistente, iccirco si nutritio nouam formam aderet alimento, generatio esset. Sed nouam non facit, sed solum iungit alimentum formæ præexistenti, & hoc modo assimilat. Quare generatio alimenti præcedit nutritionem, & fit generatio nutrimenti per concoctionem, quæ vbi est, calorem præsumit. Non enim aliquid coquitur sine calore 4. meteorum libro, Galenoque dicente primo capite. 3. libri de symptomatũ causis, & alibi sæpe. Vnde concoctio mutatio est in qualitate a calore naturali obtinẽte alimentum, ob id illa Galeni definitio concoctionis cap. 4. de naturalibus facul. libro. 2. non laudanda, cum dicit coctionem esse alterationem quandam, & mutationem nutrientis in propriam qualitatem nutriti. Hoc additum est nutritioni proprium, non concoctioni. Huic proprium est, vt sit mutatio a calore natiuo obtinente alimentum pro generatione eius, quia oportet prius confici, & postea assimilari. Concoctio est via ad succi generationem primum, & generatio, ad nutritionem, quod miror latuisse Gal. disputantem nihilominus contra Erasistratum de succorũ generatione in 2. libro de naturalibus facultatibus. Rursus quid diceret concoctionem chyli esse nutritionem, aut sanguificationem? Chylosis enim est generatio chyli, & sanguificatio sanguinis, & vtrunque procedit concoctio ex moderato calore, sicut reliqui fiunt ex immoderato calore

lore cap.8.libri 2.de facult. naturalibus, si præterea in cibis non est dispersus sanguis, ergo de nouo fit, ergo generatur a virtute sanguifica generante, non nutriente. Quare nutrimentũ gignitur a formatrice virtute, & si propter relationem ad nutritum, vel nutrientem non vis appellari nutrimentum, saltem materiam eius vocabis. Fit autem a colore naturali mediocri coquẽte, ergo præcedit coctio, & hæc actio est animæ, & caloris naturalis, quam si triplicem facit Gal. in 3. libro de symptomatum caussis cap. primo in ventriculo, in venis, in carnibus, tamen ad extremũ libri. 2.de decretis prima fit in ore, quæ longe minor est concoctione in ventriculo. Nam illa in ore saliua vtitur, & fit calore oris, & attritu, & molatione dentium. Secunda in vẽtriculo celebratur maior, propterea quod ventriculus vti furnus est inter a dextris iecur calidum, & a sinistris lienem, & supra cor, ac septum transuersum, & subditum bona parte omentum &c. Vnde maior concoctio fit. Tertia est in venis meseraei, seu mesetenen. adhuc maior concoctio ob eadem organa calida, quibus ventriculus vicina, & eo, quod a perfrigeratione aeris attracti per anhelitum sunt longe remotæ venæ, & intestinorum calore præditæ. Quarta concoctio in iecore succi cæpti sanguinei in Mesaraicis adhuc maior, quia non in furno est alimentaria copia, sed in ignea flamma. Hinc rubrum calorem flammeum in eadem officina sanguis contrahit hocque in loco sanguis alimentarius conficitur, cuius elaboratio sequitur illam in ventriculo, qui in conficiendo chylo excernit, sicut cribrum facit in purgando ventilans granum libro 4.de vsu partium Gal. Ob id cum sanguine alimẽtario siquid excremẽti plus gignitur, excernitur, & felliculus bilis excipit, quod fel vocãt, seu bilem flauam, siquid atræ bilis nimium, id effunditur ad lienem receptaculum huius humoris, pituita vero quod semiconcoctus sanguis est occasioni relinquitur, vt in sanguinem conuertatur & bona pars cum sanguine per venas permeat tanquam vehiculum eius donec alimentum functum fuerit officio, tum per renes delabitur in meatus vritides ad vesicam quoad eijciatur, sanguis autem aduectus ad singulas partes dulcis, naturalis iam confectus suscipitur a nutritiua, quæ suis facultatibus admotis conuertit nutrimentum in naturam aliti. Quinta porro concoctio fit in venis caua & portæ, & maior est concoctio in vena caua, propterea quod a gibba iecoris exoriens assurgit ad dextram cordis partem itaque septi transuersi calore, & cordis sanguis magis cõcoquitur. Sexta vero concoctio fit intra villos carnis rectos, transuersos, obliquos, vbi sanguis incipit sicut ros sparsus attrahi a parte nutrienda, & alterari, & tum incipit nutritiua per suas ancillas attrahere, sicut magnes attrahit ferrum, mox attractum alterat, alteratum apponit, appositum agglutinat, agglutinatum assimilat, & sic generatio alimenti, seu materiæ procedit per cõcoctionem a calore naturali, & nutritiua vis sequitur. Ab origine igitur habes nutritionem. Secundo quomodo fiat accretio, & si supra abunde est dictum, attamen origo etiam indicanda. Hæc mutatio sequitur nutritionem, idest assimilationem alimenti in nutrito sub eadem forma substãtiali præexistẽte, quale alimentũ cũ exundat, & copiosum est a facultate auctrice extẽditur sub eadem forma, quæ quamprimum in materia subdita extensa videtur legitime, & probe, tum dicitur aliquid auctum. Ob id alimentum sub forma præexistente materia est accretionis, & forma est illa præexistens extensa in alimento opposito, & difuso, vnde nutritio suppeditat materiam, & accretio est ad formam primo libro de generatione. Quocirca siquis petat, an accretio fiat per extensionem alimenti, an per formam extensam? Respondendum est, per formam extensam exemplo Aristotel. primo de generatione, quia materia fluit, refluit, sicut quis aquam eadem mensura metiretur, videlicet vrceoli, iam adaucta esset multiplex materia sub vna, & eadẽ mensura, ita sub eadem forma similaris, aut dissimilaris, & anima fit accretio, sed addere oportet, quod mensura si esset extensilis, tum diceretur secundum extensionem. Quare accretio nõ est nisi mutatio formæ præexistentis in maiori alimento assimilato. Ex his tertium illustratur quomodo generatio alimenti differat a nutritione, & accretione. Generatio præcedit nutritionem, & hæc accretionem, ergo distinguuntur inter se. Rursus. Generatio facit ex non chylo chylum, & ex non sanguine sanguinem. Nutritio solum ex non simili iam genito, simile sub forma iam præexistente. Atque generatio terminatur ad formam substantialem. Nutritio ad qualitatẽ præexistentis formæ. Quinetiam generatio dat formam, nomen definitionem nutrimento. Nutritio solum assimilationem. Aeque dicendum de accretione, quæ dat solum incrementum, & non esse, sicut generatio, & item quia finis eius est extensio formæ in materia, sed generationis essentia, sicut Gal. primo de facultatibus naturalibus scripsit. Hæc cumulaui breuiter, vt tu mi lector bene digeras, & mihi tempus est ad contextum insequentem venire.

Contex.

## Contex. XLII.

*Quare tale animæ principium facultas est seruandi qua tale, idipsum. Et alimentum parat actionem, iccirco non potest esse priuatum nutrimento. Cum porro tria sint, quod nutritur, quo nutriatur, etiam quod nutrit. Nutriens est prima anima, quod alitur est corpus habens ipsam, & alimentum dicitur, quo nutritur aliquid.*



T alimentum definiuit esse quale corpus seruare substantiam aliti possit. Vnde etiam quid alere innotescit, actio videlicet nutrimenti ob animam, & calorem natiuum ad conseruationem substantiæ aliti, plane nunc quid sit nutrix facultas definitur. Philoponus errat credens definiri animam vegetalem. Minime. Definit enim potentiam nutritiuam, quoniam in proximo contextu definiet animam per generationē &c. causa assignata quoque. Definitio hæc. Quare ex dictis tale animæ principium nutritiuæ, vegetalis facultas est de secunda specie qualitatis, naturalis scilicet potentia, seruandi. Et potentia auctrix seruat, sed non qua tale idipsum vsq; ad supremum interitum. Etenim facultas nutrix assimilat, idest alimentum sub forma præexistente constituit, ob finem, vt seruet quod nutrit quale est idipsum numero. Definitio est per formam, & finem. Verumtamen non præcise seruat, siquidem augetur, siquidem item minuitur, non omnino idem, quale est, seruat. Generatio seruat quale in specie. Auerh. dicit hanc facultatem seruare quale ipsum non secundū omnes dispositiones, siquidem cœlestia hoc modo seruantur itidem secundum totum, & partes. Philoponus sapienter ex his elicit definitionem auctricis facultatis, quæ ad perfectam formā tandem producit. sed materia definitio, quia debet tradi per oppositionem, & obiectum notius, vt ipse asserebat supra cōt. 31. quale ingrederetur definitionē actionis & potētiæ, iccirco definire est auctricē facultatē, quæ possit animatū facere maius ex omni diametro simul, & iccirco differt a nutritiua quæ assimilat ex omni parte alimentum nutrito, sed nō auget. Generatiua facultas est, quæ conficere potest ex alimento semen, aut proportionale ad procreationē similis in specie ob æternitatem, & quia dixit facultatem nutricem potentiam seruandi. Definit nutrimentum esse quod talem parat actionem seruandi. Vnde haurire est definitionem nutritionis. Est enim nutritio non concoctio, vt Galenus male aliquando, sed assimilatio nutrimenti ad nutritum, aut conuersio alimenti in substantiam aliti præexistētem secundum omnem partem nutriti. Non refert si aliqua magis, aliqua minus assimilātur, aut citius, aut tardius. Et si definiatur nutritio est alteratio, vt facit Gal. 3. libro de sympt causis peccat. Nam definit per genus commune, & non propriū contra. 6. librum topicorum, & si nutritio sit quædam species alterationis eodem. 3. libro. Eque illa communis. Nutritio est naturæ actio primo libro de facult. naturalibus. Iccirco melius cap. xj. primi libri de facultatibus assimilatio definitur nutrimenti ad nutritum, & capit. 8. libro. 3. de tēperamentis nutritio est assimilatio perfecta, & lib. 6. de tuenda salute cap. 3. Sed dicet quis quid accretio? Est mutatio a minori quantitate ad maiorem sub eadem forma secundum omnem diametrum. Aut operatio facultatis auctricis ad maiorem molem ex omni simul dimensione. Quid generatio? Est enim mutatio de non esse ad esse simile in specie generantis. Tu vero reuertere ad cont. & annotabis alimentum parare actionem, quia & si dicitur alere non primum alit, sed est sicut materia fabro, idest animæ, & calori instrumento. Et parat actionem conueniens, & quanto conuenientius tanto magis parat, iccirco illud in dubium venit. An agat, vel patiatur nutrimentum. Agere videtur, quia nutrit, pati vero ab anima, & calore natiuo, a quo vincitur, & mutatur in naturā aliti. Dices pati nutrimentum, & alere sicut dicitur sanguis generat fœtum, idest cōcurrit ad generationē tanquā tamē materia, aut alit virtute caloris, & animæ præparato, cum ergo dixit author nutrimentum parare actionem seruandi, subdit iccirco non posse facultatem nutricem esse priuatam alimento in agendo, sicut non potest faber ferrarius sine ferro agere. Male Auerh. qui credidit nutrimentum esse instrumentum, sicut ferra est fabro. Nam instrumentum non conuertitur in substantiam operis, vt ferra in scamnum, at alimētum transit in naturam aliti. Cęterum quia mentionē fecit de facultate nutrice, & de nutrimento, vt sciatur vnde

deinde desinere. Ita etiam mulieri caliditas exilit ad genituram viri, deinde desinit. Cæterũ multo minus delectatur fœmina, quam vir in coitu. Et vir etiam tempore longiore, &c. Galenus libro de vsu partium 14. cap. 2. tradit. Nam mirabilem quandam artem inuenit quomodo in demortui animalis locum nouum aliud sufficiat. Quæ igitur est hæc aretum in alijs omnibus, tum in homine, vt nullum animalis genus pereat, sed incolume semper maneat, atque immortale fermo hinc docere promittit &c. lege ibi, & postea conuerte oculos ad caput 9. eiusdem libri, & ibi reperies causam instrumentalem voluptatis. Primariam enim habes naturam, sed in his verbis materialem. Arteriæ enim, & venæ, quæ ad renes pertinent ad partes genitales feruntur, matricum quidem fundum prætereuehuntur, lateralibus vero ipsarum partibus postea inuectæ in duo diuiduntur tum autem pars alia illinc a lateribus ad testes fœminæ secedit, qui & ipsi matricibus adiacent, altera vero ad fundum progressa multipliciter in ipsum tota distribuitur. Committuntur hic fines vasorum, quæ in sinistrum sinum matricis sunt diuisa cum finibus eorum, quæ in dextrum eiusdem sinum sunt distributa. Quo fit, vt dextra matrix exiguam quidem, sed tamen serosam humiditatem ad sumat. Quæ humiditas præter dictum antea vsum, alium quempiam erat præstatura maximum, vt quæ acrimoniam quandam, ac mordacitatem habeat, quod humoris genus omnium maxime potest partes ipsas ad agendam excitare, voluptatemque dum ipse agunt præbere. Et ne plura recitatur humores in his locis sic pruritum & titillationem faciũt, vt sub cuti acres humores in scabie. Addit itẽ voluptatis causam cũ Arist. primo libro de partu animaliũ & 7. lib. de ist. animaliũ spiritũ multũ, qui exire gliscit, & calidus exhalare Arist. autem cap. 20. inquit. Voluptas autem quæ per coitum sentitur, non solum semine exeunt accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistẽte semen emittitur, quod patet tum in adolescentulis, qui nondum emittere queunt, propeque ętate sunt, tum in viris genituræ expertibus. Voluptas enim ijs omnibus scalpendo excitatur. Et quorum deprauata generatio. Quare natura commentum cogitauit ad alliciendum animal ad hoc opus admirabile, vt non tædeat facere. Sed nec frequens coitus gignit, nec imbecillis sicut impuberum, & senum, aut morbidorum.

## *Caput quartum de calore naturali animæ instrumento.*

### Contex. XLIIII.

*Postremo quo aliquid nutritur geminum est id, sicut & quo gubernat manus & clauus. Verum alterum mouet, & mouetur, & alterum solum mouet. Necesse quidem est, vt omne alimentum concoquatur, omne item calidum coctionem operatur, iccirco animatum omne habet caliditatem. Adumbrate igitur quid est alimentum, dictum est, sed tamen in proprijs sermonibus de eo illustrior erit oratio.*



CONCAVSAM, instrumentumue nutriendi explicari primum consensus est interpretum Alex. Themistij, Simpl. Auerh. Philoponi. Deinde epilogus scribitur huius quarti tomi, de instrumento dicturus proponit quo aliquid nutritur duplex esse, idest quod nutrit duplex esse formale, & efficiens, sicut in naui gubernanda manus est, & clauus. Manus mouet non mouetur quatenus mouet clauum, sed clauus mouetur a manu, & mouet nauem, mare &c. Themistius pulchre exponit, & pro manu intelligit animam, & pro clauo calorem. Contra Simplicius videns Alexandrum Aphrodisæum afferre duplicem expositionem huius. Postremo quo aliquid nutritur geminum est id, sicut & quo gubernat manus, & clauus, verum alterum mouet, & mouetur simul, & alterum mouet solũ, & dicere quod mouet, & mouetur vel esse calorem innatum, sicut exponit Themistius, & quod mouet solum animam, vel alimentum, quale mouet augens, & seruans, & mouetur a calore qui solum mouet nutrimẽtum subscribit huic secunde expositioni, & putat manum moueri ab anima, vtranque expositio-

nem nouit & Philoponus, sed probat primam, vt anima moueat solum, & calor moueat, & moueatur. Nam mouetur ab anima causa efficiente motuum animatorum supra cont. 35. Ergo quomodo Simplicius potest excipere animam, & facere calorem mouere primum, obliuiscitur huius loci. Rursus in contex. 37. prodidit author ignem, caloremque natiuum esse concausam, & comitem animæ, ergo primarium mouens anima. Adde in cont. 38. comparauit alimentũ Aristotel. materiæ, & aque qua nutritur ignis, ergo nutrimentum nõ agit, sed quomodo gubernatur a vegetali anima mouet alimentum, vt clauus regitur a manu. Ac quæso dicat Simplicius, ne memor sit cont 39. vbi alimentum, sicut materia non agit in fabrum dicitur non agere in nutritum, quomodo igitur alimentum motum a calore mouet. Dicet augens, & custodiens. In primo verbo prefefert ignarum capitis de accretione in primo de generatione Simplicius, quia accretio nõ secundum materiã, sed secundum formã fit extensam aucti, ergo alimentum non auget, sed materia est eius quod augetur. Neque saluar, nisi merito caloris innati. Quid dico, neq; appẽdet hæc verba sequentia: Necesse quidem est, vt omne alimentum concoquatur, vt supra ipsi declarauimus, & a quo? Nempe a calido 4. meteorum, & ab Hippoc. libello de alimento, & a Gal. passim. Ecce quod mouetur, idest alteratur alimentum a calore, & ob id dicitur. Omne item calidum coctionem operatur, & quia omne animatum nutritur alimento intrinsecus, icirco animatũ omne habet caliditatem. Quare ne pigeat decernere verum. Anima sola mouet nõ mouetur, idest alterat, non alteratur actione alimenti, nisi ex accidenti, calor eius instrumentum Aristotelice mouetur ab anima, & mouet alimentum, quod solum mouetur in hac mouerit alterationis. Hinc ostenditur inanis labor Auerhoidis in commenr. suo 50. siquidem illud. 8. physicorum de motore corporeo, quod mouet, & mouetur non solum intelligitur in motu locali, sed etiam in alteratione, quia omne corporeum alterans primũ constat ex mouente, & moto, vt corpus nutriti constat ex anima alterante, non alterata, & calore alterante, & alterato. Et in hoc conti accipitur ibi (verum alterum mouet & mouetur) & alterum solum mouet, motus cõmuniter, & si exẽplo vtatur de motu locali per manum, & clauum. Aduerte tamen illud Auerh. recte dici omne animatum habere calorem non quemcunq;. Non enim extranesi, sed naturalẽ. Ob id cogor dicere de multiplici calore, vt explicetur natiuus animãti, & qui, & qualis. Deniq; epilogus. Adũbrate igitur quid est alimentum, dictum est. Et ne reprehendatur, promittit dicendum illustrius in proprio sermone, sed tamen in proprijs sermonibus de eo erit illustrior oratio. In primo de generatione non nihil, atque in libris de partu animalium, ceu nutrimentum esse, vnde semen, Simplicius æque narrat, vt Philoponus fert. Themistius dicit de nutrimento exquisitius agendum in opere seorsum & nunc sufficere dixisse animam nutricem alumnam, & tutelam nutriti atque esse eam, quæ per vim genitricem procreet simile generanti. Auerh. refert de nutritione in pluribus libris dictum, & de augmento, vt in primo de generatione, & in 4. meteorum de modis actionum, vt de coctione, assatione &c. Et in libris de partibus animalium de instrumentis. In hoc vero libro de primo mouente anima, & eius potentijs, actionibus, instrumentis, & obiectis. Hactenus hæc. Reuocetur sermo ad calorem natiuum, quem ipse cum Hippocrate statui animam vegetalem, sensitricem cum suis facultatibus. Et si dicit Aristotel. nunc moueri ab anima, ipse censet esse instrumentum hoc loco & alibi, sed coactus est per rationes supra in digressione fateri animam esse, ob id erit primum mouens, & eius facultas instrumentum, nunc alia sit digressio de calore natiuo, & calido innato secundum Aristotelem, Galenum, & prius secundum Hippo. Medicum, & Philosophum, ac Platonem.

## *Digressio, quid sit calor natiuus, calidum innatum, & officium eius secundum Hippoc. Plat. Arisl Gal.*



R EPETENDA est caloris distinctio. Cęlestis, qui apud Arist. est qualitas acti ua genita ex attritione aeris, & agitatione facta a motu diurno pcipue solis. Lumen, & motus. 2. lib. de cęlo edunt calorem sub luna, & præcipue motus luminis solis distrahens partes aeris. Credidit Plinius eo, quod sol duplici fertur motu. Et diurno communi. Et proprio super lineã eclypticã, viam solis ab occasu per septentriones in ortũ rediens ad occasum Intra 365. dies, & fere sex horas communem rapere aerem ab ortu in occasum, & propriũ contra ab occasu in

ortum

ortum, & ita hos contrarios motus indiuersas partes trahentes distrahere aerem sic ut calorem
accendat, & ignem elementarem faciat, Arist. primo meteorum solem suo motu quia am-
plissimus, & quia vicinus aeri putat distrahere aerem, & ex eo motu effici calorem, sicut declara-
ui 2. libro de cęlo, nec obstat si noctu etiam distrahatur aer, nec ob id sit calor æque, ac in die,
quia non motus solus planetæ facit calorem, sed motus luminis præsentis, & distrahentis aeris
partes. Hic calor est non in sole, nec in coelo, sed in aere. Hinc prodiderunt antiqui solem vir-
tute calidum, non forma. Et nempe virtute, quia suo motu, & luce procreat illum, Alter ca-
lor dicitur elementaris quoties hic idem recipitur in diuersa materia, si enim in rarissima ignis
est, si in rara & humida aer, si in frigida & humida exiguus est, vt in aqua, Nisi aqua esset calida,
non viuerent pisces in ea, nec vapores eleuarentur ab ea, nec congelaret, & teperet, si denique in
terra parit æstum, & facit terram concipere, parere calida, & quæcunque alia. Sine calore nihil
fit, & gignitur in substantijs. Talis ergo sit calor cęlestis qui ad nos peruenit, & elementaris. Ter
tius est artificialis qui in causticis, cauterijs fit, & in carbonibus, & flammis, & in diuersis mate-
rijs. Quartus natiuus est, seu naturalis, qui solum in rebus animatis est. Elementaris autem vel ei
similis miscetur in mixtione rerum, quo quid dicitur formaliter calidum. Hippocrates ergo de
,, calore coelesti fecit mentionem principio libelli de carnibus. cum dicit. Et videtur sane mihi id,
,, quod calidum vocamus immortale esse, cunctaque intelligere, videre, audire, scire omnia tum
,, præsentia, tum futura. Huius igitur plurima pars, cum turbata essent omnia, in supernam circū-
,, ferentiam secessit. Et videntur mihi ipsum veteres Aethera nominasse, Tenuit curam de canicu
laribus diebus in Aphorismis, sub cane, & præcane pharmacis male operantur, & de constitutio-
nibus anni in 3. particula aphorismorum, & in libris de popularibus morbis. De eodem plurima
Plato in Timæo, & in Theeteto de catena Homeri, quæ per solem continuat mundum inferiū su-
peris, & in Epinomide alia. Arist. 2. libro de coelo, primo meteorum, & alibi Gal. quoque de ca-
lore solis passim. De calore elementari Hippocrates in libello de veteri medicina cum quatuor
fundamenta artis subijcit calidum, frigidum, siccum, humidum, & in libello de humana natu-
ra corpus nostrum affirmat e quatuor constare qualitatibus elementaribus. Aristo. in libris de cę-
lo, & libris de generatione, ac meteorum, & alibi sępe, propterea quod post prima concepta pri-
mordia materiam, formam censet quatuor elementa primordia caducorum, interque ignis est,
& calor eius. Galenus in libello de elementis, & commentarijs de humana natura, & sæpe passim
Quare habes authores, & eosdem de artificiali. Hippocratem nempe, in aphorismo vltimo, Quæ
ferrum non sanat, ea ignis sanat, & vltimo medicina est simile fere ait in libello de arte, Vnde
errant, qui putant Hippocratem non esse vnquam vsum cauterijs, & causticis. Plato autem in Ti-
mæo tria ignis genera facit lucem, flammam, & in carbonibus accensum, Sępe item in problema
tibus Arist. de igne, et calore eiusmodi, Gal. in tertio de temper. vbi etiam asserit cū Platone ignē
in pruna, & flamma esse, & a speculis vrentibus incendi ligna, & alibi. De caustico igne, 5. lib. sim-
plicium medicament. & cauterijs. 7. simplicium medicament. Cæterum de calore natiuo dissidēt
philosophi, & Medici. Hippoc. fere primus author huius nominis in aphorismo 14. primæ parti-
culæ hæc reliquit, Qui crescunt plurimum habent innatum calorem. Et in 15. mox aphorism.
Ventres hieme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, Quapropter in his tempori-
bus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem ampliorem tunc habent. Hunc ani-
mam esse Hippoc. credidit plantarum, & ferarum, ac hominum (vt diximus) in digressione pul
cherrima, & produximus locum Hippocr. in 6. libr. de morbis popularibus etiam teste Galeno
plane ibidem. Et cum mirum videatur quomodo anima vegetalis, sensitiua crescat hieme, & mi-
nuatur æstate; necnon quomodo plurima sit in pueris, & imbecilla senibus, siquidem calor nati-
uus huiusmodi est, ob id diximus secundum gradus inesse augeri animam, & minui, non autem
secundum gradus essentiæ. Ecquis dubitat in corde animam inesse stabilius, quam alibi, si quidem
vltimo moritur? Verum de hoc supra est dictum, nunc calor innatus est anima secundum Hip-
pocratem. & si Gal. in suis comment. aphorismorum sentiat esse quid compositum ex substantia
aerea, & aquea, de qua postea, nunc Plato statuit calorem innatum ignem in Timæo. Repræhen-
,, ditur ab Arist. cap. 3. secundi libri de partu animalium, cum dicit. Inest enim in semine omnium,
,, quod fecunda facit semina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis aliqua facul-
,, tas est sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ est in eo spiritu
,, est proportione respondens elemento stellarum, Quamobrem ignis nullum animal generat, ne
,, que quicquam videtur ex densis, vel humidis, vel siccis constituere, In his habes contra Platonem

calorem

calorem natiuum non esse ignem, sed naturam quandam respondentem soli elemento stellarũ, & quid esse calorem istum velit Arist. non ignem elementarem, non alium, qui vrat, qui lux, qui flamma, neque alium, sed similem solari, & naturam eius spiritalem, immo spiritum siquidem paulopost in eodem capite semen viri euanescere, & dissolui in spiritum ait receptum ab vtero præ calore eiusdem vtori. Nec mirum dissolui in eam spiritalem naturam, quia semen est humidæ, & aquosæ, spumeæque naturæ, & iccirco calore vteri exhalat, & dissoluitur in spiritum istum, qui calens, vt coagulum lac cogit dissoluta eius substantia in calorem, ita cogit mẽses, ergo apud Arist. calor innatus est spiritus natura simili elemento stellarum, idest soli, quem item in 4. capi.
„ eiusdem secundi libri de partu animalium vocat calorem vitalem. Inquit. Coagulum enim lac
„ est continens calorem vitalem, qui partes similes ducit eodem, vnit, atque constituit, Et geni-
„ tura ita se habet ad menstruorum naturam. Eadem enim lactis, & menstruorum, qui calor cum cor tanquam filius emancipatus primum excernatur, & incipiat seipsum regere primum in corde sedem locat suam, seque asserit in eodem apud Arist. proinde illum instrumentum animæ ve-
„ getalis in corde facit dicens cap. 7. libri secundi de partibus animalium. Quod enim nonnulli sta-
„ tuunt importune animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim. Melius fortasse dixeris animã
„ in quodam eiusmodi corpore constare, cuius causa est ad exequenda animæ officia. Calor enim
„ omnium maxime vim administrãdi obtinet. cũ enim officiũ sit animæ alere, & mouere, hæc ea
„ ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari simile est, atque si ser
„ ram, aut asciam, fabrum, aut artem fabrilem esse ideo arbitreris, quia opus nonnisi iunctis his ef-
„ ficiatur. Et ibidem in omni animante locat calorem istum, & in corde, quem moderatur apud eum cerebri frigiditas, aut aer per anhelitum admissus ad cor, sed cum mille locos proferrem pos sem de hoc calore in scriptis Arist. illud dubium, ne secundum eum idem sit calor, & spiritus in-
„ natus, de quo scribit in libello de incessu animalium, cum dicit, sed omnia videntur animalia ha-
„ bere spiritum connatum, & ab illo robur habere. Quæ autem sit spiritus connati conseruatio in alijs dictum est locis, Verum de hoc postea, interea asseramus calorem natiuum secundum philosophum esse spiritalem naturam similem calori elementi stellarum, idest solis, instrumentariã concoctionis, nutritionis, accretionis, generationis Galenus vero quoniam varie visus est sentire de ipso, dedit occasionem interpretibus decladiandi. Hic medius præstantissimus præsumpsit opinione omnium sapientium calorem natiuum, vitalemque esse præcipue Hippocr. cui vno tantũ credidit, quantum cæteris omnibus sententia. Huncque appellat aliquando calidum innatum. & interdum spiritum, & si calidum sit nomen concretum significans duo qualitatem primum calorem, & postea subiectum corpus vt album albedinem, & corpus subiectum primo de temperament. cap. septimo. Alia enim est natura qualitatis, & corporis, & omnino recipientis, & recepti. Eadem distinctio indicatur a Gal. etiam primo elementorum, quæ non potest accommodari calori naturali, propterea quod calidum innatum est substantia, & calor natiuus substantia, & non qualitas, Ergo de calido elementari, & accidentali, extraneo, præter naturam, aduentitio poterit intelligi distinctio. Eadem ergo substantia est calor innatus, & calidum innatum, de quo seriatim sermo habendus est. Primum de nominibus eius. Ei primum nomen est natiuus, quia a prima natiuitate, & conceptione datur, & primum instrumentum naturæ in vtero conceptum cogit, deinde extendit, dilatat, alit auget, format fœtum. Merito igitur vocetur natiuus statim a prima natiuitate per semen maris, & fœminæ impertitus, sicut apparet in ouis subuentaneis, & cũ Gallus, aut Gallina fouet oua indens calorem authorem generationis. Nihil enim viuum potest sine calore viuere, & foueri. Huic item nomen est naturalis ab opera eius naturalia, videlicet alere, augere, formare. &c. Gal. primo lib. de facultatibus naturalibus nuncupat opera animæ vegetalis naturalia. Atque tertiũ illi nomen est innati, propterea quod multiplex est calor 2. libro de difficultat. respirat, naturalis, & extraneus. Hic extraneus est varius aut cõtinẽtis aeris, aut ex nimio labore, exercitio, aut ex ira, aut ex vsu rerum calidarum, &c. Dicitur extraneus, quia extrinsecus accedit, & accidit, Atque distinguitur. 3. lib. de caus. pulsuum, quia alter innatus, alter aduentitius, vt ille per frictiones, per exercitium, per balnea, vsumque atrium &c. Aduentitius dicitur, quia foris, & aliunde, & non a natura accedit. Rursus alia distinctio caloris in ipsum innatum, & acquisititium. Hic acquiritur aliunde, & superuenit, & sæpe ingenio artis adiudicatur corpori. Accedit & alia distinctio in calorem naturalem, & præter naturam, vt febris, & quicunque vel lædit naturam, vel violentiam infert. Et denique in calorem internum, & externum, vel adscititium. Amplior hæc distinctio est, quia potest esse internus calor, & non natiuus, iccirco omnis

natiuus internus, non autem omnis internus natiuus. Externus est adscititius, qui accidit foris, Itaque vocatur innatus contra extraneum, extrinsecum, aduentitium, acquisititium, adscititium, præter naturam &c. Attende & si calor naturalis sit substantia, & non accidēs secundum Hippo. Plat. Arist. Gal. & calidum innatum non possit pro qualitate elementari accipi, & pro corpore, attamen constat calor iste ex qualitate sua propria, & substātia, si volumus legere verba Gal. in cap. 4. tertij libri de temperamentis cum dicit. In eo igitur vel maxime sese fallere videtur iuniorum " medicorum vulgus, quod ignorat in nobis aliquādo qualitatem caloris intendi, aliquādo substātiam eius augeri. Nsic qualitatem intelligere est propriam caliditatem mixtam, & resultātem ex " mixtione substātiæ caloris natiui, quam Gal. etiam prodidit in commēt. primæ particulę aphor. in 14. aphor. vbi Hippocr. asserit intelligere calidum innatum pro substātia, nō qualitate. His ergo annotatis seriatim procedam. postea enim quā Gal. tres in animali ponit calores, aut quatuor elementarem, qui est pars mixtionis vbique totus permixtus alijs qualitatibus, Natiuum. Alimentarium, & hūc acquisitum. atque præter naturam, adscititium, vt febrem &c. naturalem seiungit ab omnibus substātia, Quātitate, Qualitate, Relatione, Actione, Passione, Situ. Primum igitur quia quæstio si sit calor natiuus sensu proprio, & cōsensu scriptorum decernitur, nō opus est ostēdere illum esse. Nemo nō sentit animal viuum calidum, & mortuum gelidum. Et plātam calore, ali, augeri, & procreare fructus, Et nemo nō aduertit cibum coqui in uētre, & quamprimum suem diuidit, in ventrem exhalare calorem, Et si calor est, qui fert tactum dilatādo, hic sentitur in ea viuorum anatome. Recipiamus ergo calorem natiuum esse, & doceamus diuersum a calore elementari parte mixti, & ab acquisitio, & alimētari, siquidem in cadauere remanet elemētaris quia cadauer adhuc mixtum donec in cineres abeat, & tamen ibi non calor natiuus, siquidem mors est eius extinctio. Addit calorem elemetarem in sene esse, vbi exiguus est natiuus, Ac nisi calor natiuus esset, pisces nō viuerēt in aqua, Nam elemētaris vinceretur a gelu, Viuūt ergo calore natiuo. Rursus calor elementaris nō desiderat perfrigerationem, Alioquin lapides, mortui respirarēt, in quibus est calor elemētaris, sed natiuus desiderat illam ergo diuersus est ab eo. Præterea elemētaris inest inanimatis, quibus nullus calor natiuus comes animæ. Hic ergo diuersus ab illo. Accedit, vt elementari calori frigus aduersetur, non autem natiuo, cui extinctio, & priuatio est cōtraria apud Arist. non semel in opusculis de vita, morte, de spiratione. Atque calidissima sulphur, euphorbium, arrhenicum nō alūtur, nō angētur intrinsecus, ergo diuersus est calor iste ab illo, vt etiam in aborsu videatur defecisse calor natiuus superstite elemētari, Ecquid clarius semine genitali distinguit natiuum calorem ab elemētari, cum semē eiectum sub alio statim humescit, & ibi remanet elemētaris dissoluto calore natiuo. Hoc notat Diogenes, qui præuenit manibus amicam in 6. libro de locis affectis, Hoc vidit Arist. cap. 2. de semine libri secundi de partu animalium. Quare statuatur calor natiuus diuersus ab elemētari, & deinceps quid sit &c. his propositis inuestigentur, & proponuntur hæc.

Substantia. Passio.
Quantitas. Situs.
Qualitas.
Relatio.
Actio.

De substantia eius Galenus multa ait. Cum Hippocrat. in 6. lib. de populoribus morbis asserit esse animam vegetalem, sensitricem, & si quid sit anima fatetur se nescire, qui lib. 5. de simplicib. medicament. de sentētia Stoicorum idem dixit, & suo sensu, & marte asserit si non est anima calor, saltem cum esse instrumentum eius. & in eodem libro affirmat esse spiritum innatum, & in 2. ad Glauc. dicit esse substantiam virtutum naturalium. Ex his elicitur calor esse substantia, nō accidēs, sed substantia incorporea, si anima est. Contrarium reperies esse calorem innatum quoddā corpus in libello aduersus Lycum. Et de hoc corpore quale quid sit incōstātia refert, Quod calorem archegonum primogenitum vocat, & vocari sinit, cēset esse mēstruum sanguinem, atque semē, quia ex his primum oritur, In prima aphorismorum particula 14. aph. commētario fatetur quidem calorem natiuum, seu calidum innatum, verum aliud ex substantia aerea, & aquea. Similiter videtur aliud sentire in 5. libro de simpl. medicamēr. facul. cap. 9. Inquit. Ac cognoscere innatum calorem, quem in quoque animātium, & natiuum spiritum nominamus, de quo Arist. scriptum reliquit. Verum nihil prohibet sanguineam substātiam, simulque aeream vna cum spiritu alidcum inaudire innatum. Et octauo de decretis Hipp. Plat. ait calidum innatū ex pituita, & sanguine

guine conflari. Hæc videntur diuersa. Sed mera vbique horum locorum idem dicit esse calidum
innatum Gal. qui & si de anima nil decernit exacte, attamen anima est substantia corporea tenuis
sima, & spiritus, sicut etiam calor innatus qui spiritus dicitur ex tenuissima eius consistentia. Et
venti. 2. meteorum vocantur spiritus ab Arist. & flamma dicitur spiritus, & sunt hæc corpora, Et
cum dicit esse primigenium calorem menstruum, & sanguinem, idest ex menstruo, & sanguine
ortam hoc est ex parte aerea, & aquea horum, quod etiam asseuerat in aphorismo citato idē per
spiritum innatum intelligit cum sanguineam substantiam, & aeream fatetur esse idipsum quo-
que in octauo de decretis Hippoc. Plat. per pituitam intelligit aqueam substantiam, per sanguinē
aeream, Nam sanguis, & illam continet partem. Et si dicas hæc omnia esse diuersa interse. Dixe-
ro ego nominibus varia, & officijs, non autem re, collige ergo si calor natiuus, & calidum innatū
idem sunt, quid sit apud scriptores priscos. Hippoc. sentit esse animam, Plato ignem, Arist. spiri-
talem substantiam similem calori solis elementi stellarum. Gal. quandam substantiam confla-
tam ex aerea substantia, & aquea, siue dicas ex menstruo, & semine, vel e sanguine, & pituita, Qui
dam recentiores conflant calidum innatum ex humore oleoso primigenio, & aqueo quoddam
corpus, quod primigenium humidum vocant. & calore cęlesti, spiritali cum Arist. citato supra
sæpe capite libr. 2. de partu animalium, contra quos alij disputant, & sentiunt, atque post quatuor
calores innatos, Vnum implantatum primis initijs semini, & menstruo, Alterum humidæ sub-
stantiæ relictæ a primis initijs insitum, Tertium, qui ex influente calido manat, Quartum, qui se-
quitur substantiam influentem, & innatam, sentiunt tādem calidum innatum sanguinem pitui-
tosum, benignum, refertum spiritu, quæ ab hepate, & corde gignūtur assidue, & ab vniuersis cor-
poris partes mittūntur. Sed hi garriunt loquaces, nec sciunt, nisi cōfundere. priores aliquid subti-
lius commenti sunt ex verbo Arist. de æthereo calore, quamuis decepti, & persuasione Alchimi-
starum, dum oleosam ignibus subditis substantiam, & elixit vitæ extrahunt, atque lambicantium
diem per illud instrumentum nouissimum, & summum eliciunt humorem, Ego vero nō obstā-
tibus his summis quatuor scriptoribus experiat inuenire substātiam caloris innati, & calidi inna-
ti, & spiritus innati. Et quanquam plerique calorem natiuum, & calidum innatum dicāt, cum qui
bus etiam ego vsus sum sæpe vtroque pro eodem tamen hoc loco meam sententiam proferam,
sentiremque animam esse calorem natiuum cum Hippoc. sed non calidum innatum. Non enim
pueri plurimum animæ habent, & tamen plurimum calidi innati habent, & si quoad gradus ines-
se dicimus plurimū caloris innati, non quoad essentiam indiuiduam, itaq; calor natiuus, & primi-
genius non est calor æthereus, Nā dicit Arist. similē esse, & non eūde citato capite sæpe. Deinde si
calor ille est in semine, quod euanescit in spiritum, idest substātiam tenuissimam substantiam ca-
lori seminali, ergo non est ęthereus. Deinde oritur, & occidit, ergo non ęthereus est, licet similis in
formādo, nec elementaris, nec aduentitius, Calidum vero innatum est primus conceptus confla-
tus ex calore natiuo, & spiritu innato dilatante, & extendēte partes fętus. Nihil enim potest ex-
tendi sine spiritu, Quare cum perpetuo se committentur calor, & spiritus, quia hic fit a calore
exemplo Hippocr. principio libelli de pueri natura, velut subditis ignibus ligna extenduntur per
flatum ortum ex lignea materia, merito calor natiuus, calidum innatum, spiritus innatus diffe-
runt sicut e libello de incessu animalium promitur. Hæc tria primordia sunt. Gignitur calor nati-
uus a sole & patris semine, matrisque, & menstruo cum exhalant nonnihil. Gignitur autem ca-
lidum innatum ex mixtione seminum, & spiritus, calorisq; natiui, Et appellantur innata cōtra ad-
ueniētia alia, cum ergo in vtero semper natura per menses nutriat, alat, augeat formet, statim con
fecto corde calor, spiritus in eo vitales, & innati se collocant, & constituunt ibi humidum primi-
genium vel radicale. & primordia vitæ, atque conseruantia ibi sedem constituunt. Hinc ergo ca-
lor & spiritus a corde mittuntur ad omnes partes pręcipue naturalis, & vitalis. & formato ani-
mali cor administrat, & influit calorem istum, & spiritum. Hæc hactenus, ne de primigenio hu
more in quacunque parte proprio disputetur, Quocirca dicendum est de quantitate caloris, pro-
prie dicitur plus, minus plurimum caloris & calidi innati quo ad substantiam, magis, & minus
quoad qualitatem dicente Gal. Verum plus & minus referuntur ad quantitatem, sed quia vi-
detur crescere nutrimento, ob id plus minus dicitur. Gal. putat calorem istum sanguine ali tēpe-
rato. 2. libro de temperamentis. Appellat etiam sanguinem materiam caloris libello de vtilitate
respirationis. Et in volumine de curatione per sanguinis missionem fatetur calorem hunc cōser
uari a sanguine, sicut a nimia copia suffocatur in libello de bono habitu, Copia ad vires, & ad vasa
in libello de plenitudine. Accretio caloris tribus differentijs communibus dignoscitur. Immodi-
co.

co. Tum plurima excrementa facit in sanguine. Nam bilem flauam auget. Mediocris,& probum sanguinem,succumque dulcem edit. Modicus pituitam magnam facit. Cibus auget calorem. Deprahenditer accretio caloris pulsu a cibo. Modicus calor in sene, inferior fœminæ calor illo viri. Verum aduerte quod accretio,& diminutio vsurpatur pro intensione, & remissione, sicut econtra. Proprie autem intensio, remissio, Magis,& minus ad qualitatem caloris pertinet, sed plus minus,magnus, minor. Plurimus ad substantiam eius. Cum.8. libro methodi asseritur febris excessus caloris intensio qualitatis intelligitur,& non substantiæ. Hactenus de quantitate. De qualitate vero dicitur lib.2.de temperamentis Gal. quando traditur differentia inter calorem pueri,& iuuenis, Hic enim acrior, ille vero mitior, & de tuenda sanitate lib. 2. prodidit calorem accendi, idest qualitatem exercitatione. Et caloris pro qualitate est dilatare. 2. libro de temperamẽtis. Et in comment. de humana natura pro qualitate affirmatur attrahere humores, pro substantia sumitur, cum asseritur copiosior hieme in aphorismis. & pro qualitate cum dicitur febris est calor conuersus in igneum, Qualitas conuertitur,& non substantia, Alioquin omnis febris facta occideret hominem, cur non omnis occidat, quia remanet substãtia, quæ alimento idoneo conseruatur,& medicamento optimo qualitas aboletur. Iccirco in omni febre opus est remedio, & medicinæ opera, Hinc medici iubent vtrunque adhiberi. Annotabis a Galeno accipi calorem tũ pro substantia, tum pro qualitate sua, tum pro vtraque. Calor naturalis qua instrumẽtum refertur ad vsum instrumenti,& ad vtentem, qua facultas etiam refertur ad opus. Quoad actionem. Gal. testatur Hippoc. asserentem calorem natiuum authorẽ omniũ operũ. 8. lib. de decr. Etiã secũdo libro de facultatibus naturalibus actionum dicitur effector a sinistro cordis ventriculo oritur, sed diffunditur per totum cor ita, vt per venam cauam communicet calorem iecori,& alijs venis, & ventriculo, in quo cibos concoquit, in iecore sanguinem creat,& in venis si moderatus fuerit. 2. libro de crisibus caloris est dilatare. 2. libro de temperamentis, & per accidens refrigeret, Calor est concoctionis author. Calor est maxime actiuus, calor vitam continet,& alia passim opera eius leges in libris phisicorum,& Medicorum. De passione constat a veneno affici, a pharmaco excitari, a copia alimenti suffocari,& similia. Situs eius & locus primnm in corde post eius formationẽ: Antea in semine viri, mox in conceptu,& fœtu. In quinto de locis affectis. & in 6. de anatome,& libris de vsu partium cor fons naturalis caloris, Et altera fons est hepar, sed alimentarij, cor huius,& vitalis orti in sinistro sinu cordis, qui etiam micare facit arterias, & cor moueri sistole diastole vt attrahat perfrigerãdi materiã,& expellat. Hæc breuiter disserui de calore natiuo, vt philosophus sciat quomodo sit instrumentum animæ vegetalis, in libris de Medica arte scripsi vberius.

*Tomus quintus de anima sensitrice septem capitibus digestus. Primo de communibus sensui. Secundo de visu. Tertio de auditu. Quarto de odoratu. Quinto de gustu. Sexto de tactu. Septimo de numero quinque sensuum.*

## CAPVT PRIMVM.

Contex. XLV.

*CAEterum his definitis de omni sensu cõiter dicamus. Sensus iccirco accidit cũ mouetur,& patitur, vt nobis est dictũ. Videtur enim quædã esse alteratio. Inquiunt quidẽ nonnulli & simile a simili pati, quod cuiusmodi fieri possit, aut non possit, in sermonibus vniuersaliter de actione, & passione verba fecimus.*



ONVENIT inter sapientes sermonem fore de anima sensitrice, deque eius facultatibus, & sensibus externis, internisque, de actionibus, & oppositis, atque de medijs, & modo sentiendi. De medijs aere, aqua, vel his cognatis non fuit necesse dici in parte superiore de vegetali, quia nulla facultas per mediũ agit, vel patitur, sed per contractum, ceu nutrientis cum nutrito, & aucti cum materia &c. Dubium, cur non de instrumentis ægerit Arist. præcipue necessarijs functionibus sensuum, cum anima item sit entelechia corporis organici, &c? Responderem ob id conscriptum libellum de sensibus, & sensiternis, cum memor factus author silentij in hoc libro de organis. Verum breuiter in eo opusculo persecutus est instrumenta Author, sicut potes legere in commentarijs Alexandri, quos ego in iuuentute feci latinos, & contextum verbis Ciceronis trãstuli ad nostrum linguæ idioma. (Licet videre) quia in libris de partibus animalium de historia animalium fuse erat disserendum. Nec obstabit cauillator dicens de sensibus si ibi, ergo nunc superfluum est disputare, vel si hic, saltem ibi supervacaneum, quia decipitur. Nam alia hic, & ibi ratione de sensibus disseritur, siquidem Alexandro. Auerh. testibus in hoc libro agitur de operationibus animæ, qua ab anima proficiscuntur, & manant ad corpus, iccirco parum de instrumentis disseritur, sed in eo opusculo, quod de actionibus agitur magis ad corpus relatis, iccirco de instrumentis in eo disseritur magis, & de actionibus potius corporis, vel qua corpori potius vendicantur. Quare cauillatio nulla. Consilium igitur est de anima sensitrice, & eius potentijs, actionibus, oppositis, medijs, & parum de instrumentis, qua referuntur ad explicationẽ præcipuam animæ, cuius sensus est vis communis. Quoad ordinem. Sequitur proxime anima sensitrix vegetalem natura, tempore, imperfectione prior intellectrice, ergo cũ de triplici anima potissimum solicitudo sit, & a communiore cęptũ est dici, & priore, sequitur sensitrix. Etiã hęc prior intellectrice, quod potest esse sine illa in belluis, & feris, sed illa non potest esse sine sensu in caducis. Quare ordo dicendi de sensitiua post vegetalem laudandus. Quæritur, an essentiam sensitiuæ, an facultates præmittat? Respondebis essentiam communem præmissam primo tomo, essentiam vero propriam traditam. 2. tomo. Etenim sensitiua est entelechia corporis organici prima &c. Et principium quo primum animal est, & sentit. Verum ex dicendis adhuc certior essentiæ animæ afferri poterit, Ego autem digrediar postea, & summatim decernã. Nunc consilium dicendi primum proponitur. Deinde communia præfanda seriatim exponet, & in hoc contextu sensationem adiungit quandam alterationem. Consilium proponitur dicendi. Cæterum his definitis de omni sensu. Hoc est decretis his, quæ de vegetali anima, de oppositis genito, quanto, alimento. De actionibus nutriendi, augendi, generandi, & fine. Deque facultatibus genitrice, auctrice, nutrice, & de essentia vegetalis, de omni sensu singularium infinitum est dicere. quod horret natura, & mens. Illa non efficit, hæc non capit, sed de omni sensu, communiter, aduerbium aptum scientiæ, sed etiam ordini. Primum communia præponuntur. Deinde propria, Et sensibus sua communia, & sua propria. Primum communiter de omni sensu externo, interno, & postea proprie. præmisso ordine ab obiectis, actionibus, potentijs. Neque commune sine proprio, nec proprium sine communi tractandum est. Communia ergo sensibus quique præmissurus est. Et octo fere antequam incipiat sermonem de aspectu, vel visu. De nomine sensus primũ. Quid nominis præcognoscitur. Græce vocatur αἴσθησις a sistenda occurrentium in animo motione apud Platonem in Cratylo. Latine a sententia, quia sensibus standum est, & credendum incorruptis. octauo phys. Arist. præfert omnem sensus notitiam cæteris alijs. Et reuera duplex notitia immediata a nullo orta vel intellectus agentis, qui notis terminis facit nos assentiri communibus principijs, vel sensuum exteriorum. Iccirco testes de visu non cecutiente, aut continente plurimũ valent. Diuiduntur sensus. partim externi, qui scilicet instrumenta in extima corporis parte vel habent, vel ab externis obiectis afficiuntur. partim interni, qui instrumenta intus condita obtinet, & internis spectris, motionibus efficiuntur. Hoc planum. Quinque externi visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus. Oculus instrumentum visus, obiectum color, vel luminosum quid. Externa inquam. Auditus auriculam, aurem, & sonum externa obtinet. Odoratus nares, & odorem, Gustus linguam, Sapores, Tactus carnem forte, & tactile calidum gelidum, vdum, siccum, molle, durum, &c. Aduerte his etiam instrumenta recondita esse, de quibus suo loco. Interni vero sensus omnes in corde Aristotelice vel proportionale. phantasia, cogitatiua, memoria, & horum obiecta intus sunt, Medici vero in capite separant organa sensui communi, phantasiæ, cogitatiuæ, æstimatiuę, memoriæ, Et Auerh. in libello de sensibus, & sensiterijs sic esse docet demonstratione

stratione ex causa, & esse concludente, de quibus suo loco. Nunc satis sit hæc diuisio? Rursus nomen sensus relatiuum est, Aut sensilis obiecti sensus dicitur, aut sensiterij, vel sensorij sensus. Sensile enim, obiectum, oppositum sensui nomina synonima, & quod cadit in sensum. Nomina ite synonima instrumenti sensiterij, sensorij. Exempli causa obiectum visui color, qui & sensile dicitur & oppositum, Oculus instrumentum eius, sensiterium, sensorium. De quinque sensibus exter nis variæ disciplinæ, & artes disserunt, & non sola physiologia, Legalis quatenus per audita, & visa, ac tacta, gustata, odorata testimonia fiunt, Sculptor, & Pictor ob organa designanda. Theologus ob vitia per eos commissa. Medicus quatenus ægritudinibus corripiuntur, & curari possunt. Orator quatenus ad pronunciationem pertinent, Philosophus qua constant natura, & operationes naturaliter edunt ab anima nunc primum profecti, & eius facultates. Si sensus sit, non quæritur. Constat omnibus. Quæstiones porro quid sit, & qualis, & quot sint explicabuntur. Cum ergo euidens sit sensus. Nam animal constituitur eo, & per sensitricem accipit esse, ita, vt animal habeat esse primum per sensum, & præcipue tactum, qui potest esse sine alijs in Zoophytis, sed alij non sine eo vspiam, ob id oportet attendere lectioni, quod de constitutrice animalis essentia sermo est, de qua fuit dicendum, si præscribi accurrate de anima oportuit, ne Arist. arguatur, cuiusmodi arguit veteres, quod solam humanam tractarunt. Et quia de encomijs cuiusque sensus erit sermo in suis capitibus, nunc satis sit cognoscere alios necessarios animali ad essentiam, & vitã, & conseruationem, velut tactum omnino, & gustum. Ad essentiam quippe, quia animal omne est substantia animata sensitrix, Ad vitam, quia omnis viuendi actio ab anima proficiscitur, Ad conseruationem, quia sensus tactus est alendi officio præfisus. Quibus enim constamus, his nutrimur. Constamus autem Gal. frig. sicco, humido, quorum cognitor tactus, Alios item ad vsum bene, beateque viuendi. Cum vita mortalium obruatur periculis, tot sensus dati ad vitandum. Et paucis multa liceat colligere. Sensus author animatis, vitæ tutor, custos ab aduersis, reparator quotidianæ iacturæ per alimentum, actor, & procurator negociorum, In homine sciendi quoque minister, & adiutor. Cicero vir doctus in Accademicis. Ordiamur igitur a sensibus, quorum itẽ clara, & certa sunt iudicia, vt si optio naturæ nostræ detur, & ab ea Deus aliquis requirat, contenta ne sit suis integris, incorruptisque, an postulet aliquid melius, non videam quid quærat amplius. His præmissis redeat sermo ad contextum. De omni sensu communiter dicendum est, idcirco octo communia præponuntur hoc primo capite, vt quid sit sensus communiter, non communis. (Nam de hoc suo loco erit oratio) plane tradatur. Primum sensum consistere in moueri, & pati. & non in quouis motu, & pati, sed in alteratione, nec omni, sed perfectiua sine interitu alterius. Secundum quomodo a simili patiatur. Tertium duplicem dubitationem affert. Primam, cur sensus non se sentiat. Secundam, cur non sentit vnquam sine re obiecta. Quartum diluit secundam dubitationem. non posse sensum sine obiecto pati, quia quicquid patitur ab efficiente patitur, vt lignum vritur ab vrente, & sensus patitur ab obiecto. Hinc diluitur prima dubitatio, cur non sentiat se idem sensus, quia nil est simul efficiens, & patiens, actu & potestate, quin imo omne recipiens est denudatum a natura recepti. Quintum exprimit genus dum explanat quomodo sensus sit potentia. Sextum refert quomodo dicatur sensus patibilis, & si non proprie mutetur. Septimum exponit sensum esse potentiam ortam a genitore qua possit, & quomodo nomina mouendi, alterandi, patiẽdi vsurpanda sint perpetuo in hac oratione de sensibus. Octauum edit definitionem sensus communiter dicens esse patibilem potentiam tale potestate, quale est sensile obiectum actu, idest species, & similitudo rei in sensu apud Arist. Hęc primi capitis. Ordiamur igitur a primo communi omni sensui externo. Sensus accipro accidit, idest sentiendi vis dignoscitur cum mouetur, & patitur, vt nobis est dictum, supra contex. 55. Asserebatur ibi sensus quædam alteratio. Probat aliorum iudicio: Videtur enim esse quædam alteratio. Quibus id visum est? Democrito forte, qui sensum præsentia imaginum alterari dixit. Platoni plane in Theæteto id visum est, qui sensum effici in congressu cum sensili ait, & pati sensile a sensu, & alterari. Non potuit Plato videre contra sensum pati a sensili, vt dicit Arist. vt pote nobiliorem ab ignobili, sed de hoc protinus, nunc sume argumentum. Quicquid alteratur, patitur ab alterante, omnis sensus alteratur, ergo omnis sensus patitur. Quod patitur mouetur. Nam passio est motus passiuus, aut in motu consistit. 3. libro phys. ergo si anima patitur, mouetur. Non tamen proprie motu, proprie alteratione, & passione. & ob id censuit Philoponus dictum. (Videtur) atque id indicare verbum non de sua mente id dici, sed aliorum, & cuiusmodi id fuerit accipiendum, in fra decernetur. Simplicius idem verbum refert ad id, quoniam sensus non est alteratio, sed senso-

 rij, &

rij,& instrumenti passio,quæ videtur sensus esse ob coniunctionem ei cum illo, At sensus vtitur, & agit, & coafficitur sensorio. Vt medullitus intelligatur. Tres opiniones fuere Platonicorum. Quidam dixerunt sensum agere,& sensile pati,vt Plato in Theæteto, contra quem Arist. tandē decernet. Alij solum pati affirmant,sed bipertiti sunt, Aliqui sentiunt pati sensum, quia excitatur solum instrumento alterato,vt est opinio Gal. siue sit spiritus instrumentum sensuum cū Stoico,siue organum pars corporis certa in sua sede, Aliqui vtrunque affici seriatim putant, primū affici instrumentum,deinde sensum,quod placuit Aristoteli.Hactenus de primo. Secundum refert adhuc Platonis sermonem seu Socratis in Theæteto, qui narrant quomodo sensus moueat simile,& dissimile,& fiat similis. ob id ait. Inquiunt quidem nonnulli Socr.Plato in Theæteto, & Empedocl. simile a simili pati,& sensum ęque coaffici, & sensile pati a sensu, & simile effici. Erit sermo de his suo loco,proinde Alex.habet in scriptura sua contex.& nunc dicendum est, & non solum stat dictis in libris de generatione, vbi contrarium & dissimile est actu quod patitur agenti, sed potentia tum simile, fit denique actu simile. Neque omnino dissimile,& diuersum esse debet agens patienti vt albedo, dulcor. Sed quodammodo simile,& alio modo dissimile, iccirco ex albedine non dulcor,sed nigredo fit.Consentiunt in colore, & modo more coloris vtraque sit,sed dissimiles species sunt.Ergo sensus,& sensile quodammodo similia sunt. Non enim sensus ab intellectili vniuersali afficitur.Sed a sensili.Ergo cōuenit, & dissimilis est sensus a sensili principio donec recipit. Tum potentia est, Denique fit actu simile,quæ omnia indicata sunt primo de generatione lib.cap.de actiōe passione,iccirco inquit. Quod cuiusmodi fieri possit,aut nō possit simile vel dissimile in sermonibus vniuersaliter nō libris apud Simpliciū vocatis vniuersalibus de generatione omnino,sed capite illo de actione,& passione verba fecimus.Hoc loco quædā occurrunt. Primum qua methodo procedendum? Respondebis, definitiua, & demonstratiua. prima in declarando quid, secunda in demonstrando quia. Rursus quomodo sensus patitur, si supra fecit animam causam efficientem, formalem, finem? Respondebis animam conferri ad corporis actiones,& sic est principium efficiens motionum. Potest idem conferri ad cognitionem rerum,cuiusmodi sensus est materia. Hoc igitur modo nunc ille dicitur materia, & potentia capax rerum sensilium. Adhuc quod mouet alterum,non est passiua potentia. Sensus externi mouent phantasiam, memoriam, ergo non passiua. Dices non sensum mouere qua potentia tale, sed qua actu tale, idest ob speciem sensilem in eo actu, & iam actu simile. Præterea sensus est actus, ergo mouet. Vt potentia moueri, ita actus mouere. Dices sensum actū corporis, & operationum sequentium, sed potentia est cognitrix rerum sensilium per species, & materia, Verum an sit virtus passiua, & potentia videro infra propter sensum agentem,quia in omni natura est potens agere, & potens pati. tertio libro de anima. Addunt visum anus inficere specula, Addunt sensationem immanentem. Respondeo basiliscum, anum, menstruatam mulierem, fatidicam. non sensu agere, sed vaporibus peruisum exeuntibus, & artibus calumniatoris. De actione immanente sensus patibilis, an actiue concurrat ad actionem, sed patibiliter ad recipiendum speciem videro.

## *Digreßio de anima sensitrice, de origine eius, de substantia, de primo subiecto, de ui, & facultate, de conditionibus.*




RINCIPIO dicendi de sensitrice anima vnde nascatur,& quomodo occidat. Quæ sit substantia eius, Quale primum subiectum, Quæ facultas, Quæ conditiones. Oritur ergo e semine parentis cap.3. libri secundi de partu animalium. Mas dat animam, & fœmina corpus, vbi sexus distincti, aut proportionale sexuum. Nascitur igitur e semine,& forma est in materia,& dependet ab ea, vt sit,& conseruetur, Nulla forma caduca existit seorsum

seorsum a materia, semen autem ducit animam tanquam vehiculum, aut cum sit animatum, dissoluitur substantia,& remanet anima cum calore cogente partes mensium muliebrium secundum philosophum, sed illud controuersum est, quod si anima ex Hippoc. libello de natura pueri post 32. dies maribus aduenit,& fœminis post 42.& fœtus viuit prius vita plātę, quā animalis, quomodo mas dat animam sensitiuam,& generat sibi simile in forma per semen? Nisi det animam quoque sensualem, sed potentia posteriorem vegetali, vt scilicet, quando iam formatum fuerit cor,& organa sensus, Hippoc. statuit illud tempus animæ sensitricis in actu. Sed principio est potentia. Postulabis quomodo certum est animam ibi esse quoad formantur membra, & postquā formata sunt? Dixerim ab operibus. Nam calor est, coquit, auget, format, & quia Aristotelice hæc facit certa mole,& definita intra terminos naturæ, cum omnium natura constatium finis sit & terminus, ergo aliquo termināte facit, & hoc est anima. Caloris enim de se nōn est finis certus ergo est animæ finientis,& terminantis. Præterea aut parēs relinquit animam, aut non, si non parit animam quomodo dat? Si relinquit, ergo est. Hinc aliud dubium oritur. Ne mas parens det semen animatum suæ animæ ui, aut conferat animam nouam semini pro futuro fœtu. Animatū suæ animę vi dari ex eo conijcitur, quod si in terram deijciatur calidus exit fastu quodam tumens cum spiritu multo vitali sed dissoluitur postea, & humescit exhalante spiritu, ergo non confert semini animam futuri fœtus, ne idem semen duplici animæ vi formetur. Quod si dat animam semini fœtus futuri, ergo erit vtraque vi animatum semen. Respondebis actu animatum vi parentis esse, sed potentia animatum anima fœtus. Actu enim habet, quod potentia in fœtu est. Cęterum considera etiam, atque etiam,& de origine vniuoca animæ sensitricis hactenus. Equiuoca est sol. Quod dixi de semine, accipies de ouo, vermiculo,& putri materia. In his proportionalibus semini est anima futuri animalis potentia. Substantia huius animæ est forma, aut quid simplicissimum loco formæ. Eius essentia est, vt sit ea perfectio, qua animal primum constituatur, & sentiat. Ergo forma corporis erit,& efficiens motus in animante,& finis, cum eius gratia corpus,& organa condita sint. Sed primum perficitur cor actu anima, deinde reliqua. Galenus primum perfici cerebrum, & deinde reliqua. Sed hac de re supra est decretum. In hoc ridendi sunt qui aiunt animam extensam, sicut pellis per totum corpus. Quinimo essentia est tota in corde, a tota in qualibet parte pro necessitate partis, & vna vox est tota in tua aure, tota in mea, tota in illa,& si vna sit in medio. Quare & tertium de subiecto primo animæ constat. Facultas autem animæ sensitricis est mouendi vel circa locum, vt Zoophytæ, vel de loco ad locum, vt perfectiora animalia, ac sentiendi,& hæc sentiendi multiplex est ex dictis supra. Postremo conditis est animæ huic deficere vbi est, quia cogitur corpus deserere animam interest inter separationē huius & intellectiuæ. Quia sensitiua deseritur a corpore, sed intellectiua deserit corpus. Hæc breuiter annotanda præfari oportuit in hoc principio dicendi.

## Contex. XLVI.

*DVbitationem habet, cur sensuum non sit sensus, eurque sine extremis non feriunt sensum, cum insint ignis, terra, & alia elementa, quorum sensus est ob ea, vel ob eorum accidentia. Ergo euidens est quod potest sentire non actu esse, sed potentia tantum. Quocirca non sentiunt, vt combustile non comburitur a seipso sine eo, quod vrere potest. Alioquin seipsum incenderet, & non indigeret igne, qui presens actu sit.*



VERHOES arbitratus postquam Arist. constituit genus sensifice potētiæ, vt sit potentia passiua moueri nunc dubitationē contra dicentes actiuā esse, qa si actiua esset, posset se sentire sensus sine externo,& eo magis, quod sensus componuntur ex elementis igne, terra, vt dicturi sumus suo loco, ceu igneūm aspectum Plato, aqueum Democritus, Auditum aereum, gustum aqueum, tactum terreum, odoratum medium, de quibus alias,& hęc elementa, vel accidentia eorum sensus percipiunt, ergo sensus si actui se ipsos perciperent,&c. Constituit solui hanc dubitationem. Deprauat contextum, nec continuat, neque verum est quod si sensus esset virtus actiua se perciperet, quia virtus

tùs actiua materialis corpora non est supra se conuersiua. Atque nil actu simul, & potentiâ eodẽ modo, nec mouens, & motum idem, idque 8. libro physi. Fac ergo actiuum sensum se percipere, ergo idem mouet se, & actu, quia agit, & potentia, quia se percipit. Atque omne se sentiens se comprehendit, sed omne comprehendes est denudatum a natura comprehensi. Quinetiam sunt qui ponunt sensum agentem, & fatentur comprehendi a passiuo, Philoponus putat ex dubitatione communi de eo, quod patitur a simili, vel dissimili subiungi hanc, cur non apprehendit sensus sua sensoria, quia sensilia sunt si constituta ex igne, vel terra, vel aqua, & ita legit loco sensus sensoria cum Alexandro, si petas, cur subiungit hanc? Respondet, quia mos est Aristoteli id facere, Simplicius in Alex. adducit non par esse loco sensuum intelligi sensoria, quia loco instrumenti non debemus accipere mentem. Instrumentum sensorium est ceu oculus, auris, & sensus visus vtitur oculo &c. Sed item oppugno Philoponum, quia non vidit duas esse dubitationes, & non vnam. Primam de sensibus, secundam de sensorijs, & merito. Hoc aduertit Simpl. legens dubitationem bipertitam, & cõtinuans contextum verbis illis supra (verba fecimus) cum porro sensus sit viuax, & intrinsecus operetur & a seipso non percipit se, atque sua sensoria sine externo, nõ quia velit nunc obijcere Empedocli arbitranti sensus constare ex elementis vt similibus similia cognosceret, sicut censuit ille, quinimo confirmare dubitando. Et ne commenta istorum referã amplius author dubitat contra Platonem, qui statuit simile simili sentiri in congressu mutuo, vt est in Theeteto, & in Timæo sensoria posuit condita ex elementis. Et Empedocles primo de anima statuit similem simili percipi, ergo prima, & secunda dubitatio est in Emped. vt bene Plutarchus ait, & Platonem. Et de prima si simile simile percipit in mutuo congressu, & similitudinem rei, non spirituali, ergo cum sensus sibimet similis non se percipit? Ac secundo si sensoria sunt ex elementis, cur non comprehenduntur a sensibus, si aspectus igneus, auditus aereus. Cum elementa saltem secundum sua accidentia comprehendantur sensibus? Respondet secunde dubitationi, & inde diluit primam suò modo, quia sensus est in potentia sensile, idest speties spiritalis sensilis & similitudo rei, non res ipsa, vt cecinit Emped. similitudinem rei realem oportet.

*Conspicimus terram tellure, liquore liquorem.*
*Aere naturam aeream, ignem cernimus igne.*

Ergo non potest sensus a seipso traduci de potentia in actu, nisi sit quid traducens, itaque opus est externis obiectis, sicut nec lignum vrendum a seipso vritur sine igne præsente, quare non sentit sua sensoria sensilia, quia est in potentia sensus ipsum sensile, idest speties eius, & quamquam sua sensoria sunt sensilia aliena sensu, vt oculos tuus a meo cernitur, tamen a suo sensu minime, quia illud est in potentia, vt sensus est. Nam organum mouetur prius, deinde sensus, sed a seipso moueri non potest ob absurda supradicta ne idem actu potentia sit &c. ergo mouetur ab alio, & obiecto, sed adhuc dices cur saltem suum obiectum non percipit, vt colórem oculi sui oculus idem? Quia idem esset actu & potentia, & quia omne recipiens denundatur a natura recepti, & quia medio delatiuo eget visile, sensileque, & sensile supra sensum non facit sensationem, et quia virtus corporea non supra se conuersiua non est, quare sensus sua iuncta sensoria non capit, licet sensilia, neque sua obiecta Quare nec sensus seipsum percipiet, licet sui simillimus sit. Nam habeat aliquid, quod cum imperfectum de potentia ad actum reducat, et faciat perfectum. Sed dices ex quo facit sensum perfectũ sensile, cur recedẽte sensili nõ permanet impressio? Respõdebis esse aliquomodo in aere, vel aqua, vel medio, sed in sensu externo non permanet diu impressio, quia dependet in conseruatione sui speties sensilis ab obiecto, secus est in phantasia, & intellectu vbi manet speties, & phantasma. Ceterum lege vtranque dubitationem. Inquit. Dubitationem habet primam. Cur sensum non sensoriorum, vt Alexander male non sit sensus, idest cur sensus non se percipiunt, si sensatio fit a simili. Sui enim simillimus est sensus. Secunda dubitatio, curq; non sine externis obiectis non feriunt sensus sensoria. Exemplum primi, cur sensus visus non se sentit? & auditus se, &c. Exemplum secundi, cur visus non percipit ignem si igneus est, & auditus suum connaturalem aurem? cum sint sensilia sua sensoria, & componantur ex elementis, & hæc vel sua accidentia sentiantur. Cum ignis insint terra, & alia elementa, quorum sensus est ob ea, vel ob eorũ accidentia, ob ea per accidẽs, si sunt substantiæ, ob accidentia, scilicet qualitates tactiles cal. sicc. frigid. humiditatem, raritatem, densitatem, magnitudinem, pondus, leuitatem, &c. quæ per se sentiuntur. His præmissis binis dubitationibus soluit eas, quod si quid sentire habet aliquid id potestate tale, et non actu tale primum esse debet, sed postea tale actu. Et cum omne potentia tale egeat eo, quod traducat ipsum ad actu tale, iure igitur desiderat externa obiecta.

Exemplo

Exemplo declaratur desiderari quod traducat ipsius ligni comburendi, quale ignem desiderat, si comburatur. Ergo euidens est si dissoluenda ratio, quod potest sentire non actu esse, sed potentia tantum principio antequam assimiletur, & fiat illud actu tale non re, sed spetie, & similitudine rei, cuius capaces sunt sensus. Quocirca non sentiunt sine externo obiecto, quale traducat sensum de potentia ad actum exemplo. Vt combustile non comburitur a seipso sine eo, quod vrere potest, sed ab igneo. Alioquin facit argumentum author ad impossibile, & dicat aduersarius posse vri lignum, picem, oleum, &c. sine igne, seipsum combustibile incenderet, & non indigeret igne, qui præses actu sit contra sensum, & id impossibile. Quid dicemus de cauterijs, quæ non cõburunt, & si actu est ignis? Respondebis subdi oportet materiam, iccirco quamprimum applicãtur bubonibus rumpunt. Soluitur ergo dubitatio secunda cur non sine externo obiecto sensus sentiat? quia debet traduci de potentia ad actum, & seipsum, & sua sensoria nõ possunt, quia sunt in potentia, ergo requirunt quid actum. Id nempe est foris sensile. Dissoluitur prima quoque eodem modo. Sensus non fit sensuum, quia patibilis, & in potentia est, desiderat aliud a quo de potentia ad actum ducatur. Simplicius putat opportunum esse foris sensile ex eo, quod sensorium est potentia, quale indiget obiecto affici, vt sensum excitet, qui non patitur, sed agit excitatus. Hæc opinio non est Aristotelica, sed Platonica, videro mox. An sensus sit facultas passiua asseritur nunc ab Aristotele, & perpetuo, cum sit ipse, qui species recipit sensiles. Quocirca magna digressio occurrit, sed paucis absoluenda, & necessaria sequentibus. Vt ait Auerr. prima, & summa differentia facultatum animæ hæc est, an sint actiuæ, vel passiuæ siue sensus, siue intellectus sint. Vis nutritiua dicitur actiua, & est.

## *Digressio, ne sensus sit potentia passiua, ac ne sua, quibus iunctus est sensoria cognoscat, & seipsum & quid recipiat, & si alius sensus agens.*



COEGIT me hęc referre interpretum, & authorum dissensio. Plato videtur in Theęteto sensum asserere facultatem agendi, & vti suis instrumentis intrinsecus. Ob id in congressu sensilis cum sensu vtrunque agere, sed pati aliquomodo sensile. Hinc extramittendo effici visionem dixit, sed de hoc apto loco, nunc alii putant solum instrumentum pati, & affici, cuius affectione excitatur sensus, sicut ictu saxi reconditi in eo pisces diffugiunt, quasi sensus sopitus sit, & dormiat in suo sensiterio, & instrumento, & excitetur affectione illius. Opinio Iamblici, Simplicii. Alij sentiunt Aristotelici pati sensum, & sensorium in actione recipiendi species, & similitudines rerum, & in affectione corporali confici sensum cum organo, vt fit præ excessu sensilis, vt solis luminis obtutu organum patitur, & sensus conficitur, & id constat in morbis oculorum, ophtalmia, albugine, & similibus, quinimo tubescit sensus oculi marcore, vt fit in sensibus, quorum acies videndi infirmior est, quam in iuuentute. Alij censent sympathiam quandam incidere inter sensile, & sensũ, ob id præsentia requiritur sensilis. Alij pati putant hæc tria sensum, sensorium, sensire, & esse sensum agentem, qui agat in his, & traducat hæc ad actum ex potentia. De hac ergo materia primũ differam. De alijs vero seriatim. Qui Platoni assentiuntur his argumentis persuadent. Sensus est forma, & formæ agere, ergo sensus est vis actiua, non passiua. Ac supra reliquit Arist. animam esse causam efficientem motionum corporearum, & non passiuam. Accedit, quod sentire est actio immanens. 9. lib. metaphysi. præterea spiritualius actiuis est corporeo. Sensus spiritualis est, & sensile corporeum, ergo sensus vis actiua. Probabilius est corpus pati a spiritu, quam spiritum a corpore, ergo sensus agit. Quinetiam sensus foret inferior agente sensili, vt visus colore, & nutritiua, quæ agit in sua obiecta, omne patiens inferius agente. Addunt basiliscum visu interficere, mulieres menstruatas macula aspergere specula, anus visu afficere infantes. Atque anima sensitiua agit, vt patet per instrumentum suum spiritum animalem, qui si agit, etiam anima agit, ergo vis eius est actiua. Assumptio vera apud Gal. passim 7. libro de decretis, & 12. Meth. Atq;

sensitiæ potentiæ dicuntur sensuę a medicis,& non sensipathæ. Atque sensifica vis est mouendi, & non moueri, ergo facultas est actiua. Mouet enim anima sensitiua, & non mouetur, nisi ex accidenti,& vis in neruis est sensifica,& motiua,per quos neruos ad musculos,& membra traducitur motus. Adde sensum alterare corpora,vt viso inimico ira alterat. Quicquid causa agendi, est facultas actiua. Per sensus animalia agunt,ergo potentiæ actiuæ sunt. Ac sensus mouet intellectū,quia de eo est scientia. Rursus iudex agit,sensus iudex rerū sensibiū,ergo agit. Accedit in omni natura est quid oīa fieri, ergo qd omnia facere si sensus passiuus,ergo sensus actiuus. Ad hæc dicturus, illud accidentissimum præsumendum. Actionem esse motum in alio, passionem ab alio. Vtranque perfectiuam & corruptiuam. Perficit, si non corrumpit aliquid in perficiendo sed solum amouet priuationem,vt scientia perficit intellectum sine interitu alterius, solum abijcitur priuatio,velut,ignorātia. Corruptiuam dico,quoties interit contrarium,oppositum,vt interit frigus accedente calore. Insuper passiuam potentiam dicimus,quæ recipit vtcunq; recipiat. Receptio est cum passione. Quicquid agit nil recipiens,tum mere agere dicitur. Receptio spiritualis,& corporea. Spiritualis,cum rei similitudo incorporea imprimitur. Corporea cum dicitur tale,quantum &c. Exemplum commune vtrique officina vnguentaria facit fingi signum, vt significet locum. Duæ sunt impressiones,vna quidem corporea figuræ,quantitatisque, alia significandi spiritualis. Præterea in omni receptione est ipsa passio,& ipsa res recepta. Post rem acceptam cessat receptio. Actio duplex. Vna post se nil relinquit,vt saltus,cautus. Alia post se relinquit,vt ædificatio domum,medicatio salutem. Recipiens item alium corpus,aliud res incorporea.vt spiritus,anima. Ad propositum sensitiua anima habet sensum potentiam naturalem agēdi,si referatur ad motus corporeos. Etenim ea corpus mouetur, & sentit dolorem, & ita supra Arist.animā dixit cām efficiente, formalem, finalē, sed quia addidit Auerh. tam verorum,quā existimatorum in suo commēt.37. videtur etiam anima causa sensationum efficiens, sed id intelligitur sensus informatus spetie sensili efficiens sensationum,& si quidam illud referunt ad sensum agentem,de quo postea,nunc in sensitrice est alia potentia relata ad obiecta cognoscibilia. Vnde non mirū,si anima sensitrix duplici potentiæ subijciatur. Vni actiuæ qua perficit corpus,& alia qua cognitrix passiua. Arist.ergo constituit animā efficientē qua perficiens corpus est,sed patibilem qua cognoscit hoc loco reponens eam in passione,& motu improprie dicto, sicut videbitur. Iccirco eius passio perfectiua est,quia cum imprimitur,& recipit,nil corrumpitur,interit. Euidens est sensum recipere dum sentit externa. Aut obiectum pātitur,aut medium,aut instrumentum,aut sensus. Non obiectum,quia nulla videtur alteratio in colore viso a te, a me, a centum. Sed idem color. Ad dices, illa alteratio sensilis est spiritualis,iccirco non videtur mutatus,contra per quid aptus esset color mutari spirituali modo cum sit in re corporea, & quomodo reciperet mutationem,si mera qualitas est. Et color sic sentiret'. Nam ista mutatio est sensatio & receptio spetiei,ergo non patitur. Nec medium patitur,quia solum defert spetiem rei sensilis,neque afficitur, iccirco spetie in eo existente non cognoscit,non sentit. Ergo si patitur,vel sensorium, est vel sensus. Et vtrunque patitur,sed sensorium,vt omne naturaliter affectum, & sensus cognoscens quidem,vnde non dicitur sensorium sentit,sed sensus primum. Quicquid ergo sentit', sensationem recipit,quicquid sensationem excipit,spetiem sensilem admittit secundum Arist. ergo sensus si sentit,si recipit,si spetiem admittit mouetur, patitur, ergo spiritualiter, quia recipit spe ies sine materia ergo sine corpore,ergo incorporeo modo, cum ergo presens est obiectum mouet, & sui similitudinem parit in sensu,quam ipse recipiens sentit, itaque obiectum agendo relinquit post se opus,spetiem sui in sensu rationem cognoscendi obiectum. Exemplum si in speculo esset sensus,& figuram faciei reciperet mei, plane sentiret dum intueor me in speculo,quare sensus cognoscit,ergo ille recipit, ergo ille patitur, quid ergo agit,non nisi illud, quod sui spetiem relinquit, & hoc sentit est. Rursus sensus nunc cognoscit aliquod obiectum,& aerea non cognoscebat,ergo mutatus est ergo ab aliquo,non a se ex dictis,ergo ab alio. A quo? Nisi ab eo quod relinquit sui similitudinem in eo,& hoc est obiectum sensile. Habes igitur sensum vim patibilem, & pati ab obiecto recipiens similitudinem eius,& ita sentit contra Platonem, & Platonicos, atq; Simplicium,qui solum excitari sensum, non informari spetie,neque pati, sed agere dixit, velut viso pane excitatur appetitus,sed panis non reliquit opus in appetitu, & si dicas si non sensus patitur,quid ergo patitur, inquit sensorium recipit formam sensilis,& ita illa excitat sensum,vt phantasia quoque facit excitato sensorio de se edit phantasmata, sed in absentia sensilis,non ita fit in sensu,quia requirit presentiam excitantis agentis in sensorio,& cum sensus excitetur a sensorio,

&

& hoc patiatur a sensili, & sensorium non potest pati a se, & potentia est, merito requirit sensile actu a quo de imperfectione moueatur ad actũ, iccirco sensus non potest percipere sine externo obiecto. Hoc vt dixi Platonicum est, non autem Aristotelicum, & Galenus medicus est eiusdem sententiæ cum Simplicio in libello de oculis, sed re uera Arist. aliter sentit, qui professurus est cõmunc omnibus sensibus recipere species sine materia, vt videbitur, ergo si receptio est quædam passio, sensus ergo passiuus est perfectiue. Præterea species, & similitudo est perfectio sensus, probatur. Nam similitudo est gratia cognitionis, cognitio perfectio sensus, non sensorii, ergo recipit species sensus. Non enim sensorium cognoscit, sed sensus. Ac sensorium est instrumentũ recipiendi, ergo aliud est quod recipit, & hic sensus. Adde in Simplicium adhuc sentire est pati, & moueri ex Arist. vel igitur sentire est cum sensoriũ afficitur, quod minime verum, ne sine sensu fiat hæc actio, vel cum excitatur sensus, & ita excitatio illa erit passio sensus, vel quando sensus se excitat, & ita idem agens. & patiens, siquidem excitatio est sentire, & sentire est pati, itaque cũ excitat se si sentit, patitur. Quare Simplicius non potest euadere, quin sentiendi ratio consistat in passione, quod item in processu erit euidentius. Decretum igitur Aristotelice sit sensum facultatem patibilem, sentire pati ab externo obiecto per similitudinem sui in medio delatam ab eodem ad organum, & sensum. Hinc respondeamus ad ipsa argumenta. De primo. Cędo sensum formam esse, & formæ agere, sicut pati materiæ, sed sensus cõfertur ad operationes in corpore, quarum est actiuus, vt mouendi, & similium, etiam confertur ad cognitionem rerum, cuiusmodi est potentia passiua recipiens rerum similitudines. De secundo idem dicendum, quia Arist. loquitur de sensitrice collata ad corpus, & ita est causa efficiens, sed relata ad cognitionem potentia passiua est. Non enim sensitiua est pura materia, sed forma materialis, ergo alicuius forma. Et corporis est, ergo ad id collatum causa est forma, & efficiens formalis. Ad tertium, fatemur sentire actionem immanentem in sensu postquam acceperit species ab obiecto. Ad quartum spiritualius est actiuius corporeo quando relatum ad illud agit, sed quando corporeum per spiritualem actionem potest agere, tunc spirituale poterit recipere, quia omne recipiens recipit modo recipientis, iccirco recipit spiritualiter speciem, & suo modo. Aliqui dicunt sensile agere dispositiue, qui dant sensum agentem. Ad quintum dicito sensile nobilius sensu in eo quod agit, sed quia nõ omnis actio sensilis est nobilior omni actione sensus, qui informat corpus, ergo non est nobilius, & nutritiua si agit in obiectũ, illa tamen actio est inferior illa sensus. Ad sextum de Basilisco, de anu, de muliere menstruata, dixerim non per species corrumpere, sed per corruptos vapores exeuntes per oculos, propterea quod virus est in oculis Basilisci, ideo interficit visu, sed mulieres contaminatæ emitunt halitus quosdam prauos per oculos, & inficiunt specula, & pueros male afficiunt. Ad 7. dicito animam sensitiuam per spiritum animalem agere motus corporis, sed in percipiendo, & sentiendo non eget spiritu, qui agat, cum sensus sit suapte receptiuus, nisi sit spiritus delator actionis, & speciei ad sedem animæ, vt ipsa sentiat, sicut externum medium est aer, vel aqua deferens speciem sensilem ad oculum, & sensum ibi, ita spiritus ibi præsto defert eam speciẽ, & actionem ad animam in capite, vel corde. Ad octauum dicuntur sensificæ potentiæ ex eo quod ex modo pronunciandi sentire, intelligere videntur actiones, sed tamen sunt passiones perficientes. Atque medici sensus conferunt ad corpus, non autem ad cognitionem, cuiusmodi sunt sensipathæ, & non sensificæ potentiæ. Ad nonum dic verum esse animam vt actus corporis habere vim actiuam mouendi illud, & sic tribuit vim neruis, verum qua cognitrix mouetur, & patitur, ad decimum visa externa moueat sensus per species, & ita postea excitatur appetitus vindictæ. Ad vndecimum dixerim per sensus animalia agere, quoties perditi sunt speciebus rerum. De duodecimo sensus mouẽt intellectum, verum id per species acceptas ab obiectis. Ad 13. sensus est iudex suorum obiectorum postquam motus fuit a sensili, & accepit species. Ad 14. dicunt esse sensum agentem per illud argumentum, & alij satis esse obiecto quod sit omnia facere pro receptione sensus. Et accipitur obiectum pro hoc, & illo, & singulis proprijs, & communibus. Quare de mente Aristotel. sensus sit vis patibilis recipiens similitudines ab obiectis. Reliquæ præpositæ difficultates postea explicabuntur. Nunc ad contex. redeat sermo.

## Contex. XLVII.

*CVM vero ipſum ſentire dupliciter dicamus. Nam potentia audientem, & videntem dicimus audire, & videre, & ſi dormiat, Ac quod iam agit. Iccirco dupliciter diceretur & ſenſus. Hic quidem potentia. Alter vero actu. Eodem quoque modo & ipſum ſentire quod poteſtate, quod actu.*



POTENTIAM paſſiuam concluſit ſenſum eſſe, cuiuſmodi autem ſit potentia, indicare optat hoc loco. Nam alia eſt abijciens habitum prima, alia habens habitum, ſed in potentia ad actionem, ſenſus ergo pro ſubſtantia animæ non eſt potentia prima, ſed ſecunda, qua poteſt moueri, & pati a ſenſili, vt dormiens habet potentiam ad actionem vigilandi, & ſentiendi, & ſecunda eſt, & ſenſus item in actu, cum operatur, vt ſubſtantia animæ, ſeu ſentientis dupliciter dicta eſt, ſic & potentia ſentiendi dupliciter potentia, & actu, & operatio ſentiendi actu, & potentia. Tria ergo dicuntur actu, & potentia, ſubſtantia animæ, ſeu ſentientis, cujus loco hæc dicit, cum vero ipſum ſentire dupliciter dicamus, ideſt ipſam animæ, vel ſenſitiui aggregati ex anima, & organo ſubſtantiam dupliciter ſentire dicimus, potẽtia inquã, & actu, id probũ ex conſuetudine dicendi. Nã potentia audientẽ, & videntẽ dicimus audire, & videre, quod poteſt audire, intueri conſueuimus dicere audientem, & videntẽ & ſi dormiat, & is eſt in potentia propinquiore quam fętus antequam recipiat animam ſenſitricẽ. Adhuc proprinquior eſt potẽtia exiſtentis in tenebris ad videndũ, quã dormiẽtis, quod prudẽter notauit Auerh. indicans potentiam habitualẽ eſſe aliã, alia propinquiorẽ, vt fecit Galectiam in 3. de temperamentis. Vt ergo eſt potentia ſentiens, ita actu ſentiens, iccirco ait, ac quod iam agit, ideſt & quod actu eſt. Senſitiuum ergo dupliciter. Secunda eſt diuiſio ſenſus pro facultate ipſa propria ſubſtantiæ ſenſitiuæ, iccirco dupliciter & ſenſus diceretur, tum actu, tum potentia. Equidem potentia cum nondum preſens eſt ſenſile, actu cum preſens, & monet ſenſum. Tertio diuiſio de ipſa ſenſatione. Eodem quoque modo & ipſum ſentire, quod poteſtate, dum ſcilicet abſens eſt ſenſile, vel ſenſus vitiatus, debilis, corruptus, ſed ſermo eſt de naturali non impedito ſenſu, dum abſens eſt ſenſile. Quod actu preſentia ſenſilis non impediti tranſmittere ſpetiem vſque ad ſenſum. Eſt ergo ſenſus potentia paſſiua, qua a ſenſili moueri poteſt, & recipere ſpetiem ab illo. Quæritur, ne ſentire ſua ſenſoria queat ſenſus, cum ſint ſenſitio, in qua quæſtione duo ſunt, an ſentiatur ſenſile ita, vt traducat ſenſum ad actum, & quando ita eſt, cur non ſua ſenſoria ſenſilia ſentiat quiſque ſenſus. Quoad primum ſenſile corporeum non agit in ſpirituale, ſicut ſenſus eſt. Rurſus foret nobilius ſenſu, ſiquidem omne agens præſtãtius patiente. Item ſentire eſt actio ſenſus, vt dicitur, non igitur paſſio ab obiecto. Præterea ſufficit ſenſus agens, ergo valeat ſenſile, probatur antecedens dupliciter, quia in omni natura eſt quod fieri poteſt, & quod facere. 3. libro de anima, in natura igitur animæ erit agens ſenſus, quia ſenſile non eſt de natura animæ, cum ſit illud omnino corporeum, anima incorporea, aut quaſi. Atque agens, & patiens. 3. phyſ. conueniunt in materia, ſed ſenſile non conuenit cum ſenſu in materia, & ſenſus agens, ergo ille ſufficit ſine obiecto ſenſili, cum eiuſdem actionis ſufficiat idem agens & ab vno prouenit vna actio. Adde ſi obiectum reduceret ſenſum ad actum, aut ſpetiem ſui in eo gigneret, & hoc non poteſt eſſe, quid eſſet generans? Non enim idem ſenſile cum non tangat ſenſum, quinimo ſi tangeret, non ſentiretur. Præterea corporeum non producit intentionale, & ſpirituale, quale eſt ſpecies ſenſilis. Inſuper nec actionem ſentiendi facit, quia ſenſorium impreſſum, ſpetie facit ſentire ſenſum, aut ſenſus agens apud quoſdam, aut ſenſus paſſiuus ſpetie impreſſus facit ſentire, vt intellectus ſciẽtia præditus ſcit, quando voluerit, ita ſenſus ſpetie ſenſili informatus producit actionem ſentiendi, vel ſpecies ipſa producit actum ſuum ſentire, ne nunc Thomæ, Scoti Henrici, Aegidij attingam opiniones. Poſtremo ſi ſenſile mouet ſenſum, cur non omne ſenſile? Non enim proprium ſenſorium. Reſponſurus ad hæc. De primo dicatur, corporeum non agere in mere ſpirituale, ſenſus eſt virtus in organo materialis, licet ſpiritalior ſenſili. Atque non ſtatim agit, ſed per media apta, ceu per intermedia, & organa. De ſecundo diximus ſupra ſenſile nobilius, qua agit, ſed non ſimpliciter, propterea quod ſenſus obtinet meliorem operationem relatus ad corpus, vt ſomna,

& entelechia. De tertio sentire dicitur actio si refertur ad sensile, passio ad sensum. Et habet verbum figuram verbi actiui, sed reipsa est passio. De quarto dic plane excitari quæstionem de sensu agente, de quo est dubium, ne sit. Et quia recuso hoc dogma, sicut ostendam, iccirco dicam in omni natura esse quod facit omnia vbi natura per se, & seorsum esse possit. Nam in natura materiæ non est quod omnia facit, sed solum quod potest omnia caduca fieri. Materia per se & seorsum esse non potest, sicut natura animæ intellectiuæ de mente Arist. separabilis est sensus autem non est natura separabilis à corpore, & iccirco non valet illa similitudo, sicut in anima intellectiua est intellectus agēs omnia facere, & intellectus omnia fieri possibilis, ita in sensifica. Nam hæc non est apta seorsum persistere, & ad alteram probationem dicimus sensile, & sensum conuenire in materia communi, non propria, & secunda de communi est sententia Arist. 3. phys. Ad quintum dicito agens per contactum agere opportunum, iccirco sensile prius in medio sui similitudinem parit, quam defert medium ad organum, & inde ad sensum, hinc ad animam per spiritum vicarium. Ad sextum respondebis corporeum non producere mere spirituale & independens ab obiecto, & subiecto. Species intellectilis dependet ab obiecto phantasmate, non ergo mera spiritualis est, & ideo potest produci a phantasmate quodammodo, de quo videro. Quo ad actionem sentiendi fateor non prouenire a sensu agente, neque statim a sensili, sed ab organo impresso spetie a medio delatiuo, & comprehensionem ab anima per sensationem ipsam, quam defert spiritus ad animæ locum, vbi comprehendit anima obiecta. Et si hoc videatur nouum, tamen verissimū est vt declarabo. Cæterum cur non sua sensoria percipiat sensus Philoponus quærit, cum maxime sentiat excessum sensorij, vt tactus, & calorem febrilem, non naturalem, nec non oculus albuginem, & in arquatis color oculi deprehenditur, & eos facit videre similia colori oculi. Et moto oculo videtur idem oculi fulgor in libello de sensu, & sensili dummodo celeriter moueatur, cum enim lenia, polita sint apta fulgere, & lucere, & oculus sit eiusmodi a digito posito circa angulum nasi, & mouēte oculum noctu precipue celeriter distrahitur illa aquea lenitas, & ita pars superior oculi videtur mittere ad inferiorem fulgorem. De his decerne sensum non esse vim supra se conuersiuam, ob materiam, in qua inest, sicut est intellectus, & iccirco sensus non sentit se, & intellectus intelligit se, & dominus suæ operationis est. Sensus nunquam potest operari externus sine obiecto externo, neque retinet speciem absente obiecto, iccirco illa dependet in sui conseruatione ab obiecto, finge aliquem imprimentem vestigium pedis in aqua, donec pedem in aqua ponit, vestigium permanet. Sed quamprimum amouetur, vestigium nullum apparet, ita fit sensili præsente species est in medio, in organo, in sensu, amoto, deficit. Rursus per media fit sensatio, & spetiens receptio, sed inter sensum, & se ipsum, & suum sensorium nullum medium, ergo non potest sentire se, neque sensorium. Adde si sensus perciperet se, sensus esset sensile, quia inter agentem, & patientem cadit diuersitas. Accedit, quo additio fit per cōtactum, sensus non tangit se. Deinde non comprehendit suum sensorium, quia omnis comprehensio, & sensatio fit per instrumentum, & sensorium, ergo cum nil sit suimet instrumentum in perceptione sui sensorij desiderabit aliud instrumentum, de quo quæratur, ne sentiatur, necne, & cum sentiretur per instrumentum, quæratur de isto, & ita processus ad infinitum. His ergo idem sensus non percipit se, neque instrumentum suum, præter rationes Arist. has produci placuit.

Vnde ad argumenta. Cum dicitur sensus sentire propria sensoria alterata præter naturam, tum accidit ob excessum percipi a spiritu vicario animæ innato in corde apud Arist. in libello de motu animalium. Alij dicunt sensorium præter naturam affectum non esse sensorium, in eo, quod tale. Alij aiunt sentiri sanguinis, & spiritus humores male temperatos. De colore oculi albugineo dicito non esse colorem natiuum oculi, & ita aduentitium sentiri per spiritum vicarium animæ. De fulgore in libro de sensu, & sensili dicit author nigrum oculi lene politum continuum posse a celeritate motus digiti quodammodo diffundi ita, vt vnum duo videantur, & ita cernitur ille fulgor noctu, non interdiu, quia tersa, polita apta sunt edere exiguum lumen, quale interdiu maiori lumine effunditur, vt stellæ die non videntur præluce solis. Quare nec sensus se, nec sensorium suum sentit.

## Contex. XLVIII.

*PRimum igitur velut idem pati, moueri, & agere dicimus. Etenim motus quædam actio est licet imperfecta, sicut alibi est dictum. Et omnia patiuntur, & mouentur a potente efficere, & actu existente. Quocirca aliquomodo a simili patitur, & aliquomodo a dissimili, supra vt dictum est. Nam patitur quod est dissimile, Quod vero passum est, simile iam est.*




HILOPONVS putat nunc doceri quomodo sensus a dissimili afficitur. Dum enim patitur a sensili, & quomodo a simili quando iam passus est, & recepit speciem rei, & ideo laudat dictum Alexandri, qui addidit scripturæ Aristotelicæ supra, & si dictum in libris de generatione de agere ipso, & pati, hoc totum dicatur & nunc, & ideo præponi quomodo hactenus moueri, pati, agere vsurpauimus, & quomodo ab agente simili, & dissimili sensus patiatur. Deinde multa aggregat de actione, & de motu, Auerhoes credit vbi sensum supra facultatem passiuam decreuit author, qua patitur a sensili, nunc velle ostendere quomodo a simili, & dissimili patiatur. Et adhuc differre air sensum passiuum ab actiuo, quia hic ab alio mouetur, sed actiuum a se, Simplicius opinatur ostendi quomodo sensus dicatur moueri, & actu esse, seu agere. Et quomodo de sensu dicatur actus. Themistius propius accedit ad consilium contex. arbitratus doceri sensum moueri, & actum esse imperfectum dum est sensus in potentia & dissimilis rei sensili. At vero perfectus, cum iam recepit speciem sensilem similis, & in actu sentiendi factus. Ego vero statuerim declarari quomodo dicatur sensus pati, & moueri, & actu esse, siquidem quicquid patitur mouetur, non econtra quicquid mouetur patitur, vt cęlestis motu sine passione feruntur cęlestia, & quicquid mouetur est in actu, & agit, siquidem motus est actus. Declarat igitur dupliciter esse in actu vel perfecto, vel imperfecto, sensus dū patitur, & mouetur ab efficiente, & mouente est in actu imperfecto, tumque dissimilis sensili non omnino, vt non patitur ferrum a musico, sed quodammodo simili, interim dum patitur dissimili, & donec absolui tur vbi absolutum est, tum simile. Primum igitur velut idem pati, moueri, agere dicimus, si quod mouetur agit, quia motus est quidam actus. Etenim motus est quædam actio libro. 3. phys. siue. sit in chategoria quant. qualitatis, vbi licet imperfecta, sicut alibi. 3. phys. est dictum, nunc accipitur motio impropie pro quauis ab alio alteratione, & passione, qua perficitur sine interitu alterius. Iccirco subiungitur, Et omnia patiuntur a potente efficere, & mouentur ab actu existente hoc modo sensus dicitur pati, moueri, qua ab altero actu, & potente efficere sensili afficitur, sed non omnino cum successione, & fluxu temporis, & motus dicitur actio quædam, non autem proprie. Actio hoc modo est habitus, & facultatis perfectæ actio, vt per suam scire, per artem ædificare, & huiusmodi motus non est actio. Ex his infert, quia si patiens patitur ab agente est quoad patitur dissimile, quum passum fuerit, tum simile. Quocirca aliquomodo a simili non omnino diuerso, vt album non patitur a linea, sed a nigro, & quando iam est actu absolutum, & aliquo modo a dissimili, supra vt dictum est, capite de nutrimento. Et se declarat in his verbis author. Nam patitur quod est dissimile, & contrarium in eodem genere. Quod vero passum est, simile iam est, idest vbi pati finiuit, & recepit terminum motus, & in sensu vbi recipit speciem sensilem iam similis factus est, non eodem penitus modo, quia sensus fit similis suo modo spiritualiter per speciem non realem, sed spiritualem, at sensile, ceu coloratum habet realem colorem, sensus colorato fit similis non recipiens eundem realem colorem, sed similitudinem illius coloris, & longe spiritualior est, quam pictoris figura, dum quempiam pingit, & quam imprimatur cera forma sigilli, de quo erit sermo. Simplicius aduertit quod passum est fieri simile, non quod fiat efficiens, & sensile actu, sed quod agat, & agere possit. Et attritio, distractioque caliditatem facit, et non habet, neq; flagellum vilices, iccirco neque cum sensile fit simile sensui patitur, si sensus est patiens. Sed solū fit similis sensus in agendo. Idque Platonicæ, et Aristotelicę putat dicendum. Ego vero statuo fieri simile, quia recipit similitudinem rei sensilis, quam vocant speciem sensilem, et simile, quia possit agere, et sentire per eam speciem, vt accipiens scientiam possit scire. Interest quia habens scientiam potest cum voluerit scire, sed non poterit sensus sic facere, quia indiget semper sensili

propterea

propterea quod sic sensile imprimit spetiem sui in sensu, vt pes vestigium sui in aqua, quo presente, est vestigium, quo amoto, deletur. Iccirco sensus est præsentium, sed intellectus eternorum, & semper, cum accipiat habitus suos, sicut impressiones in marmore, & in cera, quando amoti impressores adhuc permanent impressiones. Ex his dissolues cauillationes multas, quæ adduci solent contra hunc contextum. Illud autem quæritur, quomodo sensus mouentur, si fit in momento visio, sicut illuminatio orizontis subita est per totum, quinimo celerior visio est, & hæc auditu, vt apparet in tonitruo. Nam prius fit sonitus, quam corruscatio, attamen cernitur prius fulgor, & corruscatio, quam audiatur sonus libro. 3. meteorum. Quinimo statim cernitur polus altissimus sine tempore. Sed motus non fit in momento. 4. physi. libro, ergo sensus non mouetur. Respondebis momento effici visionem, attamen dici moueri, pro mutari improprie, hoc est pro alteratione, & passione, ac receptione spetiei in sensu. Certum est, quod alteratus est perfectiue, si sensus oculi videt, quod non videbat. Vtque sciatur. Visio presente lucido, vel luce fit subito ex se, si autem fit ex tempore accidit propter motum medij, aut organi, aut visilis. Si dices cur fit in ipso momento visio, non ita auditus, odoratus, gustus, tactus? Respondebis Platonice in Timeo ob simpathiam oculi cum luce solis, aut lucidi. Aristotelice ob vim agentis, & paratissimã habilitatem sensus, secus autem in audiendo sono, percipiendis odoribus, & saporibus, tactilibus, quia hæc cum tempore patiuntur, & motus sunt successiui, siquidem cum motu locali fiunt, vbi propinquiores celerius audiunt, odoratur, gustant, tangunt, quam remotiores, sed in visione est alteratio, quæ tota simul fit. 8. libro physicorum, & primo in Melissum sicut illuminatio fit tota simul, quia est alteratio sequens motum luminosi, qualecum adest illico complet orizontem luce, & illuminatio illa est alteratio ex libello de sensu, & sensili ad calcem. Ego vero pace tanti philosophi sentio omnem sensum versari in alteratione subita quoad sensum, sed quo ad odorabile, gustatile, auditile, tactile moto locali, motu accidere, vt in tempore fiat, sicut apparet in voce, & echo. Nam tria sunt, quæ accidunt sensibus, vt primum sint in quadam relatione, vt secundo in alteratione, & vtraque modo subita est mutatio, vtque tertio in sequela alicuius moti localiter, quo fit, vt motus sit sensilium in tempore. Nec obstabit si species rei visilis per medium veniat ad extremum, quia in medio nulla est resistentia, & repugnantia, iccirco statim fit, & in visione solũ est prius natura, & posterius, vt dicatur species prius in medio, quàm in organo, sed nõ prius tempore. In sono, quia species soni, & species odoris, saporis transmittitur de parte medij in aliam partem, consequiturque motum localem alteratio ipsa, seu sensatio soni, odoris, tactilis &c. At in visione non ita transmittitur, vt vnam partem relinquat, & aliam accipiat successione, quinimo præsens sensile totum diaphanum perficit, & simul alterat organum, & sensum, & vnica alienatione perficiatur sensus. Hæc dixi, vt sciatur qui motus sit sensuum, nempe passio, alteratio, & huiusmodi abusiue sine intentu, & successione cum perfectione ipsius sensus. Cæterum audiutura est, quemadmodum sensus mouetur ab actu existente, iccirco videre est, an istud sit sensus agens.

## *Digressio, ne sit sensus agens.*



AGNA quidem contentio, ne sit sensus agens, qui requiratur ad mouendum sensum vltra sensile. Reperi in hac controuersia duas opiniones, quarum prima censet sensum agentem, & ad spetiem efficiendam, & actionem sentiendi nec ob id sensile superfluum. Secunda sentit sensile sufficere ad producendam spetiem in sensu, sed ad sensationem, actum sentiendi requiri etiam sensum agentem. Ego ab his dissentio nullum affirmans sensum agentem, cum species producta ad organnm faciat operationem sentiendi, cum apud me idem sit receptio spetiei, & sensatio, tametsi cognitio sensualis non fiat, nisi spiritus actionem obtulerit animæ existenti in corde primo sensiterio, vel in cerebro. Verumenimuero præponam rationes primæ, & secundæ opiniones, quibus confutatis, aut dissolutis meam confirmauero. Prima his confidit argumentis. In omni natura est omnia fieri, qui est sensus patibilis, & omnia agere, qui est sensus agere in hac natura animæ sensitrice, ergo sensus agens est. Non enim sensile, quia non est eiusdem naturæ cum sensu passiuo. Hic forma,

illud

illud vero qualitas,& non substantia. Secunda ratio anima est per sensum omnia sensilia, & per intellectum omnia intellectilia, ergo etiam erit sensus agens, sicut intellectus agens hic faciens omnia actu intellecta, ille vero omnia sentiri. Rursus Auerh. fatetur comment. suo 37. in hoc 2. libro animam sensitricem esse causam verorum, & existimatorum motuum, qui sunt motus facultatum animæ sensitricis cognoscentis, ergo est etiam ibi facultas actiua sentiendi, & sensus agens. Quinetiam Gandauensis assumptis quibusdam postulatis credidit conuicisse dari sensum agentem. Petit sensum patibilem esse facultatem receptiuam sensationis, cum hæc sit perfectio eius, & hanc desiderat, ergo ex quo ipsa est mere passiua indiget aliquo principio immediato huius sensationis. Petit item illud nobilius, cuius operatio est nobilior actione alterius perfectissima. Petit tertio efficere nobilius ipso recipere, quoniam assimilari nobilissimo aduenit per efficere, & non per ipsum recipere. Quarto petit speciem rei sensilis non nobiliorem facultate sensitrice, quia virtus propria nobilioris substantiæ & nobilior eiusdem accidente, sicut est species sensilis, quæ etiam potest esse in ipsis medijs inanimatis aere, & aqua, & item virtus cognoscens nobilior non cognoscente, facultas sensus cognoscit, spiritus sensilis non cognoscit, ergo potentia sensus est illa nobilior. Ex his argumenta facit prima ex quo indiget principo per se immediato vel erit sensus agens, vel sensile id initium sensationis, non sensile quidem, quia simul agens cum passo esse debet, & sensile distat a sensu, nisi dicatur esse substantia animæ agens, sed hæc non potest facere nisi per aliquam potentiam, quæ non est species sensilis, ne ista dicatur esse nobilior sensu, quia efficeret sensationem, & id nobilius est ipso recipere sensationem, & multis argumentis persuadet speciem sensilem non nobiliorem sensu, quæ non necesse est enumerari. Secundum argumentum elicitur ex eo, quia principium sensationis aut est sensile, aut species sensilis in organo, aut in sensu, aut aliqua potentia sensitiuæ animæ actiua. Non sensile ex dictis, ergo vel species sensilis in organo, vel in sensu, neutro modo quidem dici potest, ergo sensus agens erit. Neutro modo esse docet, quia species est principium receptiuum sensationis, & non actiuum, neque idē respectu eiusdem est receptiuum, & actiunm. Assumptum probat, quia idem non potest esse susceptiuum diuersorum ordinatorum, sicut est species sensilis, & sensatio, prior enim est species sensilis sensatione, ergo sensus per speciem sensilem recipit sensationem, non ergo actiua, igitur erit sensus actiuus alius a passiua potentia, concludit iste vir sensum agentem immediatum principium actiuum sensationis in sensu passiuo disposito specie sensili a sensili generata, ita vt sensile efficiet speciem in medio sine sensu agente, & in organo, & in sensu, qua recepta fiat aptus sensus ad recipiēdam sensationem a sensu agente. Hic peccauit sæpe & in petitionibus, & assumptionibus, & in proprio dogmate. Et stultum esset habere solicitudinem de omnibus. Satis sit confutare suum dogma, & dicimus non esse sensum agentem vllo modo, nec pro spetie facienda, nec pro sensatione, sed speciem sensile in organo efficere speciem in sensu, & hanc receptionem esse ipsam sensationem, & minime quid diuersum a sensatione, vt Gandauensis putat multiplicans res superuacaneas. Et sensum agentem, & sensationem differentem a receptione spetiei sensilis, & plures quinque sensibus, quinimo facit alios quinque sensus actiuos, vt vnus sit visionum, alter auditionum, tertius odorationum, quartus gustationum, quinctus tactionum, de quibus non dixit Arist. solum esse quinque, sed de passiuis sensibus, Ergo iste accumulat alios quinque actiuos sine Aristotele e suo marte, cum tamen ex eius dictis semper procedat. Quinimo aliud ridiculum subiungit, videlicet numerari quinque sensus, & quemlibet diuidi in actiuum, & passiuū, cum tamen immemor iste sententiæ Arist. cum facit omnem sensum receptiuum spetierum sine materia, & deinde hos numeret quinque esse. Si ergo dixit omnem sensum receptiuum, non dixit actiuum. Ac mirum Arist. plane asserere vnum intellectum agentem, tacuisse vero tot sensus agentes necessarios. Ac quid opus esset sensu communi, si agens præesset cuique sensui passiuo? Dicet, vt corrigat, & iudicium faciat de sensilibus propriorum. Et ego obijcio sufficere sensum cognoscentem facere de sua actione iudicium. Atque adde si sensile est sufficiens ad maius, & sufficiens etiam ad minus, quando precipue vnum fit propter aliud, sed sensile, vt color potest producere speciem in sensu & in organo, ergo etiam sensationem sine agente sensu. Et reuera non considerauit iste verba philosophi cum distinguit aliquid actu, & potentia, & dicit sensum potentia esse actu sensile, si fit actu sensile per speciem, ergo si sit actu tum potest agere, quid omne quod est in actu potest secundum actum illum agere, ergo non eget sensu agente. Rursus fatetur idem vir sensum quemlibet actiuum esse in eodem organo cum passiuo. In quo demiror istum quomodo duo contraria locet in eodem subiecto, & organo, & cur organum dicatur potius

tius in potentia passiua, quam actiua, si habet sensum agentem, & cur non faciat sentire sine spetie? Et si agens sensus est in organo hoc per ipsum aget, sicut per passiuū patitur, quid ergo agit? Dicet sensationem? quare, & organum efficiet sensationem, & non solum agens sensus. Atque si vis sensifica agens est in organo, cum & ibi sit species sensilis cur non facit organum sentire sine sensu passiuo? quia virtus actiua per Auerh. potest ex se deduci ad actum. Quinimo aliud ridiculum concedit videlicet sensum agentem agere in ipso sensibili hac ratione, quia agit in sensum formatum spetie sensili, quæ est principium receptiuum sensationis, simile est id ac si quis euertens vestigiū pedis diceretur auertere pedē. Absurdum. Addit itē idem esse obiectū sensus agētis, & sensus passiui, quia pertinent ad vnam sensationē, licet aliter, propterea quod idem obiectū est sensus passiui, vt agens, sed actiui, vt patiens non quia agat in obiecto, sed in spetie obiecti, sed iste non vidit grecæ vocari obiectum oppositum, ergo sensus agens habet oppositionē, & quia sicut agit in spetiem sensilem, ita habebit oppositam speciem sensilem, non ergo hæc species recipiet eius actionem, quia opposita est. Et quomodo accidens intentionale spirituale potest recipere actionem alicuius, vt recipiat, & sit velut materia? & si species sensilis recipit sensationem, erit verum dicere species rei sensilis sentit. Addit etiam nugas eundem sensum agentem posse agere visionem albi, & visionem nigri, propterea quod sensus cernendi aliter dispositus est spetie nigredinis, & aliter spetie albedinis, quia plus posset dispositio faciens distingui sensationes, quam agens sensus non potens separare. Hinc traditur in aliud absurdum dicens non mirum, si etiam adhuc multiplicentur sensus agentes pro numero specierum visionum, & sensationum. Et reuera vno absurdo concesso alia succedunt. Et denique introducit duplex agens. Vnum disponens, alterū perficiens censet inde sensile conuenire ad spetiem sensilem primum, sed ad sensationem dispositiue, sensum vero agentem ad sensationem. Hæc censura, & hoc dogma est commentitium. Et breuiter confuto suas defensiones. Arguebant aliqui, quod inferior esset hic sensus agendi, illo patiendi, quia hic cognoscit, ille actiuus minime. Nobilius est cognoscens non cognoscente. Respondebat Gandauensis intelligi hoc quatenus cognoscens est passiuus sensus esse eundem nobiliorem, sed secundum essentiam sensus agens erat nobilior passiuo, vt substantia celi nobilior pro orbe separata intelligentia est musca cognoscente, & tamen cęlum eiusmodi non cognoscit. Hoc responsum factitium est, quia natura fecit cognoscens superius non cognoscente, & quod melius cognoscit longe præstantius minus, & deterius cognoscente, ita, vt quod voluit esse nobilius, huic dedit etiam plus cognitionis, ergo essentia passiui, qui cognoscit erit nobilior essentia actiui, quia natura noluit esse illum cognoscentem. Rursus quomodo sensus agens non cognoscens parit sensationē, quæ est cognitio quædā? Quod si ille non cognoscit, & agit etiā sensile poterit agere non cognoscens, ad quid asserit sensum agentem, cum agens conferens formam, conferat & actionem insequentem formam. Sensile spetiem sui, ergo & actionem affert. Respondebat Gandauensis ad aliam rationem dicentis, si sensus agens esset sensationis causa, posse sentiri aliquid sine externo obiecto per sensum agentem, præcipue clausis oculis retenta spetie sensili per aliquod tempus. Dicebat id fieri non posse, quia tum non est sensus satis dispositus sine præsentia sensilis, quasi admittat clausis oculis remanere spetiem in sensu externo. Decipitur, quia mandata est phantasiæ, & memoriæ, putat eandem spetiem in sensu esse externo. Est enim species illa in sensu, sicut vestigium pedis in aqua, quo remoto, ilico cessat vestigium, equæ remotu sensili, species deficit, & alia orta in phantasia &c. Rursus obijcitur sensus per illum recipit spetiem sensilem a sensili, ergo patitur ab eodem, & receptionem ab eodem, sed receptio est sensatio alioquin posset figi species in sensu sine sensatione quod est falsum, quia non remanet species ibi sine sensatione. Secus enim in memoria, & in sensu externo, species sensilis est, ibi remanet, non autem in sensu externo. Ad quartam rationem, quæ constituit omnem sensum receptiuum specierum sine materia respondebat eam Arist. sententiam dici de omni sensu passiuo, qui recipit spetiem tanquam principium dispositiuum ad sensationem, quoniam sensus agens est principale, quod mirum videri debet ex eo, quod non disponitur sensus pro receptione spetiei a sensili corpore, & tamen asserit disponi pro sensatione vbi agens incorporeus cum passo incorporeo cōuenit. Hinc prome argumentum, si de quo magis, & non inest, ergo nec de quo minus, sed magis videtur requiri dispositio pro spetie imprimenda sensu, & non requiritur apud eum, ergo neque pro sensatione. Requiri magis oportere pro spetie imprimenda dispositionem ex eo apparet, quod sensile est nimis corporeum, & sensus magis incorporeus ergo pro natum agentis saltem debuit præparari. Rursus fatetur esse receptiuum specierum sine materia proprium omni

sensui

ſenſui,& vniuerſale,ſed non ſoli,quia competit etiam medio aeri, vel aquæ ſaltem analogice & minus ſpiritualiter,quam ſenſui. At vero errauit Gandauenſis,quia receptio ſpetiei intelligit im materialis ſine conditionibus materiæ, inter quas eſt recipi in ſuperficie, medium recipit in ſuperficie ſpetiem illam,ſenſus autem ſine ſuperficie,quare omnino diuerſe recipitur a ſenſu. Coloris ſpeties in medio ex ea ratione eſt ſpiritualior,quia recipitur,ſeu admittitur a corporis ſuperficie tenuioris longe minore ita,vt non poſſit imprimi ſicut eſt in re obiecta, aut quia ſolum eſt medium delatiuum per ſuperficiem non aptum imprimi colore, ſed ſimilitudine eius, ſed crede mihi de hoc modo deferendi,aut recipiendi ſpetiem in medio magnum,& arduum eſt referre. Dabitur occaſio dicendi vberius,nunc ille errat,quia ſenſus eſt primo,& per ſe, ſecundum quod ipſum receptiuus ſpetierum perfectiue,& propter cognitionem,cuiuſmodi nec medio, nec organo conuenit. Ad quintam rationem reſpondens ille ad dicentem, ſi ſenſus agens videndi, hæc oratio non eſſet in 2 modo dicendi per ſe color eſt viſilis,quia videretur per actiuum ſenſum videndi extrinſecum dicebat ſi agens ſenſus præberet habitum colori,aut diaphano, tum color nõ eſſet viſilis 2. dicendi modo,ſed non confert,quia color per ſe mouet diaphanum ſine ſenſu agẽte pro ſpetie relinquenda in viſu diſpoſitiue agendo,vt ſenſus agens agat ſenſationem. Hoc reſponſum non facit ad rem,quia peto a Gandauenſe,cur color non facit ſenſationem,ſicut & ſpetiem? Non poteſt dicere,niſi voluntarie,quia requiritur ſenſus agens. Ego ſecus dico,potens in maius poteſt in minus conſequens neceſſario maius,ſed ſenſile producit ſpetiem, quæ eſt maius, quam ſentire,ergo poterit facere & illud ſequens actionem. Et tandem concedit hic homo ſenſum in potentia eſſentiali ad actum ſentiendi,qui fit a principio actiuo ſenſu immediate, ego ſentio idem ſenſile producere in medio ſpetiem,in organo, in quo illa virtutem ſenſilis ſpiritualius ferit ſenſum,& ipſe recipit ſimul ſpetiem,& ſenſationem,quinimo illa receptio ſpetiei eſt ſenſatio,licet non cognitio,niſi anima per ſpiritum traducentem ilico ſpetiem,& ſenſationem ad primum ſenſiterium,vbi anima apprehendit, & cognoſcit. Et ſi dices anima eſt in toto, & tota in qualibet parte ex dictis,ergo erit in partibus externis,& ita non opus eſt ſpetiem, & ſenſationem produci ad primum ſenſiterium. Reſpondeo quinimo,quia ſedes animæ ibi primum eſt, vt cognitio fiat perfecte,& in ipſo centro eſſentiæ animæ,de quo in libello de ſenſu, & ſenſili. Obſtaret opinioni meæ Gandauenſis dicens,anima eſt cauſa efficiens motuum verorum, & exiſtimatorum,hoc eſt ſenſationum,ergo non ſenſile per ſpetiem in organo facit ſenſationem. Reſpondeo animam eſſe cauſam non motuum exiſtimatorum, idest motuum, qui non veri ſunt, ſed abuſiui effectricem apud explicationem Gandauenſis,qui non intellexit verbũ illud Auerh. ſiue veros,ſiue exiſtimatos,ideſt cõmuni exiſtimatione receptos motus eſſe,vt accretio eſt,diminutio nutritio. Quinimo ſenſationes non ſunt exiſtimati motus, cum abuſiue dicantur. Nec ſecunda ratio eius obſtat,cum petit, & ſupponit omnem actum intentum a natura habere aliquod agens immediatum,& inde diuiſo argumento probat,non eſſe ſenſum paſſiuum,quia recipit, non ſenſile,quia non tangit ſenſum, non ſubſtantiam animæ, quæ non ſine potentia agit, non corpus, quia ſentire eſt primum ab anima,non ſpeties ſenſilis, quia eſſet nobilior ſenſu, quod falſum. Nam ſpeties ſenſilis eſt accidens. Virtus, & potentia eſt ſubſtantiæ animæ nobilioris &c. Reſpõdeo a pari neque colorem ſenſilem eſſe nobiliorem ſenſu paſſiuo,quia accidens eſt corporis colorati,& ſenſus eſt virtus paſſiua animæ,& tamen ipſe faſſus eſt in ſuperioribus quæſtionibus ſenſili qua agens nobilius ſenſu patibili, licet eſſentia ſenſus maior ſit eſſentia coloris ſenſilis, quia habet eiuſmodi aliquam operationem nobiliorem ſenſili,ſimili modo dicendum ſpetiem ſenſilem agentem virtute ſenſilis per contactum organi qua agit nobiliorem, licet eſſentia eius ſenſu paſſiuo ſit inferior. Cum addit alio argumento ſpetiem ſenſilem eſſe immediatum principium receptiuum ſenſationis omnino aberrat ſi intelligat ſpetiem in organo,& ſi prout in ſenſu eſt intelligit ſpetiem iam diximus recipere ſpetiem eſſe ſenſatiõnẽ, & hoc non vidit Gandauenſis adhuc ſeparans ſpetiem a ſenſatione in externo ſenſu. Et ſi hoc verum in ſenſu interiore communi,phantaſia,memoria,non tamen in ſenſu externo. Et ſi dicat, differant ſaltem ratione. Dico iſtam rationem eſſe per opus intellectus diſtinguentis ſpetiem ratione a ſenſatione, ſed in bruto ſenſatio,& receptio ſpetiei ſimul eſt,vt in muſca,quæ ſtatim reuertitur eo,vnde expulſa fuit, vbi non eſt ſpeties ſine ſenſatione plane. Et quanto plus conatur Gandauenſis oſtendere ſpetiem ſenſilem eſſe principium immediatum receptiuum ſenſationis,eo plus contendit negare, quia receptio ſpetiei eſt ipſa ſenſatio,& ſpeties eſt virtutę ſenſilis actiua in organo, quam cum recipit ſenſus ſentit, iccirco valeat opinio Gandauenſis, qui nec verbum Auerh. ſupra exiſtimatos motus intellexit

intellexit, existimatos pro receptis consensu scriptorum intellexit, vel forte si intellexit sensationes motus illos more Platonis dicebat, qui sensus facere non pati, vt visus extramittebat, credidit. Et tamen inde eliciunt suum dogma de sensu agente, de quo nusquam reperies in Aristotel. scriptis. Hactenus.

## Contex. XLVIIII.

*Distinguendum rursus de actu, & potentia. Nunc vero de his simpliciter dicimus. Etenim sciens sic aliquid dicitur, vt si asseramus hominem ex eo scientem, quia est homo e numero scientium, & habentium scientiam. Est item velut dicimus scientem eum, qui gramaticem habeat, sed vterque horum non eodem modo potens est, sed ille quidem, quia tale genus est, & materia. Hic vero, quod si vult, contemplari potest, nisi quid externum vetet. Adde esse etiam qui actu considerat, qui actu est, & proprie sciens, hoc a, ergo primi ambo potentia scientes sunt. Verum alter doctrina alteratus, & sępe e contrario habitu mutatur. Alter autem ex eo, quod habet sensum, aut Grammaticem, sed non operatur, & ad operandum alio modo.*



SEXTVM commune proponitur, quomodo scilicet sensus sit potentia, & mutatur, iccirco duos modos potentię affert, & exemplis scientis ostendit vtrunque. Addit tertium de sciente actu. Denique ponit discrimen inter vtrunque potentia talem. Quatuor legens igitur. Et a primo ordire, cum proponit diuisionem, seu distinctionem de actu, & potentia crassa minerua, & leuiter. Nam exquisitius, libro metaph. nono agitur Auerh. continuarit lectionem, vt ego dixi. Simplicius refert hęc dicta ad sequentia, quoniam his expeditis de actu, & potentia, erit definitum de ipsa sensus passione. Philoponus credidit continuari proxime supra contextui, quia Aristot. accepit pati, moueri & agere pro eodem, ne ambiguitas restet, nunc distinguit actum, & potentiam. Conuenit diuidi vocem potentię, & actus, ob id proponitur. Distinguendum seu diuidendum, rursus de actu, quod iam scilicet est in affectu, & potentia. Multa vtrunque complectitur, Et ne quis putet hunc locum aptũ potentię, & actu diuidundis, & dici exquisite, & definite, subiungit. Nunc vero de his simpliciter dicimus apud philop. Simplicium idest indefinite, & indeterminate. Ego vero statuo dici illud simpliciter, leniter, & pro vsu pręsentis negocij tantum. Exquisitius, & vberius libro nono meta physi. disseritur. Quo ad aduerbium illud (nunc) Philoponus dupliciter exponit, vel quia paulo supra visus est eo quod potentia, & actu, vel nunc, idest vsque ad hanc diuisionem mentio de potentia, & actu leuis est, & simplex non exquisita. Duo subijcit materię potentię, vna est natiua habilitas generis, vel speciei, sicut dicitur homo potest scire, quia per naturam sui generis potest addiscere. Habet enim mentem, & dianęam, Simplicius credidit esse hanc potentiam materię ad formam imperfectam ad ortum. Quamquam & materia sit in potentia ad formam hoc modo, vt contextu erit verbum, tamen in exemplo hominis non intelligitur potentia fętus ad animam humanam, sed iam hominis habentis animam mentem, vt pueri 7. annorum pręcipue ad habitum alicuius artis, vel scientię. Nam eo modo remotior est potentia, hoc vero propinquior & media inter illam ad animam humanam, & potentiam ad actionem, cuiusmodi erat anima actus primus, sicut habitus, quod notat quoque Philoponus, cum ergo triplex sit potentia ad substantiam hominis, ad habitum naturalem sciendi, & ad actionem sciendi, primus modus est potentię iam habentis substantiam, ceu intellectricem in potentia ad habitum scientię iccirco dicit etenim sciens sic aliquid dicitur, vt si asseramus hominem ex eo scientem, quia est homo e numẽ ro scientium, & habentiũ scientiam, icirco quilibet homo dicitur capax scientię, quia in se habet vnde possit capessere, videlicet intellectum, & rationem. Et si non omnis capessit, hoc est e libertate hominis eligentis, vel e vitio, vel e morbo longo, vel e praua consuetudine. Nec frustra est illi hęc potentia generis humani, & talis materię, si hic, vel ille nescit, saltẽ sufficit plures, alios scire, & ita reducitur ad actum. Plures occasiones intercedunt, quibus homo impeditur, ne sciat, quas commemorare longum esset, sufficit cuique innato capedo ex natura suę speciei. Hęc alijs animalibus negata est, & si in illis quędam appareant vestigia, vt in Elephante, in formica, &c. Sola ratione viuit homo, & arte vniuersalium, Ergo hęc potentia est generis, seu speciei. Aduerte

AA subiun-

subiunctum & habentium scientiam, pro his, qui possunt habere scientiam ex natura apta, & corpore apto rectiformi ad contemplationem. Cętera animantia prono capite tanquam ventri dedita. Homo autem proceræ staturæ, & os sublimæ habuit, vt parsimonia vtens, quæ est magnum vectigal rei familiari, & diuturnæ vitæ custodia contemplaretur Dei, & Naturæ opera, de quibus alibi. Hactenus exemplum primi modi potentiæ. Sequitur secundus modus habentis habitum, & non operantis secundum eum. Hic dicitur in potentia, & facultates operandi iuxta habitum sciendi. Inquit. Est item, modus potentiæ alius habitualis formatis ad actionem, velut dicimus scientem eum, qui grammaticēn habeat, sed non operatur, attamen potest potentia propinqua cuiusmodi erat anima dans animato potentiam vtendi actione. Hæc potentia reperitur maxime, vbi actio distinguitur ab habitu, & substātia, quocirca intellectus agens, propterea quod substantia eius, & intelligentia, intellectioque idem sunt. Ob id in eo non est talis potentia, semper scit, & intelligit. Neque in deo, & mentibus diuinis. Vtrum autem, & si semper sint in actu secundo perfectæ saltem per voluntatem possint nolle contemplari? Philosophi dicerent non posse, quia repugnant secundam contraditionem semper contemplari, & aliquando non contemplari. Ex quo sunt intelligentiæ, quæ semper intelligunt actu, si aliquando nōn intelligerent voluntate sua, ergo non semper intelligentes. Habent ergo voluntatem beneplaciti. An possint nolle, crediderim posse nolle, non autem simul duo contradictoria, & contra suam essentiam. Neque homo liber potest dum est, se nolle esse. Contradictionem implicant. Attamen nostrum genus, quia potest esse, & non contemplari, neque habere scientiam, iccirco sua voluntate potest recusare scientiam, atque habitam nolle contemplari. Cęterum assignatis duobus modis potentiæ, quomodo differant annectit. Sed vterque horum scientium, & potentium scire non eodem modo potens est, sed ille primus quidem, quia tale genus est, hoc est dicitur in potentia naturæ sui generis, & dicitur potens, quia sua species, suaque natura potest esse capax scientiæ. Et materia genus accipit Simplicius pro spetie humanæ naturæ, prout potentia est, iccirco adnexum putat, & materia, quæ est potentia forma, & quod suscipere potest. Debuisset etiam aduerte mysterium vocis, quia aliquibus naturis competit aliquid sub ratione generis, quod non competit sub ratione spetiei, vt cęlum diuisile qua corpus, non qua tale cęleste, iccirco posset dici cęlum in potentia diuidi, & si actu nō diuidatur, vt ergo notaret Aristot. etiam id vsus est voce generis. Philoponus genus intelligit subiectum, & quo ostendatur qualis sit potentia sensus, scilicet passiua subiunxit, & materia, a quo differt alter sciens. Hic vero, quod si vult contemplari potest. Habitus ab actione distinguitur. Et redacta est actio contemplandi ad voluntatem, quia habet habitum, & vnde potest, nisi quid vetet. Multa prohibent. Aduerte priorem potentiam esse passiuam, & secundā actiuam. Quod aliquis sit capax disciplinæ, & in potentia sciendi ex natura, ea potentia capedo est, & passiua perfectibilis. Quod autem habet habitum, per hunc potest actiue exercere actionem, verum potentia prima est passiua ad habitum, & operationem velut illa naturalis potentia ad scientiam, & contemplationem. Hoc non viderunt Græci, neque interpretes ante me. Mox tertium addit de sciente proprie, & vero actu, adde esse etiam, qui actu considerat, & operatur, sed hoc non est in potentia. Qui actu est & proprie, sciens hoc, a, elementum dedit minimum, vt ostendat, qui scit vnam orationem, vnam litterā potest dici sciri, vt puer cum scit. a. & ignoraret. 6. diceretur scire actu. Vtrum vero puer sciens alphabetum græcum, vel latinū vniuersalia sciat, bona perscrutatio est non grammatici, sed philosophi. Scientia quatuor modis sumitur primū pro quauis notitia rei Simplicis, complexæ necessariæ, & contingentis, hoc modo sumitur hoc loco, secundo pro notitia complexa, & ratiocinatiua vtrunque problematica, demonstratiua, tertio modo pro cognitione necessariorum, quarto pro notitia conclusionis per demonstrationem tantum, Arist. accipit scientem vtrunque, & scientiam. Exemplo declarat, sciens hoc, a. Rursus quomodo conueniat inter duos scientes potentia, & quid differrat, indicat. Ergo primi ambo potentia scientes sunt, sed vna remotior, altera propior. Hactenus conueniunt. Differentia est. Verum alter doctrina alteratus, siue dicatur disciplina, non refert. Doctrina, disciplina eedem subiecto, differunt ratione. 3. libro physicorum, & si in verbo ipsius doctrinæ alteratio magis appareat. Si ex ignorantia ad habitum quædam generatio est secūdum quid, & vocanda est alteratio. Nam Simpliciter generatio non est, ex eo, quod anima non fit per habitum doctrinæ acquisitū, (nec homo fit, sed homo sciens, vel anima. Quod Simplicius addit dicens alterationem esse motum continuum) de hoc dubium est, & non ad propositum præsens. Nam non proprie alteratur quis per doctrinam, ergo alteratio improprie dicitur, sed ex ignorantia mutatur omnino pri

uatione

natione doctrinæ, vt puer, qui primum imbuitur. Quis item mutatur ex doctrina falsa, & opinione in veram. Dicebat Arist. duplicem ignorantiam primo post. Vnam negationis, alteram prauæ dispositionis, ceu primo modo, si quis discat, & non didicerit vnquam, hæc est mutatio ex priuatione ad habitum, & est alteratio, non generatio, vt putat Philoponus, nisi secundum quid, secundo modo, si quis vel e præceptore, vel ex se imbuerit prauam scientiam, & falsam, & postea eam dimiserit, & bonam acceperit. Hæc fit e contrario habitu in contrarium. Et si contrarium est priuatio alterius, tamen non simpliciter negatio & priuatio est sicut primo modo. Aliud est pingere nudam tabellam, aliud pingere delendo contrariam imaginem. Sic anima nostra nota imbuitur ex mera ignorantia, & ex contraria disciplina falsa in veram mutatur. Iccirco subditur: Et sæpe e contrario habitu mutatur, idest ex ignorantia prauæ dispositionis. Iccirco necesse est quærere doctos scriptores, & magistros. Hæc referantur ad eam potentiam, qua quis caret habitu. Additur altera potentia, qua quis obtinet habitum, sed non operatur. Alter autem ex eo, qui habet sensum, innuit quo hæc referenda sint, idest ad sensum, quia læsus est in potentia ad sensum, & in potentia habito sensu ad sensationem, & speciem rei sensilem, aut grammaticen, id dicitur ne ab exemplo recedamus, sed non operatur secundus modus potentiæ hic est habentis habitum, non operantis, & ad operandum tamen est potentia alio modo, adde a primo. Summatim potentia prima negat habitum, secunda presente habitu negat operationem.

## Contex. L.

*NEC simplex ipsum pati, sed partim est interitus a contrario quidam, partim vero salus potius eius, quod potentia est ab eo, quod actu, & simili sic, vt se habet potentia ad actum. Nam contemplans fit ille, qui obtinet scientiam, quod non est alterari. Siquidem est ac cessio, & in actum, vel alterum alterationis genus. Vnde non bene asseritur cum sapiens sapit, alterari, sicut nec ædificator, cum ædificat. Quod ergo ducit ad entelechiam ex eo, quod est potentia iuxta id, quod intelligit, & sapit non doctrinam, sed aliam nomenclationem habeat par est. At vero quod potestate est discens, & accipiens scientiam ab eo, quod actu est, & habet vim docendi aut non pati concedendum est, sicut pridem dictum fuit, aut duos esse modos alterationis. Vnius quidem, quæ est mutatio in priuantes affectus, & alterius in habitus, & naturam.*



T distinxit modos potentiæ duos, quibus respondent duo modi actuum, simili modo distingui dupliciter pati, seu passionem, vel affectionem, vt docent quando sensus ex eo quod est potentia ad actum reducitur quomodo patiatur, siue ex potentia ad habitum, siue ex habitu ad operationem. Vt distincte legatur, primum diuiditur passio in duplicem, & vnam cum interitu contrarii, vt frigidum a calido patitur, & vbi expellitur alterum contrarium. Neque omne quod interit ob aliud est contrarium illi proprie, nisi proprie intereat, velut lumen minus deficit accedente maiore, nec ei contrarium est proprie. Atque deficit lux præsentibus tenebris, nec propriæ contraria, nisi sicut forma priuatio. Alteram vero passionem dicimus potius perfectionem, salutem, quia ex ea, quid perficitur sine interitu alicuius. Hoc primum lege. Nec simpliciter ipsum pati est, idest non vno modo, sicut Porphirius vsus est aduerbio simpliciter. Videtur autem genus nō simpliciter dici, idest non vno modo, nunc dupliciter. Et vno cum patitur quid a contrario, & contrarium interit, vel summe, vel remisse, vel omnino, pro vigore agentis, & debili resistentia, vel magna patientis, & contrarij. Omne quod alteri resistit, precipue ob contrarietatem resistit. Inquit sed partim est interitus a contrario apud Simplicium siue contrarium sit proprie, siue sit, velut priuatio, & habitus cum etiā vnum contrarium sit priuatio alterius. Verum de contrario multiplici habes in quinto metaphysi. libro, nunc alter modus patiendi assignatur. Partim vero salus potius eius, quod potentia est, & quia duplex erat. Vna generis, & subiecti natiua ad habitum, de qua erit sermo ad finem contextus. Alia vero potentia ab habitu ad operationem, de hac nunc inquit, vt indicet hęc motio, & deductio ad actum si sit alteratio, aut non. Ait ab eo, quod actu idest ab habitu, & simili iam facto per habitum, sic, vt se habet potentiam, seu facultas habitus ad actum, idest vt erit habitus


bitus ad operationem, ficut duplici exemplo oftendit fcientis, & ædificantis, Simplicius annotat illud fupra aduerbium ( Potius) dicens adiectum ex eo, quod in generatione ex contrario etiam eft aliquid perficiens, & falus, tamen etiam aliquid interit proprie, fed in fecundo modo patiendi fola falus eft primaria & fi aliquid deficiat, Auerh. fecundum materiam patiendi appellat eua fionem patientis ab eo quod eft fimile in actu primo, & habitu potente operari, at operatio eft actus fecundus, iccirco loquens Arift. de hac mutatione ex habitu ad actionem, inquit eam non appellandam effe alterationem, cum ex non agere ad agendum, vel ex ocio ad operandum mutatur, nifi fit concedendum alterum alterationis genus, quinimo nec aliquem habitum debemus appellare, vt in exemplis de fciente non doctrinam dicit philofophus. Lege exempla de mutatione fecundæ potentiæ ad actionem. Inquit, nam contemplans fit ille, qui obtinet, & obtinuit fcientiam, non amifit. Qui obtinuit, hic poteft contemplari cum noluerit amoto impedimento, & cum traducitur ab habitu ad actionem, hoc eft a fcientia ad contemplatione, hæc mutatio nõ eft alterari proprie cum interitu alicuius, quia nil interit, immo habitus fubfiftit in anima, per quem operatur. Et alteratio 7. phyfi. licet fit communiter in omni fpetie qualitatis, tamen proprie in tertia qualitatum patibilium, & actiuarum. At vero traductio ex ocio ad actionem nulla eft alteratio qualitatis in nulla fpetie qualitatis, fiquidem actio eft in alio genere, & mutatio nomen habet a termino ad quem, iccirco potius negociatio vocatur, vel alio modo, & fi quis obftinate velit hoc genus mutationis appellare alterationem, vt facit Plato in Theęteto de fcientia libello, cõcedatur, dummodo alterum genus alterationis admittat a proprio, vt ergo docuit author non effe hanc mutationem ex habitu in actum alterationem, dat ei nomen, & dicit fiquidem eft acceffio, & incrementum perfectionis, perfectior enim fit habitus operans, quam non operans, & ideo liberalis perfectior cum dat, quam cum non dat, & doctor in actu, quam doctor non profitendo, & miles in actu, quam non miles in actu, & facerdos in facrificando, quam non facrificans, & medicus in operando fciens, quam ceffando fciens. Auget operatio perfectionem habitus. Operatio ergo eft acceffio virtutis, & habitus & in actum exercitationem deductio habitus. Quare non eft alteratio proprie. Quod fi quis abufiue velit effe, audi vel alterum alterationis genus afferat Plato, proprie autem dici non poteft. Græce ἀλλοίωσις alteratio dici deberet ex cratylo Platonis, quod nomen e duplici cõponitur ex ἄλλῳ alio, vel altero, & ἰών græce, quod fignificat. itionẽ fignificatio igitur eft itio ad aliud, vel alterum, ob cacophoniam malam conuocalitatem latini mutauerunt. i, in a, & dixerunt non alteritionem, fed alterationem, communiter igitur alteratus dicitur quicunque vtrunque mutatur, & eft quodammodo alter cuiufmodi mutatus ex ocio ad negotium ex habitu in actum poteft dici alteratus, fed fi proprie accipiatur alteratio mutatio ad qualitatem, & maxime de tertia fpetie actiuam, patibilem ialis mutatio ex habitu ad actionem non poteft appellari alteratio. Tranfit author ad exempla. Vnde non bene afferitur, cum fapiens ad actum traducitur fapit alterari. Secundum exemplum. Sicut nec ædificator, cum ædificat. Colligit ergo decretum vniuerfale exemplo proprio, & dicit. Quod ergo ducit ad entelechiam actum internum continentẽ ex eo, quod eft potentia iuxta id, quod intelligit, & fapit, non doctrinam hanc traductionem, & mutationem, immo iam habet doctrinam habitum, vel difciplinam, Sed aliam nomenclationem habeat par eft. Hactenus de fecunda potentia ex habitu ad actionem. Mutatio hæc acceffio eft, & non alteratio, nec quecunque acceffio, nifi perfectionis. Et fiquis vult hanc acceffionem appellare alterationem, introducat etiam alterum genus alterationis. Cæterum aduerte, fi contemplando, vt accidit Thaleti fufpicienti cęlum cum aftrolabio, vel quadrante incidere in foueam alteratur quis, id effe per accidens, fimiliter, fi impediatur contemplari præ ebrietate. Simplicius alterationem corporatam folum putat dici alterationem ab Arift. & non animalem, id eft mutationem in anima. Quinimo alteratio dicitur ad primam, & fecundam fpetiem quando animus acquirit habitum, & ammittit fcientiæ ex feptimo phyfi. Philoponus vocat generationem cum ex ignorantia mutatur in fcientiam, fi appellat generationem fecundum quid fubfcribo, fi autem fimpliciter, nego. Nam terminus eft accidens non fubftantia, quinimo materia prima fi mutatur ex non qualitate preuia formæ ad alterum qualitatem cõferuatricem formę genite dicitur alterari, & dicitur gigni forma fubftantialis quodammodo, quare fi terminus ad quem erit qualitas, mutatio dicitur alteratio quinto phyfi. Alteratio eft motus ad qualitatem, fimili modo cum ædificator ædificat mouetur motu locali, fed non dicitur alterari. Neque ædificat qua mouetur, fed hoc eft confequens fabricationem. Reliquum Arift. loquitur de potentia ad primum actum, & ad habitum quando quis caret ceu fcientia, fed per potẽ

tiam

tiam natiuam generis, & naturæ poteſt accipere illam, cum igitur ex ignorantia, vel e contrario habitu ad ſcientiam traducitur quis, illa traductio non eſt alteratio primo modo cum interitu cō trarij, ſed cum remotione priuationis, aut contrarij habitus ceu opinionis falſæ, quia non more contraria eſt, ſed potius habitus falſus. Simplicius putat hanc mutationem dici alterationem quia corporata eſt. Accipe igitur. At vero quod poteſtate eſt diſcens, vt puer ex ignorantia omnino, & accipiens ſcientiam, hoc additur propter eos, qui diſcendo, & audiendo non accipiunt ſcientiam, vt hodie in publicis Gymnaſijs. Multi concurrunt ad audiendum, & nil proficiunt, neque capiunt ſcientiam propter prehenſandi praxim, vel propter eos, qui diſcunt falſam ſcientiam. Hi non capiunt ſcientiam, ſed ignorantiam prauæ diſpoſitionis, qui ergo bene diſcit, ſcientiam accipit ab eo, quod actu eſt, & habet vim docendi, a magiſtro, & ſciente, cuius ſignum eſt poſſe docere. 3. vel 4. metaph. Hæc igitur mutatio, & addiſcendi motio aut non pati proprie cum interitu, licet arceatur ignorantia, & introducatur ſalus, perfectio concedendum eſt, ſicut pridem dictum eſt, paulo ſupra, aut duos eſſe modos alterationis. Recitat vtrunque. Vnum eſſe cum priuatione alterius ſiue ignorantię, ſiue contrarij, & falſi habitus. Alterum vero eſſe alterationis in habitum ſiue ab arte, ſiue a natura traducatur quis, & naturam, ſi ex habilitate ſubiecti mutetur ad actum primum. Quinimo verbigratia cum puer addiſcit bina alteratione huiuſmodi alteratur cum ex ignorantia mutatur in diſciplinam, & ſub idem tempus alteratur ex natiua potentia ſpeciei humanæ capacis ad ſcientiam. Hinc Philoponus male, qui primum modum vocauit generationem, & Ariſt. nuncupat vnum modum alterationis. Auerh. ex eo, quod Ariſt. dixit non doctrinam dici mutationem illam, quando ex habitu ſciendi ad contemplationem mutatur, icirco dat nomen rememorationem appellans, & in Platonem dicentem diſciplinam, & rememorationem idem eſſe. Et vbi? In Memnone de mente tamen aliorum. Deprome igitur mutationem ab habitu ad operationem non eſſe proprie alterationem, ſed abuſiue. Deprome item ex his mutationem ex ignorantia ceu ad ſcientiam habitum non eſſe proprie alterationem, ſed ex priuatione ad habitum, & a natiua habilitate ad habitum ſimul quandam abuſiue dictam alterationem.

## Contex. L I.

*Prima vero mutatio ſenſitiui fit a generante. Vt vero genitum eſt, habet id iam ſicut ſcientiam, & ipſum ſentire. Et quod actu dicitur eſt ſimile ipſi conſiderare, ſed in eo differt, quoniam huius quidem operationis efficientia extra ſunt, ceu viſile, auditile, ac reliqua itidem ſenſilium.*



SEPTIMVM commune aperit de ſenſibus, ſimulque iam dicta refert ad propoſitum præſentis negotij de ſenſu communiter. Et quomodo ſit duplex potentia in ſenſu, & duplex paſſio, vel alteratio. Simplicius non continuat, ſed exponit ſuo modo contextum. Et Auerh. ſimiliter non continuat, ſed exponit. Philoponus recitat fere omnia a principio huius tomi ad hunc vſque locū & continuat ſicut ego facio, & rectiſſime, ſiquidem dicta illa communiter de potentia, actu & c. refert ad propoſitum de ſenſu. Et quo ad potentiam. Duplex potentia eſt ſenſus. Vna quando non eſt, ſed poteſt eſſe, & fieri a generante vt fętus eſt in potentia ad animam ſenſiticam, & ſenſum eius potentiam, vt puellus eſt potentia grammaticus. Hæc potentia eſt ſubiecti, & materiæ habilis, cum ergo mutatur fœtus ad animam, & c. eſt mutatio, quæ eſt generatio proprie, ſiquidem terminus eſt ſubſtantia, & ſi eſt ad potentiam eſt alteratio ad 2. ſpeciem qualitatis, vbi eſt naturalis potentia, ex priuatione tamen. Ducitur autem e potentia ad actum a generante, ergo eſt generatio pro mutatione ad animam. Dicit ergo prima vero mutatio ſenſitiui fit a generante vel vniuoco, vel equiuoco? Dices ab vtroque. Nempe a ſole, & homine, ſi ſenſitiua humana eſt, ſin autem animal qualeuis, ſed dices generans iſtud non eſt homo, vel animal, quia non in ſemine, vel ouo, vel vermiculo, vel putri materia neutrum eſt, & tamen in vtero anima aduenit ſenſitiua. Ob id dicebat Auerh. hoc generans eſſe intelligentiā agentem, quam alij colchodeam Auicennæ. Commentum eſt. Alij prouidentiam inferiorum rerum. Vna eſt omnium Dei, & non multiplex mundi. Alij Deum. Alij intellectum agentē.

Alij

Alij solem. Ego puto esse vel spiritum gignitiuum similem elemento stellarum cap. 3. libri secundi de partu animalium, vel prouidentiam diuinam, quam innuit Auerh. cum Gal. in libellis de fetus formatione, & de eo, quod est in vtero. Simplicius, Philoponus tacent quid sit istud generans. Hæc igitur de prima potentia naturali, & mutatione ad animam sensificam. Reliquum proxime de secunda potentia ex habitu ad actionem, quæ non est proprie alteratio, sed aliquomodo. Vt vero genitum est, idest postquam sensitrix erit anima cum sensu potentia sua, habet id in habitu, exemplo sicut scientiam, & ipsum sentire, idest vim sentiendi, cui nil deest, nisi obiectum extrinsecus, quod moueat, & tum erit in actu, quia sentit. Ex his elicies receptionem spetici sensilis idem esse cum sensatione contra Gandauensem. Nam inquit. Et quod actu dicitur est simila ipsi considerare, si esset species sensilis præcedens sensationem, adhuc sensus esset in potentia ad actum, & non similem contemplationi. Sed accipe totam similitudinem. Vt puer ad scientiam est in potentia natiua capaci, & accepta scientia, fit in potentia ad contemplationem, & contemplatio est actus, ita fetus in potentia anima sensifica, qua habita est in potentia ad sensationem. Hæc sensatio est actus, & ad hunc actum deducit sensile actu. Verum quia Arist. assimilauit sensationem considerationi, assignat differentiam inter vtrunque actionem. Vnam sensus, alteram intellectus, quia illa sensus non fit sine externo obiecto sensili, vt sine visili non visio, sine auditili non auditio, &c. Sed consideratio fit sine obiecto externo intellectili. Lege. Sed in eo differt sentire actio sensus a contemplatione, consideratione, quoniam huius quidem operationis sentiendi efficientia extra sunt, ceu visile visionis, auditile auditionis, ac reliqua itidem sensilium, velut odoratile odorandi, gustatile gustandi, tactile tangendi, sed efficientia contemplationis sunt intra. Quid ais o bone Gandauensis cum tuo sensu agente intimo causa actionis. Nonne vides Aristotel. dicere esse extra sensilia causas sentiendi, & non speticerum solum sensilium. Aperte loquitur, & intra considerationis opere intellectus efficientia esse. Non loquitur de spetiebus, quia ab intellectu agente fiunt, sed comparat actionem sentiendi, sensationemve cum actione intellectus consideratione, & dicit illius causam sensile extra, huius vero intra quod erit etiam atque etiam planum. Itidem annota in scotum, Thomam, & omnes dicentes actionem effici a spetie sensili quia dicit a sensili extra species autem sensilis est intra in anima, & in sensu, & ob id dixi immediatum principium sentiendi esse spetiem in organo, quæ est extra animam, nondum in sensu, quod erit etiam compertum, si legeris causam differentiæ dictæ.

## Contex. L I I.

*Causa vero est, quia sensus actu singularium est, scientia vero vniuersalium. Hæc quodammodo in anima sunt. Quocirca situm est in ipso intelligente, cum voluerit, intelligere, sed sentire non est situm in ipso sensu predito. Necesse est enim ipsum sensile presens esse. Simili modo id se habet etiam in scientijs sensilium ob eandem causam, quia sensilia sunt singularia, & extra. Sed de his certius dicendi alias dabitur occasio, nunc autem id sit nobis dumtaxat ratum, cum non simpliciter dicatur id, quod est potentia, sed aliud velut puerum diceremus militare posse, & aliud, ceu etate apta, æque sensitiuum se habere.*



EDDITVR causa, cur sentiendi actio non fit sine externo sensili, & contemplatio sine externo. Id primum, & continuatio sermonis cum superiori contex. Secundum corrollarium est, scientias de rebus sensilibus non posse acquiri sine sensibus, & sensilibus, & de singularibus sunt, quæ feriunt sensus extra. Natus cecus non potest quid exacte dicere de coloribus. 2. libro phys. & primo post. Deficiente sensu, deficit scientia secundum illum sensum. Tertium differt dicendum de his certius alibi. Quartum statuit ratum esse potentiam duplicem natiuam ad habitum, vt puer potest militare, & potentiam secundum ab habitu ad operationem, vt cum puer vir factus potest militare, si militat, est actu id. Aeque sensitiuum se habere cum nondum est sensus, vt fetus potest sentire, aut cum dormit, dicitur in potentia habilitatis, sed cum sensus est, aut vigilat, potest sentire, & cum sentit in actu est. Hæc quatuor tibi liceat legere seriatim. Redditur causa superioris sententiæ, cum dicebat philosophus differre sensationem a conside-

consideratione, siquidem illa sensus actio non sine externo obiecto fit : hæc intellectus sit sine externo intellectili, causam vero est vtriusque. Et primum cur sensatio non sine externo sensili, quia sensus actu non in potentia vt in fœtu ante sensum, vel cum dormit ante actum, sed cum sen tit singularium est, & singularia sunt extra, itaque sensatio fit mouentibus sensilibus externis, vt præsente colore, vel luce fit visio. Et secundo cur consideratio sine externo obiecto, quia scientia habitus vnde consideratio est vniuersalium, & non sunt extra animam, & ideo dicit. Hęc quodammodo in anima sunt. Auerh. intelligit illud (quodam modo) ob phantasmata in sensu interiore, quæ sunt potentia vniuersalia, & non actu, nisi intellectus agens ea faciat actu vniuersalia, & tum sunt intra in ipso intellectu possibili, quare quodammodo sunt in anima, quum actu vniuersalia sint, sed nondum quando sunt intentiones imaginatæ. At dices, sunt in phantasia vniuersalia in potentia, & hæc est potentia animę, ergo sunt intra, & in anima. Respondebit Auerh. non esse vniuersalia potentia in proprio subiecto, scilicet intellectu possibili, sed extra in phantasia vel memoria, vnde quidam per vniuersalia intelligunt ea in potentia in phantasia, aut memoria, hæc quodammodo in anima sunt, quia in memoria, & immaginatiua, non autem in ipso possibili intellectu. Allucinantur hi, nec Aristotel. nec Auerh. percipiunt. Scientia enim est habitus vniuersalium actu, quia scientia est intellectus possibilis habitus, & vniuersaliū in ipso intellectu, scientia autem non est phantsiæ habitus, nec vniuersalium potentia, quæ sunt phan tasmata. Themistius nisi sit vitium translatoris videtur asserere vniuersalia generales notiones collectas ab animo, & repositas in memoria, vt quoties vult sciens possit proferre, qui sua pace noscit quid velit. Nam generales notiones sunt actu vniuersalia, & hęc non reponuntur in memoria. Alioquin esset memoria intellectualis apud Aristotel. cum memoria sensus interior nō capiat vniuersalia actu. Nusquam datur memoria apud Aristotel. intellectualis, vt videbitur, icirco solum phantasmata, & species sunt sensiles in memoria, vnde possunt esse actu vniuersalia & species intellectiles, & quia præsto sunt & in promptu, iccirco cum voluerit sciens poterit contemplari. Philoponus dupliciter exponit illud (Quodammodo) vel quia vniuersalia sunt in anima velut in loco, vt dicebant aliqui animam esse locum specierum, sed non proprie, sed quodam modo prout est anima conueniens receptaculum vniuersalium, vel quia vniuersalia sunt in suis singularibus primum secundum suam communitatem, sed quando sunt intellecta communia in pluribus, & prædicari de pluribus sunt in anima, ergo quodammodo vniuersalia sunt in anima, & non omni modo, Simplicius vero quia assignauit differentiam inter sensationem, & considerationem, quia illa fit cum passione sensorij a sensili. Nam sensus apud eum non patitur, sed agit, ita vt sensus quinque sint agentes, & non passiui, & si dicuntur passiui, dicuntur quidem ob organum, & sensorium, in quo sunt passiui, & consideratio sit sine sensorij passione, assignat cau sam differentiæ valde inuolute; & mihi primum videtur duplex vniuersale facere, vnum quod est in singularibus, & hoc non est in anima. Aliud vero quod est in anima, quia sola animi actione separatur, & hoc modo est in anima vniuersale, videtur addere vniuersale ante rem substantiā immobilem abstractam, de qua in metaph. agitur ita, vt sint vniuersalia ante rem substantiæ abstractæ nullius actus, & vniuersalia in rebus, & vniuersalia post rem intentiones ipsę. Simplicius vult dici de vniuersalibus in rebus quodammodo esse in anima, quia non omnino, sed quatenus intellectus ea apprehendit. Ex verbis igitur Philoponi, & Simplicij habes vniuersalia re ipsa, & non solum per intellectu. Contra terminstas, qui volunt nullum vniuersale in re, sed in ipso intellectu, sed hac de re alias, nunc ostendit signo vniuersalia esse in anima, quia cum voluent sciēs poterit intelligere. Quocirca situm est in ipso intelligente apud Simplicium siue sit intellectus animæ, siue anima, quæ per intellectum intelligit, siue ipse homo sciens, hoc tertio modo approbat Philoponus. Et recte, siquidem hæc verba cum voluerit demonstrant dici intelligentem, cui est velle. Homini datam est velle, non autem intellectui cōtemplatiuo, qui differt a practico, intelligere, id est formare dicit Auerh. qui intelligit formare Simplicium terminorum apprensione libro. 3. de anima comment. 21. quasi nunc loquatur de prima operatione intellectus Simpliciū apprehensione, & non de secunda complexorum notitia. Verumtamen scias esse vniuersalia in complexa, velut genera, species, & complexa, ceu omnis homo animal, & dici de omni, & de nullo secundum verba libri in primo priorum, & primo poster. vt deinde doceat author non sentiri sine externo obiecto, subdit, sed sentire non est situm in ipso sensu predito, seu habente vim sentiendi, & probat per hęc. Necesse est enim ipsum sensile pręsens esse, atque vt addit Simplicius ei, quod sentiendi vim habet, idest animali perfecto, & si addit item suum dogma quomodo sensus

ſus excitetur ſine paſſione ad percipiendum proprium ſenſile. Hactenus de primo cont. Secundum videtur mihi corrollarium ſimilitudine expreſſum de ſcientijs ſenſilium, quas ſcientias operatiuas, vt Medicinam, Nauiſactiuam, proſpectiuam, & artes intelligit Simplicius, atque Themiſtius, & Philoponus addens Politicum, Mechanicum verſari in ſenſilibus, & ſingularibus, qui vtũtur materia hac, vel illa &c. Inquit. Simili modo id ſe habet etiam in ſcientijs ſenſilium & artibus ob eandem cauſam, ideſt, & ſcientiæ ſenſilium, & operariæ ſimiliter non poteſt tractari ſine ſingularibus, & ſenſilibus, quia actu ſunt ſingularium, & externorum, vt medicina de ſanitate & morbo huius, vel illius ſolicita eſt præcipue curatiua, præſeruatiua, & ideo dicitur ab Hippoc. libello de arte, de veteri Medicina, de medico ars, quæ verſatur in ſenſilibus vulgo etiam notis, & ædificatrix maceriæ, lapidibus vtitur, & cõſiderat qui apti, qui inepti ſint &c. Ait, quia ſenſilia ſunt ſingularia etiam primo de celo, cum dicit mundum eſſe totum, & omne, idem ait. Et extra intellectum artificis, & ſcientis. Aduerte ſicut artes ſcientiæ dicũtur de ſenſilibus, etiam artes dici poſſe ſcientias. Illud dubium, quia primo metaphyſi. dicit artes eſſe vniuerſalium, & experimentum ſingularium, & ſi 6. libro ethicorum aſſerat, Ariſt. artem denuo ſingularium. Dices artem mechanicam eſſe de ſingularibus meram, ſed artem ſcientificam eſſe vniuerſalium, prima aſſuetudine, exercitio addiſcitur, ſecunda vero ex præceptis vniuerſalibus conſentientibus cum ſequentibus, & annexis, vt Gal. ait ad Thraſibulum libello de Empirica figuratione, & formula. Ariſtot. igitur. 6. libro ethicorum loquitur primo modo, & hoc loco, ſed ſecundo modo in primo metaphyſi. Et quamuis detur occaſio diſſerendi de arte an ſit ſingularium, tamen alibi dicendum eſt. Tertium in cont. differt ſermonem de his dicens, ſed de his, ideſt de intellectu apud Auerh. & apud Philop. de intellectu contemplante vniuerſalia, & practico circa ſingularia, apud Simplic. ideſt quomodo vniuerſalia ſint in nobis, & conſideratio certius dicendi alias dabitur occaſio in tertio libro poſtea. Et ſi quis referret hæc ad illa quomodo ſcientia ſit ſenſilium non ſine ſingularibus, alias dabitur occaſio vel in 3. libro, vel in 6. libro ethicorum, &c. Quartum in contex. cogit quæ dicta ſunt de potentia referenda ad ſenſitiuum. Nunc autem id ſit nobis duntaxat ratum, definitum, decretum. Ecquid? Id nempe, cum non ſimpliciter dicatur id quod eſt potentia. (Abſit verbo liuor) Ariſtotel. vtitur macrologia. Tot vicibus loquitur de hac potentia, quæ non vno dicitur modo, nunc dupliciter repetit nouo exemplo tamen, ſed aliud, velut puerum dicimus militare poſſe, potentia aptitudinis generis, & ſubiecti, & aliud ceu ætate apta. 25. anno, quæ potentia eſt roboris, & habitus ad militandi actionem. Aeque ſenſitiuum ſe habere, prima potẽtia a generãte ad ſenſum fetus deducitur, habito ſenſu ad ſenſationem ab externo ſenſili. Auerh. vtitur exẽplo vſitato de puero ante ſcientiã, qui eſt potẽtia ſui generis, & poſt ſcientiã receptã ad contẽplationem. Putet tot repetere idẽ vicibus. Duo ſunt rememoranda. Et dubitatio Auerh. Et dogma ſimplicij. Dubitatio eſt, quia ſenſilia, aut color, ſonus &c. nõ mouent ſenſus, vt ſunt extra animã in materia ſiquidẽ eo modo ſunt ſenſilia in potẽtia, nõ in actu, ergo ſi mouent ſenſus, mouẽt vt ſunt actu intẽtiones, & ſpecies ſenſiles. Et ne quis reſpõdeat ſenſilia extra effici actu ſpecies ſpirituales, & intentiones ob naturam ſenſus recipientis, & non ob motorem externum obijcit ſic dicenti, quia non fit diuerſitas intentionum actu, & potentia, & corporearum, & ſpiritualium ex materia recipiente, ſed ob diuerſitatem formæ materiæ diuerſæ fiunt, vt albi quoque dixit. Membra cerui, & leonis differant, quia formæ diſcrepant, quare intentiones fiunt actu ab aliquo agente, & ita Auerh. introducit ſenſum agentem præter ſenſilia, ſicut in natura intellectuali intellectum agentem præter phantaſmata. Et ſi obijcias cur tacuit Ariſtotel. ſenſum agentem, & dixit intellectum agentem? Reſpondet, quia in ſenſu latet, & in natura intellectuali apparet. Ceterum relinquit id perſcrutandum, quia eget conſideratione. Hinc multi, & Gandauenſis ſecerunt tractatus, & quæſtiones de ſenſu agente. Et in ſumma conuincit Auerh. primo argumento ſenſum agentem ex eo, quod ſenſilia extra ſunt ſpecies ſenſiles, & intentiones in potentia, ergo egent aliquo, vt actu fiant, & moueant, & hoc eſſe non poteſt ſenſus paſſiuus, quia eſt materia quæ non eſt cauſa diuerſitatis, vt fiant ex potentia actu intentiones, ſed oportet eſſe agentem ſenſum externum, qui faciat has intentiones actu mouentes. Ex quo loco & ſi Gandauenſis accepit ſenſum agentem, non tamen potuit accipere eſſe cauſam ſentiendi, & actionis, quinimo ſpecierum, & intentionum, quia ſenſilia ſunt intentiones in potentia, vt vero actu fiant, indigent motore externo, ſed Auerh. errat toto Ariſtotel. cum nuſquam legerit ſenſum agentem, neque opus eſt dicere prætermiſſum, quia latet, immo quia latet, debuit edere in lucem hoc eſt officium docentis illuſtrare condita, & abſtruſa, quia quæ manifeſta ſunt, omnes ſciunt profiteri. Errat item

in reipsa, quia non videt ordinem quomodo sensile spiritualiter capitur a sensu, siquidem prius mandat spetiem medio delatiuo spiritualiorem. Deinde spiritualior recipitur in organo, & adhuc spiritualior in sensu, si sensus agens esset, statim fieret spiritualior sine hoc traiectu. Errat itē quia dicit diuersitatem fieri per formam, non materiam, & plane non intelligit hoc dictum. Verum est fieri diuersitatem essentialem, & accidentalem per formam in esse existentiæ, & essentiæ, sed non diuersitatem recipiendi, nisi per diuersos modos recipiendi, vt aliter in medio spetics sensilis, alio in organo, alio modo in sensu, vt aliter figura sigilli in marmore, aliter in cera, aliter in aqua, Et certum est cum sit idem sigillum, non effici diuersitatem secundum illud, sed secundū diuersitatem materiæ recipientis, vt & vna vox per foramina tibiæ, & per diuersas aures, quinimo idem color cernitur a iuuene, a sene aliter, & aliter pro potentia fortiori videndi passiua, & debiliori, quia omne receptum recipitur per modum rei recipientis, & rei receptæ, itaque non est opus sensu agente, qui si debet facere intentiones in potentia in actu tales ageret in sensili, & non in sensu passiuo. Et hoc est ridiculum, vt agat in sensili, & cum dicitur omne quod est in potentia ab aliquo actu agente deducitur, & cum sensilia sint potentia species sensiles, intentiones indigēt agente tali, qui est sensus agens, dico non opus esse agente, nisi medio delatiuo, & organo, quæ duo spiritualius admittunt, quam sint in sensili. Vtrum vero sit quædam in medio, & organo vis faciendi hæc spiritualia bonum quærere, sed hactenus sufficiat contra Auerh. Quoad Simplicium, hic vir hoc in loco persistit in suo dogmate, in quo sentit sensorium, organum pati, & in potentia esse non quia patiatur cum interitu, sed perficitur, & mutatio est generatio non substantialis, cum sensorium recipit spetiem, & sensationem.

## Contex. LIII.

*Quoniam vero differentia horum sine nomine est, & de ipsis decretum est, quia sunt diuersa, & quonam pacto diuersa, necesse fuit vti ipso pati, ipso, alterari, tanquam proprijs nominibus. Sensitiuum autem est potestate quale est sensile iam actu, sicut proditum fuit. Ergo patitur dissimile, sed vbi passum fuerit, simile redditum est, & quale illud.*



CTAVVM commune in hoc capite diffinitionem sensitiui communem tradit. Vnde quid sensus communiter, quid sensile communiter elici potest, Verum antea reddit rationem de metaphoricis & abusiuis vocabulis. Et inquit duas esse causas vtendi his prima, quia in his animæ potentijs, & passionibus, ac motionibus non sunt earum propria nomina. Et secunda, quia oportebat decernere de diuersitate horum sensuum, & sensilium, oportuit etiam vti nominibus si non proprijs, saltem communibus, quia dicente Auerh. facilior est vsus vulgo vsitatorum, quam noua fingere lege hoc primum.
Quoniam vero differentia horum sensus, sensilis, actionis, passionis, motionis &c. Sine nomine est proprio in sensibus, & animatis, prima causa secunda sequitur. Et de ipsis motionibus, passionibus, &c. decretum est, quia sunt diuersa, & quonam pacto diuersa, cum aliæ cum interitu, alię sine perfectiones, & salutares, &c. necesse fuit vti ipso pati, alterari, tanquam proprijs nominibus. Cęterum octauum facit definit sensitiuū. Sensitiuum capax sensus est potestate, quoad sensitiuum est quale est sensile iam actu non reipsa coloratus est oculus, vt visus, sed actu per similitudinem, & spetiem sensilem, quia vt sensile est coloratum colore in superficie actu, ita sensus est similitudine coloris impressus. Vtrunque pro debito suæ naturæ. Corpus vt competit ei colorari sensus, vt ei conuenit spiritualiter, vt dicimus cera est potentia annulus, vel sigillum, non quia recipiat incisam figurā sigilli, quæ est in metallo, sed similitudinem eius incisam in cera, sed differt, quia cera accipit figuram corporaliter & dimensiue sine cognitione, sensus recipit ob cognitionem sine dimensione. Atque forma sigilli in superficie cerę est, sed similitudo sensilis est in toto sensu sunt item aliæ differentiæ, sicut leguntur in simplicio, quia sensus viuaciter afficitur, non cera, & totus simul sine temporis spatio, & intrinsecus, &c. Hic item negat sen-

sum pati, sed excitari, & effici in actu tali. Sicut proditum fuit, supra. Colligit denique quomodo patiatur, & sit dissimile, & simile. Et tu dic simile non re ipsa, sed per similitudinem rei effici sensum sensili dicito. Satis superque supra est dictum.

## *De sensilibus proprijs, communibus ex accidente, & quomodo non decipiuntur.*

### Contex. LIIII.

*Ceterum cum de vnoquoque sensu dicendum sit, a sensilibus ordiamur. Sensile igitur tribus dicitur modis. Nam sensilium quædam perse, quorum duo modi, & quædam ex accidenti vno modo. Ac de duobus vnus est propriorum cuique sensui, alter omnibus communis. Proprium vero dico sensile, quod alio sensu sentiri non potest, & circa illud non accidit error, vt color visui, sonus auditui, sapor gustui, tactus habet plures differentias, indicat tamen de illis, vt quisque aliorum sensuum de suo sensili, & non decipitur. Aspectus enim circa colorem non decipitur, nec auditus circa sonum, sed decipitur circa quid sit coloratum, aut vbi, aut quid sonans. Huiusmodi sensilia dicuntur propria cuique sensui.*



T octo communia tradidit sensibus supra, & promisit dicendum de omni sensu iuxta methodum præmissam sæpe supra ordiendi a sensilibus, ab oppositis scilicet, at obiectis primum, vt a notioribus nobis via resolutiua, icirco præponit author sensilia, & quæ dici communiter solent de ipsis. Tria legeris in hoc contextu. Propositionem, diuisionem sensilis communiter in tres modos, & definitionem proprij sensilis explicatam. Dubitatio oritur cur non ante sensitiui communem traditam definitionem de sensili disseruit? Dicito cũ Philopono simul supra factam doctrinam de sensu, & sensili. Adde ex dictis posse elici definitionem sensili communiter quod est aptum efficere sensum actu, quale est ipsum. Et sensum esse potentiam a sensili mutandam ad actum, vt talis sit, quale est ipsum. Quare & supra habita mentio est de sensili. Rursus de sensili aliter in hoc libro, & aliter in libello de sensu, & sensili. Nunc qua potius ad animam referatur, ibi vero potius ad animatum corpus. Propositio hæc est. Cæterum cum de vnoquoque sensu dicendum sit, a sensilibus ordiamur. De vnoquoque sensu propterea dicendum inquit Philoponus, quia vbi non est quid vniuocum genus, sed vox æquiuoca, oportet singulorum significatorum reddere definitiones, & præcipue cum generis definitio non sufficit ad cognitionem quid sit vnaqueque species, sicut supra est dictum. Ergo & si quid sensus communiter paulo supra sit traditum non sufficit. Ego vero cum Alex. Themistio, Simplicio dicerem ob id agendum de quocunque sensu proprie, quia vbi est quid commune analogum prius assertum de vno, quam de alio, oportet quodlibet definire, sic sensus est ad vnumquemque sensum analogus, ergo quid sit quisque sensus explicandum venit. Sed cur a sensilibus ordiendũ repetit Auerh. dicens ea esse magis nota sensibus. Simplicius asserit sensile oppositum relatiue sensui, & oportere dici de vtroque relatiuo, sed prius de sensili ex dictis supra rationibus. Quare habes cur de vnoquoque sensu etiam proprie agendum sit, & cur primum ordiendum a sensilibus? Hactenus de propositione. Secundum de tripertita diuisione est. Triplex est proprium, vt sonus auditui &c. Cõmune, vt magnitudo &c. Ex accidenti, vt pulcher Diarij filius. Verũ distinguit primũ sensus dupliciter in perse, & ex accidenti, subdiuidit perse in duos modos. Vnum propriorũ sensilium. Alterum autem communium. Auerh. in suo comment. tacet diuisionem in sensilia perse, & ex accidenti, & persequitur illam in vniuersalia, & propria. Errauit verbo etiã vniuersalis, quia græce cõmune dicitur. Cõmune quidẽ differt ab vniuersali, quia potest esse cõmune, vt fons in platea, & non est vniuersale, nisi intellectus faciat ipsum. Re commune igitur dicitur, & vniuersale intellectu. Proprium item respondet communi, & singulare vniuersali, sed hæc nominetenus annotatio sit. Attende tu diuisionem. Sensile igitur tribus dicitur modis, analogice,

quia prius de proprio quam de communi,& de ipso per se, quam de eo ex accidente. Declarat diuisionem. Nam sensilium quędam per se, quorum duo modi, subiungendi proprie,& communiter. Et quædam ex accidenti vno modo, ergo recte sensile tribus modis dicebatur. Explicat duos modos inquiens. Ac de duobus modis, vnus est propriorum cuique sensui, ceu color sic proprium sensile visui, vt non auditui,& sic sonus auditui, vt nullo alio sensu percipi queat, iccirco surdus natiuitate non sentit auditu sonos, alter vero omnibus communis, idest sensilium communium, quæ omnibus sensibus apprehenduntur, de quo videro, interea subticuit illa diuisio sensilis in potentia,& in actu fere ad extremum libelli de sensu,& sensili expressa, ceu minima pars potentia sentitur non actu, quia ex dictis supra de actu,& potentia elici potest. Ac tacuit sensilis diuisionem in primum,& secundum dicente Simpl. propria sensilia primo percipi,& secundo communia, quia apud eum communia non sentiuntur, nisi quia iuncta sunt propriis, quæ precipue feriunt sensum, sed de hoc erit videndum. Dubitabis si de his, quæ ex accidenti occurrunt nulla est scientia. 6. libro metaph. cur Arist. attigit sensilia ex accidenti? Respondet Simplicius, vt remoueat ea,& admittat ad vsum, quæ per se sensilia sunt. Reliquum hic interpres dubitat, quomodo sensilia communia omnibus sensibus sint, cum magnitudo, figura solo visu,& tactu comprehendantur. Duas ergo mouet dubitationes apte. Primam si sensilia communia sic per se sentiantur, vt per propriam speciem,& proprium ictum feriant sensus, an per speciem propriorum. Secundam, vtrum communia sensilia ab omnibus sensibus percipiantur, de quibus postea. Persequamur contextum,& tertium est in eo, in quo definitur quid sit proprium sensile,& definitio explicatur. Proprium vero dico sensile, quod alio sensu externo. Nam communi sensu percipitur interiore quoduis obiectum sensus, quia iudicat de illis, vt erit illustre, sentiri non potest primo,& per se. Et circa illud non accidit error, quia illud, idest cum sensus illud percipit proprius, non fallitur, dummodo sensus sit incorruptus,& medium interuallum, vel aliud sit iustum,& non perturbatum,& si situs non officiat, nec recessus obsistat dicente Themistio cum Alexandro, qui situ requiri ostendit dicens res retro positas videri a visu non posse, nec equouis spatio ceu recta per leucas mille, cur supra oculus cernit per immensa spatia stellas,& recta non potest per 25. millaria videre? Respondebis quia suspiciens supra oculus lux est illuminans diaphanum totum spatij magni, sed recta medium ipsum crassius fit,& ceu opacum redditur copia aeris, ob id acies viuendi non potest longissime cernere. Plato in Timeo diceret videri tam procul lucentia,& non recta alia non lucentia propter simpathiam oculi cum luce solis,& lumine cuiusque, si proinde lux eminus quantumuis fuerit, modo apta sit illustrare diaphanum omne videbitur, sicut noctu eminus cernuntur lumina,& per tantum interualli, quantum illustrare potest. Deinde valeat bene organũ,& sensus, iccirco luscinosi,& oculi caligãtes nõ probe cernunt. Et summatim omne impedimentum arcendum sit e re sensili, e medio, e situ, ex sensu,& organo oportet. Et ventus auster obtundit aures, nec percipi recte sinit Hippoc. 3. sectione aphorism.& Arist. in problematibus. Et Borea flante sonus arripitur alio, nec recta ad aures pertingit,& species visiles dispellit, ne ad oculos perueniant apte. Et sonitus in aure prohibet quominus externus audiatur,& strepitus magni non sinunt audiri voces mites. Et vno verbo omne impedimentum & omnis defectus arceatur, vt sensus percipiat sine errore suum proprium obiectum,& sensile. Definitio duas habet partes, vt proprium sensile sit, quod nullo alio externo sentiri possit,& sentiatur,& cum sensus sentit illud non erret. Primam ostendit exemplis,& dicit, vt color visui proprius est,& non ab auditu, nec gustu, odoratu, tactu percipitur, nisi ex accidenti, sicut Arist. supra asserebat tactum per se calidum, gelidum sentire, alia obiecta sensuum ex accidenti, sonus auditui solum competit & nulli alij per se. Sapor gustui æque. Tacet odorem, quia deterior in homine, aut quia solum 4. numerat pro quantitate elementorũ more priscorũ. Tactus habet plures differentias & calidum, siccum, humidum, frigidum. Ac durum, molle, asperum, lene & id genus,& iccirco suo loco videbitur, ne sit vnus, an plures sensus, interea. Iudicat tamen de illis, vt quisque aliorum sensuum de suo sensili,& nõ decipitur, accipe tu iudicare pro sentire,& cognoscere. Et si quis obijceret etiam alios senses versari in pluribus, vt visum in albedine, nigredine, luce, tenebris,& auditum in silentio,& sono,&c. respondebis quemlibet versari in vna prima contrarietate, ad quam reliquę reducuntur, sed tactum in duabus contrarietatibus primum,& alijs postea. Erit suo loco de hoc discussio. Erat alia particula in definitione proprij sensilis vt proprius sensus non erret in percipiendo sensili proprio. Iccirco addit & non decipitur, proinde docet quomodo non decipitur,& decipitur. Aspectus enim circa colorem non decipitur, immuta

BB 2 tur

tur ab illo, & deprehenditur. Iccirco animalia carentia visu non percipiunt colores, sed dices quomodo scit non decipi precipue sensus brutorum? Respondebis sensum externum, nec animal ob eum non scire non decipi, nisi sit sensus hominis ob rationem coniunctam, & cogitatiuam, sed non decipitur, quia colorem deprehendit. Et si dicas decipitur saltem reputans colorē, qui non est, vt colores iridis, & quos faciunt videri pictores. Respondebis non decipi, quia quoad immutationem sensus non fallunt colores visi, & non existentes, nec auditus circa sonū Auerh. addit pro maiori parte sensum non decipi, ergo aliquando decipi, & quando, & in quibus sensilibus non dicit, nisi quidam apprehensiue dicant non decipi vllum vnquam, sed in iudicando, sed disputabitur id 3. an sensus decipiatur. Tres sunt igitur propositæ disputationes, postremo circa quid decipiantur inquit. Sed decipitur sensus proprius circa quid sit coloratum non circa quid solum, quia si quid significat substantiam, vel definitionem rei sensus non apprehendit, qua sensus, sed quid coloratum, substantiam affectam colore, totum id concretum ex subiecto, & colore in hoc decipitur, quod est sensile ex accidenti. Deceptio præsumit comprehendi, & postea male, ergo si substantia, & quid rei non a sensu, sed ab intellectu solo comprehenditur, non poterit decipi circa illud. Ergo error est in colorato quid sit, Auerh. distinguit sensus qua sensus, & qua sensus hominis, cuiusmodi apprehenduntur indiuidua generum, & specierum, ob coniunctionem cogitatiuæ animæ, quæ has intentiones in phantasia spoliat ex conditionibus hic, nunc, & facit eas spirituales magis, & reponit in memoria. Quare decipiuntur sensus circa coloratum quid sit, & sensile ex accidenti. An vero cogitatiua apprehendat intentiones particulares decem generū nusquam dixit Arist. Illud constat iam dictum sensum esse singularium, & decipitur, ceu visus in colorato quale singulare sit, & quid an Philander, an Iacobus, an paries, an caseus, velut si cernat lacmel, & niuem, sensus in albedine non decipitur, sed circa substantiam albedinis, an lacmel, an nix. Decipitur item vbi sit, ceu de inde vbi color sit in aere, vel in nube, sicut deceptus est Aristotel. de via lactea vbi sit, quia putat esse in aere, & est in octauo orbe. Aeque de sonitu, & sonante, aut quid sonans, & vbi. Colligit. Huiusmodi ergo sensilia propria dicuntur cuique sensui, quæ scilicet nullo alio externo capiuntur, & in proprium sensum non inferunt deceptionem. Cæterum tractandæ sunt disputationes insinuatæ seriatim. Duas ergo primas, an sensilia communia cunctis omnia sentiantur sensibus, & si per propriam speciem capiantur, reseruabo ad proximum contextum. Nunc hæc tractanda est, an sensus decipi non possint a proprijs sensilibus qua propria sensilia.

## *Nunquid sensus a proprijs sensilibus fraudentur.*



SIC Academia vetus corruptela, & labe sensuum adducta fuit authore Platone in Thæteto, in Sophista, & Cicerone in Academicis, vt nullam fidem sensibus pręstari posse opinaretur. Alij sensibus incorruptis vbi sunt tanquam vel iudicibus, vel ducibus ad parandam scientiam de nouo, vt Hippoc. Aristotel. Gal. vel ad reuocandam oblitam, vt Socrates, Plato in Memnone. Standum sensibus incorruptis 8. libro phy. Arist. prodidit, & qui negat sensum, hunc amentem putat. Duplex pręcognitio, vna a sensibus manat, altera ab intellectu agente. De rebus sensilibus scientia vtitur præcognitione prima, & intellectus possibilis, qui duplicem faciem habet, si capax est rerum diuinarum, intellectilium confidit agenti intellectui, & faciem suam eo conuertit, lumineque illius intelligit terminos principiorum, & ipsa initia. At vero si sensilia cupit studio consequi faciem vertit ad sensus idque habes ad calcem fere. 2. libri poster. & inde capit vim demonstrationum, quod & nouit Gal. libro. 2. de Simplic. medicamentorum facultatibus, & eundem facit. 2. libro de temperamentis iudicem sensilium verissimum, & alibi dixit qui caret sensu nescire euidentia, quæ tamen sunt principia præceptorum, licet non artis cap. 3. libri de optima secta ad Thrasibulum. Conferre possem in medium multa loca Arist. de laude sensuum, & necessitate ad scientiam, sicut deficiente sensu deficit scientia primo post. & lib. 2. physi. natum cecum non posse iudicare de coloribus, & inde inductiones exempla

pia sumi, & oculos præcipue diligi ob scientiam, & auditum 3 libro de anima, & in libello de sensu, sensili. Hæc nunc taccbo, & alia, & veniam ad rem & quæram, an sensus decipi, labique circa propria sensilia queant, & diuidam dubitationem partim in argumenta, partim in exempla, & authores. Primum argumentum, facile decipitur, qui sensibus mouetur sine ratione, vnde Gal. ca. 3. libri secundi de tēperament. calidum frigidum sensu dignosci reliquit, sed humidum, & siccum non sine ratione, ergo ratio corrigit sensus. Secundum, fallitur qui cernit aliud, quam est. Visus cernit rubeū, & putat esse, & tamē est albū vt sol albus est primo libro de generatione, ergo decipitur. Mane puniceus sol videtur, & nō est. Niger in deliquio suo apparet, & non est, collū columbæ versicolor videtur, & non est, Mare rutilum videtur, & viride, & sæpe colore cęli, & non est, quinimo astronomi putant Saturnum plumbei coloris, Iouem stamnei, Martem rubri, & cæteros planetas, sicut libro 2. de cęlo in meis cōmentarijs declaraui, ergo sensus decipiuntur, siquidē omnia flaua bilioso arquaro cernuntur, & gustui eorum mel amarū videtur. Et febricitanti vina amara. Quinimo in prospectiua, & in datis Euclidis, Viculonis quædam quadrata eminus videntur rotunda, concaua conuexa, & huiusmodi, ergo decipitur sensus. Tertium argumentum, vbi est deceptio, ibi falsitas, sed sensus nec verus, nec falsus est, quia veritas falsitas in ipso intellectu & in oratione vera, & falsa affirmatiua, vel negatiua apud Aristotel. 3. libro de anima, ergo non decipitur. Quartum sicut intellectile ad intellectum, ita sensile ad sensum ex similitudine bona, sed intellectile fallit intellectum cum putat quidditatem, vnius esse alterius, ergo & sensile. Adde scriptorum sententias, Auerh. dixit non decipi pro maiori parte sensus circa propria obiecta, ergo aliquando decipitur. Et ratio confirmat quia error in intellectu de sensilibus prouenit ex errore sensus, Democritus, Anaxagoras nullam fidem sensibus præstandam dixere, quod decipiuntur, iccirco nulla veritas, & scientia apud eos. Quam facillime luduntur sensus picturis, vt videantur qui non sunt colores. Vna sic picta traditur, quam auiculæ desiderantes ad eam conuolabant edendam. Et similitudo ouorum fallit sensum, & colorum consensus, & fixa imaginatio fallit, & iste in temporibus Acheronti Orcitæ semper videbatur videre hostem ante sed his non obstantibus si quis velit accipere sano modo decretum philosophi, approbabit. Nam loquitur ipse non decipi sensum a proprio sensili affirmans de sano sensu, & organo, ac valido deducto omnī impedimento, ex parte interualli inter rem visam, & videntem, ne turbatum sit nubibus, vento, opaco, luce eximia, aut strepitu, necnon in apto situ sit, & iusta intercapedine. Et cum omnis sensus exercent actionem suam, vel passionem per organum, id recte valent oportet, ne morbus, vel Simptoma lędat, alioquin decipi contingit, Luscitiosi, Nictilopes, & vitio oculorum grauati, ac spiritus optici consumptiones, imminutione decipiuntur. Senes decipiuntur impotentia cernendi, audiendi, & imbecillitate. Cum præterea actio sensus omnis fiat per medium, id quoque naturaliter dispositum esse oportet, ne vento flante species delatæ distrahantur, & non probe videantur, exaudiantur, aut odorentur, aut gustentur, tangantur. Et cum omnis actio terminetur maximo, & minimo, debita intercapedo intercedat oportet. Ne nimium absit sensile, nec nimium appropinquet. Nam & sensile supra sensum positum non efficit sentiendi actum. Ac iaceat bene sensile, cum e directo feriat magis sensum & certius. Hinc natura fere omnes sensus in parte priore constituit. Aures vero in situ medio vtriusque partis prioris, & posterioris, iccirco prius cernitur, quam auditur aliquid. Confice rationem agens apte patienti propinquum deducto omni impedimento agit, & patiens recipit, sensile deductis impedimentis est apte proximum sensui, ergo illud agit, & sensus recipit apte sine fraude. Aduerte cuique sensui externo esse obiectum adequatum, vt visui colorem, lucidumue, & auditui sonum, sed sub colore multæ species sunt albedo, nigredo, viridis, puniceus, fuscus, &c. Et sub sono grauis, acutus, multus, paucus, &c. quæ species non adequatæ sunt, & si nullo alio sensu percipiuntur. Credunt ergo aliqui non decipi sensus in apprehensione adæquati, sed in perceptione specierum aliquando. Quod ego puto falsum, siquidem visus non cernit colorem, nisi hunc, & illum. Sensus enim est singularium supra cont. lij. ergo si sensile ei non imponit, certe est illud quod cernitur. Et non cernitur, nisi color iste, vel ille, ergo non decipitur ab hoc, vel illo, quod si videatur album, nigrum, aut fuscum, &c. dum modo non sit culpa ignorandi nomina colorum, hæc fraus tribuitur vel organo, vel medio, vel distantiæ, vel situi, vel alicui impedimento, proinde errant illi grauiter, qui sic dicunt. Vtque scias intellectum hominis facere considerationem de colore vt color, & qua albedo, nigredo, sensus autem vt formicæ, muscæ non sentit, nisi particulares, singularesque sensiles res Et cum

dicitur

dicitur color est per se visilis, & non albedo, hæc cogitata sunt hominis,& differuntur ab intellectu, sensus qua sensus hæc non percipit. Sed sentit obiecta singularia. His explicatis dices ad argumenta. Quo ad primum dicito sensum errantem corrigi a ratione,sed non errat in perceptione sui obiecti, & ad Gal. dicentem humidum siccum apprehendi sensu,& ratione respondebis etiam calidum frigidum percipi a ratione, & intellectu, siquidem de his est scientia,attamen sententia Galeni est vera in suo sensu, si pro ratione intelligit sensum communem, qui durum omne non dicit siccum, vt glaties est durata gelu, tamen est humida, pertinet ad sensum communem corrigere errores sensuum exteriorum, vt viso fracto remo sensus communis per tactum corrigit,& dicit esse integrum. Quoad secundum argumentum respondebis videri solem rubere ex medio vaporibus diffuso, vt mane, & sero sępe. Et si in deliquio niger apparet, ob opacitatem lunę interpositam videtur. Et si omnia flauia coloris tum apparent, accidit propter mixtionem luminum. De collo columbæ dicitur videri ob radios luminis varie agenti, iccirco medium est turbatum. De mari idem dicendum, quale sicut radij solis recipiuntur, & refranguntur, interea venti ope apparet rutilum,& viride propter vicinitatem herbarum montium. Et nigrum ob densitatem aquæ,& sicut cęlum ob obiectionem. Est enim aqua velut speculum, & cũ obijciatur cęlo velut speculum,cernitur eiusmodi. De astronomorum verbis dicito apparentes esse colores,& vocari communiter colores etiam per mixtiones lucidi cum opacitate minore, maiore,& si non sint veri colores, cum e primis qualitatibus elementorum primi fiant colores apud Aristotel. secus apud Platonem,de quibus erit sermo. In cęlo non qualitates primæ elemẽtorum, ergo nec proprij colores, sed æquiuoce De arquatis regio morbo laborantibus non mirum si his videantur omnia flaui coloris. Nam oculi eorum sunt infecti eo colore, & intus apparens prohibet extraneum, iccirco omnia alia videt, sicut est color oculi aduentitius. Defectu organi id fit, sicut etiam gustui eorum mel amarum acidetur, propterea quod lingua infecta humore bilioso amaro,itidem febricitanti vinum amarum, quia humor linguæ præ extraneo calore amarescit, & iccirco organum infectum facit videri iuxta infectionem suam omnia alia. Quæ de prospectiua dicuntur errata sunt ob sensilia communia,quæ sæpe fallunt sensus. Ad tertium argumentum sensus est verus & falsus pro conformitate rei apprehensæ ad apprehendentem,& pro non conformitate rei, sed non est verus,vel falsus vt est veritas, vel falsitas in oratione affirmatiua,vel negatiua, quæ primum est in oratione mentali, & ideo dicitur esse in ipso intellectu verum,vel falsum. De quarto dicitur intellectus ex accidenti decipi circa quidditatem dum cõponit vnius quidditatem cum alia,sensus autem non componit,& diuidit, iccirco non decipitur ab obiecto suo. De Auerh.sententia dices pro maiori parte animalium, & sensuum non decipi, sed nunquam decipi vbi sanus,& potens sit sensus. Alii intelligunt pro maiori parte etatis, quia in senectute fit deceptio defectu organi. Ad rationem dices errorem intellectus prouenire ex imaginatiua,opinionibus,cogitatiua,ex sensu communi male iudicante, etiam ex erroribus sensilium communium,qui decipiunt sensus externos,& quoties sensus,& organa non bene disposita sunt. Democritus,Anaxag. explosi dudum sunt. Picturæ similitudines ouorum decipiunt sensus non qua colores,sed qua talia sint an sit ne vna illa picta, an ouum hoc sit tuum, vel meũ, cum sint ambo similia. De Acheronte Orcita plane organum lęsum fuit, & imaginatiuę læsæ erat illa actio.

## Contex. LV.

*ET communia motus,quies,numerus,figura,magnitudo. Talia enim nulli sunt propria, sed omnibus communia. Etenim & tactui,ac visui aliquis motus sensilis est,per se itaque hæc sunt sensilia.*



NVMERAT primum sensilia cõmunia.Et quinq; facit. Motum quiete.Numerũ,figurã magnitudinẽ.Totidẽ enumerauit in libello de sẽsu sensili. Vide nostrã interpretationẽ Alexandri,& cõtex. Arist.si cupis videre materiã gręca faciẽdi latina. Arbitror (ni fallor)in ea parte superasse cęteros interpretes, quũ & latine,& aperte trãstuli cõtex. Hæc ꝓbat esse cõia sensilia ex insinuata definitione. Nam si propriũ est quod vno,& non alio sensu capitur cõmune aũt qđ pluribus vel omnibus est. Talia enim sensilia,iccirco cõmunia, quia nulli sunt pro-

propria non enim motus est proprius visui, nec quies, nec numerus, nec figura, nec moles, item nec auditui, cum percipiantur etiam ab alijs, Dubium, cur prius tractarit propria, quam communia sensilia, si communia sunt notiora? Dicendum in sermone de sensu vnoquoque propria sensilia tractanda per se, & de communibus non esset sermo, nisi ob cognitionem propriorum, ergo accidit sermo de his, & de illis ex accidenti sensilibus, quocirca postponuntur hæc tanquam propter propria considerata. Subiungit author de communibus sensilibus, sed omnibus communia, sensibus quinque. Duæ quæstiones, vna si plura quinque sint sensilia communia. Videntur etiam tempus, locus, perspicuum, situs, vbi, voluptas, dolor. Rursus videntur non esse quinque communia. Non numerus, quia est solius mentis numerare. 4. libro phys. in sermone de tempore, Non item magnitudo, quia abstracta a materia sola ratione comprehenditur a mathematico, & non sensu, qui est singularium, Magnitudo abstracta ratione a mathematico nō est singularis, quia est sine materia considerata, primo de cęlo, & mundo dicitur singulare ob materiam, vt hoc cęlum. Aequæ de figura, quæ termino, vel terminis concluditur primo Euclidis libro Geometriæ. Ac motus, & quies non possunt percipi sensu siquidem vel pro fluxu, vel pro receptione, vel pro forma fluente motus constituitur ex priore, & posteriore seu e præterito, & subsequente, At sensus non apprehendit nisi præsentia, & nō prius motus quod non est, Altera quæstio est ne omnibus comprehendatur quicque horum sensilium, vt moles omnibus quinque, figura similiter, & sic de omnibus. De hac mox, interea prima tractetur. Et de tempore dicimus illud reduci ad motum. Est enim tempus numerus motus quarto libro phys. Quatenus sensile commune reducitur ad motum. Locus autem ad quietem. etsi Philoponus putat locum esse sensile ex accidenti, quia non immutat sensum, Alii locum redigunt ad figuram, quam ei dat corpus locatum. Ego si statuo locum esse superficiem vltimam corporis continentis &c. 4. phys. reduxerim ad magnitudinem, similiter si vacuum, si corpus. Nam hæc sunt magnitudines. Perspicuum reducitur ad magnitudinem. Nam interuallum etiam pellucidum est magnitudo, Qua vero lucidum percipitur a visu. Situs ad magnitudinem, & vbi, vel ad quietem pertinet. Voluptas est sensus iocundus omnibus sensibus plane communis. Dolor est tristis sensus etiam omnibus sensibus communis, siquidem omnes voluptatem, & dolorem sentiunt. Reducuntur ad motum. Vix ergo sensile inuenies commune non redigendum ad ea quinque. Sed per motum intelliges fluxum vel subiecti mobilis dum mouetur ad aliquid successiuum, vel continuum, aut fluxum formæ, quæ acquiritur a subiecto, placet magis primo modo, quia Arist. 3. phys. definit motum per mobile qua mobile subiectum motus, & non per formam acquirendam, Alioquin qua actio, & passio motus sentiuntur, Nam fundantur in motu, & vnus sunt motus. 3. phys. Motum autem pro forma fluente, vt varia est forma fluens. Nempe vel quantitas, vel qualitas, vel vbi libro quinto phys. ita redigitur, Forma fluens in accretione, diminutione ad magnitudinem redigitur. Forma fluens ad vbi ad magnitudinem pertinet, Forma fluens qualitas, vt erit, si color, ad visum, si color, ad tactum &c. Motus ergo est sensilis communis pro fluxu formæ, & pro forma fluente, quæ reducitur ad sensile commune, Quies intelligitur pro priuatione motus, & hæc sentitur ex accidenti, Et sumitur pro re acquisita in termino motus, vt ergo erit talis res, ita reducetur ad sensile, sed vereor, ne sit quod dicit Protagoras homo est mensura rerum, sicut ei videtur, ita sentit. siquidem sensus in eo quod sensus non percipit, nisi debiliter, hæc, & quietem per cessationem motus, vt æquus, canis, attamen sensus hominis ob coniunctionem cum phantasia, & cogitatiua depræhendit quietem, etiam si nunquam quid moueatur. Numerus item compræhenditur pro numero numerante, & numero numerato. Nam numerus primo modo est quantitas discreta, cuius partes nō copulantur ad terminum communem, & compræhenditur sensu. Numerus numeratus sunt res numeratæ, vt duo nummi, tres nummi &c. & res numeratæ percipiuntur, quia auditus plures sonos audit etiam in symphonia, & concentu, & oculus videt plures colores, &c. Figura in superficie rei est, & sentitur, vt prospectiua docet, & multiplex est recta, orbiculata, & recta triangulata, quadrata, &c. figuratum ex accidenti percipitur. De numero, qui dicebatur, sola mente compræhendi quarto libro phys. dicit Philop. cum sentiri, qua plura continet, & maiorem, minorem, sed a mente solum capitur forma numeri. Melius dixisset Arist. in quarto libro citato non omnem numerum dixisse mente concipi, hancque numerare, sed numerum motus prioris posterioris, & dicere hoc esse preteritum, hoc præsens, hoc futurum, quem isto modo numerum cognoscere non potest, nisi virtus, quæ tria tempora cognoscit, præsens sensu externo percipitur. Præteritum memoria, opinione, spe futurum, solus intellectus hæc dicere, & numerare potest, nunc autem

Arist.

Arist. accipit numerum non fluentem per tria tempora, sed permanentem ex pluribus collectũ vnitatibus, sed de hoc erit annotatio postea. Magnitudo etiam sensilis est. Videtur magnitudo turris, hominis, longitudinem spacij, &c. Magnitudo vel longitudo, vel latitudo, vel profunditas intelligitur. Nulla alia dimensio est, nec alio modo mensurare possumus, sicut docui principio primi de cęlo in nostris commentarijs abunde. Magnitudo est quantitas continua cuius partes continuantur ad vnum terminum communem, qua quid magnum, vel paruum dicitur. Magnitudo dupliciter intelligitur pro quantitate extensa in longum, vel latum, vel altum, & habet duas species, vnam quantitatis permanentis tribus diuisa speciebus, linea, superficie, corpore, Altera est quantitatis fluentis, & successiuæ, vt tempus, motus sunt, quorum partes copulantur ad vnũ terminum momentum, & mutatum. Et dicuntur tempora, motus longa, curta, magna, quare quodammodo ad magnitudinem redigi possunt, attamen Aristot. separauit loquens distinctius hæc. Sed si prima sensilia communia non reducilia ad alia numerari vis, hæc sunt magnitudo, numerus, figura si figura sit qualitas apud Arist. quam Plotinus locat in quantitate. atque voluptas, dolor, licet Arist. pro actionibus animæ hæc vsurpat in libelli de sensibus, sensilibus principio. attamen inferens voluptatem sensile commune est, & inferens dolorem sensile commune est. Si vides dextrum, sinistrum, &c. hæc ad situm reducuntur, & vbi, & hæc ad magnitudinem. Cæterum quies reducitur ad motum, eius cessatione sentitur, & motus ad magnitudinem. Hactenus habes de numero sensilium communium, & quomodo intelligantur, Quoad nonnulla argumenta nõ soluta dicam postea, interea author motum esse sensile commune visui, & tactui indicans docet motum esse sensile commune. Etenim & tactui, ac visui aliquis motus sensilis est, Quæritur cur solum motum probauit esse communem? Quæritur, & item, cur non omnibus communem, sed solum visui, tactui, vnde probatio nulla, & indigna libro 2. priorum vbi asseritur ad constituẽdum non sufficere vnum, sed ad destruendum, Debuit ergo probare & quinque sensilia communia esse omnibus sensibus sensilia, & motum cæteris sensibus gustui, auditui, odoratui. Ad primũ responderem forte de motu solum factam probationem, quia erat dubium ne tactui, & visui esset communis, plane auditur motus sonorum flãte borea, Odor item consistit in motu ad nares, & iccirco in libello de sensu, & sensili auditum, & odoratum perfici motu soni, & exhalationis dixit, at visus in momento sine motu cernit, & tactus ob vicinitatem tactilis fit sine motu. & gustus est quidam tactus, ob id silet gustum. Ad secundum dic non probasse nisi motum esse communem tactui, & visui, quia isti duo sensus soli sine motu videntur sentire sua sensilia & alios plane motu sentire sua sensilia, cur vero nõ probarit quinque sensilia communia omnibus, id est quod in quæstione est promissum, vtrum omnibus sensibus quicque sensile commune sit, de quo separato capite, Interea lege decretum & conclusionem. perse itaque hæc numero quinque sunt, perse, idest apud Auerh. essentialiter sensilia, vel melius conclusio est communis sensilibus proprijs, & communibus & ita vtraque sunt perse essentialiter sensilia. Explicat se Auerh. quid intelligat essentialiter sensilia, & dicit, quia sentiuntur a sensibus qua sensus sunt, & non qua aliqui sensus, Et vides quomodo intelligit communia sensilia omnibus sensibus, idest communia qua compræhenduntur sensibus, qua sensus sunt, & non qua istis sensibus, quia hoc accidit, & hic modus accidendis est oppositus illi modo essentialiter, Accidit ergo visui videre magnitudinem albi, qua visus est, & auditui, qua audisus est, quia magnitudo ab his percipitur qua sensus, & non qua visus, & auditus. alioquin quisquis sensuum perciperet magnitudinem esset visus, vel auditus, quod est falsum, Ergo quisque sensuum quinque percipit hæc communia qua sensus perse, & qua talis sensus ex accidenti, Et tu hæc Auerh. considera, quia aliqui non recte intelligunt sensum Auerh. qui solum propria vult percipi a suis sensibus perse, qua tales sensus, vt sonus ab aure, sed sensilia communia ab istis perse qua sensus sunt, non qua tales, vt magnus sonus, seu intensus ab aure percipitur qua sensus perse, sed ex accidenti, qua sensus auditus.

## *An sensilia communia apprahendantur ab omnibus, An per speciem propriam, uel speciem sensilis proprij.*



E ansa restet, vel occasio digladiandi de sensilibus communibus duo quærenda sunt, si quicque sensile commune ab omnibus quinque sensibus percipiatur? Etsi per propriam speciem mandatum organo, & sensui capiatur, ita, vt motus, magnitudo capiãtur per suas species, & similitudines in sensibus externis, aut per species propriorum,

ceu

eeu coloris, soni, saporis, &c. Themistius conatur omnibus ostendere cōmunia esse ita, vt a quinque percipiantur. Motū visus tactus percipi docet. Nam moueri quid cernitur, & mobilem sonum, atque impulsum soni, & strepitum æquorum aures sentiunt pulsum. Odoratus percipit accessum, & recessum odorum, & male olentium, & gustus admotionem sapidi, insipidi sentit, & tactus calidi, & cæterorum aduentum, & discessum. Vt de motu Themistius decreuit, & de statu, & numero idem facit. Verum præcipua sensilia communia tactui, & visui dicit figuram, magnitudinem. Alexander, vnde Philoponus, Simplicius. censuit communia dici sensilia, quia pluribus sensibus, & non solo vno capiuntur. Simplicius dici illam particulam (omnium) pro plurium asserit. Sed dubitat, & primum dicit figuram, molem solum tactu, visu percipi. Deinde etiā auditu molem sentiri, cum latior sonus exauditur, & paruus; Philoponus ait non esse magnum sonum, & paruum, nisi metaphorice, sicut apparebit in verbis postea Arist. cap. de voce, attamen dici magnum pro intenso, & paruum pro remisso. Addit etiam ab olfactu molem apprehendi, & figuram, & tandem assentitur decreto intelligendi pro illa particula (omnium) plurium scilicet, addens communia item quibus sentiuntur, non plane, & exacte, sicut proprie, sentiri sensilia, sed inepte, & non perspicue. Philoponus subtilius ait. & vult dici sensilia communia omnibus ratione quorundam ex quinque, quæ ab omnibus sensibus sentiuntur, & si aliqua sint non omnibus percepta. Laborat igitur & ipse ostendere quæ sint omnibus communia, & quæ non. Magnitudinem, figuram tribus subijcit visui, tactui, odoratui. Statum, motum omnibus excepto gustui potuit communia, Numerum vero omnibus subijcit. Et magnitudinem visui, quia montem magnum, paruum, mediocrem, & hominem videmus. & interuallum longum, certum, De hoc dubium erit, Audimus etiam sonus magnos, & paruos extensum, continuum, interpolatum, longum, breuem sonum & vocem, & si metaphorice hæc nomina dicuntur de sonis, vt acutum, & graue odoramus magnos odores extensos, & qui altius penetrant, & intensos, Gustamus magnum saporem, & insipidum. Tangimus præter ingentem, seu intensum calorem, & remissum, & frigus, humidum, siccum, etiam extensum, & angustum, ac modicum, & magnum, Dicebat Galen. in prima sectione aphorismorum, plurimum calidi innati esse ob materiam plurimam, vbi diffusus calor est, vt qui diu iter facit per niues friget multum, &c. probatur item numerum esse communem omnibus sensibus. Visus plures luces, colores, & similes, & dissimiles simul percipit. Hoc euidens, Auditus plures sonos, & pauciores, & discernit, varios bombos bombardarum, &c. Odoratus varios, & contrarios fere simul dignoscit. Gustatus percipit varios sapores in vino dulcedinem simul fere, & amaritudinem, acredinem, austeritatē. Tactus plures calores, & frigida. &c. Figura visu percipitur, qualiscunque sit siue quantitas in qualitate siue qualitas in quantitate sit apud Arist. Philoponus figuram intelligit quamcunq; circūscriptionē non triangulatam, nō quadratam, Ego intelligo figuram spacium aliquo termino, & qualitate conclusa siue sit triangul. quadrata &c. siue connexa concaua, angusta, acuta, caua, lata, expansa, signo equos, asinos, camelos, Dromedarios præcipue Alcem vitare locos angustos, inuios plenos discrimine vitæ. Credidit Gal. lib. 2. methodi cap. 7. cognoscere speciem viç, & viā tritam hanc. Decipitur, quia vniuersaliter viam solus intellectus capit, & speciem, quo caret Asinus, & si quid cōe sensile apprehendit, id sensu oculi, & sensu cōi, & forte æstimatiua apud Auicēnam. Verum de hoc alias, nunc figura percipitur auditu, quoniam sonus in concaua parte, & in connexa factus aliter sentitur. Item aliter acuta vox, & grauis. Et bombum in caua bombarda aliter sentimus, quam cum fit in aperto, & plano. Odoratus sentit figuram acutam, & latam odoris, atque angustam, & fusam cum discernit in angulo esse, & cum percipit diffusum in toto spatio planum. Gustus amplum saporem sentit diffuso organo, & sentit angustæ redigi, vt contrahunt sapores accerbi, & austeri linguam, dulces maturi dilatant, sicut Plato in Timæo ostendit, & Gal. primo de simpl. medicamentorum facultatibus, & alibi. Sentit & tactus figuram tortam, planam, leuem, asperam. Motus item visu decernitur Quis solis motus, & astrorum non suspicit, Qui nauiculam ire nō cernit, & si tellus videatur moueri decipitur sensus circa cōia sensilia, sicut dicemus. Decepta est etiam illa vetus opinio philosophorum, & cuiusdam astronomi de motu terræ stante cœlo. Auditur & motus soni, siquidem flante vento rapi sonum sentimus, & auferri, itaque accessum, & recessum. Odoramus etiam odorem, & eius accessum, recessum dignoscimus. Gustatu item apprehendimus saporis motum. dicente Philopono si quis melle virgam vnxerit, & per os circumferat, tum succum non stantem apprehenderit, & qua tactus, qui sentit amoueri calida, frigida, &c. & adhiberi. Et Medici tangunt pulsum, ac sistolem, diastolem, celeritatem, tarditatē,

CC frequen-

frequentiam, quietem intermediam, magnitudinem, paruitatem, & alias pulsuum differentias. Denique quies sentitur priuatione, & cessatione motus, & statione ante motum & cernitur quid stare, & postea moueri, & quid iam motum quiescere, Auditur item sonus quietus non impulsus a ventis, odoratur odor non diffluens, Gustatur sapor inhærens, & non defluens, Tangitur calidũ quiescens, &c. Ergo hoc modo sentiuntur sensilia cõia ab omnibus sensibus, quod etiam, atq; etiã explicabit magis secunda quæstio, an sentiantur per proprias similitudines, & species missas ad medium, ad organum, & sensum, an per species propriorum sic, vt non sentirentur sensilia cõmunia, nisi quia sentiuntur propria, quibus iuncta sunt. Simplicius constituens differentiam inter propria sensilia, & cõia, quod illa ad suum sensum solum referuntur, & circa quæ sensus non decipitur, sed communia pluribus, & fallunt sensus aliquando, & secundario hæc, & illã primario, plane fatetur communia non percipi, nisi cum proprijs, & præcipue si euidenter sensus moueant, sed obscure, & vix percipiuntur. Philoponus aperte fatetur etiam sensilia communia, sine proprijs nil agere in sensus, ita vt figura non moueat sensum videndi sine colore, & sine sono auditum &c. Contra horum sententiam aliquas mouebimus rationes. Prima quicquid est natum est efficere similitudinem sui in anima, ergo magnitudo, motus, numerus, &c. per proprias species sentiuntur. Rursus quicquid intelligitur sensile, mouet prius sensum, sed per propriã speciem intelligitur magnitudo, numerus, &c. ergo ẽt per propriam speciem sensilem sentiũtur, siquidem nil est in ipso intellectu, quin prius in sensu sit. Adde si non caderent sensilia cõia in sensum per proprias species, nulla distincta scientia haberetur de his, nisi tenuis, & complicata semper cum sensilibus cõibus, sed accidit contrarium, nam maior scientia est de sensilibus cõibus, & certior, vt in mathematicis de numero in arithmetica, de magnitudine in Geometria, quam de sono, coloribus, &c. Præterea si sensilia cõia speciebus propriorum perciperentur, sensilia diceren tur ex accidente, quia per aliud perciperentur, sicut ẽt substantia sentitur ex accidẽti, quia per spe ciem proprij sensilis, attamen Arist. asserit sensilia cõia sentiri per se, & eo magis sentirentur cõia ex accidenti, quia per accidens conuenta sunt cõia proprijs, si rursus perciperentur cõia per spẽs propriorum continerentur ab eis, vt magnitudo a colore, a sono, & numerus similiter hoc autem falsum, siquidem non asseritur color de magnitudine. Rursus nunquam deciperentur sensus circa cõia sensilia, quia neque circa propria, si enim non sentiuntur, nisi per propria, ergo si cuiusmodi sentiuntur, non decipiuntur sensus circa ea, non deciperentur circa cõia. Quinetiam sensilia communia primo sentirentur, quia per prima sensilia, scilicet propria, Hactenus hæc contra Alexandrum, Simplicium, Philoponum, qui decernunt communia sensilia per speciem propriorum percipi, nec ob id per accidens sensilia sunt, quia quæ per accidens sunt, non comprehenduntur sensibus, nisi primario intellectu, vt substantia Diarij filij intellectu cognoscitur, & ob pulchritudinem percipitur sensu, sed sensile commune non percipitur ab intellectu, & alia virtute, nisi sensu, ita vt ea per accidens vocentur, quæ ab alia virtute, & potentia capiuntur, sicut videbimus, Alij dicunt non esse per accidens sensilia, & si per aliud sentiuntur, quia sunt obiecta communia sensui communi, & quia sensilia communia semper subijciuntur sensilibus proprijs, Hæc pueriliter dicuntur, Græci decipiuntur, quia per aliud percipi, est per accidens percipi, vt moueri per nauem est per accidens moueri, si communia sensilia per species sensilium sentiuntur, ergo per aliud, Et si non alia facultate apprehenduntur non refert dummodo per eandem a qua percipiuntur ex accidenti sentiantur. Qui dicunt sensilia communia obiecta sensui communi errant, quia sensus cõmunis cognoscit, quæ sunt obiecta sensuum propriorũ, & cõia quia ab eisdem sensibus percipiuntur, Atque nunc communia considerantur quo ad sensus particulares, non cõem, Alij ob id putant velut Thomas sensilia communia sentiri perse a sensibus, non quia per species eorũ cognoscantur, sed quia variant modum sentiendi ex eo, quod ceu album amplum aliter cernitur, & album exiguum, Et ego non possum intelligere quomodo variet modum sentiendi sensile cõe, & non percipiatur aliter quam per speciem sensilis proprij. Cur enim potius album tantum, & non maius, nec minus cernitur, nisi quia magnitudo vbi est album non nisi tanta est, Aeque de sono, sapore &c. Rursus sit albus color in triangulo, qui moueatur, & sit vnus magnus, An per eadẽ speciem coloris dignoscentur triangularis figura, motus eius, vnitas, & moles? Si non, ergo per diuer sas species sentiuntur, sinautem per eandem speciem albi cognoscuntur tot in triangulo, ergo per eandem speciem a phantasia, & intellectu apprehendentur, quod falsum est. Aliqui aliter sentiũt dicentes sensilia communia apprehendi perse quia sunt necessario coniuncta sensilibus perse pro prijs, vt magnitudo colori, &c. & quia apta sunt cognosci a sensu in eo, quod sensu, non autem a

sensu


sensu hominis, nisi per accidens ex sententia Auerh. sed tamen dignoscuntur per proprias species a sensibus dispositis per species propriorum obiectorum, ita, vt visus non percipiat numerum, figuram, motum, quietem, molem, nisi dispositus sit per colorem, æque de alijs dicere est. Quoad illum modum per se, quia sunt coniuncta necessario proprijs, communia dixerim non recte intelligi, Nam substantia est maxime coniuncta necessario accidentibus proprijs, & communibus, & tamen est sensile per accidens, Quoad vero sensilia afficiant proprias species, dico communia, & si non percipiantur nisi dispositis sensibus per proprias species, videndum est, quia cōtraria adduci solent argumenta. Primum species in medio fit, mox in organo, demum in sensu, Magnitudo non potest recipi a medio quanto, & magno, si quidem recipiens est denudatum a natura recepti in specie saltem, ergo magnum non recipit speciem magnam, alioquin medium fieret maius per speciem magnitudinis, quia quanto addito quantum fit maius. Quantitas item nō de principijs actiuis, ergo magnitudo non efficit speciem, Adde argumentum Gal. 7. de decre. Hipp. Platonis, si per intus receptionem fit visio, & per foramen pupillæ exiguum inspicimus, igitur vasti montis magnitudo videri non poterit, quia magnum spectrum, & species magna sensilis non posset ingredi per foramen paruum pupillæ. Præterea æque pariter ingrederetur pupillam oculi pueri, & viri magnam, Hinc quæritur, ne species magnitudinis in organo, in sensu sit quantitas, aut qualitas, si qualitas qūo representabit quantitatē, sicut enim quantitas non representat qualitatē, neq; qualitas quantitatē, ergo non potest esse qualitas, neq; pōt esse quantitas, qñquidem quomodo quantitas minima ingrediens foramen pupillæ paruum potest representare amplissimam, & quid facit illam minimam, aut exiguam pro quantitate pupillæ? Ac illud mirum, si infiniti homines aspicerent eandem magnitudinem, hanc ipsam vident, quomodo eodem momento temporis tot species sensiles mittuntur magnitudinis ad innumerabiles homines, Quare his decernit Gal. solum visum cum coloribus simul cernere magnitudinem, situm, distantiam, sed quomodo neque ipse exponit. Concederet tamen primario modo cōprehendi sensilia propria, & secundario communia, vt quoque facit Simplicius, Addunt alij non posse percipi motū, quia nisi momentum de eo est, & numerum, quia componitur ex vnitatibus, quæ quia indiuiduę non sensiles sunt. Nec quies sensilis est, cum sit priuatio, ergo nisi per motum caperetur sensus, sed motus præbet speciem fluxus, & successionis, non autem quietis, Hæc dicuntur contra dogma de perceptis sensilibus communibus per propriam speciem. Ego diu, & multum consideraui in hac re multaque legi tacenda, ne prolixior sim, ne item videar persequi cuiusque pueriliter proferētis opinionē. Græci vident Alex. hoc in libro, & illo de sensu, & sensili, Simplicius, Philop. Themistius negare sensilia communia apprehendi per species proprias, sed solum coniuncta sensilibus proprijs. Gandauensis sentit per proprias percipi a sensibus dispositis tamen per species propriorum sensilium, ita vt oporteat primum sentiri species propriorum, & mox communiū, & hac ratione putat differre sensilia communia ab illis ex accidenti, quæ non mouent sensus, qua sensus, licet sensus hominis moueant. Communia autem sensus mouent per proprias species. Attamen Simplicius videtur hoc sentire, quod Gandauensis dum sensilia communia secundario, & obscure percipi ait. & quia videtur desiderari mea sententia, dixerim oportere sensilia communia percipi proprijs speciebus effectis in medio, organo, & sensu ita, vt distincte cognoscantur species horum a speciebus propriorum, neque tamen omnia sensilia enumerata per propriā speciem percipi, velut quietem, sed per cessationem motus. probo meum dogma, Aliquando sentio magnitudinem nullo colore, sono, sapore, calore, odore considerato, ceu nocte percipio magnitudinem cellulæ vinariæ, & Gymnasij, nec possum apprehendere colorem sine luce, tum igitur percipio magnitudinem per propriam speciem. Dicet quis apprehendi per magnitudinē, & interuallum tenebrarum, vt quia apprehenduntur tenebræ noctis, iccirco etiam intercapedo tenebrarum apprehenditur. Hoc dictum puerile, quia tenebræ priuatio lucis non apprehendūtur, nisi ex accidenti ob lucis recessum non præsentis, Quinetiam carceres obscuri magni, & altitudo turrium deprehendantur sine colore, & luce, ergo propria species magnitudinis recipitur. Adde æquos prope stabula cognoscere iter paruum, & accelerare cursum, ergo sine propriorum sensilium speciebus interualli molem capit. Præterea diuersi species natæ sunt diuersas similitudines efficere, vt videmus diuersas effigies hominum diuersus producere species in sensibus, ergo color, & magnitudo diuersas species edunt. Hinc homo diuersas scientias facit de coloribus, & de magnitudinibus. Ac figo aliquam lucem per vigintiquinque miliaria visilem noctu, & per tantū spacium sit edicula. certum est quod capio vtrunque spacium, & metior spatium ob-

scurum, vt lucidum, ergo capio obscurum sine specie lucis per propriam speciem magnitudinis. Similiter asinus, equus percipiunt figuras accliues, & planas interuallorum sine colore, & luce quoties noctu ambulant. Crediderim molē percipi per propriā speciē & figuram a visu, sicut & motum, & numerum, non autem quietem, nisi per motus speciem, An vero ab auditu gustu, tactu odoratu percipiantur siue propriorum speciebus valde ambiguum est. Ego nō crediderim sine speciebus propriorum, nisi cum Simplicio dicam obscure, & vix percipi, Ad argumenta respondendum, Ad primum cum dicitur magnitudo non percipitur a medio magno, quia recipiens denudatum a natura recepti respondent medium esse magnum quantitate ipsa, & reipsa, sed non specie quantitatis spirituali, quam recipit. Et si dicatur non oportere si habet medium rem ipsam quantitatis, recipere spiritualem. Respondebis verum esse propter se, attamen propter sensum oportet, & icciroo medium est delatiuum speciei spiritualis, & icciroo non fit maius per istam speciem spiritualem magnitudinis, sed per quantitatem corpoream, & rem ipsam; Ad secundum, quantitas non est de principijs actiuis cum interitu, & abiectione contrarij proprie, sed est de principijs actiuis actione perficiente, sicut sunt sensiles actiones. Ad argumentum Galen. deceptus est, quia aliud est secundum Democritus, Empedoclem fluere idola, & simulacra ad sensum, & aliud speciem rei sensilem spiritualem, hæc autem etiam per minus foramen pupillæ ingrederetur. Et si dices quomodo tam exigua res immensitatem molis repræsentat? respondebo sicut pictor pictura exigua facit videri gigantem, & elephantes, quanto magis natura hoc facere poterit? Res spiritualis se format mille modis pro captu rei. Quid de meo morbo e materna aluo contracto dixeris? Nam gelidus vapor est. In ventre maximus, in digito paruus, & sicut petit locum pro captu loci, ita euadit maior, & minor. Non igitur mirum, si pro pupillæ captu species spiritualis parua sit, & repræsentat magnam præsente scilicet magna mole. Nam si statim mutaretur moles magna in paruam, crediderim forte per ingressum speciei, & similitudinis magnæ molis non cerni posse magnam ex eo, quod mutata est, & facta præsens est parua. Ad illam de visa mole a pupilla pueri & viri iam liquet quid dicendum. Pro rei recipientis captu recipitur, & pro mole rei sensilis præsentis repræsentat animæ sensificæ magnitudinem. Ad aliud dic esse speciem sensilem quantitatis sensilis non eiusdem speciei, vt putat Gandauensis, quinimo species ipsa sensilis est qualitas spiritualis, & per eam repræsentatur quantitas sensilis, quia sic innatum est quantitati per spiritualem qualitatem repræsentari, sicut substantia per speciem intellectilem, quæ est accidens, si ergo substantia per accidens aliquod deprehenditur, & repræsentatur, cur non quantitas per qualitatem maxime spiritualem, quia per qualitatem rē ipsam non potest repræsentare, & proinde species dupliciter sensilis intelligitur, secundum quod ipsa est, & hoc modo cum sit intentio quædam spiritualis, non potest esse, nisi quædam qualitas, vt pictura hominis, at vero quo repræsentat obiectum suum potest dici quātitas, sed reipsa est qualitas, & spiritualis in sensu, icciroo barbaries inquit obiectiue esse quātitatem, sed reipsa, & subiectiue in sensu qualitatem. Et cum dicitur minima repræsentat maximam quantitatem quomodo? Dicito fieri posse, vt minima pro captu cognoscentis præsente maxima possit, quando illa minima est qualitas spiritualis apta repræsentare maximam. Et quia videtur mirum, infinitos homines per infinitas species sensiles videre, icciroo cedat admiratio, cum simul multas homo faciat operationes videns, audiens, tangens, sedens, legens &c. Vnde potest obiectum infinitas species momento producere non actu simul, quia non sunt homines simpliciter infiniti, & si species essent infinitæ, non tamen, quibus addi non possint aliæ. Icciroo non propriæ infinitum est. Cæterum de motu dicito, qui efficiat speciem in sensu visus apertius in alijs obscurius, & hæc species est qualitas apta obiectiue repræsentare motum, & fluxum secundum partes copulatas ad momentum, & mutatum esse, nec valet dicere præteritum non sentit sensus externus, nec futurum, quia hoc verum est quā talia, sed qua continuatum ad momentum sentit motum fluentem, & non qua permanentem, quia non est. De numero dicito vnitates sensiles potentia, & totum numerum actu. Et quia numerus est totum ex vnitatibus sensile est licet quælibet vnitas seorsum esset sensilis potentia, sicut minimum potentia sensile in toto, & si quod constat ex minimis sit sensile actu. De quiete dictum est, Hæc enim vel cessatione motus apprehenditur, vel quia nondum cœpit moueri, & cum mouetur, quies percipitur. vnde cœpit motus. Reliquum meditare etiam tu diligenter hæc nobis expressa.

Contex.

## Contex. L V I.


*ET ex accidenti dicitur sensile, vt si Diarij filius album sit. Nam ex accidenti sensus sentit hunc, quia albo accidit quod sentit. Quocirca etiam non patitur quicquam a sensili, qua tale. Verum quæ per se sentiuntur, ea sunt proprie sensilia, quæ propria sunt, & ad quæ substantia cuiusque sensus est apta.*



SERMO est de sensili ex accidenti, quod explanatur. Deinde proponuntur sensilia proprie & quadam descriptione declarantur. Vt inde sermoni detur occasio dicendi de proprio sensili cuiusque sensus. Sensile ex accidenti multipliciter dicitur, primo modo sicut Auerh. inquit contex. 64. siquidem vnus modus est secundum accidens, qui opponitur essentialiter, ceu sentiri qua sensus talis, ceu humanus, est ex accidenti, vt Socrates albus sentitur humano sensu, quia percipitur sensu coniuncto cogitatiuæ. Per se essentialiter dicitur, quando apprehenditur qua sensus est, vt color qua sensus percipitur, & magnitudo. Rursus sensile ex accidenti alio modo, vt dicit Philoponus per accidens sentitur vnum sensile proprium vni ab altero sensu, vt videns flauum styracem dicat vidi bene olens, aut olfeci flauum, & flauum dulce est, & argentum bene sonatile dico audiui argentum, & gustaui flauum mel gustando. Ac sensile ex accidenti dicitur quoduis per aliud sensile, & non secundū se. Quinetiam ex accidenti illud dicitur sensile, quod non sentitur, sed intelligitur, cui accidit aliquod sensile externum, & sic substantia est sensilis & de hoc modo sensilis ex accidenti est sermo fit. Et 3. modo ex accidenti dicitur sensile, vt si Diarij filius. Amicus Aristoteli vel Diares, vel filius. Philoponus legit Diares sine filio, attamen nouit etiam hanc scripturam more nostro. Non refert, an Diares fuerit amicus illi, & filius auditor, album sit. Accidit enim vt Diares, vel filius sentiatur. Et ideo accidit ei sentiri, quia accidit, vt sit Diares albo, & quia albus sentitur, non qua substantia, & tale singulare. Nam ex accidenti sensus sentit hunc Diarij filium, & ostenditur, quia albo accidit Diarij filius, qua substantia, qua relatio etiam & id quod sentit, signo indicat dicens. Quocirca etiam non patitur quicquam a sensili qua tale, idest non patitur sensus a substantia Diarij filij quicquam. Dico sensum externum. Hæc de primo. Simplicius dubitat, ne bene dicatur substantiam filij Diarij accidere albo, cum potius oppositione dici debeat album accidere filio Diarii. Respondet simile dictum fuisse in chategoria ad aliquid videlicet hominem accidere domino, in eo quod substantia accidit subesse relationi, atque nunc dicendum quod rectius quoad esse album accidit substantiæ, sed quoad sensile dici potius accidit albo substantia filij Diarij, & signo, quia sensus nil patitur ab ea, sed quia subijcitur albo sentitur. At in hoc differt sensile proprium & commune ab eo ex accidenti, quia illa sentiuntur per se & proprias species, & si primario, & clarius sensilia propria sentiantur, & communia secundario, & obscure per suas species, ac secundario sensilia sunt quia propria sunt causæ, vt sentiantur per se. Nec substantia sensus, idest natura essentia est apta ad communia sensilia qua sensus hic, vel ille, sed per substantiam communem sensus, idest qua sensus. At vero sensus propria natura est ad hoc proprium sensile, vt visus ad colorem, & non ad magnitudinem. Et eo magis, quod sic natura sensus apta est proprie ad suum sensile, quia per organum proprium sentit, vt per oculum, & non aures cernit visus colorem. At sensilia communia non per proprium suum organum cient sensus, Philoponus his Simplicij assentitur. Ergo differunt propria sensilia a cōmunibus, quia per se, & primo feriunt sensus, & hi ad ea sunt apti per propriam naturam, & propria organa clare sua obiecta cognoscentes deductis impedimentis supra recitatis. At sensilia cōmunia non primo, non per propriam sensus cuiusque sentiuntur naturam primo, sed secundario, & nec per propria organa, & si sentiantur per se, & apud me per proprias ipsorum communium species. Quæ autem ex accidenti sunt, hæc non mouent sensum qua talia, & substantiæ, nec eorum species capiuntur a sensibus qua sensus & si qua sensus humani ex accidente secundū primum modum, si hæc igitur aduertisset Auerh. non dubitasset in comment. 65. vbi inquit similiter figuram, motum, &c. accidere coloribus, & alijs proprijs sensilibus, & tamen dicuntur per se, & per essentiam sentiri. Respondet dupliciter. Primum sensilia communia necessario coniuncta sensilibus proprijs, idcirco sentiri per se, sed non Socr. neque Diaris filium, nec vllam substantiam

stantiam coniunctam necessario sensilibus proprijs, quod constituit Thomas sicut prædictum est. Deinde respondet sensilia communia sensibus quinque esse propria sensui communi, quem credidit Thomas esse intelligendum per sensum communem diuersum a quinque locatum in corde apud Aristotel. vel apud medicos in fronte sub sincipite, de quo Aristotel. disputabit, & ideo Gandauensis carpit ipsum iure quidem, quia Auerh. intelligit sensum communem in eo, quo sensus simpliciter, & communiter in omni animali & sic percipiuntur sensilia communia per se, sed ex accidenti sensilia non comprehenduntur sensibus qua sensus, sed qua intelligentes, & humani sunt, & per accidens. Quare communia sensilia differant ab illis ex accidenti. Hæc Auerh. quibus meliora de differentia horum sensilium dixere græci. Addit sensus humores apprehendere singularia, & intellectum vniuersalia & definitio vniuersalis, & indiuidui alia percipiuntur intellectu. Sed hæc pertinent ad 3. librum. Cęterum propria sensilia primo per se describit, & non communia simul, vt censuit Auerh. & inquit author. Verum eorum, quæ per se sentiuntur, ea sunt propria sensilia, ergo non communia. Describuntur per hæc & ad quæ substantia cuiusque sensus, idest essentia, natura ipsius sensificæ potestatis est apta ex proprijs vt visus aptus ad colorem, auditus ad sonum, odoratus ad odore, gustatus ad saporem &c. Addiderim & ego pro differentijs inter sensilia propria, & communia, quia sensus a proprijs sensilibus non decipiuntur, & a communibus, maxime. Sensilia ex accidenti nec decipiunt, nec etiam possunt decipere, siquidem non apprehenduntur. Iam dixi qui sensus non percipiunt, non decipiuntur. Lapis non decipitur, quia caret facultate percipiendi, sensus externus non capit singularia substantiæ qua sensus externus, sed qua sensus hominis percipit singulares substantias, vnde vniuersale oritur, & scientia de eis. Hæc hactenus.

## *Sensus uidendi quinti tomi cap. secundum de visili colore, luce, diaphano medio, de actione uiuendi, de uisu. Adijciuntur de organo, & uidendi modo non neglecta prospectiua.*



DMIRARI solemus quare Aristotel. cęteris sensibus præposuerit in ordine lectionis hanc de aspectu, insunt contra præscriptam methodum sæpe supra a communioribus ordiendi. Vegetatiua præcessit sensitricem, quia communior, priorque ortu, & necessaria magis, atque potens esse sine aliis animabus in plantis sola, sed reliquæ non sine ipsa in caducis. Cum ergo tactus sensus sine alijs esse queat, & alii non sine ipso, & prior ortu, & communior in omnibus animalibus, & magis necessarius, constituit enim animal, atque exactior in homine, cur supremo loco, & vltimo repositus est, & qui extremus est ortu, non omnibus animalibus communis, non necessarius simpliciter vitæ, non exactior visus præmittitur? Et instrumenta priora tactus, vltima visoria intra vterum condita fuere. Et si in persequenda lectione de anima triplici vegetali, sensificæ, intellectricæ, secutus est ordinem naturæ, & methodum compositiuam, cur non item ab imperfectioribus sensibus ad perfectiores conscendit? Omnibus animalibus tactus, non omnibus gustus, & quibus his sensus, non omnes alii odoratus, nec quibus odorandi uis, his omnibus auditus, nec visus. Et si grauissime sint hæ rationes, & Aristotelicæ, tamen condonandum est dignitati, illustri situ organorum, quibus vtuntur sensus, & nobilitati sensuum. Simplicius præferri visum putat in lectione de vnoquoque sensu, quia euidentissimus est omnium. Cernitur in media facit organũ & in anteriore parte vtpote nobiliore. Hinc etiam præfigitur primum, quia honore præstantissimus. Hoc enim accedimus ad Deum propius, quia per oculos scientiam adipiscimur vel inuenimus, & ob id sensum oculorum præ aliis charum habemus primo metaphy. Hunc sensum cõferre ad scientiam in libello de sensu, et sensili reliquit Arist. Accepit vero a Platone in Timeo, vbi ad phi. rerum diuinarum, humanarumque scientiam nihil melius, et maius datum homini

oculorum

oculorum sensu. Et ad Astrologiam, prospectiuam necessarius, et ad picturam, sculpturam, ac similes. Sed de encomio oculorum alias, nunc Simplicius persequitur dignitatem eius dicens actionem sensus huius collectam. Momento enim fit visio, simulque sidera, & terram conspicit, quæ visio videtur miraculum naturæ, vt erecto capite statim suspiciamus astra, & tantam interualli immensitatem oculus permeat momento. Auditus, olfactus requirunt motum, & tempus ad obeundas actiones suas. Addit item sensum hunc habere magnam vim agendi, & patiendi minimam, sed hanc etiam ob sensorium, & organum aptum afficia fulgoribus ad modum illustrantibus obtunditur, hebetatur, & multis morbis afficitur, sed vim agendi maximam habet non quia Basiliscus visu interficiat, mulier menstruata specula maculet, anus visu inficiat corpora infantium, & fascinetur, & similia faciat. Hęc enim sunt organorum corruptelæ, sed quia momento varia, & distantissima inspicit, obtutum oculorum aquilæ in solem. Lincei prospectum, fixam aciem oculorum in solem, quam Gymnosophistæ apud indos firmant diu Pliniano testimonio in septimo libro, & cap. 21. qui & Iliadam Homeri in nuce totam conscriptam author tradit, ac centum, & 35. millaria hominum prospicere recta, & in punico bello fuisse, qui exire e chartagine classem in Lilibæo deprehenderet, ac similia adducere possumus ad confirmandam vim oculorum, vt etiam tertio meteorum Aristotel. vim indicet affirmans tonitruum effici prius, quam fulgetra, & tamen hæc prius videri, quam audiri tonitruum. Celeritas visus magna est. Quinetiam hic sensus orbes cęlestes penetrauit, viscera terræ dignouit, longitudinem, altitudinem cęli, & itinera mensus est, sicut prodidi in secundis commentariis de cęlo. Hic didicit dinumerare stellas, obseruare cursos varios stellarum. Hic monstrauit instrumenta, quadrantem, astrolabium, dioptram, triquetram annulos, & similia instrumenta suspiciendi astra, & obseruandi, sicut in lectione Almagesti, magnæ editionis demonstrare solitus sum. Tacebo Geographiæ Cosmographiæ, Geometrię præcepta oculorum officio inuenta. Denique Platonice addit Simplicius ad dignitatem oculorum proportionem lucis eorum cum sole. Hæc Plato in Timęo. Sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes corruscant, hac de causa dati. Ignis certe illius, qui non vrit quidem, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo, particeps oculorũ orbes dij fecerunt. Oculos igitur in situ altissimo posuit natura tanquam nuncios rerum in arce, rotundos fecit, quia nobiliori corpori nobilior figura primo cęli, ergo organum sensus præstans est, sensus igitur nobilis. Hæc Simplicij amplificauimus. Crediderim etiam tactum exactissimũ sensum homini postpositum ob dubitationes de organo, de numero, ne vnus sit, an plures. Nam retardasset forte animum lectoris, si statim in sermone de vnoquoque sensu promouisset tot difficultates, iccirco cęptum est ab euidentissimo sensu. Sed quicunque vellet abundare laudibus oculorum, præponat sibi situm eorum, figuram, naturam, instrumentum quanta arte constructum ex humoribus, vestibus, neruo, venis, musculis, motibus, atque officium, & actionem. Reliquum ingrediamur verba authoris exprimere.

## Contex. LVII.

*Cvius ergo est uisus, hoc uisile. Sed uisile color est, & quod oratione quidem licet dicere, sed sine nomine est. Atque id maxime compertum erit in processu dicendi. Visile igitur quod color dicitur, in eo nempe est, quod per se uisile. Et per se non ratione, sed quia in seipso habet causam, cur sit uisile.*



X communi facta descriptione sensilis proprij per se supra descriptio infertur visilis, vt porro scias nunc incipit author agere de vnoquoque sensu separatim & ab opposito exorditur data methodo sępe supra. Hoc oppositionem habet nomina relatiua cõmune sensile visu, & propriũ visile. Est enim visile, visus visile & visus visilis, habet item nomina absoluta. Color, lux, lucidũ dicuntur, sed hæc item possunt bifariam considerari quatenus qualitates naturales, aut corpora, & quatenus obiecta visus, nunc secundo modo accipiuntur, ceu color qua accidens qualitas aliter consideratur, & definitur. Etenim qualitas secunda est e primis elementorum qualitatibus orta calido, gelido, sicco, humido, primum in superficie corporum

collocata

collocata, icirco in libello de sensu sensili definitur extremitas in corpore definito, & in chategoria qualitatis quantum superficiei est, tantum dici albedinis scriptum est. Et Pythagoras colorem censuit superficiem propter nimiam coniunctionem. De his coloribus libellus extat tributus Aristoteli, sed qua obijcitur visui dicitur visile, & oppositionem eius. Hoc item modo lux dicitur color in Timeo a Platone. Sed Arist. diuidit lucem a coloribus. Quorum alij ex qualitatibus primis elementorum, vt dictum est, & hi sunt extremi candor, vel albedo, & nigredo. Alii extremorũ colorũ mixtione fiunt, ceu puniceus, porphyrius, ceruleus, fuscus, flauus, subflauus, & similes, quorũ tabella erit tibi perscripta. Alij item ex lucido, & opaco fiunt secundũ mixtionẽ, vt colores iridis, planetarum apud Astronomos, & Galaxia in octauo orbe, & colores varii in aere, & flammei. Denique apparentes, qui e picturis apparent, atque vmbræ tanquam vtri colores visi in luce, & colores colli columbæ, nunc igitur de omni colore motiuo visus est sermo siue verus, siue e qualitatibus, siue ex opaci, & lucidi mixtura, & vtcunque modo sit motor diaphani, & visus. Visile igitur potentia, & actu. Definitur visile actu, & si possit definitio competere etiã visili potentia. Si addas visile, cuius est visus primum & per se capax faciens illum talem, quale est ipsum, definitio erit visilis actu, ex quo visile potentia, ceu minimum in toto non facit visum talem, quale ipsum, sed visile potentia est duplex. Vnum quod ex se visile, sed impedimento nõ videtur, vt testa in profundo maris. Et multa metalla intra recessus terræ, & cardo meridionalis visilis est, sed tumore terræ, non a nobis incolentibus septentrionem, quoad hic sumus non potest cerni. Deprehenditur cum ad anctitonas proficiscimur. Alterum est potentia visile ex vltimo de sensu sensili fere capite, quia est in toto, vt minima pars, omne visile est, cuius est visus, sed actu, si moueat diaphanum &c. Vtcunque sit nullum cernitur, nec cerni potest, nisi qua coloratum, & lucidum. Visile est analogum, prius asseritur de luce, mox de colore quouis motiuo diaphani, & oculi, & de colorato, & lucido, hoc est de superficie colorata. Simplicius per visile intelligit corpus quod in se habet causam perse, vel aduentitiam cur cernatur, ceu aer cum obtinet lumen habet causam cur videatur. Sed corpus pace simplicij visile est per accidens si substantia intelligatur corpus, aut sensile commune, si pro corpore intelligatur dimẽsio longa lata, profunda. Vnde & si sensus vidẽdi est aptus ad sensilia communia, non tamen primo, & exquisite, proinde sic definies, cuius ergo est visus sensus ipse, hoc visile, idest cuius est visus primum, & solum, hoc visile est. Si enim est visus magnitudinis, aut motus, & aliorum sensilium communium, non primum est neque solum, cum magnitudo etiam ab alij sensibus sentiatur, sed obijcies eandem definitionem etiam competere organo visus, Cuius enim est oculus primum, id visile. Respondebis oculum non esse primum capacem visilis, cum medium capiat speciem visilem delatiue ad sensum, & organum tanquam instrumentum. Primum ergo absolute capit sensus speciem rei visilis, & si Simplicius putat non percipi a sensu, sed excitari sensum a specie in organo, de quo supra est dictum. Adde si vis definitioni. Cuius est visus primum cognitiue apprehensiue, id visile est. Vt definiuit visile per correllatiuum communiter, ad propria vult descendere. Et numerat diuersa genera visilium. Et dũo, vnum, cui nomen est color, & aliud, cui nomen non est, sed circumscribitur oratione. Diuidit Simplicius, & ante diuiserunt Alexander, Themistius, Philoponus asserentes esse vnum genus cui solum est videri in luce, vt colorum precipuæ, qui e qualitatibus elementorum, & medij ex extremis fiunt. Hi solum apti sunt mouere actu diaphanum, pellucidum. Alterum vero fulgentium vel cominus, vel eminus, ceu faciunt lampyrides noctu vagantes, oculi fellium squammæ piscium, ligna putrida, sepiarum ossa, cornua, & furgor oculi digito celeriter commoti, oculi leonum, Gemme polite, velut adamas, carbunculi, & id genus. Hæc valent ad emittendum fulgorem, sed ad reddendum totum diaphanum lucidum minime, proinde videntur in tenebris, & in luce minime. Eorum fulgor luce solis, vel lunæ, vel artificiali satiscit. Tertium addit Simplicius id, quod videtur in tenebris, & luce, vt ignis noctu, cum non sit tractus, qui possit totum diaphanum illustrare, & in luce quando ille totum diaphanum illuminat, aut cum die cernitur in luce solis, & si lumen solis nihil largiatur ei, vt luceat. Et post multa, Simplicius refert quod cernitur habere lumen, vel esse cognatum lumini, vel lumen esse. Lignum narrat putridum reddidisse lumen per omnem domum atque lunam. Et quia addidit omne quod cernitur cognatum luci e Platone asserit colores quædam lumina esse in Timæo, & si in Theeteto colores defluxus vocet, ni fallor ex mente Democriti, Empedoclis, sed Aristotelice sunt quædam lumina colores in superficie corporum, quia affines luci, cum moueant diaphanum illustratum. Verumenimuero Arist. duo genera visilis citat. Inquit de primo nominato.

Sed

Sed visile color est, qualiscunque siue ex qualitatibus elementorum fiant extremi, siue medij ex extremis, siue ex mixtione lucidi cum opaco, siue apparentes modo videantur, & videri possint. De secundo sine nomine. Et quod oratione quidem licet dicere, circumscribi oportet, quæ carent nomine. Sed sine nomine est de quibus erit sermo illustris. Atque id maxime corporeum erit in processu dicendi, velut lampyres noctu vaghe lucent & micant in tenebris. Colores non nisi luce pręsente cernuntur, & hæc innominata solum in tenebris, vt fungi, cornua, gemmę, & quędā.c. Aduerte hæc cernūtur solum in tenebris tanquam fulgentia, sed in luce tanquam colorata, vt etiam ignis visus noctu tanquam fulgens. Interdiu tanquam rubeus, quod Simplicius non aduertens tertium posuit visile in tenebris, & luce. Sed diuide tu visile aut propria luce, aut alia cernitur, si propria aut diffusa illustrante totum diaphanum, vt sol, luna, Hesperus, aut non illustrante totum diaphanum, & tale lucidum videtur in tenebris vt lampyres, & ignis paruus, si vero possunt illustrare totum diaphanum in sua luce videntur. Cęterum uertitur ad colorem, quem nequis aliter accipiat, profitetur visile inquiens. Visile igitur quod color dicitur in eo nempe est quod perse visile hoc Philoponus dicit superficiem esse, Simplicius corpus coloratum, & splendens non colorem, neque splendorem perse visile dixit, qui nisi intelligat hoc loco non accipi colorem, aut splendorem visile bene ait, sed si omnino putat colorem, & lumen non videri, in summo errore versatur. Aristotel. igitur transit ad visile perse merito coloris, aut more Pythagoræ colorem vocat superficiem. Vtque sciat Simplicius Philoponum rectius dixisse nunc superficiē perse visile dici, quia color est in superficie cuiusque corporis. Equidem in chategorijs dicebat Arist. tantam albedinem dixeris, quantam superficiem, quinimo nil in profundo cernitur colorati, nisi profundum superficies pateat, vt recte Philoponus de gemmis, & lapidibus inquit. Nūc igitur perse visile vocat superficiem. Et quia primo posteriorum de demonstratione perse aut tripliciter, aut quatuor modis reliquit, nunc perse visile dicit non primo modo quando aliquid est de definitione alicuius, vt animal rationale in hominis ratione, neque secundo cum subiectū ingreditur definitionem proprij accidentis, & hoc asseritur de illo, velut homo risibilis apud Philoponum, & Simplicium, & Themistium, qui ait. Superficies igitur perse visilis est, non quia in eius definitione continentur visile, aut vice obuersa in definitione visilis superficies recidat. Et ponit superficiem dici visilem perse, quia recipit colores corporum, & tanquam stragulum subijcitur, nec vllo in corpore est superficies non colorata. Superficies corporum cęlestium suo colore colorata est ex permixtione densi cum raro, aut lucidi cum opaco. Quare græci superficiem visilem dici per se in primo, & secundo modo negant, & solum asserunt dici perse ex eo visilem, quia in se habet causam suæ visionis colorem ipsum, & Simplicius audet proferre istā causam esse formalem ipsum colorem, non qua color, sed qua vim mouendi pellucidum habet innatam sibi, & visile corpus per colorem separat ab aere visili per lumen, quia color est insitus corpori, vel superficiei apud Philoponum, sed lumen aeri, aquæ aduentitium. Accedit enim, & recedit nocte. Quare superficies visilis per se, vel corpus apud Simpl. visile perse neque primo, neq; secundo modo perse est. Sed quis peteret. Quo igitur in modo perse est. Nempe in quarto, vt iugulatus iugulatione, vbi per formam, & per efficientem causam fit tale perse ex Auerhoe in cōmentatione magna, nunc igitur superficies visilis est visili colore. Hinc decipitur Simplicius negans colorem, & splendorem cerni, quinimo cernuntur primo, & ob eos cernitur superficies, vel corpus. Et propter vnumquodque & illud magis, competit colori videri, & luci ac propter ea superficiei, & corpori. Auerhoes non intelligens de quo visili fiat sermo, credidit intelligi colorē perse visilem in secundo modo dicendi perse cum subiectum ingreditur definitionem prædicati & ideo corrumpit etiam sensum horum verborum. Et per se non ratione, sed quia in seipso habet causam, cur sit visile, inquiens colorem visilem esse perse in eo, quod est causa, aut quia in eo inuenitur causa, vt sit visile. Hoc secundum est absurdum, & demonstrabimus lucem non conferre colori habitum, neque causam vt videatur illius esse, sine qua non, aut propter diaphanum. De primo, quia dicit colorem esse causam vere dicit. Nempe non sui, vt sit visilis, quia nil est sui causa, sed superficiei, vel corporis causa est, vt videatur, sed duæ dubitationes occurrunt. Prima quia vbi superficies, vel corpus sit visile perse, non duo genera tantum visilium, videlicet coloris, & innominati erunt, sed tria. Nempe superficiei, & corporis visilis perse, & si addatur tertium Simplicij, quod est fulgidi simul in luce, & tenebris nisi quatuor erunt, quinetiam diaphanum est visile ob lucem. Quinimo & tenebræ. Secunda dubitatio, ne color sit visilis perse aliquo modo, & lumen quomodo visile: Causa dubitandi est, quia visili accidit colori dicente

Themistio quoque, siquidem color ex se res absoluta est, & qualitas, visile est nomen relatiuum & accidit ei referri ad visum, & videri. Et signo, quoniam quandoque non cernitur in tenebris apto tamen sensu, organo, interuallo, & situ. Adde color semper est color, sed non nisi præsente sensu visus cernitur, & absente visilis potentia. Ad hæc dicturus scias Aristotelem numerare quæ sunt causæ cernendi visilia, & prima, & iccirco duo, vel tria enumerata sunt genera, sed addit postea visile secundario ob colorem, & splendorem, vel lucē, siue sit superficies, siue corpus, siue diaphanum interminatum, siue terminatum. Sed replicabitur, superficies est magnitudo, & corpus, ergo sensile commune, & nunc de proprio sermo fit. Respondebis interesse inter superficiem, & corpus qua magnitudines. Hoc modo sensilia sunt communia, & inter superficiem coloratam, aut fulgentem, & lucidam. Hoc enim modo est sensile proprium, quia in se habet illud tanquam causam cernendi. Ad verba denique Themistij dicimus accidere colori relationem, vtque sit visile, sed tamen, quia in colore est quædam habilitas mouendi diaphanum, & visum, quæ non est in frigore, in sapore &c. ob id dicitur causa perse videndi alia, & perse visilis, sed instabis quo in modo perse erit ipse visilis, & lumen petendo? Dixerim in secundo modo ob habilitatem cernendi, a sensuque videndi. Ergo color est visilis perse, secundo modo dicendi perse. Bene igitur Auerh. asseruit id? Dixero id bene illum dicere, sed non intelligere contextum Aristotel. qui loquitur de superficie, aut corpore visili ob colorem causam videndi ea, & non de colore ipso, quia ipse non habet aliam causam perse videndi. De lumine idem dicito, licet magis visile sit lumen, quam color, & apud Plat. lux est causa videndi colorem in Timeo, quia in se habet lucem, de quo videro proxime. Hactenus hæc diuinitus dicta.

## Contex. L V I I I.

*Color autem omnis motiuus est perspicui actu. Idque eius est natura, iccirco non visilis sine luce, quinimo quisque color in luce visilis est. Quare de luce primum quid sit dicendum.*



EFINITVR color non qua qualitas absoluta, opinio est, vt hoc modo definiatur in libello de sensu, sensili, cum dicitur color extremitas, seu qualitas in extremitate corporis perspicui terminati. Sic ego verti contex. Aristotel. in linguam nostram ibi. Quamobrem licet definire colorem esse terminum perspicui terminati. Philop. Simplicius sic censent. Ego crediderim hanc esse definitionis coloris partem, quia color absoluta qualitas secunda debet definiri per causam efficientem suæ generationis, vt vnde oriatur sciamus. In libello de coloribus Aristoteli tributo varia colorum generatio tractatur, si quis desiderat has noscere, sumat libellum in manibus, quem Porcius Neapolitanus aliquando Neapoli congressor meus apte interpretatus est. Nunc ergo qualiscunque color motiuus diaphani definitur, actu scilicet diaphani, qui siue fiat ex mixtura lucidi cum opaco, siue appareat, siue sit qualitas genita e primis elementorum qualitatibus, siue medius color ortus ex extremis modo mouere queat pellucidum definitur. Et aduerte quod lumen dicitur ab Aristotele quidam color aduentitius perspicuo interminato. Et Plato in Timeo lumina vocat colores. Nunc color seiunctus a lumine definitur quia est motiuus diaphani iam luce illustrati, ergo differt a luce, vel lumine, atque etiam quod color vbi est fixe permanet, lumen accessu lucidi, & lucentis corporis adest, & recessu abest, sed vberius de differentijs coloris, & lucis disseram. Vt ordinatim procedatur de colore definito tot dicta sint, vt qui color definiatur, compertum sit, si ergo aliter in libello de sensu, & sensili definitur color, & aliter hoc in opere, non ergo superflua est ibi, & hic tractatio de colore. Verumtamen aduerte præter illam definitionem coloris, vt absoluta qualitas ibi, etiam dici breuiter quæ nunc, sed ibi potius consideratur quatenus obiectum sensile, hic quatenus mouet sensum oculorum animæ sensificæ potentiam. Coge in pauca ob rem definitam nomen coloris plura significare. Et color rethoricus dicitur modus quidē loquendi. Et color naturalis, & color artificialis, pictorum scilicet, & fucus, quo mu-

lieres faciem illuſtrant. Color naturalis habet & oppoſitum colorem præter naturam, vt ſæpe in morbis accidit. Et lumen dicitur color quidam, & ſuperficies a pythagoreis. Naturalis vero ex mixtione qualitatum primarius. Medius vero ex primarijs fit. Et apud Gal. color fit ex mixtione ſuccorum in Simplicibus, & in animalibus ex mixtione humorum, & calore agēte, ſcripſi fuſe de coloribus in communē artis Medicinalis. Non pigebit & hoc loco te (mi lector) facere doctiorem. Nam & color fit ex mixtione lucidi cum opaco, & aliquando terreſtri, vt in gemmis liquet, & luminis cum aere varie craſſo, & tenui. Dicuntur & apparentes colores, vt iridis, vel pictorum, & in ſpeculo ex reflexione. Vt cunque color, qui poteſt mouere diaphanum ſiue vere, ſiue apparenter definitur, non rethoricus non lumen, qua lumen ſolum illuminans, & vmbræ qua nigri colores mouent diaphanum, & tenebre non colores, quia non mouent diaphanum actu. Et colores oculorum continentur ſub colore deſinito, & ignis viſus in luce, & lux lunæ & ſtellæ viſæ in lucido perſpicuo, & ſolis in ſua luce ſplendor, & tandem quicquid mouet diaphanum actu illuminatum, & oculos, ac ſenſum dicitur color. Nam ſolis ſplendor in ſua luce cernitur tanquam color, non tanquam lux illuminans diaphanum. Quocirca color definitur ſecundum proprietatem quandam mouendi pellucidum actu. Inquit ergo color autem omnis iam pluribus dictis modis exceptis quibuſdam. Definita res color. An cęli color cęruleus motiuus diaphani? Quinimo, & ſi color analogice aſſeratur de illo, & alijs coloribus. Aduerte colorem orbium, & aſtrorum aliter eſſe, quam in his inferioribus, ſiquidem non fit cęleſtis ex mixtione qualitatum, aut ſuccorum, aut humorum, ſed ex permixtione luminum cum denſiore parte motiuus, ſed quæ res eſt motiua, facultas mouendi eſt in re aliqua. Definitur ergo & hoc loco per ſecundam ſpetiem qualitatis, vt ſit res vim, & potentiam habens mouendi, ideſt perficiendi. Iam ſupra decretum fuit omnem motum ſenſus eſſe alterationem perfectiuam. Eſt ergo color qualitas motiua, ideſt alteratiua perficiens diaphanum, ſeu latine perſpicuum, aut pellucidum, tranſparens, iccirco ſubiungitur perſpicui actu. Græce [illegible], latine tot nominibus dictis translatum componitur, e duplici voce græca ex hac [illegible] per & hac [illegible] apparens, lucens. Vnde pellucidum dicitur, & perſpicuum. Hoc multiplex eſt aut in ſuperficie tantum, vt ſpecula polita, limata aquea, aut in profundo etiam, vt in quibuſdam lapidibus præcioſis, aut ex vtraque parte tranſparens. Primo modo, & ſecundo modo abuſiue diaphanum dicitur. Tertio vero proprie. Nunc intelligitur omne perſpicuum, & præcipue ex vtraque parte, & ex omni diametro penetret. Speties rei viſilis, & oculi ſenſus permeet. fieri poteſt, vt ſit ex vtraque parte longitudinis perſpicuum, vt tibia tibicinis, & ſimilia inſtrumenta habentia duo foramina diſtantia longitudine, ſed latitudine minime. Ac poteſt eſſe diaphanum latitudine, non profunditate, vel longitudine, vt gemmæ aliquæ, poteſt item eſſe profunditate, latitudine, longitudine ſimul, vt aer tranquillus, & ſerenus, criſtalla, ocularia, orbes cęleſtes exceptis ſideribus, iccirco inferiora ſubeuntia ſuperiora occultant, vt fit in deliquio ſolis ſubeunte luna. Aqua alto pelago non ex vtraque parte pellucet, nec aer nubiloſus, nec ſpecula, perſpicuum ergo proprie dicitur quale permeet ex vtraque parte, vt acies oculi tranſmittat. Et hoc geminum eſt interminatum, ceu aqua non alta nimis, ſed talis, quæ permittat videri fundum, & piſces, aut alia. Hæc interminata dicuntur, quia cedunt facile & proprios terminos non habent, nec ſolidà ſunt. Dico proprios terminos, qua pellucent. Aliud vero terminatum, ſolidumque concretum ex lucido, ſicut ocularia, quæ tranſmittunt ex vtraque parte viſum, criſtallum, & ſimilia. Et vnumquodque eorum dupliciter, actu præſente lumine, & potentia abſente. Si ſol, aut luna, aut lux artificialis præſens eſt aeri, hic dicitur perſpicuum actu ob lucem præſentem. In tenebris vero potentia perſpicuum ob abſentiam luminis. Et merito, quia tum nil tranſmittit acici viſus. Color ergo eſt vis alteratrix perfectiua diaphani actu, ideſt illuminati aliquo lumine, a quo etiam perficitur. Sed aliter a lumine, & a colore, primum alterat medium perfectiue, non proprie cum alteratione corrumpente contrarium, neque aliquid immittit. Sed ſola præſentia perficit, & mouet, datque ſpeciem ſenſilem perferendam viſui. Verum nihil horum facere poteſt color, niſi præſente lumine, ſiue ſit color proprie ex qualitatibus primis, vel medijs ortus, ſiue ex opaco & luce commixtus, ſiue apparens. Et quoniam definiuit colorem ſecundum quandam eius proprietatem natiuam ſubiunxit. Idque eius eſt natura, hoc eſt natiua eius proprietas, vt moueat, ſeu perficiat diaphanum iam perfectum lumine, & actu factum perſpicuum, itaque perſpicuum a lumine perficitur, quia actu fit ex potentia perſpicuum, &

quia per illud cernitur, iccirco lumen quodammodo color diaphani dicitur ex eo, quod sicut quodlibet visile cernitur per colorem proprium, vt supra est dictum, ita diaphana per lucem præsertim interminata, iccirco aer videtur per lumen, cuius recessu non cernitur. Hæc quoque diaphana perficiuntur a coloribus, non nisi actu illustrata, non quia color perficiatur a lumine, vt putabat Simplicius, neque sicut Auempaces recitante Auerh. comment. 67. qui credidit lumen facere colores in obscuro ex potentia in actu, & perficere hoc modo illos, quinimo colores in tenebris actu sunt sed quia quo transmitti ad aciem oculorum non possunt sine medio, & hoc illustrato, iccirco lumen requiritur ob illustrationem medii, & non propter colores, sicut demonstrabitur, nunc vero reuersi ad contextum dicamus hanc definitionem esse traditam per natiuam proprietatem coloris, & si Auerh. dicat tradi essentiam coloris, qua visilis est. Signo docet author colores motiuos diaphani actu illuminati dicens. Iccirco color non visilis sine luce illustrante diaphanum medium. Requiritur medium, quia sensile positum supra sensum non cernitur. Omnis sensus medio eget, medii autem cernendi oportet esse pellucidum actu, fit autem actu a luce. Hæc omnia sunt per se manifesta. Quinimo quisque color in luce visilis est. Hæc minor argumenti, quale concludit dicendum esse de lumine, quicunque agit de colore visili, debet agere etiam de eo, sine quo videri non potest, sed sine luce non cernitur color, ergo differendum etiam de lumine. Nunc lux, & lumen, splendor, fulgor confunduntur, postea distinguentur. Alexand. Aphrodiseus etiam citatus ab Auerh. comment. 67. docet signis colorem visilem in luce, quia plerunque lumen con color fit colori sibi comparato, si aureus color, vel flauus fuerit, lumen aureum medii fit, & purpureum a purpura, & herbaceum ab herba. Addit etiam videri colores arborum in parietibus elatis, quia lumen diffusum excipit eos, & fit concolor, quinimo vlmi, abies prope ripas colores edunt in aere & aquas illustrata diaphana, quocirca potius color perficeret diaphanum & lumen, quam ille a lumine perficeretur. Ergo Alexander dissidet ab Auempace de quo dissidio protinus disputauero, si interea colligatur dicendum de lumine. Quare de luce primum quid sit dicendum, quo ad actum cernendi scilicet pertinet. Alioquin de luce qua causa caloris in 2. libro de cælo differitur & primo meteorum, & a mathematicis, vt a Ptolemæo de luce, & speculis, & a prospectiuis agitur. Et vt quidam ignis in Timeo, & quo quidam color ibidem, & in libello de coloribus. Et si primum promittit dicendum de lumine, tamen præpositurus est diaphanum, ceu materiam receptiuam hominis.

## *An color recipiat habitum, & perfectionem a luce, ut mouere posit diaphanum, & uideri, uel contra lumen ab eo perficiatur, & si color penetret totum diaphanum.*



VEMPACES magister Auerh. credidit argumento suo lumen requiri ob colores, quos de potentia motiuos diaphani traduceret ad actum mouendi, alioquin sine lumine nunquam mouerent pellucidum, & oculos. Commentus est colores in tenebris esse actu colores, prout sunt qualitates. Sed non actu mouentes diaphanum, vt ergo moueant, lumen dat habitum, & vim eis, sua præsentia. Et hoc argumento ostendebat. Dicat aduersarius lumen requiri ob medium diaphanum potentia, vt fiat actu, & hoc modo color perficiat diaphanum, sequitur vt idem recipiat seipsum, cum medium illuminatum habeat colorem, siquidem lux est color diaphani vt etiam dicitur libello de sensu, & sensili, ergo color recipiet colorem, etiam confirmatur, quia color non est aliud quam mixtio lucidi cum opaco, si ergo lux est quidam color, ergo diaphanum lucidum recipiet colorem ipsum, qui est ipsa sane lux mixta opaco. Attamen omne recipiens debet denudatum esse a natura rei receptæ in omni receptione corporea, & spiritali id verum. Tu vero forma argumentum vt pla-

placet, sensus dogmatis Auempacis hic est, & a quibusdam confirmatur verbis philosophi in 3. lib. vbi affirmabit se habere intellectum agentem ad phantasmata, vt lux ad colores, sed agens intellectus confert formā phantasmatibus, ergo & lux coloribus. Addunt idē agēs introducere, & disponere materiā. 7. metaph. color ergo si inducit speciē sensilē in medio, ergo ēt disponit sine luce, non ergo requiritur lumen ob dispositionē medij diaphani, Rursus visus in lumine non videt colores in tenebris, & oculus in tenebris vidit colores in luce, ergo lux cōfert colori vim, vt videantur, Addunt quod est in potentia agens & mouens de se, necesse est vt ab aliquo ducatur ad actum, Colores in obscuro dicuntur in potentia, ergo si actu mouent a lumine ducuntur ad actum, iccirco illud mirum colores in tenebris non mouere diaphanum, & in luce mouere, & lucem nihil conferre coloribus, ac solum aerem illuminatum affici a coloribus, non autem tenebricosum. praeterea lux facit videri aerem. ergo etiam colorem, ergo si lumen perficit aerem, perficit etiam colores, vt Simplicius ait, qui sentit perfici diaphanum a lumine, & colores, Contra hanc sententiam instamus, & si argumenta Auerh. pauci momenti sunt aduersus Auempacem, Contra illam opinionem idem non est perfectio subiecti, & perfectionis subiecti nisi consequatur necessario perfectionem subiecti, vt operatio formae subiectū est perfectio, & formae, & subiecti, quia sequitur necessario operatio formam, sed lumen est perfectio diaphani ex Aristot. postea, ergo non coloris, qui mouendo perficit diaphanum, siquidem lumen non sequitur necessario colorem. Praeterea sicut lumen facit videre aerem totum vsque ad oculos fere sui praesentia sine medio, etiam faceret videre colores sine medio illuminato per sui praesentiam ad colores, quod est falsum, praeterea instrumentum, non est perfectio primarij agentis sed illuminatum diaphanum est instrumentum per quod color speciem, sui sensilem mittit ad oculum, ergo lumen diaphani non est perfectio coloris. Et quia implicari cauillis quis posset, duplex est perfectio coloris, cum fiunt, & perfectio dicitur essentialis, per quam sunt colores. vt rubeus, flauus sunt colores per suam naturam alia perfectio est, vt cum extant eorum operatio, vt moueant diaphanum, & efficiant similitudinem realem in aere, sicut dicebat Alexander de transitu nubium supra aquam, & parietes. & colores arborum circa parietes, & spiritualem, quam vocant speciem sensilem in medio lucido actu. Quoad ergo primam perfectionem Plato sentit colores effici ex luce, & Aristotel. in libello de coloribus ex lucido, & opaco terrestri, vel alio modo denso, iccirco quidam colores his modis geniti requirunt lucem pro essentia sua, Qui vero fiunt e primis qualitatibus elementorum, vt albedo, nigredo, & qui medij ex extremis non fiunt ex lucido, & opaco sed ex rariore, & densiore qualitate, vt si plus nigri addatur orietur fuscus color, si minus cerulei, &c. Hi ergo colores mouent diaphanum actu illuminatum, quia supra veniunt iam actu pellucido, & iam sunt, nec ad essentiam suam requirunt lumen, siquidem recessu lucis deficerent esse colores, qui tamen sunt, sed non mouent, idest non perficiunt diaphanum. Ridiculum omnino foret, vt praesente luce noctu in manu mea colores fierent culcitrae, tapetorum, &c. & mox occulta luce lichni deficerent, Ergo non e luce perficiente diaphanum fiunt. Extant ergo in tenebris & quo ad primam perfectionem aduentitia lux diaphano non est necessaria, Ergo Auempaces allucinatus est in eo, qui potius Platonice censuit omnes colores effici ex lucido, & opaco, quod minime verum. Non enim hi ex primis qualitatibus elementorum, nec medii ex extremis, vt hi. Albedo, nigredo extremi. Medij flauus, subflauus, croceus, subcroceus, Ruffus rutilus, igneus, flāmeus, purpureus, subrubeus, rubeus praerubeus. Vineus passeus, Et viridis Venetus, palidus, liuidus, plumbeus, fuscus, niger. contrarij quoque candidus, crystallinus, aqueus, lacteus, glaucus, charopus, suspiceus, spicaeus, subaureus. Arist. in libello de sensu, sensili sic disponit colores, Album nigrum extremos colores, & medios flauum, fuscum puniceum, purpureum, viridem caeruleum. Et Plato in Timaeo componens colores ex lucido, & opaco. Splendorem, coruscum, sanguineum, seu rubeum, flauum, purpureum, moreum, luteolumque, fuluum, fuscum, pallidum, ceruleum, glaucum, viridem. Hi colores, & alij infiniti, quos recensere stultum est hoc modo geniti forte requirunt lucem quoad essentiam, & hoc modo recte sentiret Auempaces lucem requiri, vt sint colores, quia ex ea componuntur, & iccirco si mouerent diaphanum illuminatum lux reciperet lucem, Nam lux perspicui actus recipere lucem coloris, e qua componitur, sed omne recipiens est denudatum a natura recepti secūdum speciem saltem, & essentiam, atque existentiam, nec aliquid est causa se recipiendi, ergo color non perficit diaphanum illuminatū actu saltem ratione luminis, quinimo lux est necessaria coloribus, vt sint colores, quapropter Auerh. non percepit sensum Auempacis, & in equiuoco nomine coloris manet, Quia Arist. accipit colo-

res

res suo modo,& Auempaces more Platonis factos ex opaco,& luce, quos etiam Arist. nouit in libello de coloribus si eius est liber,sed illud dubium,quia tam color apparens,quam verus,& qui ex luce,& opaco fit,atque ex qualitatibus primis elementorum, & ex extremis mouent diaphanum, signo,quia mouent visum,ergo omnis color vtcunque editus est motiuus diaphani, & ita stat dubitatio Auempacis,quod idem reciperet se saltem secundum speciem. Nam lux diaphani reciperet illam ex qua color conditur,ad quod argumentum non valet responsum Auerh.qui dicat lumen non esse colorem,& si Arist. per similitudinem vocet lumen colorem quendam diaphani interminati,vt sicut per colorem verum videtur terminatum, ita per lucem interminatū, sicut libello de sensu,sensili declaratur,& proinde differunt lumen, & color essentia, definitione, siquidem lumen est actus diaphani,& color natiuus diaphani actu,& hic terminati, & lumen interminati,& ille fixe,hoc vero accedens,& recedens pro præsentia luminosi corporis.Hæc respōsio Auerh.nullius momenti est,nec difficultati satisfacit, Nam stante eo,quo colores conficiantur ex lucido,& opaco,si postea hic color perficit diaphanum illustratum luce, ergo lux diaphani perficitur a luce coloris,& ita idem specie recipit idem specie. Nec valet obiectio Auerh. cum dicit,Color est visilis per se,ergo non per lumen,quia esset visilis per extraneum, & aduentitium aliquod.siquidem lumen aduenit præsentia luminosi,& non valet,quia Auempaces loquitur de luce,ex qua color conficitur,& non de lumine aduentitio per præsentiam corporis lucidi, quæ est essentialis illi,& sine ea non est color, Et cum dicit hanc propositionem color est visilis esse in secundo dicendi modo, vt homo risibilis,vbi subiectum est causa prædicati, etiam diceret Auempac.prædicatum fluere e principijs subiecti,sicut risibile ex animali,& rationali hominis,Vnde si color visilis est,ergo illa habilitas videndi oritur ex principijs coloris,& sunt eius principia lucidū, & opacum,quare visilis est color quia lucet, & proinde lumen est primum visile, At Auerh. in equiuoco perseuerans de luce non accipit intrinsecam colori,sed illam aduentitiam diaphano secundum præsentiam lucidi corporis,per quam solum perficitur color in mouendo,non in essendo,& ideo accidet colori videri per illud lumen, sed visilis est per se ex luce interna, quæ in tenebris si lucet ita,vt possit illustrare diaphanum facit,vt videatur, & colores vicini apprehendantur si non potest illustrare diaphanum,expectat lucem aduentitiam, quæ maior illustrans diaphanū faciat actu colores mouere,non autem esse, quia iam sunt .& iccirco bene Auempaces adduxit illam similitudinem,vt intellectus agens ad phantasmata, ita lux ad colores, 3. libro de anima, Nam intellectus agens postquam phantasmata non possunt perficere intellectum possibilem facit, quo per suum lumen spiritualius perficiant intellectum possibilem,ita lux, quia illa intrinseca colori non est sufficiens illustrata diaphanum,requiritur aduentitia , quæ illustret,& species coloris pertingat vsque ad oculum,& sensum.Ergo accidit diaphano non posse illustrari a propria luce coloris, & ob id requiritur aduentitia, vt illustrato eo color mittat speciem delatam per medium illuminatum ad oculum,Quare sententia Auempacis non fuit pace Auerh. intellecta, aut si intellecta,cauillis tamen inuoluta, Quocirca stat eius dubitatio, color componitur ex luce, & opacitate,si ergo perficit perspicuum illuminatum actu, ergo quoque recipitur a lumine, & ita idem recipiet secundum speciem idem,sed nihil recipit se idem specie &c. Nisi ergo lux intrinseca colori differat specie ab aduentitia,non video posse dilui argumentum. Et plane differre constat a luce artificiali lychni,facis,ignis,& ab illa quoque naturali in his, quæ noctu vagantur animalibus,siquidem in tenebris ille color fulget,in luce cernitur niger, Et fungi noctu fulgent, & die colorati videntur,quare color qua color cernitur in lumine,qua fulgor in tenebris,& ignis noctu qua lucet, & interdiu qua color flammeus rubeus cernitur.Et oculi fellium cernuntur fulgere noctu,die vero colorati,ita vt potius lumen coloribus officiat externum, quam eos perficiat, sicut solet lumen maius offuscare minus,quinimo luna de die visa qua colorata aliquo modo cernitur,& non qua fulgens, & splendens nisi in nocte, Vnde in Auempacem quoq; decernere est, Et ad suum argumentum dicendum.Omne recipiens denudatum a re recepta specie concedatur in omni receptione spirituali,& corporea ita. vt quoque materia si debet recipere omnes formas, nudata sit omnibus oportet,& si intellectus omnem scientiam similiter, & omnem speciem intellectilem, & cum addit minorem sed color est quædam lux, quia componitur ex luce, & opaco,ergo non potest perficere diaphanum illuminatum, quia lux diaphani reciperet lucem coloris.Respondebis posse recipere quia differūt specie lux coloris,& lux aduentitia solis, aut alterius, probatur signo differre specie, quia lux coloris apta est fulgere noctu si sufficiens fuerit, vt color noctu vagantium,& oculorum vel fellis, vel leonis, quæ postea accedente aduentitia deficit, &

sub

sub ratione opaci color videtur interdiu. Et ad argumenta facta pro eo in principio huius capitis respondebis similitudinem intellectus agentis, cum luce huiusmodi esse vt sua præsentia facit intellectus agens phantasmata mouere intellectum, ita facit lux, vt colores moueant, sensum visus. Quod si intellectus agens depurat phantasmata, & alia facit, quæ lux non facit In diaphano, neq; in coloribus nil refert. Nam penes ea non est similitudo. Ad aliud idem disponens, et introducens, id non verum in omni mutatióne, maxime cum color non sit tantæ virtutis, vt queat vtrunque facere. Ad tertium dicito visum in lumine non videre colores in tenebris, quia lumen non sufficit aduentitium, nec propria lux coloris ad illuminandum diaphanum, & oculus in tenebris videt colores in luce propria si sufficit illustrare, vt color lampiridum, vel aduentitia, quæ recta pertinet ad oculum ita, vt non sit oculus in tenebris, sed est in luce potente illuminare spacium illud vsque ad oculum, & si reliquum corpus sit in tenebris, sed obiicies, si oculus esset in luce videns illos colores in lumine, quispiam e regione posset saltem videre oculos aspicientis, quia sunt in luce, & tamen non videt e regione ullus oculos aspicientis, nisi oculi sint apti fulgere vt felliū, leonum, &c. Et hoc non vidit Gandauensis, & alij non aduerterūt concedentes oculos videntis colores in luce esse etiam illos in luce etiam si sint circumfusæ tenebræ. Respondebis tamen id accidere, quia non est tanta lux oculorum existentium incircumfusis tenebris, vt e regione aspicieti illi cernantur tanquam colorati, quod si fuerit oculus fellis, vel leonis videbitur; vt fulgor, non autem, ut color ob dictam causam, quia non sufficit lumen externum illuminationi medij. Ad aliud dicatur. colores in tenebris non esse potentia colores, sed potentia motores diaphani, quia lux eorum non sufficit ad illustrandum medium, iccirco requiritur externum, quale possit illustrare, & tum mouent actu. Est ergo lumen tum causa adiutrix luci colorum, aut coloribus nō ex luce, & opaco factis, sed non perfectiua colorum, licet medij, sicut si esset medium densum ita, vt graue libræ vnius non posset descendere, & postea superueniret ignis attenuans verbi causa glacia tam aquam maris, tum pondus libræ vnius penetrare & ignis diceretur cōcausa, & adiutrix, cooperans, sed non perficies pondus libræ vnius, æque quia color non sufficit ob tenebricosum iter mouere oculum, lumen præsto est aduentitium specie diuersum a luce coloris si color fuerit editus ex lucido, & opaco, & iccirco non mirum si non potest color sine lumine mouere, & perficere diaphanum specie sensili, Additio negatur si aerem perficit lumen aduentitium, etiam perficere colores, qua visiles scilice, siquidem solum est causa cooperans, & adiuuans propter mediū diaphanum, cuius est actus lumen, etenim pellucidum esse oportet, si deferre debet speciem rei visilis ad oculum. quicquid dicat Simplicius, vt ergo species coloris in medio penetret hoc ipsum, & deueniat ad oculum oportet præsens lumen esse cooperans dum perficit diaphanum, nec tribuit lumen aduentitium coloribus, qui apti sunt penetrare diaphanum. sed diaphanum non est actu tale nisi per lumen, quinimo, vt recte dicam diaphanum dictum potentia tenebrosum non est diaphanum, vt aer, aqua, & alia solita non apta nisi diaphana esse per lucem, Et ostendo. tenebricosus aer, & aqua, & ocularia. non tralucent in tenebris, ergo non diaphana, valet ratio, quia vox diaphani hæc est, vt sit transparens vtrinque, & iccirco specula non diaphana dicuntur, quia ex altera parte non tralucent, ocularia diaphana dicuntur, quia ex altera parte video literas, & alia. Sed nocte, & in tenebris nulla e parte tralucet aer, aut aqua, ergo non proprie diaphana sunt. Corpora cęlestia sunt diaphana proprie vsque ad summam spheram, quia semper tralucent, & sicut de die, ac de nocte videremus astra, nisi lumen difusum solis diffunderet aciem oculorum, iccirco inclusi puteis vident astra, & speculo posito in peluim plenum aqua prope solem astra indicat, sicut Philander antequam aquis Ticini obrueretur pridie hoc expertus vidit, & omnes e familia videre fecit, & tum ego illi dixi, hæc sunt astra, quæ videbis breui in cœlo, nisi abstinens natationibus in Ticino, & die 6. Iulij. M. D. LXIIII. obrutus Ticino multis inspectantibus, & socijs fere 28. nullus tamen imploranti opera ferre voluit, neque molitor farinarum, cum essent in conspectu multi, Vidit ergo astrum per orbes diaphanos. Dicuntur autem aer, aqua nocte & in tenebris diaphana potentia, & alia solida, quia res sunt, quę præsente luce non præsente colore. Nam in nocte præsentes sunt colores euadunt vere diaphana ergo lumen est actus diaphani, qua diaphanum est, & non colorum, & si causa sit cooperans in perficiendo diaphanum. Hæc scripsi. tu vero scripta examinabis nostra, & aliorum sine odio, & amore.

Con'ex.

## Contex. LIX.

*EST igitur diaphanum aliquid. Et diaphanum id dico, quod non per se (vt simpliciter dicam) sed per aliorum colorem visile. Et huiusmodi sunt aer, aqua, & solidorum multa, ceu vitrum, glacies, & id genus corporum, Non enim aqua, uel aer, ut aqua uel aer est diaphanum est, sed quia eadem natura est in utrisque his, & in supero corpore perpetuo.*



ROMISIT dicendum de lumine, attamen præmittitur diaphanum, quoniam sine eo non fit visio. Medium necessarium visioni, Quia euidens est, vt sensile positum supra sensum non videatur. iccirco debita distantia requiritur. Et hæc media est, & cum non sit vacuum, ergo plena erit, vel aere igitur, vel aqua, vel cęlo, vel aliquo corpore, & tali, quale non officiat visioni, & delationi speciei sensilis spiritualis ad oculum iccirco oportet vt hoc sit diaphanum. pellucidum, nec coloratum, Si aer haberet proprium colorem, vt solida, non reciperet speciem alterius coloris, quia intus apparens prohibet extraneum, quinimo omnia viderentur eodem colore prædita, quo esset aer, & medium, sicut apparet in fenestris vitreis coloratis, & lumen, siue radius solis ibi sit, tum facit videri alia sicut sunt colores fenestrarum, Vt ergo traijciat omnis coloris speciem ad oculum abscolor erit, & ita diaphanum, quia opacum non traijcit, Ergo esse diaphanum aliquid oportet. Quæstio si est, præcedit quæstionem quid est. & ob id decernit esse diaphanum priusquam definiat author dicens, Est igitur diaphanum aliquid. E definitione coloris conclusio hæc infertur. Si color motiuus diaphani actu, ergo diaphanum est aliquid, ego vero confirmaui etiam esse ex dictis nunc, quia medium visioni necessarium, & hoc esse pellucidum diaphanum oportet, vt traijciat speciem sensilem coloris ad oculum. quia non vacuum, non corpus opacum, non coloratum proprie traijcit omne genus coloris, quare diaphanum esse oportet carens coloribus proprie. Sed quis dubitabit cur de diaphano prius dicendum, quam de lumine? Dices cum Themistio primum esse prius diaphanum, quam luceat, iccirco prius est de illo dicendum, quā de luce, est ergo prius diaphanum origine, perfectione, quam ipsum lumen, vt materia dicitur prior forma, Et prius de perfectibili, quam de perfectione agendum, Deinde prius agendum de eo quod permanet, quam de perfectione, quæ accedit, & recedit, sicut lux est perfectio diaphani permanentis tum tenebras, tum lucem admittens, Adde e nobis notioribus procedendum, Diaphanum notius nobis est quid sit, quam quid sit, lumen, & si lumen notius natura sit. Et Aristot. primo phys. prius de materia, quam de forma disputauit. Et diaphanum est materia lumini, ergo prius illud explicandum quid sit. Sed cum Simplicio dubitabis dicens quid euidentius lumine? ergo ab eo ordiendum, & non a diaphano, adde quando faciat videri, & cognosci diaphanum. Respondet Simplicius euidentius lumen quo ad simplicem apprehensionem ex ipso intuitu oculorum ortam intellectui, sed quid sit, & si sit actus ratiocinatione oportet vti & qui quomodoque actus, & perfectio, & hoc modo occultius est perspicuo, & diaphano. Vbi si est finiuit, & statuit. Quid sit diaphanum tradit. & verbo illo (Dico) ostendit se authorem. Reuera Plato parum differuit de diaphano. Hippocrates fere nihil, Galen. non admodum. Et diaphanum, res definita, de voce composita dictum est supra, & quid nominis, & quot modis diaphanum sit. Nunc dupliciter generatim, aut interminatum proprio termino, & de se, vt aer, aqua. Non enim propriam figuram habent, quæ termino, vel terminis concluditur primo libro Euclidis Geometriæ, sed figurantur termino continentis. 3. libr. de cęlo, & quarto ad extremum. Et quando alieno termino concludantur, tamen qua perspicua interminata sunt, propterea quod nullum colorem habeat proprium, sed neque lumen proprie, siquidem admittit etiam tenebras, & vmbras. Adde etiam admitti varium lumen prout est pręsentia corporis luminosi. Et syderum, & artificialium flammarum, & luminum, ac ignorum, & gemmarum, & fulgorum &c. Quinetiā interminatum est, vel aer, vel aqua diaphanum ob celsionem, quia superficies terminus corporis tum alia, tum diuersa prout cedunt, Alexander Aphrodisæus in comment. seu contextu 13. vocat interminata perspicua, quæ non sunt com-

mixta opaco terrestri, & vndique collucent præsente lumine, vel tenebricosum fit vndique, sicut aer, & aqua sunt, sed cęlum non admittit tenebras supra Venerem maxime, & iccirco semper actu est perspicuum, An vero interminatum sit, & quomodo videro, nunc astra non sunt perspicua, quia densa sunt, & signo, quia inferiora superiora occultant, ceu si mars subeat saturnum, & aliquod fixum astrum, vt etiam fit in deliquio Solis subeunte luna solem, Aliud vero terminatum dicitur, quia proprio constat termino, propria figura, proprio colore, solido non cedente, propria superficie commixtum ex lucido & opaco terrestri, quale plus, minusue perspicuum, prout maiore, & minore perspicuitate participet. Nam intenditur, & remittitur perspicuitas, & magis, minus admittit, de cuius origine, & natura paulopost dixero. Hactenus duplex perspicuum videtur Simplicius asserere definiri perspicuum interminatum, Et litera authoris fauet, & Alexander in comment. 13. de sensu, & sensili dum explicat lumen esse actum diaphani interminati qua diaphanum est aduentitium, & ratio ostendit. quia terminatum perspicuum videtur per proprium colorem, ceu ocularia in luce videntur alba, & sunt perspicua terminata. Aduerte quoque diaphanum definiri qua visile, & non qua medium deferens speciem sensilem ad oculum, etsi idem visile, & diaphanum deferens speciem sit idest vna res est, quæ videtur præsente luce, & traijcit speciem visilem coloris ad organum, tamen non qua traijciens, & medium definit, sed qua visile est. Inquit & diaphanum, pellucidum, perspicuum, transparens, id dico, definio, quod non perse idest non per causam internam, vt erat superficies per colorem proprium sui terminum erat, neque perse, vt color visilis suapte natura, neque vt lumē visile perse, vt simpliciter, idest vno verbo dicam, vel absolute & generatim dicam. Sed per alienum colorem visile. Ex his verbis patet non definiri diaphanum terminatum, quia proprio cernitur colore in luce, vt gemmæ, ocularia, crystalla, vitrea, & candida tenuissima, patet item appellari lumen colorem, sed in processu dixerit lumen esse, velut colorem, nunc abusiue vocat, & ea ratione, quod sicut alia corpora videntur ob colorem, ita & perspicua interminata, Errauit Philoponus dicens vocari nunc lumen colorem, quia color est maxime visilis, immo lumen est primo visile, & perse, quia cernitur vbi nullus est color, & sine ope coloris, vt lux solis, lux ignis noctu, & fulgor animalium noctu vagantium, quæ vocant cicandulas, color autem videtur ope lucis, & quanto lucentior est, tanto illustrior videtur patet itē vocari lumen alienum colorem, idest aduentitium, vt verti in commentarijs Alexandri de sensu, & sensili. Intelligitur quoduis lumen Solis, Lunæ astri, & artificialis, atque ignei, quorum luminis præsentia cernitur perspicuum. Hoc lumen est alienum, & aduentitium, quia etiam recedit, & pręsentia corporis lucentis est præsens, & ab eo conseruatur, atque variæ accedit ad diaphanum plus, & minus, ac diutius, est breuius, vt fit in diebus longioribus, & contractioribus, atque citius, & tardius, & cum aliunde inuehatur in diaphanum, aduentitium erit, color autem terminati diaphani proprius est, & permanet cum illo semper, nisi vitietur, Philoponus docet dupliciter lumen esse aduentitium, & quia non cernitur aer ob lumen, nisi occurrant corpora solida exemplo ollæ, in cuius fundo sit lucerna, quæ lumen mittat per foramen ollæ supra, tum non videretur ibi aer lucens, nisi tectum sit supra, sic etiam lumen solis, nisi tectum, & solida corpora obijciantur non faceret videre aerem lucidum, & quia lux non est qualitas aeris, vel aquæ propria substantialis, sed Philoponus errat, quia Aristot. asserit aerem videri propter lucis præsentiam, Nam & nocte corpora tecta, parietes sunt, nec cernitur aer ob absentiam ipsius lucis. Etsi diaphana interminata non possunt cerni nisi in luce, necessario, tamen lux non est proprius color eis, neque propria lux, quia recedit ab illis, & non afficit ea, sed corporis lucentis solum præsentia adest, & eius recessu abest, sicut declarabitur quomodo sit lumen actus diaphani. Sed dubitabis, color videtur lumine, & diaphanum lumine, quomodo ergo color perse visilis, & diaphanum non perse visile est? Dices colorem videri per lumen tanquam causam adiutricem respectu medij, attamen ex se visilis est, Diaphanum autem ex se non visile, sed per lumen aduentitium ei, quia in se non habet lucem, sed aliunde admittit. Cæterum numerat aliqua perspicua. Et huiusmodi sunt aer, tranquillus serenus vndique transparens collucet lumine pręsente, sicut tenebris vndique circumfunditur, & vmbris, absente luce. Aqua, quæ ex se vndique lucet, & perspicua est quia humida est, attamen vbi alta, & multa est non transparens est quinimo reddit vmbram sicut opacum si obijciatur lumini ceu accipe phialam magnam plenam aqua, & obijce soli, certum est, quod si vacua esset traijceretur radius solis, sed quia plena aqua post se reddit vmbrā, ergo

aqua non vere diaphana vtrinque tralucens, Quinimo videremus semper fundum maris, & fluminis, & pisces saltem Balenam, cętum, & id genus magnorum. Verum nonnulli sunt qui negant aquam facere vmbram contra experientiam, & tamen fatentur esse spissam, & ideo non æque diaphanam, ac aerem dicunt. Decipiuntur, quia aqua nulla est simplex in mundo, siue salsa, siue dulcis, siue sulphurea, bituminosa, & iccirco commixta est terreo opaco, & ita reddit vmbram, Atque cur non vident nautæ signum in littore maris? ob sane dicunt tumorem aquæ interpositum inter oculos nautæ, & littora maris, si aqua esset perspicua vtrinque non impediret visionem suo tumore, quia traijceret visionem, & speciem. Conscendunt iccirco malum nauis, vt per aerem fiat visio transparentem, & diaphanum si serenus, & tranquillus fuerit, Deinde inepte dicunt refellentes assertionem nautarum dicentium aquam efficere vmbram, quinimo illi recte dicunt, quia manet cum sol oritur inferior tumore aquę, hæc iacit vmbram, sed cum id sit verissimum dixerim Aristotelem reponere aquam inter diaphana proprie, quando collucet vtrinque. Sed quid etiam ostenderet aerem non esse perspicuum, quia non permittit videri ignem sub sphæra lunæ, Ad id respondebis illum ignem esse visilem, non videri autem ob nimiam raritatem. Sed mirum cum videatur in lumine orbis solis rarissimus, non videri ignem. Dices non videri quia videretur vt lucens, & flammeus, sed videri non potest præ alia cęli luce. At dices hoc verum in die, sed nocte saltem videretur, Dicunt denique non videri ob suam raritatem, & non propter opacitatem aeris. Quidam Hoc argumento negarunt ibi esse ignem sub concauo orbis lunæ, Non videtur, ergo non est. Ratio puerilis Noctu non cernitur sol, aut interdiu nube densa præ oculis, ergo non est. Et igne artificio fiunt non lucentes ad cauteria, & caustica, Reliquum per aquam intellige remotum ab omni alia mixtione opaca, vt falluginosam, sulphuream, & similes non accipias, sed claram, limpidam, & simpliciorem, Et solidorum multa sunt diaphana. Ceu vitrum genus christalli, & cuiusque vitri clari pellucidi nec omne vitrum pellucet vndique, nisi clarum sit, sicut ocularioram, glacies, christallum & glacies nisi terrestri opaco, aut luto, paleæ sit admixta & id genus corporum sine coloribus humida actu, vel potentia, Dubitabis exemplo hoc videtur etiam definire diaphana terminata, sicut sunt vitra, glacies &c. Respondebis accipi qua ratione participant perspicuitate, sola, & eiusmodi accipiuntur, sed definitio debet tribui primario perspicuo interminato, neque huic qua aer, aqua, cœlum sed naturæ perspicuæ communi, & analogæ cœlo perpetuo perspicuo, aeri, & aquæ, & cæteris solidis, ob id dicit, Non enim aqua, vel aer vt aqua, quia omne perspicuum esset aqueum, vel aer. eadem ratione omne diaphanum aereum esset diaphanum est, sed quia eadem natura est in vtrisque his, & in supero corpore perpetuo, eadem est genere analogo, & secundum plus, & minus. quia magis diaphanum cœlum, quam aer, & hic quam aer, & hic quam aqua. Et ocularia vitrea, quam glacies, & gemmæ, lapidesq; præciosi. Perspicuitas est quædam qualitas perfectiua horum corporum magis, & minus, & æterna semper actu in cœlo, vbi maxime nullæ tenebræ, nec vmbræ sunt, præter sydera densas partes orbium, de quo proxime dicā. Aer autem, & aqua, & alia solida non semper actu sunt diaphana, quia recipiūt tenebras aliqñ, & intereunt sm partes, ergo nō eterna pellucida, neq; semp actu sunt. Quæritur, ne color præsens diaphano per partem lucis possit facere diaphanum videri. loquor de colore commixto ex luce, & opaco. Quæritur item cum gypsum, cornua, & alia fulgentia noctu cernantur qua colorata, aut qua lucentia. Ad primum dicito non esse tantum lucis in colore, vt possit illustrare diaphanum, quod si esset videretur qua lux, non qua color, & diaphauum ob lucem, & non colorem, Ad secundum dic cum Simplicio videri noctu illa qua lucentia, & diaphani partē ab eorum luce illustratam, Aduerte cum Auerh. diaphana corpora non habere in se vllum colorem, & lumen, iccirco capacia sunt cuiusuis luminis, & coloris. Aduerte secundum naturam communem perspicuitatis non habere nomen, Aduerte per me diaphanum præsentia lucis videri, & non coloris, qua color est, & si perficiatur a colore, quia recipit speciem sensilem non quia afficiatur ea, sed quo deferat ad oculum, Alexander affici quoque a coloribus realibus dixit, sicut supra fuit expressum, sed cur tacuit, ignem sub luna, quia diaphanus est, si per eum cernimus astra nocte, & de die solem, & non impedit. Nisi ille ignis non aptus sit videri in luce propria, neque aliena. &c.

Contex.

## Contex. LX.

*Lumen est huius diaphani actus qua diaphanum est. sed potentia ea sunt, in quibus & tenebræ, Lumen vero, ceu color est diaphani cum actu sit diaphanum ab igne, aut simili, vt est corpus superum. Namque huic aliquid inest vnum, & idem, Quid ergo sit diaphanum, quid & lumen dictum est. Quia neque ignis, neque omnino corpus, neque defluxus vllius corporis.*



CONSTITVTO diaphano, & definito tanquam materia luminis, non quia sit materia, quæ imprimatur luce, sicut cera forma sigilli, aut corpus anima. Hoc minime verum, sed, quia præsentia lucis est vndique diaphani penetrans adsistens, sicut nauta sua præsentia totam nauem gubernat. Interest, quia lucis præsentia se diffundit vndique, nisi opacum, & solidum quid interponatur, His ergo præmissis vt promisit, quid sit lumen quatenus ad visionem pertinet, & non simpliciter tradit. Vt enim color erat qualitas absoluta, tamen qua visilis definitus est, ita & lumen siue corpus, siue qualitas, siue substantia spiritalis sit absoluta res est, vt autem pertinet ad visum sic definitur. Lumen est huius diaphani interminati, & terminati, qua perspicui, non colorati actus, perfectio & modus perficiendi admirabilis, & diuinus, qua diaphanum est, non qua aer, aqua, cęlum, glacies, vitrum, oculare, & id genus. Dici potest cum Auerh. lumen est perfectio per spicuitatis, qua perspicuitas est communis diuersis corporibus, quorum lumen non est perfectio intima, Nam aer habet suam formam substantialem, & accidentalem, & aqua, ac cęlum, & alia. Ergo qua communicant in perspicuitate lumen est forma, perfectio eorum. Vt ergo hæc propositio diaphanum visile non est per se, ita nec perspicuitas diaphaneitas est visilis, sed per aliud, id est lumen quod primo, & per se visile est, Et signo comprobatur lumen actus diaphani quia prout maius, & melius lumen, diaphanum cernitur magis, & minus. Verum non possum tacere, ne sibi, & nobis imponat Arist. qui cum debuisset dicere lumen esse actum diaphani, potius oculorum nostrorum, & aliorum, qui sunt perspicui, quam aeris diaphani, & aquæ, & cęli, vel glaciei &c. Iccirco si dicatur lumen est actus perspicuitatis oculorum, quo cernit alia videamus quid sequatur, interest dicere lumen actum perspicui visilis, & perspicui organi videndi. Quod vero lumen sit perfectio perspicuitatis oculorum, vt videant docemus ex eo, quod si in suffusione aliquis humor interponatur inter corneam, & cristallinum, oculus non videt diaphanũ præsente etiam luce, ergo lux est perfectio perspicuitatis oculorum, Adde si lumen debile oculus non videt, si ingens offenditur, vt apparet in obtutu oculi in solem. si aptum, tum perficitur oculus, ergo est actus diaphani oculorum lumen, non externi perspicui, Rursus oculi aut habent euidentem fulgorem, ita, vt illustret spacium prope se, tum oculus existens in tenebris videbit per illum fulgorem etiam oculum, vt meus cernit oculum fellis, ergo lumen illud est perfectio oculi, & non diaphani, quando non illustret diaphanum, præcipue si per foramen strictum prospiciat illum fulgorem in tenebris, Nam quædam solum cernuntur in tenebris, ergo ille fulgor non perficit diaphanum, sed oculum. Ecquid plura? Si lux est perfectio diaphani, vt vitri, glatiei, ergo etiam oculi nostri diaphani, & aliorum animalium, cum a prædominio sit humectæ naturæ tum lachrymarum argumento, tum neruorum opticorum, tum vitrei, crystallini, albuginei coloris, sicut etiam constat ex libello de sensu, & sensili. Verum itaque asseramus lumen esse perfectionem medii perspicui quod cernitur per illam, & oculi tanquam instrumenti cernendi per ipsum. Supra autem quot modis perspicuum acciperetur dictum est. Ridicula illa diuisio de perpicuo æquali, inæquali. Illa potius laudanda. Perspicuum vndique, perspicuum aliud ex omni diametro, vt aer, ocularia, & quædam copia aquæ, & guttæ, & vitrea, idest genus, aliud in altitudine non ex tota latitudine, aut longitudine, & aliud solum in superficie, & aliud per aquam madidũ. Vtcunque & terminatum, & interminatum præsentia lucis, seu luminis cernitur. Nunc Aristotel. diuidit diaphanum in potentia, & actu, & in actu dupliciter semper, & ad tempus, Diaphanum potentia est, quod tenebricosum est, & aduentu luci fit actu. Aer nocturnus, & vmbris refectus potentia est diaphanum. Sed aduerte etiam diaphanum potentia dici dupliciter, quod non est nisi opacum, sed limatura, politione fit politum, &

diaphanum, vt lapides in superficie perspicui, & gemmæ, atque tenuitate fiunt, cum attenuantur ita, vt transparens quid fiat. ea materia dicitur potentia perspicua, quia potest effici pellucida sicut fiunt a lapidicinis aqua, & politione, quinimo attenuatione, pleraque, sed hæc sunt in potentia remota, vt latet antequam aqua fiat in superficie diaphanus, & calibs & argentum elaborantur vt perspicua fiant, & specula, Aristotel. nunc loquitur de perspicuo in potentia propinqua, cui nil desit, nisi lux, vt quia in tenebris sunt accedente luce actu fiunt. Et inquit. Sed potentia perspicua ea sunt, in quibus, & tenebræ, & cum tenebricosa sunt, apta tamen recipere lumen. Dubitabis crepusculum ante solem, & aurora, ac post solis occasum & ante facies cœli non videtur per lucem solis, quia nondum conscendit orizontem, neque per lucem lunæ dato, quod lunatum non luceat, neque alterius planetę, ergo sine luce diaphanum cernitur. Respondebimus non sicut quidam aiunt crepusculum matutinum effici per remissionem lucis quia vapores, qui ascendunt e terra remittunt lumē, vt quoque nebulæ faciunt, Conscendere vapores coniiciunt ex eo, quod sol puniceus videtur mane cum surgit, & semper fiunt tales, & tales vapores, idest tum tenues, tum crassi, iccirco crepusculum varium fit. tū subtilius, tum crassius, & similter de vespertino crepusculo dicunt, lucem dubiam effici ob vapores sublatos, sed quia lux solis nondum illustrat per radios, sed per vicinitatem lucis, & radiorum crepusculum cernitur vix, & debilior, sicut & vmbræ cernuntur debiliter per vicinitatem luminis. Nam crepusculum, quod aurorum, & diluculum vocant post mediam noctem fit, & varie durat pro vario orizonte, & obliquiore sphera, & rectiore, Aeque de crepusculo uespertino, quale tantum durar, quantam matutinum secundum habitationem tuam, & accessum solis ad signa, & recessum ab eisdem nobis septentrionalibus, vt si Ticini crepusculum ante æquinoctium est per horam, & ferme quartam eius ante solis exortum supra orizontem, & tantundem sit crepusculum tum vespertinum, & illa lux non nocturna est, sicut Astronomi crepusculum adnumerant nocti, neque diurna, vt Vulgus facit, sed anceps, & dubia dicitur [illegible] græce. Et vespertinum ante solis omnino occasum, & post solis occasum quandiu radii illuminant solis prope & ex ipsa reflexione illustrant eiusmodi aerem, & faciunt debiliter videri diaphanum, vt ergo summatim intelligatur quod ad philosophos attinet. Aer diaphanus tempore crepusculi aliquanto diaphanus, quia non est tanta perspicuitas sicut in luce solis, aut alterius luminis fortiter reflexi, & permanentis. Iam diximus perspicuitatem suscipere magis, & minus, & iccirco cum non possit nisi luce soli effici remissa non fit e radijs eius reflectentibus ad vapores sublatos, siue ascendant per milliaria 1030. & vitellio in prospectiua longe minus dixit conscendere, & possidonius ascendere ait recitante quoque Plinio libro secundo. capi. 23. non minus xl. stadiorum a terra, siue etiam pauloplus, Ego si stare dictis Aristotelis in secundo meteorū libro voluero, vt ad apium montis Olympi venti non perueniant, non admodum supra vapores dicerem conscendere. Vtcunque lux solis neque radius eius reflexus a vapore facit crepusculum, & auroram, Quia non video necesse semper esse vaporem, Aliquando serenus est aer, & tranquillus, Deinde illa reflexio radij ad vaporem non fieret nisi pro natura solidiore, & molliore vaporis, Ergo est solum reflexio ad aerem radij, quæ reflexio est debilis, & ideo facit videri debiliter aerem diaphanum, Fieri autem reflexionem radij vicinantis ad aerem Aristot. docebit infra dicturus de echo, qui fit ex reflexione magna & exigua, & semper fieri echo resonitum etiam submisse loquentibus, verum non auditur propter debilem reflexionem, sicut in luce semper fir reflexio, attamen in tenui reflexione non cernitur. Cum porro radius non reflectatur nisi quodammodo ad latus, & non directe, iccirco debile lumen facit, & ita crepusculi tempore diaphanum mediocriter illuminatur, & vix cernitur, est ergo tum diaphanum in actu imperfecto, cui est admixta potentia ad perfectiorem gradum perspicuitatis. Sed adhuc dubitabis de diaphano facto tempore deliquij solis, quando cernitur minus, quam ante, vnde id fiat? Dices effici, quia tum minus radius porrigitur, vt fortiter reflectatur, & illustret, siquidem luna reflexionem sua opacitate minuit, ac si dum quis impellit fortiter pilam in parietem, & alter de medio paululum attingeret summis digitis, tum faceret quominus a pariete pila reflectatur fortius, Et si dicatur cur id non fiat in omni coniunctione Lunæ cum Solæ? Respondebit Ptolemæus reddens causam cur in quouis mense redeunte luna ad synodum cum Sole non efficiatur deliquium Solis, quia non semper directe subiicitur soli, neque ad aspectum nostrum

similiter

similiter obijcitur, æque dicito de lumine solis illustrante aerem. Et hæc dicta sint de perspicuo crepusculo matutino, & vespertino. Alia dubitatio de medio diaphano impedito nubibus, caligine, & vento impellente radios solis, an illud tum diaphanum potentia? Dic esse potentia, si ita impediatur, vt lux non permeet. An sit alicubi aer tenebricosus semper, & hic dici possit diaphanus potentia? Quinimo quia quamprimum lux vel artificialis, vel naturalis intra recessus terræ, & montium; vt in fodinas auri, argenti, actu erit diaphanum? An rursus sit diaphanum perpetuum actu illustratum? Quinimo cęlum est, & si quædam pars successiue tenebricosa fiat per vmbram terræ, quæ nox est, & ascendit apud Ptolemæum a centro terrę vsque ad verticem coni vmbræ partes 268. & alij astronomi fatentur conscendere vsque ad orbem veneris, quare cũ conus vmbræ sive dat ad solis motum obiectu terræ opacæ inferior igitur pars orbium trium Veneris, Mercurij, Lunę semper est tum perspicua, tum tenebricosa, seu adumbrata, quæ vmbra nõ diffunditur per totos orbes, sed successiue vbi pars vmbræ aduenit. Hoc etiam vidit Simplicius affirmans cęlum non ob coni vmbram terræ illam dici deberi perspicuum in potentia, siquidem habet vim luminis efficiendi. Et ideo dupliciter diceretur diaphanum, vnum, quod recipit lumen, & non efficit, vt aer, & aqua, aliud vero quod efficit lumen, & recipit cęlum, & hoc semper actu, illud vero potentia, & si non placet Simplicius, quia qua parte vmbra terræ fit ibi cęlum dicitur tenebrosum, signo quod deliquium lunæ fit in ea vmbra, & extinguitur in vmbra, vt Astronomi sentiunt, ergo vim etiam habet obscurandi vmbra. Illud tamen verum quod orbes lucent ex intima luce, aer vero alienum. His vero dictis, vt etiam atque etiam doceat author quo modo lux sit actus diaphani vtitur similitudine eius ad colorem. Lumen vero, ceu color est diaphani, cum actu sit diaphanum ab igne, aut simili vt est corpus superum. Aduerte dici lumen esse, velut colorem, & supra dicebatur color esse. Nunc ergo melius, si quidem lumen non est color apud Arist. licet Plato in Timeo fateatur colores esse lumina. Similitudo igitur huc pertinet, quoniam sicut præsentia coloris corpus solidum coloratum, seu superficies colorata cernitur, ita & præsentia luminis diaphanum cernitur, quale lumen siue natura mutabili, siue æterna celi, siue artificiali, & vtcunque presente perficit diaphanum quo ad visionem ita, vt per illud diaphanum videatur. Corpus superum cęlum est diaphanum præter astra. Densæ sunt. A venere supra semper lucens siue vllis tenebris in actu lucidum, & diaphanum, vbicunque enim homo fuerit, suspicit astra fixa, & ob id subiungitur. Namque huic aliquid in est vnum, & idem, hoc est in cęlo est vna, & perpetua diapheneitas, perspicuitas supra Venerem perpetua im mutabilis omnino, sed infra Venerem, Mercurium, Lunam per vmbram solam noctis, & deliquia variata. Cęterum cęlum per astra habet vim emittendi lum inis, & diaphanum est, sed tamen alia est ratio perspicuitatis, & ratio mittendi luminis, & si perspicuum cernatur lumine. Philoponus quoad conum vmbræ vsque ad Mercurium dicit tam exiguum locum esse adumbratum, vt Aristotel. non curarit asserens cęlum semper vnum, & idem perspicuum esse. Epilogus. Quid ergo sit diaphanum, & quid lumen dictum est. Qui neque ignis & si ab igne procedat. Alioquin combureret lumen vel diaphanum, vel oculos, & generat ignem. Libro enim secundo de cęlo motu & lumine fit calor, & æstus. Gignit quodammodo ignem. Plato in Timeo triplicem ignem faciens asserit lumen esse vnam spec'em, contra quem author negat esse ignem, lumen in cęlo, & ibi non ignis. Atque ignis, vel igneum sursum fertur, lumen ad omnem situm adiacet diaphano, neque omnino corpus, si non omnino corpus, ergo neque ignis ergo sine omni dimensione. Hoc probabit Aristotel. neque defluxus vllius corporis sicut in Timeo lumen solis esse effluxum, vel defluxum lucis intimę solis putatur Plato. Simplicius citato Iamblico ait in Timeo narrari quomodo ex defluxu luminis diurni, & luminis excuntis ab oculo simul in vnum corpus conueniant, & defluat ad oculos. Sume Timeum in manibus, ne ego nunc loca conscribam. Ex hoc loco Philoponus ducit occasionem disserendi an visio fiat emissa re aliqua, an potius admissa, primus modus tribuitur Platoni in Timeo, sicut proditum quo que est in libello de sensu, & sensili, sed aptior loco est id discutiendum, nunc videamus quid addat Aristotel. dictis.

Contex.

## Contex. LXI.

*E Sset enim & hoc modo aliquod corpus, sed ignis, aut alicuius talis præsentia in pellucido. Neque enim duo corpori simul esse possunt in eodem. Ac uidetur lumen contrarium tenebris. Sunt nempe tenebræ priuatio huiusmodi habitus ex perspicua. Quare patet præsentiam huius lumen esse. Et non recte Empedocles, neque si quis alius dixerit ita, vt feratur lumen, atque sic interdum inter terram, & continens nos tamen lateat. Id namque est & præter eam, quæ in ratione est veritatem, & præter apparentia. Nam in paruo internallo latere posset, sed ab ortu ad occasum occultari, magna est petitio.*



ERSVADET hic locus non esse lumen quempiam defluxum. Si enim nõ est corpus omnino, neque deflexus est, quia hic est corpus. Esset enim vbi diceretur quidam defluxus & hoc modo aliquod corpus, quia defluẽs esse oportet, vbi defluxus sit, & defluens precipue diffusum, continuatum corpus est. Ad dequod defluit extenditur. Extensum corpus est, accedit, quod defluit, mouetur. Quod mouetur, est corpus, post hanc interiectionem absoluit sermonem dicens quid lux, vel lumen sit. Sed ignis, aut alicuius talis, idest habentis vim illuminandi, sicut dicebamus de nitedulis noctu vagantibus, quæ suo splendore cernuntur præsentia, non quæ loco sit, nec quoad locum, vt Simpl. ait, sed quia vim habeat perficiendi nõ sicut affectio impressa in aliqua materia, sed velut actus, nec addente Themistio presentia est vělut eorum, quæ misceantur, aut copulentur, sed potius velut perfectio, & ornamentum. Philop. ait presentiam intelligi non quia ignis sit in perspicuo, nec perspicuum in igne, sed solum per cõmunicationem potentiæ incorporeæ, idest per habitudinem illuminantis corporis ad illuminatum sicut erga illud se habet, quoniam oppositum e directo luci sine impedimento illuminatur sicut si dextrum fiat præsentia sinistri. Vide quantum interest inter Simplicium, & Philoponum. Hic presentiam ad situm redigit, ille vero omnino aufert situm. Ego situm oportere dico cum habitudine rei emittentis lumen ad rem illustratam, quoniam duplex lumen est principale directe procedens, alterum secundarium ex reflexione ad oppositum sibi, lumen enim perpendiculariter descendens præsentia lucis diffusæ perspicuum facit videre, sed ex opposito loco reflectitur, aut refrangitur, & fit secundarium lumen ex reflectione, vt dicturus est Aristotel. in verbo de echo, & resonitu affirmans semper lumen reflecti etiam si non appareat & similiter semper fit echo. Vnde requiritur situs, & habitudo illustrantis ad rem illustratam. Dicat Simplicius quomodo situs non debet intelligi, si sol non illuminat orizontem nostrum, nisi supra sit. & iaceat radios ad terram, & ad arbores, &c. Præsentia ergo dicit situm præsentis rei, & habitudinem rei habentis vim illustrandi. Et quid est aer illuminatus, nisi aer cum præsente sibi lumine, & si non se misceat ei lumen, vt pars parti se insinuat minima sicut proclus defensor Platonis censuit, idque mutuo pars aeris cum luce, & lux cum parte aeris, & sic poros mutuo compleant. Hoc commẽtum est, quia in nocte, lumen non facile ex commixtione cum aere liberaretur, attamen subito recessu solis & sub occasum iam facti lux deficit. Deinde venti maiores impulsu aeris arcerent a nobis lumen. Atque continuitas aeris disrumperetur lumine. Item esset vacuum imbibitum aeri. Quinetiam partes porosæ aeris cernerentur, & non plenæ, ita, vt lumen reciperetur in vacuo, & faceret videri vacuum. At mehercle proculus iste non vidit vnquam vacuum. Et vbi sunt isti pori, meatusque aeris recipientes lumen, & vbi pori luminis, qui mutuo recipiant aerem plenum? Commentum hominis est, sicut & illud garrientis lumen refingi, & reflecti ab aere diaphano, si frangeretur, aut reflecteretur non esset presens, sed de nouo per reflexionem, & refractionem genitum. Cedo isti triplex lumen esse fractum, reflexum, & rectum. Nego tamen ab aere refrangi, & reflecti quando lumen est causa videndi diaphanum, sed rectum est lumen primaria causa cernendi. Ergo de præsentia luminis hæc, in pellucido, & ideo presentia facit videri diaphanum, & concausa est adiuuans colores mutare visum, non perficiens eos, vt Auempaces credidit, & oculos etiam perficit lumen quo ad actum visionis. Vt absoluit sermonem ceptum superiore contextu, cupit docere lumen non esse deflexum a re visa, neque ab oculis, quia si esset, corpus esset, vult ergo docere lumen non esse corpus, ex decreto quarti libri physicorum. Duo corpora

corpora simul esse in eodem spatio,& sub eodem captu dimensionum esse non possunt. Sed si lumen in diaphano esset corpus, ergo lumen corpus esset in eadem cura perspicuo corpore. Absurdum,quia pari ratione cœlum posset simul in eodem loco,& spatio cum grano milij.Et si duo simul corpora,penetrabunt sese,penetratio corporum non datur. Nouit etiam hæc Themistius, qui addit futurum etiam, vt aer corpulentior lumine fiat, quam in tenebris. Annectitur & aliud argumentum probans lumen non esse corpus per locum a contrario. Sed tu lege primum in his verbis. Neque enim duo corpora simul esse possunt in eodem. Subditur secundum hoc, ac vide tur lumen contrarium tenebris, probat id Aristotel. per hæc verba. Sunt nempe tenebræ priuatio huiusmodi habitus ex perspicuo,ergo si tenebræ non sunt aliquod corpus, neque erit eis oppositum lumen,sed quidam habitus in perspicuo,& qualitas potius. Tenebræ enim non corporeæ sunt,quia cum accedunt,non fit corpus minus neque rarius,neque coactum, neque in extinctione ignis fit corporea distantia, ergo non corporeæ,quare nec contrarium lumen corpus est. Addit Philoponus,si lumen esset corpus,substantia esset,& substantiæ nil contrarium. At vero lumini contrariæ tenebræ,ergo non substantia,nec corpus est lumen. Et siquis obijceret esse saltem contrarias tenebras lumini,vt priuatio formæ, adhuc lumen quid in corporeum esset, propterea quod forma est incorporea substantia. Lux autem forma est in perspicuo qualitas tamen. Si porro lumen quoque esset corpus,definitam magnitudinem haberet. Nulla certa lumini magnitudo, tum magna,tum parua,tum recta,tum reflexa,refracta,orbiculata,quadrata pro continentis forma,se effingit in mille modos. Ac si corpus esset, aliquo motu moueretur certo, non in orbem fertur,quia lumen rectum procedit a supero ad inferum,& ad latera, & olique, recte. Non item simplici recto fertur motu,quia non supra,quam infra magis. Neque motu violento, ne prius feratur proprio naturali,primo ex libro de cęlo. Quare lumen non asserendum corpus. Hinc conuertitur ad Empedoclem Agrigentium,qui cecinit lumen deferri a cęlo ad terram,& si nos lateat eius delatio,si enim lumen non est corpus,non defertur deorsum. Hic motus ad inferum corporis est precipue simplicis,vel mixti ob excellentiam simplicis. Et non recte Empedocles,neque si quis alius dixerit. Hæc adduntur ob verba Platonis in Timęo,qui idem videtur asserere in his. Itaque diurnum lumen cum se visus radio applicat, tunc ea duo inter se similia con- „
currentia,atque conmista quo oculorum acies diriguntur, ibi in vnius iam domestici corporis „
coherent speciem,vbicunque videlicet tam intimi,quam externi luminis fit concursus, vbi vide- „
tur,ita, dicere vt feratur lumen. Decipiuntur. Nam fertur luminosum corpus, cuius motu lumen confertur. Fertur & medium interuallum diaphanum,vt fit in ventis impellentibus aerem, Fertur item recipiens lumen,quo fit vt missus incendatur sępe & illuminetur, lumen qualitas fertur motu subiecti potentis sua qualitatem diffundere. Addebat Empedocles & illud, atque sic interdum inter terram,& continens vel cęlum,vel aerem. Vtrunque enim continet, nos tamen lateat. Ex hoc verbo latere, occasio arripitur arguendi Empedoclem,cum minime latere debeat motos luminis ab ortu ad occasum orizontis. Arguit ergo dupliciter dogma Emped. Primum quia oppugnat veritatem rationis,& demonstrationis. Secundo obstat euidentibus. Id nanque & præter eam,quæ in ratione est veritatem, & pręter apparentia, simul & semel docet rationi,& euidentiæ aduersari dogma Emped. de motu corporeo luminis occulto,siquidem lateret vbi exiguum interuallum lumen conficeret motu. Sed tantum ab ortu solis ad occasum interuallum absoluisse suo cursu lumen non credibile. Nam in paruo interuallo latere posset, hoc est si exiguum iter,spatium conficeret & celeriter. Nam & formica exiguum conficit spatium, attamen deprehenditur tarditate motus eius. Sed ab ortu ad occasum occultari motum luminis magna est petitio,idest ardua,& vix homini philosopho digna, petere licet,sed non contra euidentiam. Aduerte ne sophisticum Aristotel. putes, latere lumen, & motum sensibus oculorum ante ortum solis ad orizontem tuum siue ante crepusculum,sicut latet post occasum solis, & crepusculum vespertinum, nisi lumen lunæ,aut Hesperi,vel sideris pręfulgentis etiam noctu motum luminis sui præ se ferat,vel similiter ignis, lucernæ, &c. sed nunc sermo est de lumine cęlesti & nobis dimisso. Annotandum & illud non posse latere tempus vbi sit euidens motus. Tempus enim mensura motus lib. 4. physicorum.

An

## *An lumen sit corpus, vel qualitas corporis, & quomodo illuceat nobis, ac mundo nostro, & obscuretur.*



ISSIDENT Platonici prospectiui. Aristotelici inter se de substantia luminis quid nam sit, proclus Platonicus lumen existimat corpus miscendum corpori. Nam lux intima solis est nulli miscetur. Lumen vero a luce manans diffunditur per sublunarē mundū, & miscetur aeri, aquæ, & terrestri corpori apto illustrari, velut gemmis adamantis, carbunculis, smeraldis & id genus, quod etiam lumen si extendatur in longum radius dicitur, si in massam quandam, vel molem splendor, & fulgor dicitur. Vnde calor oritur. Ex calore autem multa gignuntur corpora, prospectiui sentiunt lumen corpus rectum, frangi tamen, atque reflecti. Aliqui tamen lineares radios aiunt. Contendunt quidam confirmare lumen corpus esse, quia subit affectus corporis, velut repercuti, refrangi, flecti, addunt illud moueri ad locum, quæ motio corporea est sexto physicorum libri. Adnectunt lumen habere tres dimensiones long. latitudinem, profunditatem corpoream. Asserunt ex lumine gigni corpora, quia ex corpore corpus gignitur, Aristotelici lumen, lucem, radium, splendorem opinantur qualitatem actiuam corporis lucidi apti diffundere illam qualitatem quæ calefaciat, & visui seruiat. Vnde primum visile est, & reddit colores actu visos dum luminis præsentia mouent diaphanum. Est ergo lux lumenue qualitas sensilis corporis lucidi perfectio diaphani, quæ visum mouet, & diaphanum perficit assistendo, cuius præsentia calores cernuntur. Lumen primum in sole, & deinde in aliis. Ego censeo lumen qualitatem lucentis corporis nulli corpori propriam, sed vt perspicuitas, & diaphani natura est communis cęlo, aeri, aquæ, licet analoga, ita lumen est qualitas communis qualitas cuique corpori leui & lucido nulli propria, sed analoga prius cęlo consignanda deinde cęteris. Hinc pelluntur obiectiones reputantium lumen corpus, siquidem prima obiectio non aduertit lumen improprie refrangi, & reflecti, & si quidam putant non idem lumen repercuti refrangi, sed nouum gigni aliud a primo recte procedente, vt alter motus pilæ repercussæ a pariete a primo qui recta in pariētē tenderat. Ego sentio aerē repercuti, & reflecti cui lumen adest, & videtur etiam illud reflecti, sicut si esset color in virgulto viridi & flecteretur virgultum, etiam color videretur flecti & si lumen non ita imprimat aerem vel aquam, vt color virgam, secunda obiectio deletur, quia lumen non mouetur sed moti corporis lucidi potentia assistit medio, ex accidenti fertur ad motū corporis lucidi, & non perse, vt corpus. Tertia obiectio tollitur siquidem lumen non habet tres dimensiones ex se, sed adest corpori habenti tres dimensiones. Accidit ergo illi habere dimensiones. Quarta calumnia deletur quod gignuntur corpora ex lumine, velut instrumento & qualitate actiua sicut ex calore gignuntur, nec calor est corpus, neque similiter erit lumen. Vtque etiam atque etiam indicemus lumen non esse corpus, mirum sane videretur quod exortu solis supra finitorem, quem Græci appellant horizontem tam repente, & pene momento corpus luminis moueretur, & occuparet apud procium Diadochum in suo compendio de sphera quadringenta stadia, hoc est, 50. milliaria Italica, cum sit sermo nunc de sensili horizonte. Itidem fit quoniam media in nocte lichnus ardens totam domum illuminat. Quare corpus non est, sed qualitas recepta in medio diaphano sine repulsa illustrat omne medium diaphanum. Ac si lumen corpus, simplex vel mixtum. Si simplex vel ignis, vel aqua, aer, terra, non extat quintum elementum lib. 3. celi. Quod si aliquod elementum diceretur, sane cieretur aliquo motu supra, vel infra. Quinimo etiam si mixtum putaretur, elementi prędominantis motu agitaretur, attamen lumen nullo proprio eorum motu agitatur, simul supra infra dextrum, leuum obtinet. Forte, quis in orbem ferri motu lumen diceret, cum secus prospectiui, & Plato, & aliquando 3. lib. meteorum Aristotel. in rectum produci petant, & per foramen procedere recta videatur. Ac si lumen corpus, vel penetrant aerem vel per poros aeris procederet, vel duo corpora in eodem essent contra lib. 4. phy. Equidem penetraret cum aerem illustrat, nisi cederet aer, quod minime videtur, alioquin aer esset obscurus. Nec per poros, uel meatus aeris procederet, quoniam meatus soli lucerent, non aer

atque

atque inane daretur in aere, scilicet spatium pororum. Quare restat, vt duo corpora simul sint in eodem, quod si duo, & mille, ac cęlum. Hæc Iampridem quartus liber phys. confutauit. Lumen igitur nec corpus nec sphera corporea est. Atque si lumen corpus, aer accedente lumine euaderet crassius corpulentia addita luminis. Accidit autem contrarium, siquidem attenuatur lucis accessu. Cęterum illud animaduerte multa attribui luci, quæ sunt aeri propria. Et Aristotel. in capite de echo, seu resonitu lumen refrangi, & reflecti, sicut in meteoris sæpe refert di cturus est, quod quidem lumini accidit ob aerem. Aeque a speculis reflecti, & a nube, & similibus. Omnia tersa polita, lenia apta sunt illustrata emittere lumen. Colliges lumen esse non corpus sed qualitatem sensilem aspectui visilem primum communem quidem, licet analogam, vt est diaphani natura communis pluribus.

## Contex. L X I I.

*Coloris capax est, quod coloris est expers. Et soni, quod sine sono est. Expers uero coloris est perspicuum, & inuisile, atque quod vix cernitur, cuiusmodi videtur id, quod tenebricosum est. Tale autem perspicuum non actu, sed quando est potentia. Eius enim natura aliquando quidem tenebræ, aliquando autem lux.*



T lumen habitum statuit Aristotel. ipsius perspicui, atque alienum huius colorem, & aduentitium, non intimum, iccirco addit naturam perspicui sine lumine esse, & si capax sit eius. Aeque caret colore ex primis qualitatibus, vel ex extremis caloribus orto, proinde natura perspicui est receptrix contrariorum, lucis videlicet & tenebrarum, ac colorum contrariorum actionum. Q imo per eandem particulam perspicui diuersi obtutus oculorum diuersos colores cernunt, quoniam traijcit non ipsos contrarios colores, sed species sensiles contrariorum non contrarias nisi relatiue scilicet relatas ad obiecta contraria. Coloris capax est quod coloris est expers. Et vox, & sapor, ac pleraquè alia sunt expertia coloris, attamen non admittunt colores. Præsumitur ergo, vt expers etiam habeat habilitatem capessendi colores. Idque simili inductione confirmat. Et soni capax, quod sine sono est, vt aer, aqua, & sensus, sed nunc sermo est de intermedijs, non autem de sensibus. Idem dicendum de intermedijs aliorum sensuum pręcipue externis, & non intimis. Subdit quod est expers coloris hoc est luminis, & coloris corporis terminati. Expers vero coloris est perspicuum qua perspicuum interminatum, & terminatum, sed interminatum velut aer, aqua sphere cęlestes præter astra careāt lumine & coloribus proprijs. Terminatum vero vt vitrum, cristallum, ocularia, & similia traijciunt visionem colorum, & lapides præciosi dummodo non abundent coloribus alijs ceu viride, rubeo, nigro, similibus. Nam in superficie hi colores impediunt quominus species aliorum colorum traijciantur. Aduerte etiam tunicas oculorum septem pupillam, humores tres medios esse traijciendi atq; carere colorū speciebus, quas recepturus est sensus videndi, iccirco suffusi & qui vitio oculorum laborant sæpe, atq; arquati, & id genus videtur videre similes colores, quibus vitiantur oculi. An vero oculi absque colore sint, certamen est. Illud vsu uenit scriptoribus, & vulgo appellare oculos nigros, albos, cæruleos, cęsios & similes, vt est primo libro de hist. animaliū, & quinto de partu animaliū, cū tamē recipiens colores abscolor esse debeat, & illud Platonice in Timeo, & Aueroidis verbū verū est omne recipiens nudatū est natura recepti si non in genere, saltē in specie ita, vt nigri oculi nō careant nigricante colore, quē tamen cernunt, sed de hoc certamine postea, nunc perspicuū sit expers coloris scilicet luminis, & coloris traijciēdi ad oculos. Et inuisile vt vox, sapor tenebræ, & perspicuū ex se carēt colorib. & luce tā & si idē p̄spicuū intelligi poterit inuisile esse, sicaret lumine, & colore, atq; φ vix cernitur. Tenebræ nō cernūtur, nisi priuatiue qua tenus abesse lumen deprehenditur, neq; qua color niger sentiuntur, alioquin aliquis color sine luce videretur, & diaphanum moueret, quod falsum, & contra præposita. Quod vix cernitur opacum est, quod vix traijcit colores, & cernitur in lumine est aer diluculi matutini, vespertini, & si fiat deliquium solis totius in tua regione, & si densæ nubes, & caligo, fumi, pulueres, venti australes, magni sese obiecerint, sed subdit declarans Arist quod vix cernitur dicens. Cuiusmodi videtur id, quod tenebricosum est, sed non omnino tenebræ, quæ ex accidēti percipiuntur velut priua

tiones. Tenebricosum est quod obscuratum paulatine illucescit, aut quod lucidum erat, gradatim obscuratur, & opacata omnia. Tale autem perspicuum scilicet coloris expers, inuisile, ægre visum non actu. Tum enim cernitur actu luminis, sed quando est potentia habile capessendi lucem cum negatione lucis præsentis, ceu cera nondum sigillata est potentia forma sigilli. Docet Arist. diaphanum esse potentia lucidum, & tum carere luce, quia recipiens est tum tenebrarum, tum lucis. Eius enim natura aliquando quidem tenebræ, aliquando autem lux. Vicissim capax est contrariorum, vt materia formæ transeuntis, & priuationis. Quare media cernendi colores carent coloribus, & lumine, apta tamen reciperet.

## *An sola præsentia lucis media diaphana cernantur, necnon si oculi careant coloribus, & luce propria.*



REPETENDA colorum distinctio. Alii aduentitij, vt lumina, alij veri naturales, & apparentes, ceu colores iridis, & oculorum. Alii artificiales pictorum & apparentes, sicut cum videntur videri ex appositione colorum alij in picturis. Plato in Timeo lumina vocauit colores, & reciprocauit colores esse quædam lumina. Quid lumen supra est dictum, & quid color. Diuisus fuit in naturalẽ & artificialem, & vterque in verum, & apparentem. De omni colore fuit sermo qui mouet diaphanum, & visum. Lumen item naturale, artificiale, & vtrunque intimum, & aduentitium, atque primarium, & secundarium, ceu primarium lumen est quale recta procedit, secundarium reflexum. Quibus præmissis non sola præsentia lucis cernuntur media diaphana, sed si debita intercapedo accesserit inter lumen, & diaphanum, icirco media in nocte densa astra quã remotissima non conferunt lumen euntibus. Atque requiritur, ne lumen fatiscat, quocirca luna interdiu præsentia solis non illustrat orizontem. Nam fatiscit, lumen enim sufficit ad perceptionem eius, sed videtur interdiu lumine solis diffuso, solum cernitur velut candela & ignis die. Quare omnia lucida lumine diffuso cernuntur. Cæterum de luce oculorum Plato in Timeo sentit proprium in illis inesse lumen simile cęlesti in his. Sed ex omnibus faciei partibus luciferi oculorum orbes coruscant hac de causa dati. Ignis certe illius, qui non vrit quidem, sed illuminando suauiter diem mundo inuehit particeps oculorum orbes dij fecerunt intimum siquidem nostri corporis ignem huius ignis germanum, sincerumque per oculos emanare voluerunt. Platonici argumentis id comprobant. Nam commoto oculo in tenebris emicat ignis seu fulgor, lumen. Rursus oculum leonum, fellium & similium lucent nocte. Adde obtutu oculorum in solem fixo fatiscere lumen oculorum. Accedit quod prospectiui etiam ab oculis ad rẽ visam manere radios visuales subijciũt, qui nõ sunt nisi lumina. At vero Aristotelici aliter profitentur, qui omne recipiens carere natura recepti arbitrantur, icirco nec diaphanum, nec oculi recepturi lucem ante obtinent eam, ob id respondet secundum Aristot. in opusculo de sensibus sensilibus commoto oculo videri lumen, quia omnia tersa polita nata sunt fulgere in tenebris, vt cincedulæ, & quercus putridæ, & oculi fellium, atramentum sepiarum, & ossa, idque genus. Atque simile dicunt de oculis leonum, fellium, quia tersi politi fulgent noctu non propter lumen in eis intimum, sed ob humorem natum micare in tenebris. Deinde negant lumen oculorum fatiscere obtutu in solem persistente. Quinimo corrumpitur vis oculi, nisi aspectu aquæ resipiscat. Cum.n. humor ille præ solis ardore tabescat oculorum, icirco acies obtunditur, hebetaturq;. Quoad prospectiuos plane subijciunt lineas, tractus ab oculis ad rem visam procedere, nõ autẽ lumina. Postremo de coloribus oculorũ, certũ est siue vulgo permoti sapientes, siue quod ita opinarẽtur oculorũ dici colores Hippo. Polybio, Platone, Arist. Galeno authoribus, quãdo præcipuus Arist. doceat physiognomicã rationẽ depromi ex oculorũ coloribus sicut Gal. simptomata tametsi ausim ego prodere colores oculorũ videri tales ex cõstructione humorũ, & uestiũ oculorũ, sed minime esse, icirco capessunt ueros naturales, artificiales & apparentes. Quamquam interdum senserim oculorum colores medios non impedire quominus excellentiores capiant, ut fit apud aliquos in organo tangendi quale conflatum ex mediocritate qualitatum tactilium percipit excellentiores, sed hactenus de his dictum sit breuissime.

Contex.

## Contex. LXIII.

*Atque non omnia visilia sunt in luce, sed solus proprius color. Nonnulla enim in luce non uidentur, in tenebris autem sensum faciunt, ceu ignita, & splendentia. Hæc autem uno uacant nomine, ut fungus, cornu, capita piscium, squammæ, & oculi, quorum nullus proprius color cernitur. Quam ergo ob causam hæc uidentur alia oratio est. Nunc uero palam sit quod cernitur in lumine color. Quare nec sine lumine cernitur. Erat enim colori natura, ut sua facultate mouere possit actu pellucidum, actus autem pellucidi lumen est.*



ISILIA supra quædam dixit, quibus vnum nomen non erat explicanda tunc ratione atque adiecit colores videri lumine, nunc affert ea sine vno nomine non visilia luce aliena, sed in tenebris videntur quia lucent, tametsi horum colores lumine deprehendantur, velut cincedulç noctu vagantes fulgent, & cernuntur in tenebris, qua luce tamen proprij fulgoris non deprehenditur earum color & quia exiguus est fulgor, neque ob illum aliarũ rerum colores cernuntur, sed earum color interdiu percipitur luce solis, vel alia. Ac cornua, squammç piscium, fungi, quercus putridç, oculi fellium, ostrearum cortices, & lenia polita, ac adamantes & id genus. Quinimo ignes carbones incensi. Verum alia noctu solum cernuntur, alia noctu & interdiu, ignis, luna, alia solum interdiu, vt colores albi, nigri, medij vmbræ. Et ex accidenti cernuntur tenebræ, noxque ipsa. Rursus alia ex se videntur vt lumen. Splendor, alia in luce solum vt colores, alia in luce, & tenebris vt ignis luna, hesperus diluculum, crepusculum vespertinum, alia solum in tenebris supra enumerata cornua, squammæ &c. Præterea quædam lucide videntur, & alia videri faciunt, sol, luna, Diana, ignes magni, lumina, faces, lucernæ & id genus. Quædam autem solum ipsa cernuntur suo fulgore vt exiguæ scintillæ adamantes parui, cincendulæ, oculi fellium, nec faciunt alia videri, quoniam lumen non diffunditur eorum nec potest perficere diaphanum omne. Quædam vero non aspiciuntur, nec aspici alia efficiunt vt opaca. Tenebræ, aduerte solem in tenebris non aspici, quia pellit eas primario lumine, nec in luce aliena, sed sua. Cæterũ attende quæ solũ in luce percipiuntur. Atque nõ omnia visilia sunt in luce, sed solus proprius color. Dubitat Smplicius, siquidẽ perspicuum illuminatũ cernitur in luce, nõ ergo solus color. Respõdet perspicuũ cerni lumine, iã sibi ꝓprio facto sed colorẽ in alieno lumine, hoc modo solus color cernitur alieno in lumine. Hinc arguitur error Platonis in Timeo, qui colores flãmulas & lumina putat. Nã viderentur propria luce si essent flãmulæ. Addubitabis in luce videri quoq; distantias magnitudines, loca, situs. Respondebis non primũ per se hæc cerni. An lumẽ videatur in lumine, sol que? Respõdebis quinimo, sed in ꝓprio nõ alieno, vt colores. Sed de coloribus visis in aliena luce hactenus, adduntur quæ nõ vidẽtur aliena luce, sed in tenebris. Nonnulla enim in luce non videntur aliena. In tenebris autẽ sensum faciũt, ceu ignita. Mirum cur ignes in sua sphæra sub luna non cernuntur noctu? Aiunt rarissimum esse, iccirco non videri, nec posse cerni alio lumine, & si corpus diaphanum est, quod etiam mirum est hoc diaphanum luce saltem videri, aut sua in tenebris. At vero de his in primo libro de cęlo disserui in comment. nostris, splendentia, fulgentia. Hæc autem vno vacant nomine vt pene principio de visili dicebatur oratione tamen possunt describi, vt fungus argentum colorem edit noctu. Cornu. Capita piscium, sepiarum ossa. Squammæ, & oculi leonum, fellium, & similium, quorum nullus proprius color cernitur noctu, & propria luce, quæ sola obijcitur oculis, cernitur tamen eorum color in luce aliena, & interdiu, vt cincedularum color cernitur interdiu. Sed cur in tenebris solum aspiciantur. Quam ergo ob causam hæc videntur alia oratio est in libro de sensu, & sensili tametsi causa aperta est ob id.n. cernuntur in tenebris, quia lucent, fulgent, & ideo fulgeat, quia lenia apta sunt fulgere, vel quia ignea sunt. Postremo colligit Aristotel. quid vult. Nunc vero palam sit quod cernitur in lumine color est alieno adde tu. Quare non sine lumine alieno cernitur; quod ostenditur ex dictis de diffinitione coloris, qua visilis. Erat enim colori natura vt sua facultate mouere possit actu pellucidum, & ita videri. Actus autem pellucidi lumen est. Argumentum quod cernitur per diaphanum illuminatum in luce cernitur, sed color per diaphanum illuminatum cernitur, cum non per tenebrosum

ročtu &c. ergo cernitur per lumen. Demonstratio ex notis simpliciter. Septem visilia numerantur primum lumen. Secundum sol. Tertium, quæ in tenebris cornuntur solum. Quartum quod in tenebris, & luce cernitur. Quintum diaphanum. Sextum colores. Septimum tenebræ. Adde octauum vmbras. Figura faciei in speculo vel gibboso, vel concauo, vel recto cernitur in luce, profundum maris, aut fluuij.

## Contex. LXIIII.

*Signum autem huius euidens, si quis colore imbutum supra visum posuerit, non videbit. Sed ipse quidem color mouet pellucidum, videlicet aerem a quo vt pote continuo mouet ur sensorium. Nec ob id recte prodidit Democritus, si inane esset internallum suspici posse formicam in cęlo. Id enim fieri non potest, siquidem actio videndi fit patiente sensitiuo. Non potest igitur fieri a colore eius, quod cernitur, ergo ab internallo. Quare necesse est aliquid intercedere. At si fuerit inane, non solum non exacte, sed nihil penitus videbitur. Quam igitur ob causam colorem in luce videri necesse est dictum est. Ignis autem in vtrisque videtur in luce, & tenebris, idque ex necessitate. Nam perspicuum ab eo sit perspicuum.*



OLOREM cerni per pellucidum medium illuminatum docet, quod erat minor oratio premissi argumenti, & quomodo cernatur subdit Arist. Hinc in Democritum descendit arguens illud & concludens necessarium medium esse. Atque redarguit Democritum. Colligit, & pandit ignem cerni luce, & tenebris. Ad primum signum autem huius scilicet, colorem per medium illuminatum cerni euidens est, & hoc est illud si quis colore imbutum supra visum posuerit, non videbit causa quidem est, quia non intercedit medium delatiuum speciei sensilis ad oculos, quale velut instrumentum coloris vel lucis mouet oculum, & visum, & aptum est perfici lumine, & colore lumen est perfectio diaphani prima, & color perfectio diaphani illuminati qua motiuus sensus oculorum. Subditur quomodo per medium color feriat visum. Sed ipse quidem color mouet pellucidum, videlicet aerem qua est particeps perspicuitatis vtrinque, a quo aere vicino oculis vt pote continuo mouetur sensorium, oculus, continuus esse debet, quia hic motus delatiuus est vnus. Moto sensorio instrumento videndi per qd solū color aptus est ferire sensum cōtinuo facultas cernendi afficitur, & alteratur vel impressa specie sensili coloris apud Arist. vel actione apud eos, qui solum oculum, & instrumentum affici qualitate sensili spirituali volunt, quale postea mouet, & excitat solum sensum sine vestigio speciei ita, vt primi velint sensus affici specie sensili, & actione, secundi solum actione quasi solum sopitus sensus ab instrumento excitetur solum, & hoc aiunt quia putant habitus suos inesse cuique sensui solum desiderare excitante, vt Platonici credunt, quod tibi etiam atque etiam memoriæ cōmendo. Non enim parum interest vtro dicatur modo. Aristotel. sentit sensum specierum receptiuum. Cum ergo intermedium requiratur ad actionem sentiendi, iure venit arguendus Democritus, qui medium delatiuum specierum sensilium sustulit fassus vbi formica esset in cęlo, dato non concesso, & nullum intervallum esset intra cęlum, & domicilia nostra, nisi inane formicam tam exiguum visile suscipi posse. Arguitur ergo Democritus duplici argumento. Hæc prius lege. Nec ob id recte Democritus prodidit, si inane esset internallum suspici posse formicam in cęlo. Reprehenditur his. Id enim fieri non potest. Et primo argumento ostenditur cum omnis actio videndi fiat patiente sensitiuo, idest organo cum sensu. Fieri enim potest, vt sit organum, & non sensus, vt in cecis habentibus oculos, sed nunquam sensus est sine organo. Sensilium est organum ob sensum ergo necesse est vt sensorium cum sensu patiatur vel a colore, vel a medio lucido delatiuo speciei coloris, sed non potest pati a colore solo, neque a pellucido solo, quia tum perciperetur diaphanum sine colore, ergo patiatur oportet a medio diaphano speciem coloris deferēte cum prętertim actio fit per cōtactum. Et sane a solo colore pati sensorium non potest, quia sine luce nequit videri, & lux non est nisi perficiat diaphanum & medium, lege tu. Si quidem actio videndi fit patiente sensitiuo. Non potest igitur fieri a colore eius, quod cernitur, siquidem color sine luce videri non potest & lux est actus diaphani interualli, ergo ab interuallo adde illuminato & moto a colore ꝓximo sensorio, vel oculo. Quare necesse est aliquid (mediū) intercedere delatiuū speciei coloris, & sēsilis. Et

secundo

secundò argumento. Quia si interstitium inter cęlum, & terram esset inane non posset deferre speciem rei sensilis, neque lucem capessere, quia inane mere priuatio plenè foret, & ita nihil videretur. si visio fit sensitiuum specierum ope. At si inane fuerit non solum non exactè, sed nihil penitus videbitur, quia illud nec lumine perficeretur, nec colore moueretur, nec deferret speciẽ coloris ad oculum, Epilogus. Quam igitur ob causam colorem in luce videri necesse est, dictum est. siquidem videri non potest, nisi per medium non obscurum, sed lucidum vt euidens est, lucidum autem fit diaphanum medium lumine ipso, Tandem adiungitur his, quæ solum in luce coloribus percipiuntur. & his, quæ in tenebris solum præ suo fulgore videntur tertium eorũ quæ tum luce, tum tenebris conspiciuntur. Ignis autem in vtrisque videtur luce, & tenebris. Id que ex necessitate. & in tenebris quidem quia perspicuum fit ab eo perspicuum. Nam perspicuum ab eo fit perspicuum, quare si lucet cernitur. Et in luce videtur propria, & aliena solis lunæ, & alterius, sed in hac remissius. Ignis si prope, vt lucerna quoque facit videre colores, quia lumen eius perficit diaphanum. Si procul, cernitur quidem attamen non detegit colores. ergo & distantia requiritur apta ad videndum. Dubitat Philoponus de suffusione, & cataracta in oculo. Nam cernitur ille sanguis, ille humor ab oculo sine aeris medij diaphani ope. Responsum affert dicens secundum Galenum medicum vim, & spiritum videndi in crystallino humore inesse, qui cum sit magis intimus, quam viridis, & albugineus humor, ac vestes vuea, cornea coniunctiua, quæ intercedunt perspicua inter suffusionem, & humidum crystallinum, merito intercedit & ibi medium diaphanum per quod suffusio percipitur a visu. Et ocularia oculis vicina media sunt ad cernendas literas, figuras. &c. Sed obijcitur quia si ad videndum humorem in cornea veste sufficit abugineus humor medius, cur non sufficit ad videndum siphonem oculo admotũ? Respondet impediri lucem externam à siphone opaco ita, vt nequeat albugineus humor & vestes oculares illuminari a luce externa, neque sipho vitreus tangere posset crystallinum humorẽ sine læsione, quare neque eo modo permittit visionem fieri. Simplicius Platonice asserit sensorium, seu oculum affici, sed sensum non affici, sed excitari a sensorio patiente ad cognoscendũ, de quo paulo supra monui. Arist. & sensorium, & sensum pati decernit, nec solum excitari. Hęc Arist. de visili, de colore, lumine diaphano. Sensitiuo hactenus. Desiderantur quædam de organo seu de oculis, & de cernendi modo. Hæc breuiter in hunc modum legito.

## *De oculis, deque modo cernendi.*



LATO Socraticus, Pythagoræus in Timæo primum orbicularem figurã attribuit oculis in parte anteriore corporis præcipue humani fabrefacta ad prouidentiam. Hos asseruit participes luminis cęlestis, & ignis, quem intimum dixit, & emanare ab oculis per pupillam, & occurrere radijs luminis ad præfinitum spatium, vbi commixti simul in vnam speciem concurrunt ad oculum & visum efficiunt. Sed noctu emicans ignis ab oculo seu lux extinguitur, cum in contrarium scilicet tenebras erumpat, & palpebras subdit ad conseruationem igneæ lucis, contra hæc Arist. in opusculo de sensibus disseruit, & deprompsit ex eis modum cernendi apud Platonem, de quo mox, interea Arist. sub fronte locauit oculos, & omnibus animalibus in parte anteriore reposuit tanquam nuncios rerũ fugiendarum, & eligendarum, quorum defectui supplet sensus tangendi cuique animali tributus. Oculorum fabrica externa est, & interea, Externa vero circumiacet ex osse cauo, supercilijs, palpebris, cilijs, angulis. In cauo conditi oculi, ne facile pateant iniurijs, & confertim species rerum visilium concurrant ad oculum, ita tamen, vt recte percipiant, supercilia arcent humores, sudores delabentes instar imbricamentorum, vel grundarum. Palpebræ ex cute leuiores quam si ex carne fuissent ad custodiam oculorum, & tutelam sensus datæ sunt, quibus oculi humidi, & molles non duri sunt, Cilia vero incidentia in oculos prohibent, & remouent, Anguli purgant excrementa oculorum. Interea fabrica constat ex musculis sex, septemve, tribus humoribus & septẽ fere vestibus. ob musculos mouentur oculi. Attolluntur, deprimuntur, ad latera deferuntur

intus

intus attrahuntur,& eminentiores euadunt. Humores tres. Vnus viridis, alter albugineus, tertius cryſtallinus, primum inſtrumentum videndi cum pupilla & foramine. Veſtes vero tres ante cryſtallinum cornea,a,dura meninge orta, Vuea item,& coniunctiua. Cornea defendit cryſtallinum,ne patiatur ab externis, ideo dura eſt ſubtilis,ne grauet, & facile poſſit ſpiritus penetrare,alba quoque vt perſpicua ſit. Vuea nutrit corneam,& media eſt inter corneam,& cryſtallinum, ne cornea ſua duritie noceat cryſtallino, atque vt lumen coadunet ſua fere nigredine, Nutrit ergo corneam multis venis,arterijſque innexa coloris cęleſtis,in medio eius foramen eſt per quod lumen ingreditur,& intus ſcatet humore albugineo vt diſtare faciat cryſtallinum a cornea, Albugineus humor defendit cryſtallinum,ne ab externis exſiccetur, humectatque vueam, ne noceat cryſtallino,& ſi inter albugineum,& cryſtallinum ſit velut tela araneæ operiens medium cryſtallini,ne ab vuea lædatur,quare quatuor veſtes ſunt hactenus, Tres alię retro & poſt cryſtallinum Reſina,Secundina ſcliron,tametſi non conuenit inter ſcriptores de numero veſtium, de qua diſcordia alias,nunc ſeptem muſculorum officium, vnus mouet oculus ad nares, alter ad tempora verſus,alter ſurſum,alius deorſum,quintus firmat neruum opticum per cuius meatum amplum ſpiritus viſiuus apud Galenum procedit ad pupillam. reliqui duo alligant cōiunctiuam &c. Scias velim inter ſeptem paria neruorum a cerebro optici maiores procedunt ad muſculos oculorum, per quos neruos tranſmittitur ſubſtantia ſpiritus ad pupillam vt dictum eſt apud Galenum ſępe. Conditi ſunt oculi ita humoribus,& veſtibus,vt videantur colorati cum humores partim magis diaphani partim minus ita cohærcant,vt colorati appareant,ſicut etiam apta ad id confert veſtiū diſpoſitio,quæ diaphanæ ſunt præſertim ante cryſtallinum humorem ita,vt hic humor ſit ſplendidus,lucidus præſente lumine non omnino rotundus in medio oculorum planus habilis ad capeſſendos colores,vt fit in claro vitro,& ocularibus, In hoc præcipue conſiſtit videndi actio ſigno in cataractis cum aqueus humor ſteterit inter corneam veſtem ſic vt impediat extrinſecus accedere ſpeciem coloris & luminis, iccirco ablata aqua & cataracta lumen admittitur penetrare,& ſpecies colorum. Atque iacet hic humor medius intra retro vitreum humorem lucidum; & ante albugineus eſt quaſi ſicut albumen oui. Poſt vitreum humorem veſtis retina eſt veſtiens vitreum humorem poſt hanc ſecundina,poſt illam ad oſſa ſcliros dura veſtis. Ante albugineum tres veſtes. Vuea circundat albugineum ad nigredinem tendens,& rhagoides dicitur, atque cornea ante hanc veſtem & circa cōiunctiua. Inter albugineum & cryſtallinum velut tela araneæ ineſt,quare breuiter de conſtructione oculorum hæc, Cæterum videntur colorati alij nigri quia plus aquæ, quam ignis habent,alij cęſij parum humoris obtinentes,flaui caprini plus, & minus humoris habent: Cæſij interdiu acute cernere nequeunt, quod a luce diffunduntur exiguitate humoris, Nigri noctu obtuſius vident,& minus mouentur ob copiam humoris. Sed nulli poſſunt figere diu obtutum in ſplendore velut ſolis, quia humor maxime afficitur. Cæſijs glaucoma,ſiccitas quædam accidit & præcipue ſenum, luſcioſitas accidit magis nigris. oculi moderato humore conditi boni ſunt. Quo ad phyſiognomiam oculorum ſiue caui, ſiue promineant,ſiue nigri magni,parui,ſiue cæſij & vtcunque legeris librum de phyſiognomia Ariſtotelis, nunc his expoſitis ad occaſionem præſentem quinque modos cernendi repperi a ſcriptoribus conſcriptos. primus proſpectiuorum. Secundus Democriti. Empedoclis. Tertius Platonicorum. Quartus Ariſtotelicorum. Quintus medicorum præcipue Galeni. Sed ad proſpectiuos redeundum, qui radios lineares prodire ab oculis,& produci vſque ad rem viſam putant, atque obiecta cerni maiora ſub maioribus angulis, & minora ſub minoribus, quem modum aliquando ſecutus eſt Ariſtoteles tertio meteorum libro. cap. de Iride. Hinc carpitur a Galeno ſeptimo de decretis Platonis, & Hippocr. quod ibi a ſuo placito in libris de anima, & de ſenſibus, ſenſilibusque deſciuit. Proſpectiui autem per eos radios reflexos cerni figuram faciei in ſpeculis,& ſimiliter in alijs decernunt ita, vt quoque ſtellæ fixæ videantur. Reprehenduntur proſpectiui quia tractus illi, & radij viſuales ſi ſunt corpora, plane magna,& longiſſima eſſent, dura protenduntur vſque ad aſtra, Philoponus interuallum ab orbe terrarum vſque ad coelum putat eſſe intercapedinem duorum ſignorum zodiaci,quia tanta diſtantia eſt ſemidiameter,cum quatuor ſigna Zodiaci ſint tota diameter, & tertia pars Zodiaci ambitus, Nam tripla eſt proportio diametri ad circunferentiam. & Zodiaci circūferentia continet duodecim ſigna, quorum tertia pars eſt quatuor ſignorum, Quare protendi radios illos per tantam diſtantiam incredibile eſt, Adde quomodó talia corpora ſic repente, & breui mouerentur. vſque ad coelum, quandoquidem nec cęlum primum motu diurno tam breui abſoluatur. Atque ſi corpora illa tenuiſſima prodirent penetrarent aerem, vel duo corpora ſi-

ſimul

mul essent, quandoquidem non recipiantur a vacuo. Accedit quod item cum duo idem conspiciant radij, ibi se penetrabunt vel eundem locum obtinebunt quæ absurda sunt, quinimo infinita corpora simul erunt multitudine, cum infinitus sit numerus hominum aspicientium quinetiā infinities infinita cum singuli quoque die inspiciant multā, Præterea hi radij visuales si corpora vel aerea, vel ignea, quare supra, & infra mouerentur, non ergo ad dextrum, læuum, cum tamen videantur dextra læua. Adde cum sæpissime homo cernat vnde erumperent tot radij visuales, quasi oculus capiat infinitos radios. Nam per frequentem visionem tandem radij visuales exeuntes deficerent, qua a finito si dematur semper aliquid, necesse est, vt absumatur tandem, Rursus cum per pupillam exeant radij, certe pupilla fatiscet tanto, & longo exitu radiorum. Ad hæc dixisse tres scriptores nactus sum. Quidam radios illos non esse corpora, sed immateriales & spirituales actus. Quidam alij fatentur corpora esse sed tenuissima Plato vero dixit in Timæo exeuntes radios ab oculis non procedere vsque ad astra, & rem visam, sed ad certum vsque spacium, quo radij rei visæ perueniunt, & commiscentur radijs visualibus deinde simul conscendunt ad oculū, & ita res visa percipitur. Verum primi fingunt radios actus incorporeos, quum vel ideæ, vel formæ naturales, vel accidentia sint necesse est, Ideç neç Pythagora Socrate authoribus dicerentur, nec formę naturales, quia hæ sunt in materia, nec accidentia, quoniam non sine subiecto, quare corpora, & concreta sint oportet, Rursus si actus sunt incorporei exeuntes ab oculis, quomodo magnitudines repræsentabunt visas? Quomodo gignuntur? Quomodo extenduntur sine dimensione? Alij uero arbitrati radios esse tenuissima corpora protensa ad rem visam primum dicant quomodo producta per interuallum longissimum vsque ad cęlum non consumuntur? Aut quomodo a contrario non destruuntur? aut saltem a bona vento magno non dissciuntur? Deinde cur ad basim hæc tenuissima corpora amplientur cum exiliora fieri deberent? Nam fingunt conum in oculo, & basim in re visa.

Atque hæc corpora tenuissima vel ignea, & sic in aqua existente re visa extinguerentur, vel aerea, & ita in aere diffunderentur, vel aquea, & sic ignea videri nō permitterent, Quare opinio explosa sit, Restat illa Platonis confutata ab Arist. libello de sensibus, & sensilibus, Plato cum egredi lumen ab oculis censuisset ad aliquod certum spacium vbi obuiam venissent radij rei visæ potuisset primum mox ab oculis emergentes radios copulare externis, & non producere ad certum spatiū. Deinde quomodo lumen externum in eo spacio copulatur, & quomodo miscetur lumen lumini. Atque quomodo intimum lumen oculorum membranas penetrat corneam, vueam. & albugineum humorem in exitu suo, sed rursus quomodo rediens peruenit ad facultatem sentiendi in crystallino humore? Atque cum centum homines ex æquo interuallo aspicerent multa luminia coirent in vnum locum eiusdem rei visæ & ita copulatio luminum in eodem loco magna fieret, & ita videretur illud quod falsum est. Quinimo venti impedient illam copulationem. Quare primus, & tertius modus, non probandi sunt, Nec præterea secūdus Democriti, Leucippi Epicuri est, qui fluere idola, rerumq; imagines ad oculos. Crediderūt, & imprimi in eis, seu pupilla, Nā illę Imagines sunt reflexiones, & emphasis ex reflexione oriuntur, & visio recta procedit, atque medio delatiuo pellucido, Quinetiam idola, & imagines qūo a visis emanēt, & qūo defluant ad oculum sine medio non facile est intelligere, Quare reijciendus est hic quoque modus cernendi, Quartus autem Aristotelis est, qui lumina videri ex se dicit cum perficiat diaphanum & vestes, humoresque oculorum diaphanos, & colores in luce diaphani videntur hoc modo dum efficiūt, & creant in medio species sensiles incorporeas, & qualitates spiritales, quas medium diaphanum defert ad oculos, & ab eis recipiuntur, & a sensu videndi in primario organo quod est humidum crystallinum, siquidem omnis sensus est receptiuus specierum sine materia, iccirco etiam spiritalius recipiuntur, quam forma sigilli in cera sine ferro, vel argento, & forma vestigij in luto, sine pedis materia, quare cernendi actio apud Arist. fit per species a coloribus in medio diaphano genitis spiritualius receptis ab organo oculorum, & adhuc spiritualius a sensu in organo. Differt hæc sententia a prospectiuis, a Platone, quia suscipiētibus medijs, organis sensibus fit actio sentiendi apud Arist. sed contra illi volunt potius emittentibus primum organis extra, & deinde recipientibus perfici actionem istam. Quibus Galenus assentitur quoad extra missionem. Quintus iccirco modus est Galeni, qui octauo, non in libello de vsu partium, & de oculis, ac passim, & præcipue septimo de decretis Hippocr. & Platonis animam sensitricem locat in anterioribus cerebri ventriculis vnde spiritum vicarium animæ opticum visualem descendere per neruos opticos concauos putat ad pupillam indeque exire donec speciem rei offendat visæ quam refert ad oculos, &

præsto

præsto sensitrix facultas capit. sed egressum spiritum ad aerem, hunc facit idoneum ad visionem, Aristotelici multa horum inficiantur. Primum nullum spiritum nisi in corde innatum ponunt libello de incessu, motuque animalium secundum, neque illum exire e pupilla dicerent vbi esset, quia cum sit in concauitate neruorum amplus per foramen angustum pupillæ non posset egredi. Tertium non posse effici actionem videndi nisi spiritus per foramen pupillæ redeat, quod putant superfluum, siquidem sola delatione speciei visilis per medium delatiuum fit visio sine egressu, & reditu spiritus ad pupillam. Quare statuunt veriorem, & euidentiorem esse Aristo. sententiã contra quam perperam Galenus inuehitur septimo libro de decretis Hippo. Plat. dicens quia in his videtur nisi per foramen pupillæ non posset species montis ingredi foramen, quinimo species illa spiritalis est, & adire potest foramen, Nec Galenus recte accusat Arist. quia in tertio meteorũ visionem effici extramittendo dixit, & non suscipiendo, siquidem ibi Aristot. nixus fundamentis prospectiuorum concludit emphasim colorum iridis. Quare modus cernendi Aristotelicus est, vt ab obiectis species efficiantur in medio præsente luce, & hæ species per medium deferantur ad oculos, mox ad sensum receptiuum specierum sicut plane fit in sonis, in odoribus delatis per medium ad organa aurium, & nasi, Hactenus de aspectu, & re visili, ac de organo, medio, & sensu nec non actione cernendi.

## *Quinti Tomi cap. iij. de auditu de sonis, uoce medio, de echo de auditus organis, ac de modo audiendi.*




T si a communioribus auspicando opus erat initium fecisse a tactu, & gustu, tamen Aristot. ductus excellentia sensus videndi, & euidentia oculorum, quos videmus in facie, atque vsu, quia indices sunt fugiendi, & prosequendi atque rerum maximarum, & inueniendarum disciplinarum præposuit eum sensum, quem sequi voluit auditum, & hunc eximium ad perceptionem disciplinarũ, & ad affectus vocibus explicandos, quia voces sunt signa eorum, quæ sunt in anima. Auditum probant maxime oratores, poetæ. Quo ad nobiliorem situm aurium in altiore loco, quam reliqua organa, & ea in parte capitis, quæ sit idonea excipiendi sonos, & voces ante, & pone, & si certius soni ante deprehendantur, Accommodatæ aures sonis, qui ita ferire ante, & retro possunt non autem oculos colores, lumina retro mouere apte possent, quia prospectus per longissimam distantiam effici debuit, qui non ita fuisset, si in simili loco, vt aures collocati fuissent, ergo in facie ante collocandi fuerunt, vt suspicere possit altissima quæq; & profundissima, soni autem non admodum procul, aut non æque, vt oculos lumina feriunt. Quare auditus inferior oculis actione, situ, opportunitate, & quo ad inuentionem rerum. tamen superior, & præstantior est odoratu, gustu, tactu. Nam organa aurium patent magis, & viciniora cerebro atque ad disciplinam aptiora. Odoratus & si in anteriore parte consistit, tamẽ inferior, & obtusior in homine, Gustatus obscurior in lingua, atque tactus. quare post aspectum dicendũ fuit de auditu, Adde concessum hunc sensum perfectioribus animalibus, quam odoratus, gustus, tactus, iccirco illis in oratione præponendus tanquam præstãtior, & si communior tactus, gustus, odoratus, auditu, tamen pro euidentioribus organis in serie lectionis collocandi fuere sensus. Euidentius est organum auditus organis odoratus, gustatus, tactus. Cæterum vsus huius sensus plurimum confert ad vitam, cum auditis vocibus strepitibus inimica fugiant, vt quoque fit cum classicum sonat, cum belluæ audiunt strepitus aduersantium, & homines tonitrua audientes cauent fulmina fulgẽtia & rationis expertia voces exaudiunt natorum suorum dum educant, & nutriũt Confert item ad beneæ, beatæque viuendum quo ad excipiendas voces doctorum. Hinc surdi deteriores mutis. Quinetiam de sono, vocibus auditu musicus differit, ac orator, ac medicus, sed ille ob concentum, & simphoniam, orator ad persuadendum, Medicus ad curãdum, Philosophus ad naturam explicandam. ordo lectionis est, vt præmissis communibus visui, auditui, odoratui, etc actione sentiendi per medium externum prosequatur oratio institutum de sono prius actu, &

poten-

potentia a quibus oriatur, ob id de generatione soni, & vbi fiat prius disseritur. Deinde de echo græce, sed latine resonitu, Mox de medio audiendi aere, & de illo intra aures organo, & medio Ac de medio aqua, Quid sonus, quæ differentiæ soni acutum graue, & vtcunque. Reliquum de voce, & instrumento eius. Hæc expectanda.

## Contex. L X V.

*Eadem item ratio de sono, & de odore est, siquidem eorum nullus sensum tangens efficit sensum, sed ab odore quidem, & sono medium mouetur, & ab eo vtrumque sensorium. Quando quidem quis supra illud sensorium posuerit quid sonans, aut olens nullum reddet sensum. De tactu autem, & gustu idem modus se habet, & si non apparet. Qua id de causa sit, postea erit perspicuum. Sed medium soni aer, Odoris autem medium nomine caret. Communis tamen affectio in aere, & aqua est. Vt pellucidum colori. Sic habenti odorem id, quod in his ambobus inest. Nam et aquatilia animalia videntur habere sensum odoris. Sed homo quidem, & pedestria animalia quæcunque respirant non possunt odorari sine respiratione. Explicabitur horum causa posterius.*



VOD proxime supra conclusit cerni non posse sine medio diaphano illustrato, idem communiter præmittit nec audiri sonum, nec odorem percipi sine medio, argumento euidentissimo, quod impositus sonus supra auditũ non auditur, & odor inter nares non percipitur maxime si aliqua mora ibi steterit. Iccirco suam promit sententiam de modo audiendi, & odorãdi per medium, a quo mouetur sensorium sensus & denique afficitur sensus. Atq; addit actiones tangendi, gustandi effici per media sua licet id non videatur aperte, cuius rei causa erit suo loco enoluenda. Hactenus de primo contextu. Eadem item ratio de sono, & de odore est, hæc eadem ratio subiungitur de auditu, & odoratu per medium extrinsecum. Hæc illa ratio. Siquidem eorum soni, odoris nullus sensum tangẽs efficit sensum. Sed ab odore quidem, & sono medium mouetur, vt ab eo medio vtrunque sensorium auditus, & odoratus, adde & denique vterque sensus audiendi, & odorandi afficitur. Hic modus est audiendi, odorandi, vt sonus, vel vox speciem edat in aere vel aqua medijs deferentibus speciem ad aures, & nares, & organa quibus motis sensus afficiantur. Docet porro euidenter auditum, odoratum effici per medium interiectum. Quandoquidem quis supra illud sensorium posuerit quid sonans, aut olens nullum reddat sensum hoc euidens est, attamen Simplicius interpres conatur reddere causam inquiens illud accidere ob conuenientiam, & actio fit a dissimili, aut quia medio eget actio vtraque, sicut manus eget vecte ipso in proijciendis lapidibus. Crediderim ergo desiderari medium ob conditionem sensus cognoscentis, qui cum debent recipere qualitatem spiritalem speciem sensilem vocatam, & non obiectum ipsum, vt est in materia quia sensus est capax formarũ sine materia, iccirco oportuit similitudinem rei obiectæ spiritualius recipi prius in medio, deinde in organo denique in sensu, Quocirca gustus, & tactus, quia recipiũt magis corporeo modo non desiderant extrinseco medio. De his porro subiungitur, quod & isti sensus egent medio, & si non ita apparet. De tactu, & gustu idem modus percipiendi per mediũ suum, non externum, & si non apparent ob vicinitatem maximam medij, Qua id de causa sit postea erit perspicuum in capitibus de gustatu, & tactu. Hæc de communi ratione medij necessarij. Secundo explicantur media horum sensuum audiendi, odorandi. Sed medium soni aer, quinimo & locus vbi editur, & author quidam generationis soni. Nunquid & aqua? Quinimo pisces audiunt in aqua strepitum rumorum quo territi sæpe quasi grauati capite facile capiuntur. Id Aristot asserit libri de historia animalium quarti capit. viij. & alibi, Ac non frustra auditus datur piscibus, qui oculos habent, vbi perfectior sensus oculorum, ibi auditus, quare sonus, & vox auditur in aqua. De medio odoris hæc. Odoris autem medium nomine caret. Theophrastus vocauit diosmon, idest delatiuum odoris, sicut diceres soni collatiuum. Iccirco quædam communis affectio est in aere, & aqua sicut diaphaneius, seu perspicuitas dicebatur quædam natura communis aeri, aquæ cęlo, & perspicuis analoga, ita communis quædam natura est aquæ aeri delatiua odoris, nec qua aer solum, nec qua aqua solum. Communis tamen affectio in aere, & aqua

est. Vt pellucidum commune erat colori mouenti diaphanum, Sic habenti odorem id, quod in ambobus his inest, & quoniam tanquam clarum in aere odorem esse, docet icciro quod latet in aqua dicens, Nam & aquatilia animalia videntur habere sensum odoris. pisces odore escarũ etiam noctu adducuntur ad hamos, & retia. Arist. affirmat idem cap. 8. libri. 4. de historia animalium Auerhoes non audiri sonos, & voces in aqua nisi factos in aere, icciro addit nullum effici sonum in aqua. Errat ex eo, quod aqua est medium delatiuum soni ad aures piscium, seu ad meatus auditorios, quare sonus in aqua est, quinimo species soni immaterialior, alioquin non audirent pisces, & eorum sensus non perciperent species soni. itaque Aristot. dixerit aquam perferre sonum licet minus, & obtusius quam aerem. Atque depromit e verbis Aristot. cum dicit communem esse affectionem in aere, & aquam medij naturam odorem non esse corpus resolutum in aere ab odorabili, de quo erit sermo. Tertium legito in contextu causam cur nonnullis animalibus maxime gradientibus, & ambulantibus non accidit odorari sine anhelitu, & respiratione in aere solo. Sed homo quidem, & pedestria animalia quæcunque respirant habentia pulmonem, vel quid vice pulmonum non possunt odorari sine respiratione, idest nisi in aere, eiusque attractu præcipue per nares, Et per os, & per nares attrahitur aer. qui per os ad pulmonem desiderat ad perfrigerium cordis, & tutellam spiritus innati in corde apud Aristot. apud medicos spiritus vitalis. Qui vero attrahitur per nares cerebro vtilis, spirituique animali refocillando idoneus defert odores ad summum sensiterium odoratus in orizonte sincipitis supra frontem, vbi ossa velut cribrum perforata sunt, Contra pisces sine anhelitu odorant. Causa vero cur alia sine anhelitu odorent, alia minime suo explicabitur loco. Explicabitur horum causa posterius scilicet cur quędam sine anhelitu odorem, & quædam non sine anhelitu.

## Contex. LXVI.

*NVnc autem de sono, & auditu antea decernendum est. Duplex autem sonus. Alter actus quidam, alter uero potestate. Quadam dicimus non edere sonum, vt spongiam, lanam, Quadam vero habent, ut æs, & quæcunque solida, & lenia, quia sonare possunt, hoc est inter medium, & auditum immittere sonum actu.*



QVAMOBREM post visum de auditu sit dicendum, vtpote de perfectiore cæteris, qui eminus sentiat, quã reliqui, supra est dictũ nobis. Proponitur generatim dicendum de sono, & auditu, quia solum Theoria est de his, quatenus animam sensitricem afficiunt & sentiuntur. Nunc autem post sermonem de visu habitum de sono obiecto sensus, & auditu, idest sensu audiendi, & actione antea priusquam de odore odoratu, de sapore, gustatu, de tactili tactũ, decernendum est. Merito, quia hic sensus reliquis tribus nobilior, perfectior, ingenio, disciplinis aptior, Adhibendum his studium, quia in libello de sensibus, & sensilibus author stetit nunc decretis sine ibi disputatione, vt tamen de cæteris sensibus fecit. Attende duplex nomen generale obiecto auditus dari, Absolutum quidem, velut sonus. & relatiuum velut auditile, nunc præponitur absolutum, de cuius ortu dicendum est. Distinguitur prius abiectum a quo incepit author ex regula iampridem data a notioribus sumendum initium. Duplex autem sonus, alter actus quidam vel rei sonatilis, vel sensus audiendi, cum soleant fieri soni, & non audiri, licet possint audiri. vt cera alba iam actu alba non cernitur, sed cerni potest. Vt actus duplex, ita duplex potentia prima ad sonum actu. Secunda soni actu, vt audiatur, sicut prius potest quid esse color, & iam factus color potest cerni, Quare potentia prima ad esse. Secunda ad sentiendum, alter vero potestate sonus, Cum ergo de origine soni sit mens dicere primum separantur, quæ non possunt edere sonum. Omnia mollia, cedentia omnino sine resistentia vlla. Exempla, vt spongia, lana, cottus, & omnino quæcunque mollia vda maxime, & rara inepta ad sonum præcipue si non erit verberans durum. Quædam dicimus non edere sonũ vt spongiam, lanas. Mirum quia spongia habet meatus plenos aere, qui ad edendum sonum promptissimus est, licet lana minus aeris contineat. Nisi aer facile e meatibus spongiæ euolet, & non consistat, nec celeriter præueniri possit, quam effugiat, Aer lanarum vdus est nimium.

Quæ-

Quædam autem habent vim edendi sonum, vt æs & sua duritie, ac densitate, & compactione, icciirco minus stannum, deterius plumbum edunt sonum, quia non ita compacta, & lenia sunt. & quæ cunque solida, dura, densa lenia, polita leuigata, ne aer intra meatus sese recipiat, & fugiat ictum cum alioqui debeat esse coactus, & bene consistens in vnum ad ictum suscipiendum. Campana primum rudem sonum efficit, sed vsitata clariorem reddit, quia iam lenior facta est ea pars, quam pendens in medio clauus, aut malleus percutit, Quinimo, vt est videre Venetijs cum ærei homines horas pulsant in externa parte campanæ, tum sonus editur obtusior, quam in campana cum medius malleus percutit intra agitata campana. Hæc lenia dura sonantia dicuntur, quia sonare possunt, & quid sit sonare, aperit dicens, hoc est inter medium aerem præcipue, & auditum immittere sonum actu, ergo sonus fit a duris, lenibus adde velociter agitatis, & percussis ita, vt aerem ictus non sinat ante elabi, quam recipiat sonum. Credidit Philoponus ob verbum illud (auditum) nunc dici de sono perceptibili a sensu cum iam editus est, & potest audiri a sensu, sed patefactis causis generationis videamus quomodo fiat sonus.

## Contex. LXVII.

*Sonus actu editur alicuius ad aliquid in aliquo. Ictus enim est, qui facit, Quare fieri non potest, vt vno existente sonus oriatur. Nam diuersa sunt quod verberat, & quod verberatur & ita quod sonat ad aliquid sonat. Ictus autem non fit sine delationis motu, neque (vt diximus) quorumcunque ictus est sonus, siquidem icta lana uel pulsata nullum reddunt sonum, sed æs, & quæcunque lenia, & concaua. Aes quidem, quia lenit. & concaua autem repercussione multos efficiunt ictus post primum dum exire nequit, quod motum fuit.*



De causis edendi soni actu, cum supra de causis potentibus edere dictum sit. nam dura, lenia, concaua apta sunt reddere sonum, Reddunt autem actu cum percutitur aliquod lene duro cauo, ab aliquo duro denso leni præcipue in aere. Causæ remotæ igitur sunt talia dura &c. Causa propinqua ictus, & percussio, & si hæc causa est propinqua & ictus requirit percutientem, percussum, & locum vbi fit ictus, iure non poterit sonus effici ab vno, siquidem diuersa sunt quod verberat, verberatur, & ita concluditur præter percutientem esse percussum, vel si idem fuerit, hoc diuersis partibus conditum sit, quarum vna verberat, & altera verberetur, quare necesse est vt sit etiam illud ad aliquid, Adde tu, si ictus est actio, ergo habet agentem, & patientem diuersum. Sonus actu editur alicuius percutientis ad aliquid, idest percussum. In aliquo, idest medio aere, percutiens percussum dura solida esse oportet ac, ad clariorem sonum lenia, ad firmiorem, & fortiorem concaua, aut alterum durum esse conuenit percutiens, vel percussum, vt fit cum cottus percutitur, virga, Docet author sonum edi alicuius ad aliquid, Ictus enim est qui facit, & cum sit actio requirit agentem, & patientem duo diuersa, Quare fieri non potest vt vno existente, qua vnum, & idem sonus oriatur. ne idem sit agens & patiens, simulque actu, & potentia. Nam diuersa sunt quod verberat, & quod verberatur, quare sonus sit fita verberante in verberato plane quod sonat ad aliquid sonat. Quod autem etiam fiat in aliquo hoc est in aere declaratur ex eo, quod percussio, ictus non fit sine motu locali, itaque indiget spacio medio, per quod fit motus, & hoc est aer, non aqua. Errauit Auerh. dicens illud in aliquo esse medium aerem, & aquam satius dixisset, vt superiore commentario quod vox fit in aere extra aquam, Error Auerhois fuit, quia aliud est medium vbi generatio soni fit, quia sic solus aer est medium, & non aqua, si enim inieceris manus in altitudine aquæ, & percusseris mutuo, nullus edetur sonitus, quinimo si perfuderis palmas vdo non edent sonum percussæ mutuo, nisi obscurum, Aqua antequam ictum recipiat,

& sonum, elabitur nec coacta in vnum sustinet sonum, sicut aer antequam exprimatur coactus sustinet, aqua crassitia sua elabitur, & suo pondere non statim ad ictum tota conuenit, sicut aer, qui confertim præuentus celeriter sustinet ictum, & aliud est medium delatiuum soni, & ita est aer, & aqua, signo, quod vrinatores, pisces audiunt in aqua sonum factum in aere, & si fit sonus in aqua, minus tamen quam in aere, nisi fiat etiam in aqua, sed quia non traijcitur ex aqua in aerem, sicut ex aere per aquam, iccirco qui in aqua fit non sentitur. Sed lege quomodo sonus fiat in aliquo vt aere. Ictus autem non fit sine delationis motu, ergo eget medio deferente, & recipiente. Reliquum reuertitur oratio ad ea corpora, quæ edunt sonos vtpote dura fenia, & concaua addit, quæ ad diuturniorem, & fortiorem sonum conferunt ex eo quod post primum ictum intra cauitatem aer sæpe repercutitur a lateribus dum egredi non potest, vt fit in cymbalis cilindris, tympanis, campanis, & similibus, atque in pateris si digitum circa labrum circumduxeris ob expressionem aeris in profunditatem earum, sed digitum madefacies aqua. idem fit in organis cithara, leutho, & lira, ictæ enim chordæ sonum edunt extruso aere per foramina media in concauitatem organi. Tubæ, psalterium, tympana, & varia musicorum instrumenta concaua. lege omnia ex his plana sunt. Dubitabis virgam solam efficere sonum si viridis fuerit, & corrigiam in aere agitatam. Respondebis tum aerem fungi duplici officio, & percussi, & medij. Nam continuus aer confertim coit ne distrahatur, & subit officium percussi, altera autem pars proxima fungitur officio medij, Alij dicunt virgam, vel flagellum officio fungi percutientis, & percussi cum flectitur sic, vt flexa percutiatur, & non flexa percutiat signo, quod si virga multos flexus subierit tum multos sonos audimus. Simplicius ex his elicit sonos non effici in vacuo, siquidem corpus est quod profert sonum. Annotat aerem sic ictu affici vt infractus maneat, alioquin non deferret speciem soni probe ad auditum, iccirco adde tu aerem vi ventorum distractum non perferre sonum proba ad aures, Addit corpora dura, lenia caua facile edere sonum. Dura ad ictum soniferum lenia ad colorem motum aeris, quem non frangat, Caua vero ob repercussionem multiplicem aeris conclusi non potentis exire. Auerhoes adiecit sonum non effici in aere sic, vt a percutiente motus recta procedat ad aures, sed ictus factus reddit sonum seu in centro aeris conglobati in sphæram, & per circulationes aeris sonus defertur ad auditum, sicut lapis in aquam proiectus quasi centrum facit circa quod varij gyri fiunt. Signum quod ita fiat addit ex eo, quod auditur sonus in quolibet puncto aeris conglobati ad speciem sphæræ terminatæ vltra quam non est audire sonum, de quo erit mox sermo, Adde tu corpora dura oportere lata esse, ideo acus acum percutiens, & fibula fibulam non facit sonum, Adde illa dura corpora continere aerem, quia omnino terrea non ederent sonum. Adde item dura oportere non frangibilia cito esse vt sonus perduret, Adde duo corpora dura fortiter esse & celeriter percutienda vt aer desiliat, & frangatur minime. Reliquum cum sonus sit qualitas in quo subiecto erit, non quidem in percutiente, quia passiua qualitas non recipitur in agente, neque in percusso, cum absentia interdum percussi remaneat sonus & sane in aere vera nihil aliud sit quam hæc tria percutiens, percussum, aer. Quare sonus est in aere genitus tanquam in sua materia subiecta, signum, quod nisi aer celeriter afficiatur non editur sonus, Rursus signum quod sit in aere quia flente vento soni aut non audiuntur, aut male, quia aer impellitur a vento. Tertium signum quod arbores vt fagus quia multum aeris capiunt, icciro magis sonora sunt. ob id Aristot. secundo libro de cęlo musicam cœlestem Pythagoræ irrisit, quia in cœlo non aer; non sonus, & vox est in aere, Nec obstat aerem esse medium delatiuum soni per aliam sui partem, & subiectum per eam vbi fit ictus sonantium. Nec obstat soni subiectum esse aerem, & sensorium, ac sensum, quia aer vbi gignitur sonus est subiectum soni qui est ipsa res, & qualitas, sensorium, & sensus subiecta sunt speciei sensilis ipsius soni spiritalis. Sed hæc hactenus.

Contex,

## Contex. LXVIII.

*AC auditur in aere, & aqua, sed minus. Verum soni potius author non est aer, neque aqua, sed oportet esse ictum solidorum mutuum & ad aerem. Hoc autem fit, quando aer sustinet, & manet percussus, nec fuerit diffusus. Quare si celeriter, & vehementer fuerit ictus, sonat. Oportet enim motum pulsantis præuenire fractionem aeris, ceu si quis cumulum arenæ, uel aceruum, qui velociter fertur, verberet.*



E quis ob auditum soni in aere, & aqua putet vtrunque causam effectricem soni, cum sit materia, iccirco duo subdit Arist. quomodo aer, & aqua non efficiunt sonum, & quomodo aer sit materia soni. Cedit euidentię primum videlicet audiri in aere & in aqua, sed minus in hac ipsa. Sed latet de quo sono loquatur author, an de ipsa qualitate, an de specie sensili spiritali ipsius soni. Rursus latet an scribat de aere, & aqua subiectis recipientibus sonum ipsum, an de aere, & aqua tanquam medijs delatiuis specierum soni spiritualium. Philoponus videtur perplexe loqui, indicat tamen secundo modo dici de medijs aere, & aqua, sicut etiam Simplicius crediderim ego ostendi non oportere, quia auditur in aere, & aqua palam, fateri aerem, & aquam authores, & effectrices causas soni, sed materiales esse, & receptrices & si ictus aeris quoque cogat. Aer a flagello percussus subit officium percussi de quo dictum est. Ac auditur in aere, & in aqua, sed minus, in aqua; cum illa sit lentior, crassior, & auditoris meatus obseret, vt Simplicius, & Philoponus inquiunt, satius dixissent, quia aqua dissimilis est aeri intra corneolos, & an fractus auris, qui aer est instrumentum auditus ob id non recipit ab aqua æque feliciter, vt ab aere consimili externo, & deferente, atque aqua obtundit vim sensorij, idest aeris intra membranam auris. Cæterum scias velim aquam esse medium delatiuum soni, & non materiam in qua sonus ipse fiat. Nam in aere fit, & species soni per aerem trãsmittitur ad aquam, inde ad meatus audiarios piscium. Verum soni proprius author, & genitor non est aer, sed materia, & si cogat aliquando, & nisi fungatur officio percussi, vt dictum est, qui item per vnam partem materia est subiecta sono, & per aliam medium delatiuum speciei sensilis soni, neque aqua. Quinimo nec materia est subiecta, sed solum medium delatiuum speciei soni geniti in aere, sed oportet esse ictum solidorum, duorum corporum mutuum inter se. Qui ictus est causa efficiens soni propinqua, & dura corpora causæ remotæ, si ictus fuerit ad aerem, qui materia est soni receptrix primum, deinde per aliam partem medium delatiuum. Et quomodo aer sit materia soni declaratur. Hoc autem fit quando aer sustinet ictum totus confertim ob colorem motum præuenientem, qui non sinit elabi, aut distrahi aerem, iccirco bene Auerhoes notat percutiens, & percussum oportere lęta esse, vt aerem capiat multum nec sinat elabi cito, sicut elabitur, si acuties acus percusserit acutiem alterius acus. Vbi ergo confertim aer celeri, & vehementi motu præuenitur, sonat quod si tarde, & obscure fiat percussio prius diffugit aer, aut distrahitur, quam plagam, & ictum admittat, & iccirco tum non sonat vnde subditur & manet percussus aer, ergo etiam aer percutitur & patitur, & recipit eiusmodi sonum, nec fuerit difusus, distractus quia tum non resistit, nec sustinet ictum. Attende igitur qualis debeat esse percussio. Quare si celeriter, & vehementer fuerit ictus aer, sonat. Sed quomodo ictus corporum solidorum in aere fieri oporteat lege. Oportet enim motum pulsantis, percutientis pręuenire fractionem aeris, exemplo ceu si quis cumulum arenæ, vel aceruum tritici; qui ex aliquo infundibulo descendat & velociter feratur verberet antequam dissoluatur, & distrahatur tũ sonũ edet, qui postea distractus, & disgregatus non edet sonum percussus. Ergo ictus debet præuenire distractionem aeris cum confertim subest, alioquin non reddet sonum. Hæc de generatione sone. Sequitur de ortu ipsius echo, latine resonitus.

Contex.

## Contex. LXIX.

*Echo fit autem, cum ab aere, qui vnus fuerit ob vas terminans, & prohibens confringi aerem denuo reiectus vt pila. Videtur autem semper fieri echo, sed non euidens, siquidem vt lumini contingit, ita & sono. Nam lumen semper refrangitur, alioquin lux non vndiq; esset, sed tenebra extra id quod est apricum, & soli expositum. Verum non ita refrangitur sicut ab aqua, vel aere. vel aliquo alio ex lenibus, vt vmbram faciat, qua lucem terminamus.*



DE origine ipsius echo agitur, quæ latine dicitur resonitus, vt fit in speluncis, domibus antiquis antris, specubus, vt Ticini fiebat echo sex, & septem vicibus scilicet responsum eiusdem vocis literatæ, atque illiteratæ, post generationem soni sequitur ortus resonitus. Non enim scire est resonitum, nisi sonum prius discas, cum resonitus sit reciprocatio soni, vel sonus idem specie relatus. Verumenimuero vulgus vsitatissimum nomen habet græcum Echo Quare lege ortum resonitus, qui accidit sono iam emisso. Echo fit autem cum ab aere similis sonus specie non idem numero eodem reuertitur, vnde d tcesserit, qui aer vnus fuerit non ex se, sed ob vas terminans siue sit domus antiqua; templum, vallis, lucus, antrum, specus, sylua, nemus spelunca. Nam aer conclusus lateribus vnus fit diuersus a toto aere ob continens ipsum, quod etiam est prohibens confringi aerem, & in multas partes discindi, iccirco vnus est, & collectus traijciens sonum ad latera vasis, & loci a quibus reiectus vnus reijcitur etiam cum eo sonus, & vox similis figuræ, & literata, aut illiterata, sed de isto vno aere traijciente reperi quatuor scriptores. Alexandrum Aphrodiseum, qui duos scripsit modos. Vnum vt idem aer primum percussus, & sono affectus contendat vnus infractus vsque ad latera, & resistens, vnde reijciatur, sicut vna pila propulsata ad parietem repellitur. Hic modus communiter tenetur, qui etiam eundem sonum esse echo, qui fuerat a principio putant dicentes alium sonum non posse gigni ab ipso resistente maxime literato, vt vox, quia vox est animati, nō obstaculi inanimati, contrarium alij sentiunt asserentes non esse eundem sonum numero, quia motus esset vnus numero, cum sit replexus nō potest esse vnus, vbi intercipitur quiete media, ob id sonum repercussum atque relatum arbitrantur priori eundem specie non numero, sed id silentio inuoluendum modo. Aliter quoque Alexander dicit, & sic sentit, videlicet sonum gigni in prima aeris parte, hāc vero immittere in succedentem continuā, & istam in aliam donec in vicinā obstaculi perueniat sonus & vox eiusdem figuræ, quæ pars repercutitur impulsa ab obstaculo, & reijcit successiue in partes donec in vicinam percutienti, eidentique sonum terminetur & ita fit echo sonus latus & relatus eodem, vnde discessit. Aduersatur Alexandro Simplicius dicens ex quo prima pars aeris immittit sonum in proximam, vtrum illa percutiat proximam, si non percutit, quomndo sonus immittitur in illam, siquidem non sine ictu editur sonus, preterea si prima aeris pars percutiendo immitteret sonum in proximam, aer non esset infractus vnus, quinimo diuisus. Quocirca sentit Simplicius non posse immitti sonum in aere sine percutiente, & non sicut color presentia lucis mouebat diaphanum, quare oportet vt aer prior sequente feriat verberetq; si debeat immittere in illam sonum, ob id tertium modum cogitauit totum aerem contentum & circumscriptum lateribus continentis a solidis percussis affici sono sic tamen vt ex prima parte diffundatur ad alias sicut gutta olei primam partem maculat deinde mox diffunditur latius. Quod ita sit, ostendit Simplicius signo, quod omnes audiunt sonum, & plus propinqui, & ita aer remanet vnus in fractus continuus, cum porro idem aer a solido obstaculo repercutitur reddit sonum similem priori, & ita fit echo, non quod solidum nouum sonū edat, sed quod lene, cauū, solidum adiuuat repercutiendo, & conseruat sonum figuratum priorem in eodem aere cōtinuo infracto donec resonet ad aures, sed subtilis hic modus vix intelligi potest. Quartus additur, vt sonus edatur in aere contento lateribus continentis diffusus ad modum spheræ per circulationes, & giros aeris. Nam ictus fit in parte aeris vt in centro, vbi sonus primum, & postea diffunditur per circulos aeris, vt fit a lapillo proiecto in aquam vbi est centrum circa quod varij gyri fiunt aquæ vsque ad certum spatium, sic arbitrantur vbi fit ictus edi sonum, & circa eum aerem fieri gi

rationes sono affectæ, hasq; procedere donec obstaculum offenderint a quo denuo repercussæ in centrum finiant, & ita sonus in aere reuertitur cum girationibus repulsis ad locum auditus, & ictus, sed illud mirum quod omnes in eo spatio audiunt echo, nisi rectius qui permanent in eodem loco vbi edita est vox, & sonus. Aliud mirum quod aliqua spatia semel echo reddunt, aliqua bis, ter, quater. Ticini erat saba seu spatium conclusum quatuor parietibus quadrangulum cuius duo latera longiora reliquis duobus fere bis, & paulo plus cum multis fenestris, vbi si quis vociferaret vocem literatam, aut illiteratam sex vicibus echo audiebatur. Causa quærebatur non echo, sed cur tot vicibus replicaretur. Credebatur ex numero fenestrarum, & trabum supra seu lignorum intermediorum tot reflexiones effici, & inde tot echo, seu resonitus. Verum dici multa possent sed auctioribus hæc pensitanda inuestiganda relinquantur. Echo generatur ex repercussione eiusdem aeris affecti sono, & quoniam duplex echo alter euidens de quo dictum est, alter non euidens, quæ semper fit, licet non audiatur, quinimo semper in quouis sono, & quauis voce fit echo, & si non audiatur adeo vt cum loquitur quisque, semper echo fit, ob id persequitur author vtrunque echo distinguere, & exemplo hominis exprimere quod vult. videtur autẽ semper fieri echo, resonitus, quia semper fit repercussio aeris ad aliquid repellens aerem sono affectum, sed non accidens, quia debiliter fit, aut cito deficit, aut continuato in longum sermone vel sono non potest echo reddi, ob id breues soni resonant auditi, longi autem non finiunt echo percipi. Hinc elicitur duplex echo euidẽs, & nõ euidẽs similitudine lucis, & quæ nõ euidenter reflectitur & si reflectatur. Inquit author siquidem vt lumini contingit, ita & sono. Nam lumen semper refrangitur siue recta ad oppositam partem, siue ad diuersa, vnde duplex refractio recta per idem iter ad oppositum & obliqua ad diuerticula diachlasis dicta græcæ, iccirco prospectiui refractionem radiorum perpendicularem aducere dicunt, vt fit in speculis comburentibus apposita stupa ad centrum speculi quo incidunt radij solis. Sed refractionem radiorum obliquam non vrere aiunt, lumen ergo semper refrangitur, & in refractione secundarium lumen efficitur a primario diuersum. Quod si negaueris semper refrangi, illud absurdum sequitur quod lux non vndique foret, sed tenebræ extra locum apricum, scilicet expositum soli contra euidentiam, siquidẽ lux est quo lumen rectum solis nõ prouenit, & illa lux est accessoria ex refractione lucis obliqua. Nam lumen vsque ad spatia porticus pertingit solis, attamen intra porticum videtur non ob lumen solis quando intra porticum non recipitur, sed ob refractionem luminis, quare semper lumen refrangitur, & ne obijciatur ad hunc modum nunquam fore vmbram, si semper lux refrangitur addit sæpe non refrangi a lenibus & ab aere, & aqua, sed ab opaco, iccirco vmbra fit, & refractio non euidens qua parte lumen definimus, æque dicendum de echo, quæ semper fit & euidens si sonus repellatur a leni duro concauo. Et obscuro, si non valide reflectatur nec aer verus constat, sed quo ad lumen semper refrangitur, & semper echo fit, signo quod homo audit se loquentem. Hæc de ortu ipsius echo. Dubitat Philoponus quomodo soni species incorporea reflectatur, cum reflexio sit affectio corporis. Respondet soni speciem reflecti reflexione aeris, in quo inest.

## Contex. LXX.

*RECte dicitur inane author audiendi, si aer videtur inane esse. Is quidem facit audire, quando motus fuerit continuus, & vnus, sed quia fragilis est non resonat nisi lene adsit quale percutiatur. Tunc autem vnus fit ob planitiem. Nam vna est lenis planities.*



ADIVNGIT iam asserto huic quod sonus non potest fieri sine materia aeris testimonium Democriti, & aliorum qui dixere inane authorem soni audiendi reputantes aerem esse illud inane, & id bene, & si non bene reputarint aerem inane esse cum aer sensilis habeat qualitates, & corporeus sit; sed quomodo aer sit author audiendi & causa efficiens cum esset materia geniti soni, & medium delatiuum, quale applicatum sensorio immittit in illud speciem soni & facit audire. Dicimus aerem esse materiam soni edendi, & concausam efficiendi, sed effectricem causam audiendi soni recepta illius specie, ideo aer triplici officio fungitur materiæ

materiæ recipiens sonum, medij, cum defert, efficientis cum specie soni affectus mutat sensorium, & sensum, nunc de isto tertio officio est sermo, qui asserit aerem causam audiendi soni effectricem, cum sit soni generandi materia prius, iccirco quomodo sit eiusmodi causa subditur. Is qu idem facit audire, & non dicit sonum facit, quia sic est materia & solum coagit, sed causa efficiens est operationis audiendi quando aer motus fuerit, & tum continuus sine interceptione, & diuulsione, & vnus vsque ad sensorium, idest ad aerem intra aures, membranam, ac neruum auditorium. Et quia quis diceret si author est aer audiendi, cur non efficiendi soni, ideo adiecit, sed quia fragilis est non resonat, idest non est author soni, sed materia, ob id lene adsit, oportet quale percutiatur, & cur lene non asperum, non scabrum, squammosum, &c. quia tunc aer vnus sit ob planitiem non eminentem, nec depressam, quibus aer distraheretur, & vnus conformis, & continuus non foret. Planities enim lenis polita tersa vna est, & conformis, iccirco aerem vnum reddit, & continet. Quare aer est materia soni edendi, sed speciei spiritualis eius medium delatiuum, quale applicatum sensorio immittendo speciem eius in eo, & sensu author est operationis audiendi quare lene durum est causa efficiendi soni, & aer materia, qui delatiuus ea parte speciei soni ad sensorium est causa efficiens.

## Contex. LXXI.

*AVthor itaque soni est id, quod mouere potest aerem unum continue usque ad auditum, qui est aeri insitus, Quoniam id in aere est exteriore moto quod intus est, mouet. Quocirca non ubique animal audit, neque quocunque aer pertransit. Neque enim ubique habet aerem pars illa, quæ moueri debet & animatum, sicut nec pupilla ubique humidum.*



DIXIT de proximo agente auditum videlicet de aere medio, & de agente soni vtpote de corpore leni, terso, nunc definitur agens soni audibilis cuius definitionem probat euidentia. Definit Aristotel. hoc modo. Author itaque soni audiendi qua audibilis est id, quod mouere potest aerem vnum, vel aquam vnam infractam, & continuam, cum sit nunc sermo de medio deferente, & traiiciente speciem soni, continue, ne intelligatur aer vnus ratione, vel indiuisibilis primo libro physicorum contra parmenidem, sed vnus continuus vsque ad auditum. Hic author est lene corpus durum. Dixit auditum sensum, vel operationem pro sensorio primo, ideo subiecit, qui est aeri insitus, sensorium illud est aer connatus auri intra corneolos auris vicinus membranę, & hic est primum sensorium ad quod peruenisse aerem medium sat est, cum postea aer connatus membranam feriat, hæc neruum, hic denique transmittat ad sensum. Declaratur deinceps quomodo aer medius defert speciem soni ad aerem connatum. Quoniam id sonus est in aere exteriore moto extra aures, & meatus auditorios quod intus est, scilicet aerem connatum auri sensorium primum mouet, & hoc apud Philoponum spiritum in ipsa membrana collocatum afficit, Aristotel. non dat hanc speciem. Quinimo nec Galenus author spiritus visiui, sed non auditorij, Simplicius ab aere externo deferente affici aerem connatum animatum præditum facultate audiendi, sicut humor crystallinus ętat summum instrumentum videndi animatum ad cernendum. Quod vero aer exterior moueat aerem intra aures connatum explicatur euidentia, quia ea parte solum animal audit, & non alia, cum ibi sit aer congenitus sensorium audiendi. Confirmat item ex eo quod aer exterior non quocunque penetrat corporis deferendo speciē sensilium. Quinetiam neque vbiq; corporis est ille aer cōnatus mouendus ab externo aere, sed sicut humor cristallinus videndi instrumentum est in oculo solum, ita solum in aure est aer ille connatus, ea igitur sola parte auditur dum exterior aer defert soni speciem ad illum aerem, & inde ad membranam ad neruos auditorios, & ad facultatem sentiendi, legito quia clara sunt. Aduerte aerem innatum auri non moueri motu locali, quia paulopost affirmabit Aristotel. illum immobilem, sed mouetur, quia alteratur, perficitur. Aduerte item aerem illum connatum corrumpi, & iccirco morbi creantur ob sibilum, & tintinnitum in aere, & ita corrumpitur auditus, & afficitur.

Quini-

Quinimo senescit hebetatur ob id auditus senibus. Quinetiam a vehementioribus sonis læditur cum aer exterior impulsus fortiter protrudit illum, quod ne sæpe fiat natura prouidit ædificando aurem intus cum an fractibus, corncolis, tortuosisque & obliquis meandris, vt aer exterior gelidus, calidus, aut cum impetu non irruat, & dispergat aerem illum, & alteret. Etiam illa eiusmodi fabrica facta est, ne culices, tafani, muscæ, & id genus incidentia in aures contaminēt vim auditoriam, sed arceant, & præsertim in aqua, ne illa confertim penetret ad membranam, & neruum. Aer ergo ille in aure cum meandris, & tortuosis partibus ad custodiam sensus, & ad modum feriendi auditum datus est sicut propugnaculum, vt humido cristallino præposuit albugineum, corneam vestem ne facile lęderetur, ita muniuit illis præsidiis membranam intus in aure, & neruum. Sed quis peteret an in auribus sit ille aer? Respondebis quinimo, quia non vacuum ibi, vt nullibi est, ac signo, quod si quis cornu immittat in aure, aut superponat palmam manus sentit strepitum, & sonitum cum aer percutiatur a lateribus & manu petens continuitatem cum exteriori aere. Quinimo medici coniiciunt sanum auditum ex illo strepitu protrudente digito aerem illum, qui a lateribus ictus edit strepitum. Quare vt supra habuisti generationem soni simpliciter, sic nunc habes ortum soni audibilis, qua audiri potest, & auditur.

## Contex. LXXII.

*AEr autem sono caret, quoniam facile frangitur, qui vbi frangi prohibeatur, motus eius sonus est. Sed aer in auribus fabricatus, immobilis est, vt exacte omnes differentias percipiat motus, ob hæc etiam in aqua audimus, quia non accedit ad ipsum insitum aerem, neque ad aures propter conuolutiones. Cum vero id acciderit, non audit. Ac neque si pellicula laboret, ceu cum pellis supra pupillam laborat. Indicium audiendi, & non audiendi est, quod auris semper sonat ut cornu, siquidem proprio motu semper aer mouetur, qui est in auribus attamen sonus est alienus, & non proprius. Quocirca aiunt audiri inani, & sonante, quia audimus eo, quod habent determinatum aerem.*



VOD prima efficiens causa dicebatur soni solidum lene, icciirco subiungitur id non posse dici aerem, quia non solidus, sed facile frangitur. Nunc porro caue intelligas aerem sono carere tanquam susceptiuum, quamquam id verum sit, tamen hoc loco id non dicitur, proinde error Philoponi deprehenditur dicentis de susceptiuo, & delatiuo sicut coloris expers erat recepturum colorem. Multo ergo melius Simplicius aduertit dicens Aristotel. solere tam efficientem causam, quam facultatem receptricem expertem soni, icciirco aer siue quoad actionem, siue quoad receptionem expers soni est. Aer autem sono caret, idest non potest edere solus sonum, quia frangibilis est. Rursus sono caret si debet illum recipere quia omne recipiens caret recipiendo, sed dicet quis quomodo aer admittit sonum, & edit? ob id additur, qui vbi frangi prohibeatur, prohibetur sane frangi, cum collectus, & vnus continuus a plano solido leni, vel concauo coercente, & continente celeriter percuriente vel percusso ita, vt percussio præueniat fractioni aeris, & cessioni, aut fugæ, tum sane motus eius, idest ictus, & alteratio sonus ęst, ob id virga viridis percutiens aerem editur sonus ab aere, quia remanet infractus, & vnus resistens cum omnis aer circuncirca concurrat ad resistendum virgæ scindenti continuitatem aeris, & ita vis vnita edit sonum. An aër in ictu moueatur localiter? Crediderim etiam eo moueri motu, & plane cum defert speciem soni ad sensorium. Quinetiam cur aer frangatur, cedat, dissipatur localiter mouetur. Contra autem ille aer insitus auribus immobilis est, qui vitalis, & animatus, ac sensorium dicitur, vt exacte omnes sonorum differentias percipiat, & si recipit omnes differentias soni, ergo omnibus caret ex dictis. Quinetiam si aliquem proprium sonum obtineret vel omnes alios expelleret præcipue si acutum, grauem recusaret vel non omnium esset sonorum capax, non enim quem habet, atque si proprium haberet, & reciperet alios confunderet eos, vt fit in externo aere dum superuenit sonus alijs existentibus, sicut in musica, & concentibus accidit. Quare ille aer sensorius immobilis loco. Nam animatus est, & vicinus membranæ intra aurem moratur, nec egreditur, nec reciprocat, vt exterior aditus, & reditus, licet altere-

tur ab externo admittens speciem soni, & patiatur passione moderata, neque ab aliquo sonante afficiatur vehementi alioquin corrumperetur. Sed aer in auribus fabricatus immobilis est loco, & vehementi alteratione si fit auditus, & immobilis est ad hunc finem, vt exactè omnes differentias percipiat motus, idest soni, alioquin quomodo perciperet motus omnes, & esset immobilis, sed quis quæreret quomodo aer exterior non ingrediens aurem, sed tangens aerem illum conatum non mouet illum loco? Atque quomodo est immobilis, si digito imposito intra aurem protruditur, & a lateribus auris ictus sonat, vt cornu. Nisi in contractu externi aeris consistat, & recipiat solem speciem soni spiritalem, quia non est actio corporea hæc, iccirco non mouetur loco aer ille. Nisi item immisso digito vim patiatur & violento motu cieatur, cum sermo sit Arist. de immobilitate eius naturali. Nisi item sit immobilis non simpliciter, sed motu aeris externi, cum intra aures cohibeatur. Comprobatur deinde aer ille in auribus esse immobilis in sono audiendo per aquam, & in aqua, quæ non adit meatus auditorios, nec aerem illum, qui solum excipit speciem soni. Ob hæc etiam in aqua audimus, quia non accedit ad ipsum insitum aerem aqua. Confunderet sensorium, hebetaretque sensum, humectaret, infrigidaret si aqua non ingreditur, neque aer exterior gelidus, calidus adit, sed solum immittit speciem soni in eo sensorio, & quando posset aqua ingredi, siquidem medici conficiunt aquas & olea immittunt in meatus ad dolores aurium, & dentium non sine læsione aeris innati, iccirco abstinendum his remediis, & nisi vrgente maxime causa adhibenda, attamen non penetraret altius aures propter conuolutiones, anfractus, & meandros contortos, obliquos, pene inuios, qui qua de causa fabricati sint paulo supra diximus. Hinc liquet quod meatus auditorij piscium sunt completi aere illo innato. Quod si aqua occuparet illum aerem, & eum locum nullus erit auditus. Cum autem id acciderit, non audit, quia læditur sensorium, iccirco dixi abstinendum iniectionibus oleorum, humidorum in aures, quibus vtuntur medici, neque si pellicula, membranaque media inter aerem innatum, & externum complexa illum laboret hoc est egra fuerit intemperie, vel solutione continui, siue pellis supra pupillam cum laborat visio oblæsa est, & manca. Pupillam intelligit foramen vueę per quod ingrediuntur species visionum, & pellem accipit corneam continentem humidum cristallinum, quæ corrugatur, densatur, cicatricibus læditur, & suffusionibus, & vt cunq; ad medicos attinet, sed præclare cum sordes item aures inducuntur, & velut gypsum sit impeditur auditus ex eo, quod non permittunt ab aere externo innatum accipere speciem soni. Rursus confirmatur in aure innatus aer primum sensorium ex signo audiendi, nō audiendi, quia auris semper sonat, sed auditur immisso digito, vel manu operiente, quia aer intro pellitur & percutitur a lateribus & sonat bombum, qui auditur, alioquin semper sonat ille aer & si non audiatur, propterea quod requiritur vehementior ictus ad auditum soni, cum vero sentitur ille bombus signum est salutis auditus. Verum crediderim aerem congenitum esse post membranam, huncque omnino immobilem & non percuti a lateribus, aerem autem ante membranam intra anfractus, & meandros illos digito, vel manu cohibitum, & pulsum, a lateribus ictum rugitum edere, & bombum, qui admotus aeri post membranam, & receptus sensum mouet, & fit auditus eius, & sic sonat ille aer, vt cornu, ob aerem inclusum, qui exire cum non possit percussus ad latera flexa adit sonum & cum sonus fiat cum motu, ideo probat ex eo sonare aerem intra aures quia proprio motu semper mouetur ille aer. Siquidem proprio motu semper aer mouetur, qui est in auribus ante membranam, sed id quomodo si supra immobilem dixit? Philoponus dicit immobilem motu ab alio non egrediendo, redeundo, neque cedendo & nouo adeundo. Sed proprio motu cietur, intus manens. Atque mouetur motu proprio animati, nec non in deferendo speciem soni ad neruum, & sensum, sed quis diceret si aer semper sonat, ergo erit proprius ei, ob id dicit & si semper aer intra aures motu proprio moueatur, tamen non proprium ex se edit sonum, attamen sonus est alienus a cornu admoto auri, a digito, manu, a solido factus, & non proprius, alioquin nullum alium sonum reciperet quia intus existens prohibet extraneum, aut non omnes sonos, aut confunderet alios, confirmat non esse proprium sonum verbis veterum, sed sonantis & non aeris. Quocirca bene quo ad hoc aiunt audiri inani, & per inane & sonante, quoniam audimus eo, quod habet determinatum aerem idest constantem, firmum, continuum, non frangibilem, & minime vt Philoponus, & Simplicius intelligunt de aere innato viuaci animato sensorio.

Contex.

## Contex. L X X I I I.

*V Trum sonat verberatum, aut verberans, aut ambo, sed modo diuerso sonus enim est motus eius, quod moueri potest eo modo, quo quæ a lenibus resiliunt quando quis pulsauerit. Neque (vt dictum fuit) omne verberans, & uerberatum sonat, ceu si acus percusserit acum, sed oportet verberatum æquale esse ita, vt aer collectus resiliat, & concutiatur.*



IRVM quod dilata sit hæc quæstio vsque ad hunc locum, siquidem principio erat diiudicanda cum dicebat sonum ictum alicuius ad aliquid in aliquo, & diuersa esse verberans, & verberatum, nisi aptior sit locus hic vbi de sonante fit sermo Tripertita quæstio. Vtrum sonat idest causa soni verberatum aut verberans, aut ambo, sed modo diuerso, Dices sæpe non internosci quale sit verberans, & verberatum, ceu si ambas manus pulsaueris non internoscitur an dextra, an sinistra sit, & maxime si ambidexter quis fuerit. Respondebis facile alterum in his assignari verberans, & alterum verberatum, præcipue si altera manus steterit, & alia admouebitur, quod si vtraque simul admouebitur non pariter, nec æqua vi, quod si æqua vi in ambidextro, non tamen æque velociter. Cæterum sentit author vtrinque verberans, verberatum edere sonum modo diuerso, siquidem verberans actiue & mouet verberatum patitur, & mouetur, atque verberans aerem pellit, verberatum cohibet, ne diffugiat. Quod vero ambo verberans verberatum conueniant ad sonum e definitione soni exprimitur. Sonus enim est motus eius idest aeris collecti, quod potest moueri eo modo, quo quæ a lenibus resiliunt, quæ a lenibus resiliunt ob planitiem, quando quis pulsauerit, ergo & pulsans, & quod pulsatur seu percutiens, & percussum esse necesse est, & hæc lenia, ne inter asperitatem & meatus dispergatur aer, quo iure spongia non edit sonum, nec scabra, aspera sed lenia, tersa, quæ aerem collectum non dispergunt, nec discindunt pila si in murum proijciatur non lenem, aut non æque rectum, sed obliquum non resilit, contra in lenem occurrens retro pellitur. Postremo cupiens author conditiones verberantis, & verberati referre subiungit oportere vtrunque lene esse plenum non acutum aut concauum. Neque (vt dictum fuit) omne verberans, & verberatum sonat, ceu si acus percusserit acum, sed oportet verberatum equale esse, idest planum, non acutum, & subtilissimum, sed latum saltem verberatum, quia verberans potest esse acutum, vt fit in cilindris. Qui enim percutiunt cylindros, cimbalos subtilibus ignis latam membranam cylindri verberant, & quoniam nimia latitudo sæpe impedimento est, declaratur quanta esse debeat ita, vt aer collectus resiliat, & concutiatur. Resiliat præ celeri ictu præueniente aeris fractionem, & concutiatur in concauis sonantibus, vt in campana.

## *De differentijs soni acuto, graui.*

## Contex. L X X I I I I.

*D Ifferentiæ sonantium in sono actu comprehenduntur. Vt enim sine luce non cernuntur colores, sic nec acutum, & graue sine sono. Hæc per translationem a tactilibus dicuntur. Acutum quidem sensum mouet multum exiguo in tempore. Graue autem parum multo. At non est velox acutum, nec graue tardum, sed fit illius ob celeritatem talis motus, & huius ob tarditatem. Videtur porro habere proportionem cum acuto, & obtuso circa tactum. Nam acutum velut pungit, obtusum autem velut quod trudit, cum illud moueat in paruo, hoc vero in multo. Quare accidit huic velox esse, illi vero tardum. De sono igitur hac ratione sit definitum.*

DE soni genere supra, nunc de speciebus, quas si appelles differentias non refert. Nam differentia addita generi constituit speciem. Plato has vocis differentias in Timeo dixit, vt quoque Gal: nus secutus Platonem, & si ambo defecerunt prætermittens dicere de sono prout decuit. Differentiæ sonantium, seu sonorum non in sono potentia, qui effici possit nondum factus, aut factus, qui nondum auditur, sed in sono actu facto, & audito. Comprehenduntur, declarantur. Atque declarari in sono actu probatur similitudine. Vt enim sine luce non cernuntur colores differentes, quæ lux facit actu mouere diaphanum, & actu esse colores perficientes, sic nec acutum, & graue sine sono actu. Addit Simplicius vt lumen diuersum a colore, ita sonus a graui, acuto quod minime verum. Nam color non est lumen, sed tamen acutus sonus, & grauis est sonus, præterea lumen efficit colores esse actu, non autem sonus perfectio sola. Et cum desunt propria nomina latentibus solemus fingere, aut per translationem illis vti, ob id soni dicuntur acuti, graues metaphora ducta a tactilibus. Acutum in tactu celeriter operatur in breui tempore, vt ensis acutus citius penetrat, quam obtusus, & la tior, cum hic tarde penetret non pungens, sed trudens, vt claua, pistillus ob id acuta edunt, quæ cito penetrare volunt, obtusa vero, quæ lacerare, & trudere statuunt, proinde ait. Hæc per translationem a tactilibus dicuntur. Definit acutum sonum. Acutum sonum dicimus eum qui sensum mouet multum, idest vehementer sensum, & confertim mouet exiguo tempore. Graue autem parum non vehementer, sed sensim, & obtuse multo tempore vt fit in quarta voce concentus musici, & in vltima crassiore chorda fidium, sicut tensior chorda subtilis nete acute sonat quia subtilior, & quia minus aeris capit, & icirco paruo tempore mouent, sed sonum multum faciunt ob extensionem. Chorda vltima crassior minus extensa plus aeris capit, icirco tardior est, cum ergo e metaphora acuti, & obtusi in mole depromit acutum, & graue deinceps reprehendit Platonem, qui acutum per velocitatem describit in Timæo, & graue per tarditatem inquiens. At non est velox acutum, nec graue tardum contra Platonem, sed fit illius acuti velocitas ob celeritatem talis motus acuti ita, vt accidat velocitas motui acuti, & huius grauis ob tarditatem talis motus, ita acuta accidit velocitas sono ob eius motum colorem, sicut videtur cum vox acuta breui longum spatium transit, & tarditas accidit graui sono ob motum eius paucum in multo tempore. Quare laudat graue, & acutum depromi secundum proportionem rerum tactilium. Et videtur pro portionem habere, idest similitudinem cum acuto, & obtuso circa tactus. Nam acutum tactile velut pungit, tranat altius, penetrat, sic sonus acutus pungit auditum, & altius penetrat, & cito. Obtusum autem velut quod trudit, nec altius tranat, nisi sensim & diu. Acutum illud mouet in paruo tempore alius penetrans, alterum vero obtusum mouet in multo tempore. Quare accidit huic, acuto velox esse, quia accidit motui eius, illi vero graui accidit tardum, quia accidit motui eius, epilogus. De sono igitur hac ratione, hoc est qua physici est inuestigare originem soni, & quomodo per medium audiatur a suo sensu, aut qua audibilis sit definitum. Alia ratione tractatur a musico, ab alijs. Cæterum si quis speciatim cuperet agi de sonis ceu de tonitruo, de stridore ventorum, de strepitu cicade, de sonitu fluentium aquarum, & vndarum maris, & tempestatis, de fragore arborum, de sibilo, naturali ex labris, & artificiali cum tubicula, de stridore in findendis telis panno necnon de multis alijs atque de musicis per organa varia longa esset oratio, & tandem nullus sonus sine aere effici potest, nec bombardarum bombos, aut scoplettorum, aut quouis modo percutientium. De his passim scriptores differunt, nunc ad vocem accedendum.

## *De voce.*

### Contex. LXXV.

*VOx autem est sonus animati, siquidem nullum inanimatorum edit vocem, & si ob similitudinem dicuntur vocem emittere, uelut lyra, & tibia, ac quæcunque alia ex inanimatis habent extensionem, concentum, locutionem. Nam vox hæc habere videtur, multa enim animalia vocem non habent, ceu quæ sanguine carent, & ex habentibus sanguinem pisces, idque non citra rationem, siquidem sonus est motus aeris. Qui vero dicuntur edere vocem, vt in Acheloo pisces, branchijs sonant, vel aliquo alio huiusmodi.*

De


E voce musicus, orator, tragedus, medicus, physicus Philoponus tractant non eadem ratione Plato in Timæo. hoc loco Arist. naturam, & quomodo fiat, audiaturque differunt. Musicus ad concentum, Tragędus ad affectum, medicus de morbis partium vocalium oris, palati, collumellæ, laringis, epiglogis, asperæ arteriæ, pulmonum, pectoris, thoracis, ac de vitijs vocis raucæ, interceptæ, clangosę, ammissæ, asperæ, lenis & similium, necnon de simptomatibus de tussi, singultu, sternuctatione, expuitione cum raucatione de purgatione narium, de suspirio, gemitu, oscitatione, crepitu, & similibus sonis? Orator aut tractat voces claras, mites lenes, magnas &c. ad commouendos effectus & grammaticus literas vocales semiuocales, tenues, & congruas incongruas considerat. Munus autem naturali philosopho demandatum est spectare naturam vocis vnde oriatur, quomodoque fiat, & audiatur. Medicus vel stat dictis philosophi, vel in his persequendis fungitur officio eius, vt Musicus, orator, & alij. Reliquum vox est species soni, de qua nunc agitur. Etenim sonus est animati. Et prius fuit dicendum de genere, quam de specie seruato ordine a communibus incipiendi, Aduerte Arist. disseruisse de differentijs vocis cap. 7. quinti libri de partu animalium, De voce. consilium dicendi. Describitur primum. Vox autem est sonus animati. Sonus generis loco, & cum idem sit animatorum, & inanimatorum, differentia illa, animati, separat vocem ab omni sono inanimati, & si metaphorice sonus quidam inanimatorum dici solent voces, vt vox pulchra lyrę, clara, atque tibiæ, seu fidium, & similium. Nec cuiusuis animati proprie est vox, non arborum, non stirpium, quæ vegetalem obtinent animam, nisi translatione quadam, nunc animatum intelligitur sensitrice anima, & non quoduis, sed cui natura dedit instrumenta vocis. Nec ostreæ, patellæ, quæ putri materia multa nec pisces, nec sanguinis expertia vocē edūt, quinimo nec omnia habentia sanguinem, & anima intellectrice, vt homo, cui & sermo cum significatione datus est. Probatur vox animati esse siquidem nullum inanimatum edit vocē, proprie, & vere & si ob similitudinem dicuntur vocem emittere, velut lyra, tibia, & quæcunque alia instrumenta cum homo sua attribuit alijs, Homini solitum suos affectus attribuere alijs, & imaginari ea etiam aliorum affectus esse suos, icicirco metaphorice aliorum voces dicit, & eorum inanimatorum, ex inanimatis quæcunque extensionem habent, concentum, locutionem. Extensionem alij vocant interuallum vocis, alij expansionem alij tonum, alij rythmum, alij numerum longum, breuem, icciro veteres extensionem longam dixere productionem cum plurimo tempore fit vel longiore, & breuem contractionem, que breuiori tempore fit, vnde grāmatici breues literas, & longas ac dictiones aiunt. poetæ extensionem considerant in dictionibus longam, & breuem concentum, harmoniam putant in acuto, & graui dum bene consonant, vt in diapson, diapente, diatesseron, & similibus concentibus. Musica triplex mundana in proportione spherarum, interuallorum, & motuum, de qua pluribus disserui in nostris commentariis secundi libri de cęlo, alia humani corporis in simmetria elementorum mixtionis, & humorum, ac partium, similarium, dissimilarium. Tertia arte ingenioque sonorum per instrumenta, & vocum animalium. Vidi, audiui concentū quendā effici ex vocibus animalium, quamuis illa non arte conuocarent, attamen casu simphoniam fecere ex graui media, & acuta voce, & cygni præcinunt suauiter mortem. Sed vsurpatur vox pro sono, vt dicuntur organa, tubæ tibiæ habere bonam vocem, similiter quæ ictu edunt sonum digitorum cithara, leuthum, idque genus, Simphonia & consensus vocum, vel concordantia præsertim. locutione metaphorice loquuntur inanimata dicto supra modo, tametsi quædam animalia. Psitacus, pica, sturnus, & id genus auium, quæ discunt edere voces literatas ab hominibus nihil significantes apud illas, sed apud homines. Aduerte hæc tria dici extensionem, seu expansionem, dissentionem græcæ apotasim inueniri in quibusdam instrumētis sine melo, & cantu sonoro, vt in tubis auctionandi, & præuijs belli & maxime si longæ fuerint, vt apud venetos quæ ante ducem euntem ad ecclesiā sonant, & cylindri eius generis, in quo etiā sunt alia vocalia, animalia, vt leonum, luporum, asinorum, cęterum, & similium pedestrium voces, & volatilium, ansorum, ciconiarum, gallorum, columbarum, gallinarum, hirundinum, idq; aliorum genus, Aliquando inueniri etiam extensionem cum męlo, & cantu, vt luściniæ auicularum quarundam & passeris solitarij similiumque. Aliquando extensionem, melon, locutionem simul videntur habere maxime aues loquaces, garrulę docet Arist. inanimata hæc metaphorice in sonis edere a similitudine vocis, Nam vox hæc videtur habere, hæc nimirum tria prædicta. Reliquum quia dixit vocem sonum animalis, ne cuiusque animalis censeas, subdit. Multa enim

animalia vocem non habent, vt quæ non reſpirant,& pulmonibus carent ſed horum loco Ariſt. dixit,ceu quæ ſanguine carent,hæc perſpirant meatibus muſculorum,& ventilant, ſed non reſpirant,nec ob id omnia habentia ſanguinem vocalia ſunt, vt piſces. Et ex habentibus ſanguinem, piſces quia non continent aerem in organis. Viuunt in aqua, vnde aluntur etiam. Idque non citra rationem,hanc ſcilicet ſiquidem ſonus eſt motus aeris quo carent defectu vocaliũ inſtrumentorum, & ore aerem non poſſunt trahere, quia aqua impletur, quare non edunt voces defectu materiæ vocis,quæ aer eſt,& defectu inſtrumentorum vocalium. Et quoniam vulgi opinio eſt piſces in Acheloo flumine edere voces, obſtat opinioni dicens eos piſces branchijs ſonare vel alio inſtrumento ſed non emittere vocem. In 4. libro de hiſtoria animalium hæc Ariſtot. Aper etiam piſcis, quem Achelous flumen gignit, vocalis habitus eſt, ob id ait. Qui vero dicuntur edere vocem,vt in Acheloo piſces, Branchijs ſonant, vel aliquo alio huiuſmodi, ideſt ore cum extrudunt aquam fortiter,aut alis,velut remibus & cauda. Achelous fluuius eſt in Europa terminus Epiri in minore Græcia e Pindo monte oritur, tranſitque per Aetholiam, defluit item in mare Adriaticum non longe ab iſthmo Corinthiaco vltra Ithacam Inſulam, de quo Strabo lib. 7. & Ptolemæus decima Europæ tabula. occurrunt dubia, quia aliqua expertia ſanguinis animalia edunt vocem, vt ſcarabei, Grilli vulgo. Cicade, muſcæ, crabrones,apes,veſpæ,ranæ,tafani,locuſtæ,ichneumo,ſerpentes ſibilant. Ferunt in mari Caſpio genus piſcis volatile, velut anſer vocẽ emittere, De ſcarabeorum ſtridore illud,quoniam percuſſione ventris cum alijs, & pedibus cient ſonum,videri autem nobis vocem ita,vt quidam delectentur illorum ſono, & eos alunt inter gabiolas. Cicadæ ex Ariſt. 4. libro de hiſt. animalium alis feriunt præcinctum, vt ventilent ſe præ æſtu magno, Tum calor in aere ingens,& quia ſunt duræ corticis, habent ob id corpus non perſpirabile,iccirco aerem mouent alis ad præcintum ſui corporis,qui aer vehementer ictus edit ſtrepitum, quem vocem cicadis vulgus putat, Muſcæ volando bombum reddunt non vocem, vt ſagittæ iactæ,& pali faciũt, Crabrones item alis,& pedibus ſonum edunt. Apes, veſpæ ſimiliter. Ranæ,vt in Ariſtophanis comędia vomentes edunt ſonitum etiam alis percutiendo, & cruribus aerem. Tafani,vt muſcæ faciunt. Locuſtæ plane alijs & tibijs ſonitum edunt. Obſeruabis, & dignoſces Ichneumo de quo eſt mentio in octauo libro de hiſtor. animalium congregat ſerpentes ſibilo facto ex contractione partium oris non emiſſo per guttur, & vocalia inſtrumenta. De illo genere piſcis in mari Caſpio dixerim aquatile,& volatile eſſe cum in aere eſt vocem edere, quam non reddet in aqua,vt delphinus,equus marinus,cocrodilus cum enatant ad ſumma pelagi edũt ſibilum,& ſemiuocem,reuerſi ad aquam ſilent,& muti ſunt. Cæterum materia vocis eſt aer inſpiratus,vt ſoni aer ſimpliciter. Quare natura aere vtitur ad duo ad anhelitum, & vocem, Et Plato in his. Omnino igitur vocem ponamus pulſationem quandam ab aere per aures cerebrumque & ſanguinem vſque ad animam penetrantem aſſeruit materiam vocis aerem in habentibus ſanguinem animalibus, idque in Timæo. Galenus ſecutus Platonem non ſimpliciter aerem facit materiam vocis,quinimo nec reſpiratum nec expiratum,nec inſpiratum ob mobilitatem nimiã, ſed efflatum. lib. 7. de vſu partium corporis humani,& cuiuſmodi declarat lib. 6. dicens aerem inſpiratum ad cor tranſmiſſum, vbi expiretur tanquam inutilis, & deferens fumos extra, pars eius ad efflationem apta fit materia vocis,idque perpetuo tenet Galenus, ſed id erit poſtea illuſtrius.

## *Caput dubitandi, & diiudicandi.*



N dubium venit, quia credendum cuique artifici in arte ſua. Tibicines, & Muſici aiunt tibias, cornua edere voces. Niſi ducti ſimilitudine vocis humanæ dicant, & ſi homines præſertim ſcurræ imitari conantur voces, vel ſonos tibiarum & animaliũ. Audiui ſcurrã lepidiſſimũ effingere voces mulorum, animalium, & idiomata gentium. Habes comędias Ariſtophanis voces mulnis deranis,& auibus. Vetus igitur imitatio. Secundum dubium. Crocodilus fluuiatilis edit vocem atque æquus fluminis. De ſirenis fabulæ. Meretrices erant in parthenopęa regione. Et de crocodilo, & æquo ob ancipitem vitam in aere, & aqua vocem elici putant: Tertium dubium de Nereidis humanæ effigici,quos accolæ gannire audiunt Plinio teſte libro nono cap. 5. Hæc hiſtoria non credibilis homini philoſopho. Quartum dubium. Quæcunque animalia ſpirantia vocem edere queunt. Piſces

ſces

sces spirant argumentis Plinianis. 9. libri cap. 7. propterea quod loco, & vice pulmonum habent alia viscera, sicut multa continent humorem vitalem loco sanguinis. Adde pisces anhelare, oscitari per summos æstus maritimos, Ac dormire pisces in confesso est etiam apud Arist. libro 4. de historia animal. sine respiratione autem nullum animal dormit. Atque odorantur pisces, & sagaciter olfaciunt, quod fieri sine aere non potest. Adhæc professor Aristotelicus responderet, Non fuisse, vt ad primum dicatur Plinianum argumentum vice pulmonum aliquid piscibus, nisi Delphino, Balenæ, iccirco vtrunque spirare creditur fistulis. Vna in fronte Balenis, altera in dorso Delphinis. Vitulo marino dormienti sub dio spirationem tribuunt, De anhelitu piscium, & oscitatione nemo præter Plinium scripsit. Tandem dormiunt pisces, olfaciuntque per aquam, non aerem. Verum de his obiter, Quintum dubium. Vtra verior oratio quæcunque expirant, vocalia sunt, aut contra quæcunque vocalia spirant? Respondebis secundam firmiorem.

## Contex. LXXVI.

*Vox item est animalis sonus non quauis e parte, sed cum aliquid icit aliud in aliquo. Et id aer est, ob id merito ex solæ vocem edere possunt, quæcunque aerem admittunt. Iam enim natura sicut lingua vtitur ad gustum, & ad locutionem in quibus necessarius est gustus. iccirco in pluribus inest, sed enunciatio gratia boni, ita etiam respirato aere vtitur ad duo, & ad internum calorem uentilandum, quod quidem necessarium est, & ad uocem ut bene sit. Causa in alijs dicenda est.*



PRIMA conclusio statuit supra vocem animalis esse proprie, & metaphorice inanimatorum, cui secunda adiecit, neque omnium esse animatorum, & animalium, quod expertia sanguinis, & pisces muta sunt, Tertia subiungitur hic in modum. Vox item est animalis sonus non quauis e parte. Additur hæc tertia, vt sciatur non vbique partium animalis edi vocem posse, & si pleræque sonum efficiant, Quare vox est quorundam animalium, & definitæ partis, cum fere omnis suo sit delegata muneri. Nō pedibus editur vox, sed strepitus in supplosione, non manibus, & si complosio fit, sed gutture, & ore. Non effici vocem e quauis parte tum genere soni, tum specie vocis. Et quoad sonum, qui quoniam fit ex percutiente, ex percusso in aere, velut in materia, & coagente, & in deferente ad aurem, vox, quia sonus, nō poterit emitti, nisi quo admittitur aer, Hinc lege sed cum aliquid icit aliud, percutiēs percussum in aliquo, quid hoc sit, exponitur, Et id aer est, ergo in ea parte editur vox, vbi aer abunde pro voce intromittitur, atque emittitur, Et si perspiratione corpus eget vndique, ne stipetur, & obstruatur, & inde febris oriatur proinde medici iubebant frictiones, vnctiones Gal. teste in primis voluminibus de sanitate tuenda, tamen aer ille non aptus est voci, cum parte apta emitti debet ad eam formandam, vt neque aer auribus contentus, Quapropter decernuntur merito ex solæ, partes vocem edere, quæcunque aerem admittunt, & emittunt, cum vox potius in aere emisso, & ex sufflatione efficiatur, sicut Gal. fere passim & si libri, quos de voce conscripsit non sine iactura studiorum desiderentur, sicut illi de demonstratione. Quo igitur ad rationem generis, aut soni nō quauis parte editur vox, & quo ad sonum vocalem, & speciem soni etiam præscripta pars requiritur, & ea est, quæ suscipit aerem, & emittit. Et quamuis aer attrahitur ore, & naribus pro refrigerando corde, & ventilando calore eius, ne restinguatur, sed more carbonum ignis flabello excitetur, quinetiam pro alendo spiritu vitali in corde, & generando apud Gal. in libello de vsu respirationis, tamen inseruit etiam voci formandæ, sed inseruit ad bene esse, & refrigerat necesse ad vitam tuendam. cum calore cordis omnia in animante alantur, viuant. Nec mirum si eadem re natura ad duo vtatur. Plerunque id accidit, cum frustra est pluribus agere, si paucioribus, æque bene. Nam & lingua vtitur cum ad gustum saporum præcipue. secundum apicem magis necessaria, vbi gustus est. Non omnia animalia gustant ceu Zoophyta, in quibus solus factus, Vt ergo lingua ad duplicem vsum relata est ad gustum necessario, & ad locutionem quoad bene esse, ita & aere ad perfrigerandum cor necesse, & ad vocem quoad bene, Nam fœlicitatis humanæ est loqui. De eloquentia plura diceret orator sed ne quis quærat nunc causam cur natura aere ad duo vti voluit, Non enim aptus est locus

albi

alibi dicendum affirmat. apud quosdam in libro de historia animalium, apud alios tertio de partibus animalium capit. sexto, de pulmone, apud me in libello de spiratione. His contextus clarior.

## *Caput dilucidandi.*




QVI hoc loco quærunt de parte, in qua editūr vox, & per quam exit non idoneo loco inquirunt. Satius fecissent, si expectassent insequentem contextū, vbi mentio de instrumento vocis. Quare de situ, figura, mole huius partis dictio differenda est ad eum vsque locum. Vtilius erit de aere aliquid scribere, Non dubium, quin animal fere omne foris, & intus contineat aerem. Aer intus animatus, & congenitus dici potest, nisi eijciatur, aut propellatur foras. Et aer intra corneolos auris supra animatus dicebatur. Nunc vero aere misso, qui meatus cutis perflat, de illo sermo sit, qui inspiratur. Alchmeō censuit auribus inspirari. Ementita opinio obsoleuit. Aer trahitur naribus, & ore, per guttur vsq; ad pulmones, & cor, & emittitur. Sed cur naribus? Non enim solum odorandi causa, cum homo olfacere nequeat, nisi aer per nares euehat odorem ad ossa collateria, & istmoides locos, de quo postea, sed etiam propter attractionem aeris, & inspirationem, qua aer naribus trasmittitur ad pectus, & educitur foras non de capite, sed e gurgulione verbo Arist. cap. xi. primi de historia animalium quasi non sufficiat aer ductus per guttur beneficio inspirandi, Vsus percipitur in angina, in inflammatione oris, & affectionibus partium spiritalium, quia aer naribus ductus plurimum confert. Veruntamen Galen. vndecimo de vsu partium corp. humani fere ad medium sancit nasum esse primum inspirandi instrumentum, & os non esse, nisi morbus infestat, qui etiam in libello de vtilitate respirationis tradit duo instrumenta respirationis a natura formata. Vnum cerebro nasum, alterum cordi pulmonem tum primum ob vicinitatem cordis, tum secundum, quia a thorace mouetur. Sed non mirum de discordia Gal. & Arist. quia ille sentit 8. libro de vsu, cerebrum calidum, hic vero frigidissimum, ob id ille asseuerat cerebro necessariam inspirationem per nares, hic vero negat. Vt redeam ad aerem naribus attractum, quicquid Aristot. inconstanter sciat, dixerim præter munus conuehendi odores ad summum organum odoratus in cerebro, vbi in carnei sincipite ossa ithmoside, vel spongiosa sunt, etiam perfrigerat cerebrum necesse, quia vaporibus sublatis ab epate, stomacho, ab alijs calefit, & refrigerat retisplexum venulis, & arteriolis complicitum, & sanguinem in venis vtriusque membranæ cerebri, sed quomodo Aristot. fuit sui immemor, siquidem in opusculo de sensibus refert duo genera odorum, & vnum florum, quale sistit catharum, plane enim odor vsque ad cerebrum conscendit, cum aere transmittente, & delatiuo, vt asserturus est, ergo non per gurgulionem in pectus descendit, vt dicit vndecimo cap. primi de hist. animalium. si ergo cum odore ascendit, etiam sine odore ascendere poterit, sicut apparet cum nares comprehenduntur, ne odor adeat meatus. Tum aer scandit sine odore, quare non frustra est illa via aeri aperta. Non video porro alterius gratia apertam viam, nisi beneficij refrigeratorij, sicut supra est dictum, Quare aer ille non potest inseruire voci, nisi inflammatis partibus spiritalibus, siquis est ille videtur maxime, qui ore, & gutture trahitur ad perfrigerandos pulmones, cor, & mouendum thoracem, neque cum inspiratur, neque cum detinetur. Neutro enim modo vox emitti potest, nec cum respiratio educit fuliginos ę corde, e pulmonibus, sed cum aer, qui thoracem oppleuerat, pulmones adit, & paulatim egreditur, & conscendit per asperam arteriam ad laringem, & pharingem, Quare vox est sonus exsufflati aeris interioris gradatim sine impetu celeri percussi a cartilaginibus laringis, ob id Galen. principio octaui libri de vsu partium efflationē testatur se fecisse materiam vocis, & quicquid superfuerat aeris inspirati initio sexti lib. de vsu partium, & octauo de anatome libro aperte asserit non effici vocem sine efflatione. Ergo habes qui aer sit idoneus voci formandæ, Reliquum quia sonus non solum in aere fit, sed etiam percutientis, & percussi videre oportet quo plectro, & instrumento percutiente, aut percusso fiat. Conuerte igitur oculos ad orationem authoris,

Contex.

## Contex. LXXVII.

*Sed instrumentum respirandi guttur.pulmoque,cuius gratia est hæc pars, Quæ enim gradiuntur ea in parte plus habent caloris,quam cætera. Locus item,qui circa cor primus est,anhelitum desiderat,iccirco necesse est,ut aer attractus ingrediatur.*



VPRA vocem sonum ab aliquo in quodam ad aliquid oratio reliquit, Merito igitur cum de illo,in quo fit sonus,velut de aere dictum sit sequitur, vt explicentur instrumenta vocalia,quorum ictu vox efficiatur. Et quia putat philosophus hæc esse respirandi etiam instrumenta, velut guttur, faucesue, seu græcæ pharingem,laringem,asperam arteriam,pulmones, iccirco de instrumento respirandi proponitur. Sed instrumentum respirandi. Respiratio communis vox inspirationi,respirationi nunc intelligitur, & instrumentum dicitur,quod vsitatur cum quadam facultate ad aliquod opus. Quare instrumentum inspirandi,& expirandi,hoc est attrahendi aeris, & functi officio suo emittendi guttur est. An vtrius actionis potius gratia sit? Crediderim prius inspirandi, postea expirandi factum, cum magis sit necessaria inspiratio,quam expiratio,siquidem illa ad perfrigerandum cor,pulmones,ad generationem spiritus vitalis,ad nutritionem eius,& tutelam requiratur,sed expiratio solum ad purgandas fuligines cordis, & pulmonum. Auerhoes commentus est hoc in loco inspirationem aeris fieri ob calorem cordis perfrigerandum,& continendum,& respirationem propter pulmones calidos,& sicut mihi videtur probat respiratione effici ob pulmones, Vt fit in artibus quando consumitur vel instrumentum quo vtimur,vel ipsi vtentes,ita de aere dicendum, qui cõsumitur,& iccirco opus est nouum attrahere,& feculentum,fuliginosumque emittere, quia inutilis est ad perfrigerationem,& cum pulmo sit penu aeris immissi,& emittendi necesse est inaniri inutili ad perfrigerationem cordis,quare ipsa respiratio fit ob pulmones, & inspiratio ob cor primum Hoc commentum est hominis,siquidem tam inspiratio,quam respiratio est propter cor, & pulmones,inspiratio,vt primum perfrigeret cor,deinde pulmones tanquam folles,vel penuariam cellam aeris calidam,Et respiratio,vt perpurget sanguinem cordis,& vas ipsum fulginibus, & pulmones. Nam cor eructat aerem fuliginosum in pulmones quo etiam hi leuari, & purgari desiderant. ergo non solum inspiratio ob cor,& expiratio ob pulmones, sed vtraque ob vtrunq; instrumentum,coniectura item,quod cor diastole trahit aerem,& sistole emittit ad pulmonem, Quare pro sistole fit respiratio, & pro diastole inspiratio, quibus motibus necessario cor mouetur, ergo necessaria cordi respiratio, & pulmoni inspiratio si attollitur, vt follis facit. proinde Auerh. fallitur, Et vide diuinitatem naturæ,quæ in sistole cordis emittitur vna fuliginosus aer, & arteria in sinu læuo cordis impletur aere vtili, & simili mouetur motu contractionis, & dilatationis,vt in pulsu deprehenditur. Verum de vsu, & vtilitate respirationis Gal. edidit librum, & fere passim de ea loquitur,sed nunc reuertar ad guttur instrumentum in aditu primo, quale formatũ est propter pulmonem, Illud non deterreat lectorem, si verti latine pharingem viderit tum fauces,tum guttur,nunc pharinx pro laringe,epiglottique,atque aspera arteria, canna pulmonis intelligitur,ceu bene Auerh.asserit. Hæc tota facta est gratia pulmonis, Quo rem attingas ad isthmũ gulæ in hiatu ad radicem linguæ geminatum vas est, vna quidem parte œsophagus est, vulgo stomachus dicitur,& caput gula. Hac mansa in ore descendunt, in ventriculum, & potus contra Platonem asserentem bibitum vinum per asperam in pulmones delabi, Altera vero parte guttur est,seu pharinx cum laringe,& tota aspera arteria ingrediens pulmonem, Hæc euidentior est,quia per collum plane descendit,& tangitur foris ob duritiem eius, iccirco intrinsecus cõmissa vel cohæret gulæ,& stomacho veste quidem leni nõ dura,nec cartilaginibus annullosis cincta, sicut foris sentitur tactu larinx,de qua nunc sermo, Alias de æsophago. Pharingi ergo imposita est epiglotis,operculum,quale tegit pharingem, & fistulam ceu quandam ne nisi voci, & aeri sit aditus,& pellat incursum potus qui posset vitiare laringem, & asperam omnem arteriam, ob id lurcones sæpe ingurgitantes vinum,naribus effundunt,quia repellitur ab epiglotti, sequitur mox pharinx angustior suis musculis contexta,& deinde larinx annulosis chartilaginibus duris, cum

II char-

chartilago post ossa durior sit. vt esset veluti plectrum formandæ vocis cum pharinge, epiglotti, & palato, garganonc. Si fuisset larinx ea ex parte externa mollis non potuisset icta edere vocalē sonum, cum ex dictis sonus efficiatur ictu durorum corporum. Ergo fuit necesse chartilaginibus inuolui, & præcipue tribus superioribus vox conficitur, Vnde merito Galenus libr. 7. de vsu partium laringem summum vocis instrumentum affirmat, cum item reliquum asperæ arteriæ necnon pulmo, & thorax sint vocis instrumenta, atque epigastrion, diaframma ad edendam vocem magnam, & grauem. Quare quo breuiter omnia instrumenta respirationis, & vocis complectar. hæc duo sunt in contextu maxima guttur pulmoque, sed guttur respirati aeris traiectus, pulmo autem penu, vnde emergit etiam aer ad thoracem, qui motus mouet pulmonem, Vt ergo incipiamus a prima materia vocis, quæ est aer in thorace, pectus, & thorax primum instrumentum. Secundum pulmo, quo quæ carent, non respirant & muta sunt apud Arist. Tertium aspera arteria, quæ aerem parat ad formandam vocem, hęc tripliciter diuisa. pars vna addit pulmonem sem per sine sanguine, nisi eruptio, vel apertio fiat venę. Secunda pars ascendit vsque ad laringem. Tertia larinx est iuncta pharingi cartilaginibus, & membranis ligamentis contexta, post pharingem, epiglotinque gargareo, & palatum sunt, & os, Hæc instrumenta inspirationis, & vocis non eodem modo quia ligamenta potius respirationis sunt organa, & chartilagines vocis, Aer inspiratur ex ore cum aperitur ostiolum epiglotis pharingisque, & descendit per laringem, & reliquū asperæ arteriæ in pulmones vnde pars necessaria cordi datur, & alia in thoracem diffunditur, cum pars data cordi functa est officio remittitur ad pulmones in sistole cordis, deinde pulmo percipiēs calidiorem aerem, & fuliginosum sibi hostilem propellit ad asperam arteriam in se fusam, hæc vero ad laringem, & hæc ad pharingem, & tandem ad os, ita vt eodem tramite redeat, quo adijt. Ingressus autem vocitatur inspiratio, egressus respiratio. Cæterum aer qui in thorace seruatur sensim ad pulmonem mittitur, & ad asperam arteriam, vbi præparatur pro materia vocis, qui cum ascendit ad laringem icitur chartilaginibus, & gargareone percutitur ita, vt sonus vocalis fiat cū palato quasi refractorio vocis. Quæ si imprimi articulatione vocis literatæ petit linguam latam, dentes, labra, iccirco literæ partim lingua potius, partim dentibus, partim labris exprimuntur, vt nunc taceam literas Hæbreorum Arist. cap. 9. quarti de hist. animal. guttur edi vocem, & locutionem vocis per linguam explanationem, Vocales literæ gutturæ, & voce eduntur a, e, i, o, u, & diphtongi consonantes lingua, labris proferuntur. Quibus porro animalibus lingua nec soluta; nec libera nec vox, nec sermo datur. Vnde habes instrumenta vocis, & vocis literatæ, atque humanæ si addatur voluntas, & intellectus. Non igitur mirum si Arist. in contex. attigit guttur, & pulmonem, & eius gratia factum guttur, quia ambo organa inseruiunt respirationi, & voci, vt aspera arteria facta est gratia pulmonis. Cuius gratia est hæc pars, guttur nempe gratia pulmonis, quia traijcit aerem ad illum, quod facile etiam est videre in cadauere a magistro anatomicæ administrationis, si canula impleuerit asperam arteriam quoad impleuerit pulmonem aere oris sui, pulmo item gratia cordis, cum illi mandet aerem dictis de causis, Et quia aer foris est, & intro ducendus gutture opus est, sed aer inspiratus requiritur ob perfrigerationem partium spiritalium præsertim in animalibus, quæ gradiuntur, incedunt siquidem eas partes calidiores habent, quam alia animalia. Quæ enim gradiuntur seu pedestria sunt ea in parte pulmonis plus habent caloris, quam cetera animalia aquea volatilia. cum Philopono dic animalia pedestria in regione pulmonis calidiora cæteris, sed non vbique, siquidem pisces arenam coquunt, & digerunt. Ergo illa sunt cæteris calidiora in ea parte, vbi pulmo, & cor calidissimum, icciro annectitur ob quid maxime anhelitus fiat, & guttur sit. Nempe ob cor, & præcordia. Locus item, qui circa cor primus est, anhelitum desiderat aeris, ob calorem cordis maximum naturalem primum inspiratio, & respiratio sunt; Deinde ob pulmones. Cor calidiss. omnium in corpore animantis Gal. primo de temperament. Et Arist. de partibus animalium libro 3. Hinc colligit cur viscera pulmo, & aspera arteria sint organa inspirationi, quia si aer ingreditur, oportet esse viscera, quæ illum recipiant, & traijciāt ad cor. Aer sua qualitate refrigerat pulmones, & maxime cor, quia friget collatione ad cor, & si natura sit calidus humidus. 2. libro de generatione, primo meteorum, Galenus tamen hoc argumento, & alijs reputat aerem frigere, & non calere, Quo loco etiam potes taxare Aristotelem, qui secundo de partibus animal. cap. & libello de sensu, & sensili ait cerebrum frigidissimum ob temperiem cordis factum, si ergo gelu cerebri sufficit ad calorem cordis, cur nunc dicit inspirationem aeris necessariam ad calorem circa cor? Aer item sua substantia necessarius est ad alimentū spiritus vitalis, & generationem, sed de his in libello de spiratione Aristotelis. Cęterum aerem

ingredi

ingredi oportere non pluribus ostendam. Gal. docet in libris de vtilitate respirationis, de motu thoracis, de sanguine in arteriis, de difficultate respirandi, & sæpe alibi. Postremo Auerhoes ad extremum commẽtarij sui arguit Galenum qui nullum motum tribuit proprium pulmonibus, sed comitem ad motum thoracis, vt moto thorace pulmo moueatur, & non aliter cum nulla sit propria affectio pulmoni, quæ sit causa mouendi proprie. Auerh. arguit, quia si respirat io est propter pulmonem proprie, vt purget fuligines, ergo etiam proprio motu mouetur vide Galenum in libello inperfecto de motu thoracis, & pulmonis, & in volumine de vtilitate respirationis, inque septimo de vsu partium, de difficultate respirandi. Verum errat Auerh. sicut supra est dictum., nec sequitur vbi respiratio esset ob pulmonem, ergo proprio mouetur motu, sed quia idem Auerh. differt hanc quæstionem, non ero nunc longior.

## Contex. LXXVIII.

*Quare uox est aeris ictus respiratione adducti ab anima ad eas partes, ubi arteria uocata est. Non enim quiuis sonus animalis uox est, vti proditum est, siquidem licet lingua sonare, vt etiam tussientes faciunt, sed oportet, vt quod uerberat animatum sit, & cum quadam imaginatione. Nam uox est sonus significatiuus, & non aeris, qui respiratione trahitur, ceu tussis, Hic enim eum ferit, qui est in arteria ad ipsum. Signo quidem, quia non potest uocem edere dum inspirat, & respirat, nisi retineat. Qui enim detinet aerem hoc mouet.*



VNC panditur methodus, qua nitebatur dicere de voce. Nimirum diffinitiua. Breuis est, vt ergo breuiter cuiusmodi vox gignitur, aperuit, aggreditur eam diffinire. Diffinitio enim adimit dubitationes, indicat quæ competunt rei diffinitæ, Hæc vocis communiter, non enim solum vocem humanam, sed omnem animalis capit quatuor complectitur causas, Formalem cum dicit, Quare vox est aeris ictus, seu sonus etsi materialem etiam accipit verbo Aeris, quem efficientem aliqui putant. Iam proditum est illum esse materiam vocis, & causam efficientem, qui intus est, & animatus, sed materiam dum præparatur in aspera arteria, Efficiens cum ictus est a laringe, & gargareone. Aer autem externus est medium delatiuum vocis ad aures, sed quia nũc sit sermo de animato aere; & interiore cum subiungitur respiratione adducti intro. Vbi intus est animatus fit, & proprius spiritalibus partibus plane materia dicitur, & effectrix causa ictus, Causa efficiens primaria tangitur ibi ab anima sensitrice per phantasiam, quæ vocem edit, vt significet, & hæc causa finalis. Et quoniam non e quauis parte sonus factus in animali est vox, ob id lege ad eas partes, vbi est arteria vocata, & pulmo, & alia supra relata. guttur, & canna pulmonis suo tempore vocabatur arteria, quod nomen commune est arterijs comitibus venarum, quæ continent spiritum, & sanguinem, & vna veste constant. Hodie ob differentiam vocatur aspera arteria & apud Galenum trachea, quam & bronchon septimo de anatomica administratione, & de vsu partium Galen. appellari tradidit, Aristotel. primo de histor. animal. capit. 12. etiam appellari arteriam affirmat cum parte priore eam locat & gulam posteriore. Hæc instrumentum agentis causæ est. Quamquam hęc vere dicuntur, tamen non conuenit inter interpretes. Alexander Aphrodis. referente simplicio formalem causam putat animam, & dici debere ab anima, idest secundum animam. Repræhenditur a Simplicio, qui censet legendum ab anima tanquam a causa mouente, & vtente, & Alexandrum ignorasse fatetur duplicem vim esse formæ, & animæ. Vnam formandi, alteram vtendi instrumento, primam secutus est Alexander, cum tamen de secunda intelligat author, quæ vtitur aere collecto, & arteria ipsa ad vocem. Docet cur vox est respirati aeris sonus ab anima in aspera arteria. Non enim quiuis sonus animalis est vox, vti proditum est paulo supra, & nunc ostenditur, quia licet lingua sonare si percutiatur ad latera buccæ, & inter inane

oris ad dentes, & palatum, & vox non est ille sonus, sicut nec tussis, & si fiat per vocalia organa. Hæc enim generatione, & fine a voce differt. Nam vox naturalis, tussis præter naturam, illa fit aere animato materia, & agente cum seriatim præparata icitur ab ipso laringe secundum phantasiam, vt significat, sed tussis fit erumpente aere inordinate, vt humidum noxium partibus spiritalibus expellatur sine significatione ægri. Et si sibilus ab homine fit cum significatione, haud tamen vox est, quia non fit ex aere præparato in aspera arteria, neque ructus, neque singultus, neque eiulatio, neque crepitus sunt voces, quia partim non fiunt cum phantasia, partim non per instrumenta vocalia, vt etiam tussientes faciunt, ostendit author non esse voces hos motus, quia ad vocem edendam quod verberat debet esse animatum. Aer in tussi non animatus, vt in voce. Sed oportet, vt quod verberat animatum sit, quod est causa efficiens propinqua siue sit larinx, siue aer, & cum quadam imaginatione, cuiusmodi non fit tussis affectus præter naturam, Cum imaginatione sus grunnit, asellus vociferat, ciconia in bello clamat, & columba in venere, & cignus ante mortem occinit gallus, clamat, An pueri post ortum cum imaginatione eiulent, non dubium? Sed sumatur liber octauus de historia animalium in manibus, vbi mores, & voces animalium leguntur, iccirco diffinitioni additur causa finalis euidentius, Nam vox non est quicunque sonus, sed significatiuus, significatio requirit eum, qui significet. Hic animal est ob imaginationem, & cui significet, & quid significet. Animalia irrationalia nisi affectus animæ concupiscendi, irascendi, edendi significant vocibus, Homo autem atque conceptus animæ rationalis, & quæ gerit in voluntate, Iccirco in libello de interpretatione author tradidit voces signa esse eorum, quæ sunt in anima, sed voces hominum sunt literatę significatiue dupliciter & quia voces, dum mæstæ, dum hilare proferuntur, & quia literatæ, articulatæque apud eos. Voces psytaci, & aliorum loquacium nil significant literatæ apud illa. Psytacus, qui græcæ, & latinæ proferebat carmina, nesciebat quid significarent, Quare vox est sonus significatiuus per debita organa absolutus, & non aeris foris solum qui respiratione trahitur, ceu tussis affectus præter naturam officiens spiritalibus partibus ob humorem, quem vis expultrix tentat expellere. Et non esse eum aerem, quem tussis sonare facit, docet per hæc. Hic enim eum ferit aerem ad vocem iam contentum intra thoracem, pulmonem, & asperam arteriam aer tussis ferit, & facit strepitum, dum cogit aerem, qui est in arteria aspera collidi ad cartilagines laringis, Equidem cum vis expultrix humoris noxij aerem impellit, hic alium cogit in arteria cum impetu collidi, & perfringi in arteriam asperam, & cartilagines, & ita fit strepitus tussis, sed non est vox. Et ne quis neget aerem esse inclusum, qui propellitur in arteria persuadet signo, quia materia vocis non est aer dum inspiratur, & respiratur, quia tum nemo potest edere vocem, & licet experiri, sed si retineatur aer, hoc est ille inclusus aer animatus est materia vocis, quem mouet vis impellens in tussi ad laringem & os cum strepitu, Vnde quid sit tussis etiam indicatur. Accipe signum inclusi aeris. Signo quidem, quia non potest vocem edere animal dum inspirat ita, vt aer recens haustus non est materia vocis. Et respirat, aer fuliginosus functus officio respirandi, perfrigerandi non est materia vocis, sed inclusus nisi retineat animal aerem in thorace, in aspera arteria non potest edere vocem. Optime Galen. exsufflationem materiam vocis dixit. Tussis ergo fit cum quis aerem detentum, & inclusum mouet cum impetu ad os. Qui enim detinet aerem, hoc aere mouet aerem, qui percutitur a laringe & palato, & fit strepitus, non vox, cum materia vocis aer non expellitur eiusmodi, sed gradatim icitur sine impetu magno gratia significandi Auerh. cur inspirando, & respirando non edatur vox reddit, quia mouens non potest simul vti vno instrumento ad duas actiones intellige oppositas, & diuersas admodum, Quid ergo vox, quid tussis habetur, sed primum ex scopo secundum ex transcursu.

Opinio-

## *Opiniones de uoce, & quid sit uaria scriptorum, cum mysterijs uocis humanæ.*



EMINEM admirari debere arbitror, si paucis explicuero & aliorum dogmata de voce. Democritus vocem esse strepitum atomorum ex aere diuiso in similes atomos, quæ vox cum atomis defertur ad aures. Epicurus apertius vocem esse fluentem aerem atomorum ad similes velut rotundarum ad rotundas. Vana opinio, & ridicula. Omnia conficit ex atomis. Stoici vocem deferri per inane ab aere putant. Anaximander vocem effici cum spiritus obsistit aeri censuit. Quidam ferunt Platonem affirmasse vocem esse spiritum ex ore emissum ad aerem foris impulsum, qui peruenit ad aures, & neruos penetrat in auditum. In Timæo hæc omnino igitur vocem ponamus pulsationem quandam ab aere per aures, cerebrumque, & sanguinem vsque ad animam penetrantem, e qua anima natam motionem incipientem a capite, & in sedem iecoris desinentem auditum vocemus. Ex his coniicere licet, quæ Arist. accepit a Platone, & quæ reliquit accurratius de voce scribens. Et non dubium, quin vox sit sonus animalis per debita organa facta cum quadam imaginatione ad significandum aliquid. De vocibus secundum species animalium dicere longum esset, quia multæ sunt, & variæ, sicut longum foret persequi quot sint voces humanæ, & dialecti. Vox humana ab infantibus non est literata actu, sed potentia. Nec ante sit literata, quam soluta sit lingua, & magis vbi dentes formati primores, ac vera tum vox, cum imaginatione præditi sunt & vociferant. Vox humana vt articuletur, & cum imaginatione fiat a natura propria hominis est, vt intellectualis ab homine erudito, sed quod taliter articuletur, & formetur ad placitũ videtur. Hinc multarũ nationũ variç dialecti. Tria mysteria vocis humanæ admirabilia. Primum imprimi literis, sillabis dictionibus, orationibus. In quo videre est qui imprimat, quid imprimatur, & quomodo. Secundum quomodo impressum deferatur ad auditum audientis, & loquentis. Tertium cuiusmodi feriat sensum, & intellectus capiat dictionem locutionem, cum discernat voces significantes a non significantibus. Ad primum voces animalium, quibus non lingua soluta, nec libera est plane significant aliquid apud imaginatricem facultatem eorum, hæc non incisa est literis, & articulata. Vox autem quorundam animalium articulatur, sed apud ea articulatio nihil significat, quia pronunciant cum phantasia imperfecta non inseruiente intellectui. Vox autem hominis potest fieri tripliciter. informis sine articulatione, & significatione aliqua, quæ tum frustra fit, & sicut tangunt ur pili barbæ casu, temere pueri, fatui, amentes, phrenetici edunt has voces informes plerunque. Secundo cum quadam significatione sine articulatione vlla, ceu cum dolent homines sine verbo, & litera expressa. Tertio cum formata literis, & articulata profertur, & tum vnam literam, vel plures, atque sillabas dictiones, orationes pronuncient. Hæc articulatio non potest fieri, nisi ab anima intellectrice, si aliquid significet quoniam illa ad placitum intelligentis est ex imperio primi enunciantis. Iccirco cum quæritur vox ne sit actio animalis, vitalis, naturalis. Respondetur animalis. Vox autem literata voluntaria, & intellectiua. Cuiusque autem vocis materia est aer inclusus thoraci, arteriæ vocali, qui possunt effingi varie pro cupiditate vocantis, sicut aqua potest a ventis varie impelli, qui aer in ea parte inest animatus, sicut in aure intus inest aer immutabilis, de quo supra. Ergo quid imprimitur iam liquet, quid imprimat etiam, cum sit anima concupiscibilis, & in homine etiam intellectus, & voluntas. Aer enim ille percutitur plectro arteriæ, laringisque ad imperium intellectus, vel concupiscibilis. Vnde & quomodo imprimatur, liquet, vt variæ animalium imaginationes, cupidines, ita varij affectus significantur. Sola vox humana est nuncia intellectus, & voluntatis, & signum eorum, quæ sunt in anima. Homo qua brutum vocem edit significantem apud phantasiam, qua intelligens, & volens edit vocem significatricem apud intellectum. Quare aer animatus materia vocis. Vox materia significationis, & articulationis. Vox articulata materia delatiua cum aere externo significationis ad intellectum, vt voces articulatæ, & litteraræ præceptoris ad auditum discipuli. De secundo igitur quomodo vox impressa deferatur ad auditum. Nam vox emissa cum aere inanimato, miraculo quidem naturæ mox in aerem foris immittit articulationem, qui euehit sane vocem articulatã ad aerem vsq; intra corncolos auris à quo recepta tradit neruis auditorijs,

rijs,& per hos peruenit ad animam in cerebro apud Galenum.2.de decretis Hippoc.& Plat.apud Aristotel. in corde. Tradi vocem neruis auditorijs asserit Galen. 16.lib de vsu partium, quia per eos est nuncia cogitationum mentis, sed verbum, vel vox ferit primum phantasiam, & sub ratione idoli, & speciei tanquam phantasma significatio accepta mouet intellectum, vocatur species ab Aristotelicis intellectilis, quæ remanet in anima iuxta illud species lapidis in anima,& non lapis, imago visus in speculo non visus, forma annulli in cera non argentum, si formarum est sensus capax sine materia, quanto magis intellectus. Quare quomodo deferatur ad auditum audientis & loquentis vox humana articulata significans, & quomodo( vt de tertio etiam sit dictum) feriat sensum, & intellectum. Platonici voces peruenire ad auditum volunt, & excitare sensum, & sensum phantasiam, hanc vero intellectum, vt excitetur ad reminiscendum ea, quæ iam in animo sunt incisa ab ortu in obliuionem demandata ob corporis, & sensuum mixtionem. Quoties tamen sensus excitant mentem reminiscitur, & scit, quo de modo in memnone Platonis conscriptum est. Hæc nunc breuiter.

## Contex. LXXIX.

*Hinc perspicuum quidem, cur pisces vocem non emittunt? Non enim guttur habent. Et hanc partem non obtinent, quia non recipiunt aerem, nec respirant. Qui vero inquiunt pisces effingere vocem, errant, sed qua de causa, alia oratio est.*



DECRETVM est non omnia animalia vocem fundere, & quæ fundunt parte propria, non omni vocem edere. Pars autem propria est, quæ aerem continet animatum haustum per organa spirandi, qualia sunt pharinx, larinx, aspera,arteria,pulmo,quibus cum pisces careant,merito perspicuum est, cur non edunt vocem. Non enim aerem trahunt materiam vocis, neq; attractũ seruant, nõ ducunt aerem,quia non respirant. Non respirant,Nec inspirãt quia nõ habent instrumenta prædicta. Non obtinent instrumenta, quia non fuit necesse temere condi organa sine vsu. Semper enim pisces versantur in refrigerio aquæ. Qui porro pisces ad aerem ascendunt Delphinus.Balena,Cete,crocodilus fluuiatilis,vitulus marinus,& id genus respiraret in aere, sed his felicius in aqua vitam traducere. Cum ergo pisces aerem non spirent, nec instrumenta vocis habent, merito falluntur qui dicunt eos edere vocem, sed cur non edant vocem alia est oratio, simplicio teste in libris de partibus animalium cur non respirent pisces in citatis libris dicendum est. Philoponus vtroque modo intelligit & cur non respirant, & cur non vocales alibi dicendum esse. Ego cum Aueth. sentio oportere intelligi, cur pisces non edant causa dicenda est in libro de animalibus, & si duę memoratæ videntur, & quia carent gutture, aspera arteria, & quia non recipiunt aerem, sed causa propria dicenda est in citato libro. Verum quis dubitaret, quoniam 4. libro de hist. animal. cap.9. agitur de voce animalium, & pisces dicuntur expertes vocis,quia carent pulmone,gutture & arteria nec aliam causam affert ibi author, quam quæ hoc loco. Nisi tertio libro de partibus animal cap.6, de pulmone causa addita sit, quia perfrigerantur pisces continuo & ideo non egent aere externo, & si branchiæ pro pulmone datæ illis sint. Aliquando libellum de spiratione audiui esse, vbi oratio de anhelitu, & voce pistium nulla dicendum cum causa. Vtcunque contextus iam his elucet.

## *Contra eos,qui sentiunt pisces edere vocem,& argumenta eorum confutantur.*



ON veteres solum,quos citat author perstiterunt in oppinione de voce piscium,sed etiam posteriores, inter quos Plinius videtur relatus dum nono libro cap. 7. profitetur pisces spirare contra Aristotel. & habere vice pulmonis membrum anhelitui aptum sicut, & animalibus aliquot datur humor vice sanguinis, atque addit aerem in

in mari, & aquis inhexum quandoquidem penetret abtrusa terræ aer, ceu talpa inter abdita terræ haurit aerem, atque odorem piscium fieri per aerem aquam permeantem, necnon dormire pisces beneficio aeris, atque pisces æstiuo calore anhelare. Vnde si aer est in aqua, si pulmonis loco instrumentum ducendi aeris, & continendi, si odorant, etiam respirare possunt, quare edere etiam vocem. Ex pliniana lectione item libri vndecimi cap. 50. de vocibus potest confirmatio eli ci, sed euidentius cum in Acheloo amne fatetur aprum piscem grunnitum & vocem edere. Quinetiam euidentissime libro 31. vbi narrat in fonte quodam Neptuni pisces dare accolis responsa. Rursus pisces audiunt in aqua strepitus factos in aere ex Arist. quarto libro. c. 8. de hist. animal. & Plinio decimi lib. cap. 70. quinimo vocati veniunt, si ergo audiunt, mirum cur vocem non edant, quia si muti essent a natiuitate, essent etiam surdi, sed non sunt surdi, ergo nec muti. Ac pisces effigiei humanæ sunt libro nono Pliniano cap. 5. ergo habent etiam arteriam, pulmones, & ita vocales. Ad hæc Aristotelicus responderet seriatim. Pisces non spirare nisi ancipitis vitæ qui degant in aere, in mari, velut Delphinum, & id genus, qui in aere captus breui præfocatur. His etiam pulmones dati sunt, alijs vero nulli. Non fuit necesse dare vicem pulmonis piscibus, quia perfrigerio vtuntur natiuo, & regionis suæ frigidissimæ siue mare, siue amnem incolant. Natura nec abundat, nec deficit. Vitæ ancipitis animalibus dantur, quia quandoque in aere habitare debent. De aere commixto aquæ si ea non sit elementum purum, purum esse non potest, quoniam non recipit odorem, nec saporem edit, nec viuere sinet pisces, quia aqua pura frigidissima est, & hæc inimica vitæ, & calori natiuo, non est dubium, sed de aere, qui possit attrahi per vicarium pulmonis, qui & sit materia vocis. Nam aer iste ibi non est in tanta copia, signo quod si vtres aere pleni supernatant ob aerem, etiam aer supra erit, & non in aqua. Cum subiungitur aer penetrare abdita terræ, ergo & aquam valde leuiter subiunctum est, siquidem cum penetrat aer ibi non terra est solida, sed meatus, quos implet aer, sicut opplet foramina, & meatus spongiæ. Caua & vacua terra aer complet loca, nec talpa nisi meatus terræ habitat. De odore piscium dicturi sumus cap. proximo, nunc odor etiam per aquam deuehitur ad odoratum eorũ. Dormire pisces in aqua posse Arist. cap. x. quarti lib. de hist. animal. fatetur, & non in aere, nisi spirent delphini. Anhelare pisces quis vidit? Plinius putauit solus, quare primum argumentũ ridiculum. Secundum argumentum de Acheloo amne & pisce, dictum est supra. Strepit, & vocat. Venire ad responsa non quia respondeant voce, sed quia partibus suis indicant cauda vel pinna aliquid homini. Tertium argumentum refellitur quia pisces multi audiunt muti, nec ob id surdi. Oratio Aristotelica lib. 4. de hist. animal. refert surdos a natiuitate esse mutos, non contra mutos a natiuitate surdos. Muti pisces non surdi. De quarto pisces humanæ effigiei non sunt homines. Carent pulmone arteria, & simiæ hominibus similes, nec ob id quęcunque homo habet, & illæ capiunt. Hæc breuiter.

## *Quartum quinti tomi caput de odore Lucillo Philalthæo interprete & comment.*

### Contex. LXXX.

*De odore vero, & odorabili non æque facile, atque de supra expressis decernere est. Non enim perinde clarum, quale quid sit odor, ac sonus, aut lumen, aut color. Et causa est, quia hunc sensum non habemus exactum, sed deteriorem hoc sensu complurium animalium. Non obscure homo olfacit, nihilque odorabilium percipit sine dolore, & voluptate, quippe cum sensus huius instrumentum haud exactum sit.*



TERTIO loco, & medio dicendi de sensibus externis quinque odoratus succedit, quia post visum, auditum nobilior est gustu, & tactu. Nam secutus est author non naturam, sed dignitatem rei tractandæ. Alioquin conuerso ordine ordiendum erat a tactu omnibus communi animalibus, exquisitiore in homine. Deinde a gustu, mox

ab

ab odoratu. Vtcunque ordiamur tertium locum tenet. Digniorem hunc sensum gustu, tactu indicat ratio, quia nobiliora animalia habent eum, & quædam ignobiliora obtinent gustum, tactum sine odore. Et quia quæ habent odoratum, etiam gustum, & tactum, non contra omnia habentia gustum, habent odoratum. Philoponus ordinem refert ad actionem, & obiecta odoratus, qui merito medium & tertium locum obtinuit in oratione de sensibus, quia quo ad actionem excellentiorem prior visus qui longissime aciem tendit videndi, postea auditus longius audit, quam olfactus, sed sunt reliqui duo gustus, & tactus, qui non possunt nisi propinque apprehendere, olfactus autem longius his percipit. Atque celer actio videndi quam illa audiendi signo in tertio meteorum de tonitruo, & fulgure. Tonitruum præcedit, & tamen auditur post visum fulgur. Causa quia acutior aspectus, quam auditus, qui etiam celerior est odoratu. Quo ad obiecta etiam acutior visus, qui colores lucem, & ignea apprehendit, subtilior ignis est aere, per quem cognoscitur sonus, gustus vero in aquea natura saporum, & succorum versatur adhuc crassiore aere. Tactus circa solida terrena operatur. Odoratus circa vaporem aliquem versatur, qui vapor est mediæ substantiæ inter ignem, & aerem, vel aquam & terram, subtilior inferioribus elementis, crassior superioribus. Merito locum igitur medium, & tertium obtinuit in oratione odoratus. Verum hæc Philoponi potius Platonice, quam Aristotelice dicuntur, nec probant diligenter, sed persuadent. Quinimo contra organum visus aqueum est in libello de sensu, & odoratus pertinet ad ignem. Plato in Timeo oculos igneos censuit. Rursus odor longius percipitur cum a vulturibus interuallo quingentorum milliariorum fętor cadauerum perceptus sit, de quo postea, at vero nullus tam vehemens strepitus fit etiam bombardarum, qui sic eminus percipiatur, & quamquam pluribus possem infringere Philoponi verba, tamen id non est admodum necesse. Collaudabis odoratum tertio loco dicendnm, vt pote digniorem reliquis, & non exactiorem gustu, & tactu prelertim in homine & inferiorem aspectu, & auditu, qui quo ad bene esse excellunt cęteris. Cęterum docilem, & attentum facit lectorem. Docilem proposito expresso. De odore vero, & odorabili. Attentum præ difficultate rei. Non æque facile, atque de supra expressis decernere. Quis peteret cur non mentionem fecit de sensu odorandi, quo est facultas animæ de qua potius est oratio de anima? Respondebis, quia oportet ducere initium ab obiectis, tanquam a notioribus sicut sæpe supra est dictum. Odor est qualitas vel tenuis substantia vaporosa, de qua erit contentio, nunc odor vtrunque & natura generis, & natura specierum, quia nomina earum ignorantur, & a saporis speciebus dicuntur, vt clarum erit, non est euidens, iccirco Plato in Timeo & ipse nulli odori speciem assignauit, semigeneamque naturam dixit. An vero sint species odorum videro infra, quia in libello de sensu, & sensili contra Platonem affirmat Arist. species esse, Simplicius vtranque difficultatem attigit, cum negat commune ei nomen, & propria speciebus. Philoponus æque tradit naturam generis, & specierum non euidentem, sicut color est genus eum suis speciebus albedine, nigrore, rubore, & cęteris, & sonus cum speciebus acuto, graui. Hinc de difficultate rei author inquit afferens causam difficultatis dicendi de odore. Non enim perinde clarum est, quale quid sit odor, natura generis, & specierum. Et dicitur quale quid quoad diffinitionem essentialem, & naturam propriam ei. Vtrunque qua le quid significat. Non dixit solum quale sit, quia non solum illi propria, & conditiones inquiruntur ne sit bonus, malus, ne perniciosus, ne delectabilis, an horrendus, sed inquiritur etia quid, essentia eius, & cum non sit substantia, merito quale quid de illo quæret author, proinde ad extremum sermonis de odore quid sit, & quid odoratiuum explicabit. Nam in declarandis obiectis, & sensibus hactenus vsus est Methodo diffinitiua, & ita processurus est, ac sonus quoad genus, & species soni, aut lumen actus diaphani, aut color cũ suis speciebus. Expressa difficultate rei. Alia difficultas ex nostro cognoscẽdi modo subiungitur, quia non potest haberi exacta cognitio odoris defectu sensus odorandi, quem priorem habemus, quam multa animalia. Et causa est, etiam ex modo cognoscendi, quia hunc sensum non habemus exactum, sed obscurum, debilem, & ostenditur, sed deteriorem hoc sensu præcipue, & non alijs complurium, non omnium, sunt Zoophyta quædam, & in genere piscium, atque e putri materia orta prioris odoratus, quam homo, sed canes, vultures, Tigres, Corui, Cygni, Lepores, Muripetæ. Mures ipsi, apes, vespæ, muscę, & id genus melioris odoratus sunt, quam genus humanum. Et fuit necesse ob pastum, & tutelam sui, vt noxia vitaret, homo tactu, & alijs, atque ingenio potest alimenta quærere, & se a nocentibus defendere. Acutior ergo hic sensus datus est alijs quibusdam, sicut quæstio explicatura est. Sed dices cognitio est intellectus qui quid sit odor cognoscit, & non sensus, sat est, vt homo possideat

possident intelligentiam, & ita cognoscat. Auerhoes hoc vidit, & græcorum nullus diluens obiectionem, propterea quod rerum sensilium nulla cognitio, nisi a sensibus, si ergo erunt sensus obtusi, hebetes, & cognitio erit debilis. Hinc fit, vt cæci ab ortu de coloribus exacte dicere nequeant, & surdi de sono. Quare si odoratus non verus, aut exquisitus nuncius est intellectui, neque idem intellectus probe sciuerit. Merito difficultas est nostri modi cognoscendi, quia non ex actum hunc sensum, & deteriorem obtinemus, quam plura animalia. Vtrunque docet prima, & secunda ratione, & prima quidem. Nam homo obscure, ignaue, rudi modo Græce φαύλως, olfacit. Hoc experiundum est, & sensu liquet. Si enim mediocres odores fuerint, vix percipiuntur; Si vehementes, confunditur sensus, quia excellens sensile turbat sensum. Si longe abest, difficulter percipitur, atque tarde sentit. Celerius oculus, celerius auditus, gustus, tactus percipiunt. Sed dices cur homini hunc sensum præsertim debilem dedit naturam. Respondet Themistius datum quoad sufficiebat, & acrimoniam illam non esse necessariam sensus, quia ad vitam non pertinet tuendam ita, & ad intelligentiam hominis, sicut alij. At vero feris, & belluis necessarius ad alendam, & tuendam vitam, Simplicius intelligit difficulter hominem odorare, quia iudicium de odoribus est mixtum, cum nunquam homo dijudicet odores sine voluptate, aut mestitia. Hinc non curat odorare, nisi afferunt oblectationem, nec refugere fetorem, nisi molesti, in sensi esset. Bruta vero sine his odoribus mouentur alimentorum, & quamquam alimenta suauia, & secundum naturam sint, & odores similiter, tamen vt alantur, hæc desiderant. Si canes persequuntur herum suum odore & dignoscunt, causa hæc est, quia in domo heri comedunt. Non placet intelligi hominem obscure odorare, quam videre, audire, &c. Licet hoc verum sit tamen comparatio pertinet ad odoratum aliorum animalium. Secunda ratio, nihilque odorabilium percipit sine dolore, & voluptate, aut indignatione, auersione, & similibus non ita euenit in aspectu auditu, vt si moueri sensus debeant a suis obiectis, oportet vehementer affici, vt excitentur sensus sicut accidit odoratui, qui tam piger, tam segnes est, vt nisi acuetur, & citetur vehementiore affectu voluptatis, aut doloris non curet odorare, nec aduertere. Dolor quid sit, iam dictum est supra, & quid voluptas, nunc tristis sensus a re dolorifica affectus præter naturam, aut potius dolor est affectio infestans partem sensitricem. Voluptas autem titillatio sensus quod est secundum naturam oblectans. De dolore, & voluptate in Timeo Plat. Et cur non excitetur hic sensus præcipue sine voluptate, vel tristitia ostenditur. Quippe cum sensus huius instrumentum haud exactum sit, sensiterium ergo causa est obtusi sensus. Non mirum, cum hoc instrumentum odorandi sit deterius, quam reliqua instrumenta cernendi, audiendi, gustandi, tactus si etiam sensus peior sit. Nam actiones sunt communes facultatibus animæ & corpori, atque instrumentis. Oculis senis minus exacte perspiciunt quam iuuenum. Et actiones sequuntur temperamenta, & formationes corporum etiam Galeno medico asserente in libello suo. An vero etiam sit sensiterium odoratus in homine deterius sensiterijs aliorum animalium non facile est videre. Credibile tamen, vt si sensus est melior etiam meliore vti instrumento, alioquin vitiato sensiterio sensus compateretur, & non exactior esset. Iccirco sequitur disputatio de sensiterio, cu iusmodi sit, sed antequam contextum legamus insequentem dubitationes variæ, & necessariæ explicandæ veniunt.

## *Caput dubiorum.*



E odore, & odorabili agitur in libello de sens. & sensilibus. Nunc igitur super uacaneum. Secunda dubitatio, quid per odorem, & odorabile intelligitur, cum odor sit odorabilis, & si bene nomen sensus odoratus ab odore ductum sit. Tertia cur contulit odorem cum sono, & lumine colore? Quarta an difficultas ex modo cognoscendi sit vera, quia videtur sensus odorandi in homine exactus, & melior quocunque odoratu animalium aliorum. Exactus quia discernit odores a coloribus, a sono, a saporibus, a colore, &c. & de odoribus affert iudicium, & tam perse odor odorani percipitur quia sensile proprium, vt color aspectu, sonus auditu. Quinta. Videtur melior odoratus hominis, quia iudicium affert excellentius de odoribus, quam alia animalia, siquidem illa nesciunt discernere odores escarum ab odoribus de-

lectandi causa, ceu florum, nec scire qui lædant, qui non lædant sicut homines. Non enim curant odorare tales delectabiles belluæ. Et si humana complexio melior complexionibus cęterorum, cur non & sensus, ac sensiteria. Sexta, si difficultas ex re ipsa est, quia non est certum genus odorum, nec illi nomen. Aeque erit dicendum de tactili obiecto tactus, quia non euidens est, nec illi nominem, & tamen sensus ille exactissimus. Septima si quia odoratus hominis non sentit odorem insi cum tristitia, aut voluptate, icciroo praue odorat, etiam praue cerneret homo, quia non potest videre candorem, & nigredinem sine voluptate, & dolore, cum candor dilatet aciem, & nigredo angustet. Hinc tristantur qui in tenebris morantur. Gal. primo de simptomatum causis libro colores gratos, & non gratos oculis narrat. Octaua. An Plato norit hunc sensum in homine rudem, habetem? Nona, ne odoratus hominis apprehendat solum voluptatem, & dolorē odorum sine odoribus, vt putauit Plutarchus. Ad hæc respondebis, & de primo secus in libello agitur de sensibus, & in hoc de odoribus. Nunc merito actionum animæ facultatum, ibi vero de his quatenus sensilia sunt potius, quam quoad facultatem odoratricem referantur. Et licet vtroque in loco agatur de sensilibus, tamen ibi potius per comparationem ad instrumenta sensuum. Hic vero potius collata ad sensus ipsos. De secundo odor differt ab odorabili, sunt qui ὀσφ. intelligunt odoratum, vim ipsam animæ, & non obiectum eius odorem, vt sit linea contextus de odoratu, & odorabili. Vox illa græca signt vtrunque, & odorem obiectum, & sensum odorandi. Alij accipiunt odorem pro actione odorandi. Themistius legit odoratum pro sensu, & odorabile pro odore, causam Simplicius refert, quia odor, & odorabile actu idem sunt. Galenus principio libri de odoratus instrumento asserit odoratum significare sensum vim ipsam, & actionem, & instrumentum odorandi. Crediderim osmen grecæ latine odoratum pro sensu, tametsi pro obiecto lectitetur. In hoc sensu, vt in alijs tot sunt, obiectum quod siue voces odorem, siue odorabile non refert, nisi quod odor est nomen obiecti actu potius, odorabile autem potentiæ, vnde odor elici potest, & tanquam genus commune ponitur odoratilium, quale nomen sumptum est a sensu, vt visile a visu, & consistit in relatione ad aliud. Et relatiuum est. Odorabile odoratus odoratile. Sed absolutum nomen illi non est, vt erat colori, & sono, sapori. Ab hoc odorabili odor oritur, & ab eodem species sensilis odoris percepta a medio, & sensu, & sensiterio. Medium est aer, vel aqua per naturam communem diosmon, sensui nomen est odoratus instrumento, seu sensiterio odoratiuum. Actioni denique olfactio. Odorabile est corpus non quoduis. Non enim simplex ceu ignis, aer, aqua, sed mixtum testimonio Aristotelis in libello de sens. & sensilibus, atque Alexandri Aphrod. in his comment. & in illis. Elementa non esse odorabilia Plato in Timeo dixit, quia nusquā gentium odores eorum percepti sunt, & affectio mixti sapidi est odor, sicut dicturi sumus ita, vt odoratile quicquid sit, etiam sapere possit. Quare odoratile est corpus mixtum saporem habens siccum dilutum in humido, de quo ad extremum huius capitis, nunc hactenus de odoratili. De tertio dubio. Dices conferri obiectum sensus cum obiectis, & nomen odoris cum dicit quale quid sit odor significare obiectum. De sono, lumine, colore supra extat oratio quale quid sit. De quarto dici potest sensus, vt sensus est, & qua sensus humanus, idest coniunctus sensibus interioribus, & nuncius intellectus. Vnde potest esse, vt sit odoratus qua sensus melior talis, non autem qua sensus iunctus intellectui, qui ope cogitatricis facultatis potest afferre iudicium melius de odoribus, & cognoscere differentias, quam faciat odoratus animalium. Hinc Simplicius superari odoratu homines ait a belluis, quia longius olfaciunt, quā homines, non autem quoad iudicium. Atque accidit ob instrumentum odorandi in homine, vt sensus ille sit hebetior, quare instrumentum odorandi in illis melius. Itidem de quinto asserendum est. Nec si plures odorum species homo cognoscit, quam brutum, icciroo perfectior odoratus, siquidem non multitudine cognitorum vis æstimatur animi, sed si exacta sit dignotio. Cognitio Dei per pauciora fit, quam ingenij nostri, & tamen illa multo melior. Cum additur melioris complexionis meliora organa & vires animæ, verum est de illis organis, & viribus, quæ sunt temperamenti, sicut organum tactus, & ipse sensus. Ob id homines cæteris præstant temperamento, & organo tangendi, & tactu. Odoratus autem & si virtus est in corpore, tamen non est virtus temperamenti, sicut tactus miscibilium caloris, frigoris, sicci, humidi. De sexto verum est non esse nomen generi tactilium absolutum, sicut color, sed solum relatum, ceu tactile ad tactū. Tactile enim tactus tactile, attamen species sunt distinctæ, & cum proprijs nominibus, quod nō euenit speciebus odorum. Simpl. Philop. hoc norunt. De septimo, non dubium, quin quicquid præter naturam insensum triste est, vt quicquid secundum naturam iocundum. Idque non so-

lum

lum in coloribus, sed etiam in cunctis. Verum homo potest percipere colores, sonos sine comite voluptate, aut dolore euidenti, non ita potest apprehendere odores sine his, iccirco indicatur debilitas, & habetudo odoratus, qui non potest apprehendere odores, nisi voluptas vel dolor excitet sensum. De octauo. Plato his verbis indicauit sensum hunc in homine rudem in Timeo. Sed ibi duo nomina tantum manifeste sunt suaue scilicet, & molestum, species autem odorum sunt immanifestæ apud Plat. De nono. Male Plutarchus, & reprehenditur a simplicio. Nisi etiā apprehenderentur odores, nihil sciremus dicere de odoribus, qua odores sunt. Iccirco ea sensilia, quæ nullo modo cadunt in sensum, non educunt scientiam in ipso intellectu, pulchre dictum. Deficiente sensu necesse est deesse scientiam per illum primo lib. de postera resolut. Deficit sensus multis modis primo libro de simptomatum causis, & de locis affectis Gal. æque si deficiunt sensile, eorum non est scientia, hoc est si sensilia nunquam cadunt in sensum, nec illorum cognitio. Apprehenduntur odores suaues, & molesti ab hominibus, a belluis odores alimentorum, & priuationes.

## Contex. LXXXI.

*ET bona ratione perinde est genus hominum quo ad odores, ac quæ duros habent oculos in sentiendo colores, cum non percipiant colorum differentias nisi metu, aut intrepide.*



OMINVM genus habere odoratum, qui non percipiat odores, nisi cum voluptate, & dolore ostendit similitudine hic contextus. Vt cancri, locustæ, muscæ, & quęcunque oculos duros habent non cernunt varios colores, nisi rude, & habes instrumentum cernendi oculos metu, aut intrepide excitetur seu horrendo, & non horrendo moueatur, itā sensiterium odoratus in homine, & virtus sensifica, nisi suauitate odoris, vel fætor horribili prouocetur, sed sic se gerunt quæ duros oculos habent, ergo & homines in odorando non percipiunt ob instrumenti hebetudinem odores, nisi incitentur suauitate, & dolore, ergo vt sensus oculorum illis debilis, & ineptus, ita hic odorum homini. Attendes cum horrore, & non horrore percipi colores etiam. Non enim horror, & contrariā affectio, non mera priuatio ab oculo apprehendi apte sunt, sed color terribilis, & non terribilis, quia illi colores statim affecto oculo afficiunt cor, & animalia aduertunt. Musca cognito colore araneę terribili sibi percipit colorem, & attendit, ita homo delicati temperamenti attendit odores suaues, & contrarios. His elucet oratio, Vtinam illuceret dubitatio hæc. Voluptas delectatio, & dolor męstitia, ac terror, & confidentia affectus sunt cupiditatis, & irascibilis in corde, & sequuntur omnem sensum, & non solum odoratum, & visum, quare non deterior odoratus, quam alius sensus in homine. Nam omnes ita affici possunt. Nisi vis in corde excitata faciat discernere colores, & odores, cum vis cernendi in illis, & odorandi in homine ob habes instrumentum non queat dignoscere differentias, nisi commune instrumentum cor suppetias afferat rudi proprio instrumento, sed tuum sit meditari etiam, atque etiam. Omnis defectio sensus redigitur ad instrumentum, quod voces sensorium, vel sensiterium non refert, de quo sæpe supra.

## Contex. LXXXII.

*VErum quandam proportionem habere videntur odoratus ad gustum, & odoris species ad specie saporum, & si gustum obtinemus exactionem odoratu, siquidem gustus tactus quidam est, quem homo habet exactissimum, sed cęteris sensibus longe inferior est alijs animalibus, contra autem tactu longe excellentius exquisitus est. Vnde & prudentissimum animalium dicitur, hocque inditio, quod homines alij alijs ingeniores, hebetiores que sunt ob huius sensus instrumentum & non ob aliud quicquam in suo genere. Qui enim duri carne sunt, hi ratione, animoue rudes, contra quā molles carne quam apti ingenio videntur.*



XISTIMAVERIM. nunc doceri quomodo nobis euenit cognitio odoris,& ſpecierum eius, quæ certe euenit ex proportione ſenſus odorandi, ad illum guſtandi, & ſpecierum odoris, ex ſpeciebus ſaporum. Hæc analogia, & proportio ſic argumento, vt odoratus ad odorabilia, ita guſtatus ad ſapores, ex permutato ordine Simplicius ait, vt odoratus ad guſtum,ita ſpecies odoris, ad ſaporum genera. Hæc analogia valet ob affinitatem,& cognationem ſaporum cum odoribus. Non mirum ſi deficientibus nominibus ſpecierum odoris,per nomina ſaporũ indicentur. Affinitas declaratur ab Alexandro,& Simplicio quia ſapor fit ex ſiccitate terreſtri diluta in aqua cũ quadã caliditate guſtatilis a guſtu. Odor vero ex ſaporoſa ſiccitate in humido fit. Quare odor præſupponit ſaporem. Inde quicquid odoratile ſaporem habet. Accipe analogia, verum quandam proportionem habere videntur odoratus ad guſtatum, ceu ſenſus ad ſenſum. Et pleraque animalia,& nos odoribus, fętoribus diſcernimus bona alimenta,& mala, & ſi guſtari debeant necne: Et odoris ſpecies ad ſpecies ſaporum ſicut explicabimus. Interea id contra Platonem in Timeo aſſeritur,ſicut etiam fit in libello de ſenſu,& ſenſili his verbis translationis meę. Reliquum eius quod olet duę ſpecies afferantur. Quo in loco errant, qui nullam eſſe ſpeciem olentis affirmant Plato negauit in Timeo his verbis ſpecies odoris. Circa narium vim ſpecies non ſunt. Semigenia enim odorum natura. Speciei vero nulli competit odorem vllum habere. Nunc ergo Ariſtoteles contra illum aſſerit ſpecies odorum conferendas ſpeciebus ſaporum,quaſi velit eſſe,& ſi nomina deſunt,& pro illis vſurpentur nomina ſpecierum ſaporis,cum odores acres,auſteri,dulces dicantur. Etenim in libro citato duas ſpecies tradit generales. Vnam odorum ad cibum communem homini, & cæteris animalibus. Alteram ad delectationem, vel odium,ceu florum,& fętorum. Hos auerſantur viri, & illos proſequuntur, ſuaues,& grati odores eſculentis,poculentis admiſceri ſolent,quia oblectant,& auerſum appetitum cient. Sed qui delectandi cauſa odorantur, valent plerunque ad recuperandam ſalutem, & ſalutares ſunt capiti frigido rerum calentium. Et fluxionibus ſiſtendis proſunt odores gelidorum, ſicut roſarum, violarum, nenupharis, aut nimpheæ, & ſimilium. At vero in hoc libro ſpecies nõ ſecus,ac etiam in eodem allegato comparantur ſaporum ſpeciebus,& totidem indicantur, quot ſunt ſaporum,idque paulopoſt elucebit, interea conciliabis re ipſa Ariſtotelem ſuo magiſtro,& ſi animo ſtuduerit diſſidere, quoniam negat Plato in Timeo plane ſpecies eſſe odorum, quia non nominantur,niſi nominibus ſaporum,non inficiatur autem reipſa eſſe, licet lateant, & ſolũ ſuaue,& moleſtum nominentur. Hæc oratio Platonica. Duæ igitur hæ varietates in his odoribus genitis abſque nomine ſunt,nec e pluribus,nec ex ſimplicibus ſpeciebus, ſed ibi duo nomina tantum manifeſte ſunt,ſuaue ſcilicet,& moleſtum, Ariſtoteles autem & ſi duo iam genera citata odorum retulit, tamen non plane eas nominibus indicauit, & ſi ſuaue, & moleſtum plane aduentitia odoribus tradit,inditio,quod qui completi ſunt cibo, & ſaturati recuſant & auerſantur illos odores,contra vbi fame premuntur,oblectantur eſcarum odoribus. Quare ſuauitas, & moleſtia odorum extranea ſunt odoribus. Hæc dicere ſolebam pro conciliatione vtriuſque ſcriptoris,etſi ex animo cupit author taxare Platonem,& fateri eſſe duas ſpecies odorum non ſuauitate & moleſtia diuerſus per ſe niſi aduectitio more,ſed ſuapte natura differre,ſicut docet in citato libello,& vbi videtur Alexandro teſte confutare ſpecies odorum reapſe e ſpeciebus ſaporum proficiſci,quod tamẽ paulopoſt videtur aſſerere,de quo poſtea, nũc proportio indicari mihi videtur aliorum mente non ſua,ſiquidem in codice citato de ſenſ. ſenſilibuſque reliquit. Sunt porro nõnulli,quibus accidit,vt cum ſaporibus congruant. Accidit ergo, & non ſuapte natura. Accidit propterea quod non exacta eſt nobis cognitio eorum. Cæterum ne quis proportionem,& analogiam inter pariter exactos ſenſus guſtatum, & odoratum putet, ſubiungit ſic eſſe analogiam, vt exactior ſit guſtus odoratu. Et ſi guſtum obtinemus exactorem odoratu,& conquiſitiorem inſtrumento, vi ipſa, temperamento linguæ,& forma latiore, ac tactu. Et ſi omnis ſenſus fit per cõtactum, cum omnis actio fiat per contactum ſaltem ſpeciei ſenſilis, & medij deferentis, tamen non per tangendi vim ſenſificam,ſicut guſtus,qui percipit calorem,& ſaporem ſimul. Hinc putatur guſtus quidam tactus. Siquidem guſtus quidam tactus,quem tactum homo habes exactiſſimum, & ſane exactiſſimum, quia homo eſt melioris temperamenti, & complexionis, quam quoduis animal cęlo,& mari, ac terra. Et ſi diutius viuit Elephans. Nam 300. annorum ſpatiũ aliqui, & ſi cerui, ac phenix longioris vitæ de qua conquerebatur Theophraſtus,quia natura homini nouerca fuit,& ceruis mater,quod huic breuem vitam,illis longam dediſſet, tamen aptius

homini

homini temperamentum est, & multo melius in dignoscendis rebus ob tactum sensum temperamenti, & alimenti, vt supra est proditum, & cum quibus alimur, his constemus. Nam alimentum est resarcimentum, vt ita dicam, iam partium, quæ quotidie tabescũt, iccirco si alimenti sensus est, & temperamenti erit. Quare exactissima vis datur exactioni temperamento. Hinc bene Alexander adiunxit animam humanam cæteris præstare, quia in corpore meliore maior, & melior anima sedet, & inest, nec tacuit Simplicius, qui subiunxit tactum meliorem homini, quia cutis est illi pertenuis, & maxime in vola manus & in ipso indice. Verum hoc annexum non ita perpetuum est, sicut Alexandrum de temperamento totius corporis. Medici tamen, quorum vnus Gal. primo lib. de temperamentis confirmat cutis medii temperamenti in homine, & in manu præcipue argumento censeri tactum esse perfectissimum. Corpus porro quadratum, & temperatissimum habet sensum hunc excellentiss. & quanto propius ad hoc genus temperamẽti quis accedit, tanto plus ad bonum redactum est temperamentum, sed redeat sermo ad contex. Aristot. vbi colligeretur ratio hunc in modum tactus exactissimus sensus in homine est exquisitior cęteris & temperamenti, & cutis, atque instrumenti coniecturis, sed gustus est quidam tactus dictis de causis, ergo gustus est sensus in homine conquisitor, & melior odoratu. Conclusio ibi. Et si gustum obtinemus &c. Minor oratio in his. Siquidem gustus, &c. Maior oratio ex his promitur quem homo habet, &c. Hactenus de secunda conclusione contex. prima fuit de proportione iam expressa. Sequitur tertia conclusio, sed cęteris sensibus diuisim, non aggregatim omnibus longe inferior est alijs animalibus. Lincæ, Aquila oculorum munere. Auditum psitaco, talpa, odoratu, vulturibus, canibus, leporibus, gustatu autem non video quibus sit inferior, si gustus est quidam tactus, cum ergo dicit author (cęteris sensibus) intellige tribus præter tactum, & gustum, alioquin si etiam comprehenderis gustatum cum illis excepto tactu facile cogeris Aristotelem palinodiam facere, & recontare, propterea quod cogeretur fateri sensu tactus esse hominem inferiorem cęteris animalibus, cum hæc ratio valeat non parum. Quæ gustu inferiora sunt, etiam tactu, siquidem gustus est quidam tactus, sed alijs animalibus homo inferior gustu ex tua assertione, ergo etiam tactu erit inferior. Quid si Plinius decimi lib. cap. 69. id præuidisset, & reliquisset. Ex sensibus ante cætera homini tactus, deinde gustus. Reliquis superatur a multis, si ergo tactu, & gustu antecellit, deque tactu quarta conclusio hæc. Contra autem, tactu longe excellentius exquisitus est homo, quam cętera omnia simul animalia, cum nullum teperiatur æquale sensu tangendi, siquidem nullum æquale temperamento corporis homini est, & sensus tangendi in quadam æquali temperie contrariorum, & organum eius consistunt. Persuadet deinceps corrollario hoc euidentissimo. Vnde & prudentissimum animalium dicitur. Qui pollet iudicio tangendi, hic prudentior dicitur. Sed cuiusmodi intelligenda est prudentia? Alexander pro quauis industria ex imaginatione orta, Simplicius vidit dubitationem, si quidem prudentia non est in multis animalibus, præsertim ea, quę soli competit homini. Hæc regula virtutum moralium, & dirigit intellectum practicum ad actionem, tresque comites habet intelligentiam præsentium. Memoriam præteritorum, prouidentiam futurorum, cuius vestigia videntur in animalibus, sicut Aristot. octauo de historia animalium libro conscripsit, & passim Plinius ab octauo lib. vsque ad vndecimum. Prudentiæ vestigium in formicis, quæ cumulant grana in suis ędibus tripertitis, vna pro defunctis, altera cumuli, tertia, vbi incolunt, & dormiunt. Nam prouident hyberno tempori. Recordantur penuriæ præteritorum, præsentem & aptam æstatem intelligit. Quid de coruo, de columba, de ichneumone, deque marinis, terrenis, volatilibus, quasi quicque genus sua fruitur prudentia. Humanum vero genus pollet virtute prudentiæ, & hoc inditio, quia in suo genere qui molli carne non ita, vt gelida admodum, sicut muliebri, nec puerili, & si etiam aptiores sint in suo sexu, & sua ætate molliores carne durioribus. Hinc rustici pueri, & colonæ mulieres ingenio sunt inferiores vrbanis, & ciuiliter educatis, nec sic molli, vt fiat prolapsus musculorum. Apud Cornelium celsum contigit hic morbus, sed constanti sunt, hi alijs ingeniosiores duris cutetenus, & carne cõmixta ex neruis venis tẽdinibus. Apud Gal. multiplex caro, de qua mox, nunc qualitate instrumenti tactus quod carnem esse indicat prudentiores, & rudiores homines facit. Hæc oratio scriptoris de inditio probante hominem prudentissimi animal, hocque inditio, quod homines alii alijs in suo genere, quo verbo excluduntur vermes, quidamque pisces molliores homine, quia hæc animalia non sunt in genere humano, nec verã carnẽ habent. Et tu addes in eodẽ genere, & sexu ętateq;, ac in valetudine bona. Pueri possunt esse mathematici, non autem prudentes testimonio Aristotel. in ethicis, & tamen car-

nes.

nes molliores viris habent, sed reuera non sunt in ea[d]em ætate in qua puerili, & si non prudentes, attamen molliores musculis præseferunt meliorem indolē ingenij, industriæ. Addenda etiam in eodem genere secundum naturam, quia consuetudine possunt, & arte effici & carne molliores aut duriores, atque perspicatiores ingenio, vel rudiores hebetioresque sunt ob huius sensus tactus instrumentum, quod instrumentum indicat esse carnem, & non ob aliud quicquam aliorum sensuum instrumentum quoad rerum sensilium notitiam, & rerum gerendarum in suo genere, sic fit comparatio nunc hominum interse non cum alijs animalibus. Docet ob tactus instrumentum homines rudiores, vel acutiores esse. Qui enim duri carne sunt, hi animo rudes. Contra qui molles carne, quam apti ingenio videntur. Ergo caro est instrumentum tactus. Ecquid si vnum sit? Sed videro suo loco, interea caro triplex. Vna viscerum parenchyma dictum ab trasistrato medico;, velut iocinoris, lienis, cordis, pulmonum, alia est caro intestinorum, ventriculi, vteri, omenti &c. Tertia vulgo dicta, quæ pars est musculorum fibris contexta, & cute duplici, & pinguedine plurimum redimita, quæ in pueris, & mulieribus, atque pinguibus mollis, & humidior, quam in reliquo sexu, & ętatibus. De hac nunc sermo est, si conferas sexum cum sexu simili & ętatem cum pari, vt ij pueri ingeniosiores alijs, & iuuenes, qui molliores sunt carne, & mulieres alijs mulieribus perpollent ingenio carne natiua molliores & non acquisititia, & præpingui pastu, aut alio simptomate sic constitute, cum mollitie temperata est humiditas, & pinguedo & cutis tenuis, alioqnin superflua, & densa cutis impedimento sunt ingenij, sed de his alias, nunc tactus iudicio, & actione homo alijs animalibus excellit, & in genere hominum qui molles carne ingenio anteeunt alios, licet homo odoratu sit inferior multis, & sat est præ cæteris pollere tactu, qui sensus est animali maxime necessarius ad vitam, & ad bene esse.

## Contex. LXXXIII.

*Vt porro saporis alter dulcis, alter vero amarus, sic etiam odores, sed alia quidem habent proportione conuenientem tactum, & odorem ceu dulcem odorem dulcem saporem. Alia vero secus. Simili modo acris acerbus, pinguis acutus odor. Verum (vt diximus) quia non admodum perspicui sunt odores a saporibus nomina deprompta sunt ob similitudinem rerum. Dulcis quidem a croco & melle. Acris autem a thymo, & similibus. Eodem item modo & in alijs.*



SVPRA proportionem dixit specierum odoris ad species saporum, nunc qualis sit ista proportio, & similitudo ostenditur. Re autem, & nomine similitudo fit. Et re cum dicitur. Vt porro saporis alter dulcis, alter vero amarus, sic etiā odores. Dulcem amarum præposuit tanquam prima contraria, e quibus medij sapores conficiuntur, vt Auerhoes prodidit, de quo videro capite de gustu. Sed nunc alius odor dulcis dicitur, alter amarus. Accipe nunc tabellam huiusmodi saporum, sicut etiam in opusculo de sensibus, sensilibus numerantur, vbi etiam odores pro saporibus

Accerbus odores
Ponticus
Acris
Austerus
Salsus
Amarus
Acutus
Acidus
Dulcis

Explicat, sed nihil obstat, si quædā res aliter habeāt saporē, quā odorē, vt aloes grati odoris, & ingrati saporis, & styrax, & ecōtra aliqua habēt gratū saporē & ingratū odorē, vt quædā tubera terræ, quinimo nō olent quædā, & tamē sapiunt nuces, castaneę, iuglandæ, & similia, nō obstat qdē, qa satis est similitudinē esse secundū ea, quę cōuenientē gustū, idest saporē, & odorē habēt, vt crocus mel dulces sapore, & odores obtinēt, & Thymus, porrū olent, & sapiunt aciter. Diuidit igitur olētia, & sapida. Sed alia quidē habēt proportione cōuenientem odorē, & tactum, idest gustatū, idest

idest saporem, siquidem gustus est quidam tactus, & vsurpatur sensus pro sensili. Exemplum, Ceu dulcem odorem dulcem saporem, vt mel, caro assa & id genus, Alia vero secus, scilicet nō habent conuenientem odorem, & saporem, Quia sapor dulcis, sed odor infestus, aut contra vt dictum est, Quinimo quædam sapiunt, & non odorem reddunt, præcipue insipida aqua, & aquea, cum odor cōsistit in siccitate, vt dicemus, Quædā autem olent & non sapiunt, vt muscus, zibetum, oldanum, & similia. Vt de dulci dedit exemplum dicit, simili modo acris, accerbus, pinguis, acutus odor dicitur, & amarus silet, quoniam facile depræhenditur ex suo contrario dulci, sed dices quomodo propriæ species odorum non proprijs nominibus gaudent, sed alia proportio nominum data est secundum sapores, Respondet, quia species odorum latent, iam supra dixit Arist. hominem habere deteriorem odoratum, quam pleraque alia animalia, iccirco nō probe discernit species, quas tamen cum aliquomodo depræhendit nominat eorum nominibus, cū quibus est maior similitudo, vt cum speciebus saporum. Verum (vt diximus) quia non admodum perspicui sunt odores, & noti ob id Plato id Timæo audacius forte, quam pareat, negauit species esse odoris dicens, Circa narium vim species non sunt. Semigenia enim odorum natura speciei vero nulli competit odorem vllum habere, & denique ait duas esse differentias odoris, quæ non sunt, sed nominibus explicantur his. suaui, & molesto. Hodie boni, & mali odores dicuntur vulgo Arist. autem asserit in natura esse multas species, & duas simpliciores; reliquas medias, vt sapores; sed latent, iccirco nomina desunt, vt fit etiam in alijs pluribus, quia igitur non sunt perspicuæ, sed latent species odorum e saporibus nomina eorum deprompta sunt ob similitudinem rerum, quæ olent, & sapiunt. Exempla. Dulcis quidem odor a croco sapons dulcis, apud alios acris in secundo gradu calefacientium, & primo exsiccantium cum vi adstringendi apud Gal. lib. 7. de simpl. medicam. facultatibus, quinimo vsus capitis dolorem excitat, apud Auicennam in copia datus veneni loco habetur, & melle dulcis saporis, & grati odoris Acris autem a Thymo, porro &c. Aduerte ad euitandam equiuocationem semper addendum nomen odoris, vt odor dulcis, odor amarus, Hoc enim modo sapores non intelliguntur, sed vt sapores natura, & arte fiunt, ita odores, & cum sint pene vtrique innumerabiles in species redacti noscuntur.

## Contex. LXXXIIII.

*Vt præterea est auditus, & quisque sensus, & ille auditilis, & non auditilis, & visus visilis, inuisilis, æque & odoratus odora tilis, & non odoratilis. Et non odoratile partim est quod non potest habere odorem, partim exiguum, vt malum habet similiter gustatile, & ingustatile dicitur.*




TRADIT commune odoratui, & alijs sensibus, & hoc est, quod sensus quisque percipit proprium obiectum, & sui priuationem, quam item multis modis intelligi explicabit. Vt præterea est auditus, & quisque sensus, & ille auditus rei auditilis nomen relatiuum ad auditum, non dixit absolutum soni, & nō auditilis, nō auditile non efficit speciē in medio, quæ deferatur ad sensum sed depræhenditur vel specie habitus, vel potius absentia speciei. Et visus visilis, inuisilis nomina relatiua, visile quod potest videri reddens speciem in medio, vel actionem sua præsentia in sensu, vt color, lumen. Inuisile qualecunque non potest edere speciem sui, aut non edit. æque & odoratus odoratilis, & non odoratilis nomina relatiua ad sensum odorandi, & ab obiecto odore. Odoratile vim habet edendi speciem, contra in odoratile. Cæterum distinguit priuationem & non odoratile partim est, quod non potest habere odorem, vt elementa, aurum, argentum, & id genus, atque aliā aliorum sensuum propria obiecta, vt sonus, color &c. partim exiguum ita, vt non percipiatur, nec percipi queat si statues hominem mensuram rerum ad cuius sensus metiare exigua, magna mediocria, sicut & Gale. in primo 2. de simpl. medic. facultatibus sapores iudicandos & alia proponit a sensibus hominis, & malum habet, intolerabilem, Addidit Simplicius interpres recte & vehementes odores, in dorabilesque dicit, quia corrumpant sensum & simmetriam sentiendi, eodem modo de gustatili

tili ingustatili dicit, adde tu de visili, auditili non auditili, & tactili non tactili, de quibus posteà satis est, vt sensus sit iudex & cognitor habitus, & priuationis cuiusmodi fuit dictum.

## Contex. LXXXV.


*ATque odoratus fit per medium, vt aerem, & aquam. Nam & quæ sunt in aquis videntur odorem sentire, ac quæ sanguinem habent, & quæ carent sanguine, vt quæ in aere, Quædam enim eorum procul ad cibum occurrunt odore incitata, Quare & dubium apparet, si omnia simili modo olfaciant. Homo quidem respirando, non respirando vero, sed exspirans aut continens spiritum non odoratur nec procul, nec prope. Neque si intra nares aliquid positum fuerit, & id quidem cum supra sensorium ponitur quid insensile esse omnibus sensibus commune est, proprium autem hominibus est non sentire sine respiratione, quod euidens est experientibus.*



ALIVD commune odoratui cum sensibus audiendi, & videndi ponitur, videlicet sentire per medium aerem, & aquam, Probatur odorari per aquã sicut fecit etiam libro quarto de historia animalium, & libello de sens. sensilibus. Atque odoratus pro actione ipsa fit per medium externum delatiuum, vt aerem, aquam, & per aquam declaratur. Nam & quæ sunt in aquis pisces, crocodili lutræ, In aquis sunt partim quæ degunt solum vitam in mari, fluminibus, lacubus, fontibus, lacunis, riuulis, atque & partim, quæ plus in aquis viuunt sed egrediuntur ad terram, vel ad summa æquoris volando, in egressu olfaciunt in aere sed in aqua per ipsam, vt vitulus marinus, crocodilus, & id genus, sed in aquis videntur odorem sentire, siue sanguinem habeant, siue sanguine careant, vt quæ in aere olfaciunt, vel expertia sanguinis apes, serpentes quidam, vel habentia sanguinem. Signo comprobatur, Quædam enim eorum in aquis procul ad cibum occurrunt odore incitata de quibus legeris caput octauum Arist. in quarto libro de historia animalium, Vt in aere alia sagacis, & acuti odoratus, vt venatorij canes, ita in aqua pisces. Aduerte tamen quia odor fit per medium aerem, & aquam delatiuum non esse medium vllum horum qua aer, & qua aqua sed qua media natura communis est aquæ, & aeri, sicut diaphaneitas erat natura media, ita hæc odorum delatiua, quam Theophrastus vocauit diosmon, hoc est odoris delatiuam Reliquum ex dictis elicit dubitationem duplicem, Nunquid omnia odorantia in aere similiter odorentur, & nunquid simili modo omnia odorantia in aqua olfaciant. Respondet primæ nõ simili modo odorari animalia, siquidem homo per aerem inspiratum odoratur icciрco homo non respirans, sed expirans, idest cum impetu emittens aerem ex ore, & naribus, aut cohibens anhelitum, & spiritum non odorat neque procul, nec prope, Vnde si ab homine sumenda est coniectura neque aliud animal anhelans sine attractu aeris, & redditu olfacit, Alia non respirantia animalia alio modo olfaciunt. Et in aqua non itidem olfaciunt animalia prẹsertim carentia sanguine, & habentia, & quæ solum in aqua olfaciunt & quẹ aliquando etiam in aerẹ, vt balenæ delphini, crocodilus, idque genus, Quare & dubium apparet si omnia simili modo olfaciunt vtpote quæ in aere simili modo, & quẹ in aqua, alioquin iam compertum est odorem non eodem modo perferri per aerem, & per aquam, Respondet ad dubium, & non simili modo odorari, quandoquidem homo, & respirantia animalia olfaciant anhelitu, & respiratione, signo quod non respirantia, sed vel cum impetu expirantia vel cohibentia aerem, spiritum non olfaciunt. Homo quidem respirãdo olfacit, non respirando vero, sed expirans, aut continens spiritum in naribus obstruendo, aut catarro defluente, & in ore sicut fecit ille seruus apud Galenum de motu musculorum thoracis, qui voluit mori contento, & cohibito spiritu intra præcordia impediens respirationem, & sistolẽ, cordis, purgarique fuligines non odoratur nec procul ab odoribus, vt vultures per quingenta millaria ad odorem cadauerum conuolarunt, nec prope, vt fit, Sed nec actio odorãdi fit posito odore supra sensorium, vt idest commune omnibus sensibus, quare indiget medio delatiuo speciei, quæ est spiritualis, & odor in subiecto corporeus materialis, neque si intra nares aliquid positum fuerit ratione communi sensuum, quia posito sensili supra sensiterium non fit sensus, & id quidem

dem cum supra sensorium ponitur quid insensile esse omnibus sensibus commune est, sed proprium homini euidenter & aliis quoque respirantibus non sentire sine respiratione, quod euidens est experientibus. Experientia rerum magistra.

## *Caput dilucidationis.*



CONSTAT ex hoc contextu elici plura. Primum odorandi actionem effici per media aerem, & aquam, contra quod Philoponus dubitat primum, quia boni odores superuenientibus foetoribus plerunque obscurantur, vnde ipsi pertingunt ad sensum, & non per medium quia in medio solum sunt spirituales, & vna species non obtundit aliam, nec obscurat Auerhoes vt de colore inquit, quia res ipsa coloris & qualitas est in subiecto colorato, sed in medio est color spiritalis, seu species coloris, ita odor in odorifero vt in thure cremato, sed in medio est species eius. Praeterea constat in crematis odoriferis fumos odoriferos ad nos peruenire sine medio, & maxime cum vestes afficiantur odoribus per odorifera immissa, certum est, quod per species spiritales non contraherent odorem. Atque odoribus absinthij vermes intereunt tineae, & similia odoribus pelluntur, quare non per medium deferuntur odores, Quocirca fuerunt qui ex corpore odorifero exhalationem, & vaporem exire putant, & hunc perferri ad sensum odorandi, signo quod qui excipiunt illum fumum euidenter odorantur; sed quoniã procul sunt quidam at tamen ad eos fumi exeuntes tenuiores procedunt, & ita fit sensus odorandi per materialem defluxum fumi odoriferi, non autem per speciem sensilem eius in medio, Cuius opinionis plane fuit Plato in Timęo arbitratus odorem effici in madefactione cum sicca madent, & tum exhalatio, & fumus ascendit, qui odor est, vt si liquor proijciatur in ferro aut lapide ignito exhalat, & fit fumus qui odor est, aut in liquefactione cum liquefit aliquid, prodit fumus, qui odor, vt cum liquefit assatum, aut aliquod odoriferum, aut in putrefactione, sicut in pomis & similibus, & apostematibus, vlceribus putridis, aut in euaporatione cum sublimantur, & euaporant, vnde Plato colligit odorem vel fumum esse, vel caliginem, fumum quidem, cum ex aqua in aerem quid conuertitur, caligo vero, cum ex aere abit in aquam, Videtur probabilis opinio, quia si fumus ex lignis vstis procedit longius & si semper attenuatur, cur non & corporeus odor, qui est fumalis vapor feriens odorem. Ac fumus penetrat nares, & os cum aere, idcirco intra cameras plenas fumo interiere aliqui cum fumum inspirarent ore, & naribus, cur non odor erit tenue corpus fumi, & penetrabit nares? Verum huius opinionis alij fumum illũ odorem corpus tenuissimum putant vsque ad sensorium vsque accedere, & sensum mouere, quod Auerhoes confutat dicens vultures, & tigras odore cadauerum in praelio longis itineribus quingentorum miliariorum peruenisse ad cadauera cibi causa, quare odor ille, & corpus tenuissimum extensum nimis esset, & ingentis molis, & maxime quod si odor exit ab odorifero in cẽtro spacij, proculdubio sicut extenditur ad orientem, aeque ad occidentem, & austrum, & septentrionem quare per duo mille miliaria odor cadauerum diffusus fuisset, magnum sane corpus licet subtilissimum, Adde illud corpus vel penetrare aerem, vel simul cum aere esse, duo corpora simul. Vtrunque absurdum quarto libro phys. quod si cedit aer huic corpori, recipietur in vacuo iampridem libro citato irrisum, quinimo cũ possint esse plurima odorifera in eisdẽ spatiis edent diuersos odores, & ita diuersa corpora simul in eodem puncto interualli, Absonum, Nec obstat dicere propterea odores corpora esse quia a ventis conferuntur, quia etiã soni conferuntur, nec sunt corpora, Verum aer a ventis impellitur ob id soni, & odores impelluntur, Alii autem non extendi odores, & illa corpora vsque ad sensorium, sed ad certum spatium, vbi aer qualitate eorum imprimitur, sed ridicula opinio, siquidem qua ratione potest ibi odor qualitatem sui in aere edere, sed etiam principio, cum sit aer aeque dispositis, Quare odor non est corpus nec tenue, nec subtile, sed qualitas materialis nata ex sapore seu sapida siccitate diluta humore aeris, vel aquae, cum exhalat & ad medium, & inde ad odoratum contendit sentitur, Quod vero non sit corpus ex dictis liquet, atque etiam cum penetraret aquam corrumperetur corpus illud, attamen etiam conseruatur odor in aqua testimonio odorantium, sed corrumperetur nimia humiditate, quoniam fumant aquae, sed fumi intra altius penetra-



read

re ad pisces non admittuntur, permittitur autem qualitas odorifera, quia apta est suscipi ab aqua spiritalis, & si aqua & simplicia elementa non edant odores, nisi mare ob salsedinem, & siccitatem, & vno verbo insipida non pariunt odores, velut odor pomi, florum fit ex siccitate sapida diluta humore vel aeris, vel aquæ, verum adde tu tria odorum genera. Vnum incitamentum quasi ad vescendum, alterum ad delectationem, vt rosarum odor. Tertium fœtoris, seu grauis odoris, quo sæpe enecantur animalia. Hoc tertium dissidet a primo quia non incitat ad escam, & a secundo, quia potius molestiam infert, quam delectationem, vtcunque omnis odor est qualitas corporea extensa in odorifero apta edere similitudinem sui in medio aere, aqua deferente eam ad sensum, Editur omnis hæc qualitas secunda ope caloris a siccitate sapida diluta humore vel aeris, vel aquæ, apta procreare similitudinem sui in medio delatiuo ad nares tanquam meatus odoris perferendi per aerem intra nares vsque ad ossa colatoria instat cribri perforata, vt actio conscendat ad primos ventriculos cerebri vbi est vis sensifica, Quare habes quid odor, quomodoque fiat, quomodoque per medium sentiatur, & qualia sint instrumenta & quo conscendat per membranam circa ossa colatoria ad cerebrum, Vnde nec os nasi, nec tunicæ, nec cartilagines, nec alæ nasi, nec aere inclusus instrumenta sunt odoratus, sed viæ, & tramites per quos aer defert odores ad membranam illam, & neruos instrumenta, Membrana perforata, & ossa colatoria, minimeque aperiuntur in consensu odorum, sicut visus est Aristot. dixisse, Iam enim aperta sunt, quare longe falluntur qui odorem corpus putant, nec obstat manus odor obtundit alium, Nam & color id facit in medio, quamuis qualitas sit. Atque si vestes odoribus afficiantur, qualitatibus non corporibus afficiuntur, Atque vermes qualitate odorabili absinthij intereunt, De fumo autem credibile quod deferat odorem non eundem esse odorem, Nec fumus, caligo est odor, Intereunt præterea homines fumo non odoribus nisi perniciosis admodum qualitatibus cum in cella conclusi non possunt respirare, quæ perfrigerent cor, Quare ea argumenta non obstant assertioni nostræ de odore, quem qualitatem putamus in odorifero corpore, sed in medio, & sensorio, ac sensu species odoris sunt.

## Contex. LXXXVI.

*Atque ita quæ sanguine carent, quia non respirant, alios sensus habent ab his, qui dicti sunt, sed id fieri non potest, siquidem odorem sentiunt, olfatus enim sensus odorabilis bene, & male olentium est, Quinetiã corrumpi videtur a vehementibus odoribus, quibus & homo perit, ceu bituminis & sulphuris, ac eiusmodi, Quare illa odorentur necesse est licet non respirando.*



VONIAM statuit supra quæ non respirant in aquis, & alibi odorare sine respiratione, ne quis alium in his odoratum diuersum putet ab alijs odorantibus cum anhelitu subiungit dicens etiam illa sine respiratione odorari per sensum odoratus compertum est apes a remotis accedere ad odorem mellis, Euidens item insecta aut pelli suffitu fœtoris, grauisque odoris, quinetiam perire, Constat pisces odorari in aqua sine respiratione, quare sensum odoratus obtineat, & non alium, sed eundem genere licet alio modo. quod binis confirmatur argumentis, de quibus postea, si prius dubitatio legatur Atque ita, quæ sanguine carent, quia non respirant alios sensus habent ab his, qui dicti sunt, oppugnatur id primo argumento, sed id fieri non potest, siquidem odorem sentiunt non respirantia, ergo odoratu, assumptio declaratur, quodcunque sentit bene, maleque olens sentit odorem per odoratum, sed non respirantia sentiunt bene, maleque quod olet, ergo odoratu hæc sentiunt, & non alio sensu, Olfatus enim sensus odorabilis bene, & male olentium est, male olentia dicit quæ animalia refugiunt, quæque perniciem inferunt, Dubium est quod si animalia non percipiunt suaueis odores, quomodo molestos perniciosos sentiant. Arist. in libello de sensibus, sensilibus negat suaues odores percipi ab animalibus

bus citra hominem nisi indices sint saporum, ac alimoniæ, quomodo nunc fatetur ea sentire male olentia, nisi hæc sentiantur quasi indicia non probi alimenti, sicut serpentes ex suffitu cornuum odores nitant & odorem herbæ quam polion vocant non quia male olent, & afferant molestiam, sed quia perniciem vitæ inferunt, secundo vtitur argumento, Quinetiam illa animalia sine anhelitu corrumpi videntur a vehementibus odoribus, quibus, & homo, perit, ceu bituminis, & sulphuris, ac eiusmodi lætalium venenorum. vt cicutæ, napelli, & aconiti, horumque similium. Quare illa odorentur animalia necesse est, licet non respirando, neque alio vtuntur sensu odorandi, Verum admonendus lector medium inspirari accidere odorandi actioni, quoniam sentitur odor per aerem non qua seruit anhelitui, sed qua delatiuum odoris ad sensorium, Cæterum odor absinthij, abrotoni, foliorum citri, nardi, cedriæ tineas a vestibus arcet. Culices abigit fetor aceti, Corij vsti odor reuocat hystericas mulieres serpentes fugat, vsti platani odor fugat vespertiliones, Historiam alibi longiorem scribendam duxi, nunc ad reliqua.

## Contex. LXXXVII.

*Videtur tamen sensorium hominibus diuersum ab alijs aliorum animalium, vt oculi eorum ab illis, in quibus duri sunt oculi, Hi enim habent palpebras tanquam velamen, & integumentum, quibus non motis, neque diductis non cernunt. At vero, quæ duros habent oculos, nihil huiusmodi obtinent, sed confestim cernunt quæ fiunt in pellucido, Hoc itaque pacto sensorium habens vim odorandi nonnullis tectum est, vt oculus, quod in recipientibus aerem tegumentum dum respirant detegitur quando dilatantur venæ, & meatus, & ob id respirantia non olfaciunt in humido, & cum necesset sit odorando respirare, id fieri non potest in humido, Odor certe est sicci, sicut sapor humidi, & quod vim habet odorandi est potestate huiusmodi.*



VT conclusit animalia non anhelantia odorari non per alium sensum, quam per odoratum vt respirantia, affert tamen diuersitatem non in sensu, sed in sensorijs, cum respirantia sensorium odorandi habeant coopertum mēbrana, & circumuallatū, quale detegere oportet si odor peruenire debet ad sensum, & cerebrum, & detegi non potest nisi per aerem inspiratum qui pellit membranam, non autem est sic sensorium odorandi in animalibus non respirantibus, quæ sine integumento, & obductu membranæ apertum iter habent odori delato ad sensum per aerem, vel aquam, quod similitudine sensorium videndi ostenditur. Nam oculi hominum, & aliquorum animalium palpebris teguntur, quæ nisi aperiantur, non cernitur, & palpedræ datæ sunt mollibus oculis custodiendis at vero alia extant animalia habentia oculos duros, quibus non opus est tutela palpebrarum, velut cancrorum, & similium, iccirco cernunt confestim sine diductis palpebris simili vt dixi modo accidit olfacientibus cum respiratione, his opus est, vt detegatur sensorium, & membrana det locum odori delato per aerem, iccirco odorantia per respirationem in humido, & aqua non odorantur, quia ibi respirare non possunt defectu aeris, vel occursu aque implētis nares, & obturantis partes meatus, ac neruos. Postremo quid sit odor materialis affert cui addendum vt definitio sit odoris etiam qua sensilis legito contextum sic & si non alius odorandi sensus in odorantibus sine respiratione, ab illo in respirantibus. videtur tamen sensorium in hominibus, quorum certior anatome diuersum ab alijs aliorum animalium præcipue non odorantium per anhelitum. Similitudo. vt oculi eorum hominum differunt ab illis, in quibus duri sunt oculi, & cætera lege perspicua ex dictis, sed dubium est primum de qua respiratione loquatur an per os, an per nares, Nam respiratio ore facta non facit ad odoratum, comprime nares, & duc angelitum quantumuis ore non odoraberis, si ob id de respiratione per nares sermo est philosophi, quomodo illa aeris per nares ingressus respiratio dicitur? cū in libello de spiratione Arist. intelligat eam, quæ fit ore. Atque secundum dubium ex libello Galeni de instrumento odoratus promitur, quia Aristot. videtur asserere velamē, & membranam ingressu aeris

delatiui odorum detegi, quod falsum est, primo quia inserta non potest neque dehiscere nedum aperiri, Quinetiam illa perforata est multis foraminibus, iccirco præuia, & patens est, vt per foramina traiiciatur aer delatorius odoris sine apertione, & detectione, nisi excrementis innuo crassiore, & simili obturentur. Sed id est præter naturam, & morbus, sermo fit de odoratu naturali, Quinetiam similitudo de palpebris, & integumentis odoratus non similis, cum tollere palpebras, & aperire sit functio voluntaria, & reserare meatus operculi odoratorij sensorij functio sit naturalis, & ne alia subiiciam lege caput quintum libelli de instrumento odoratus Galeni. Tertium dubium philoponi est de animalibus degentibus vitam ancipitem tum in litoribus, tum in mari, vt vitulus marinus, delphinus, Balena, atque crocodilus, Nam in aqua sine anhelitu odorari debent, & in aere cum anhelitu. Ad hæc dicendum, Primum diluitur, quia de inspiratione per nares sermo est, cui annexa est illa ex ore, sed dices ad quid illa inspiratio per nares, cum cerebrum sit frigidissimum apud Aristot. secus apud Gal. quia calidum poterit ex inspiratione narium perfrigerari, Nisi illa respiratio narium sit Aristotelice ad purgandas tunicas, & meatus narium, & ad odorem, De secundo dubio dicito & si opercula illa ossium colatoriorum perforata sunt, attamen considerat, & plerunque mucco excrementis oppleta, iccirco aeris ingressu diducuntur partes, & foramina, dilatantur meatus, & venæ, idest nerui. Quoad motum voluntariũ respirationis per os forte illud verum, sed non de inspiratione per nares, tametsi etiam odoramus cum volumus, & actio est voluntaria. Ad tertium respondet Philoponus dicens non mirum si natura dederit duo instrumenta odorãdi animalibus in aqua, & terra viuẽtibus, ego dixerim vnũ aptum sensorium affici mari, & in aere, Cæterum paucis quid sit odor, quid sit sensus odorandi affert. Est odor sicci non terreni, sed ignei, iccirco odorifera igne exhalant, & colore putrida, atque fructus maturiores edunt magis odores, thus, myrrha, & similia incensa edunt odores cũ fumo, Verum aduerte subesse oportere humiditatem, quæ exhalet. sicca admodum non conferunt odorem, vt stipulæ paleæ, siccissimaque ligna, Atq; requiritur humidum, quia odorabile est quod sapit, sapor est sicci terrestis dilutus humido aqueo præsertim, & si odor ex siccitate fit abluta humore aereo, vt Aristot. prodidit in libello de sensibus sensilibus, & Plato in Timæo asseruit odorum naturam semigeneam in aere, & aqua confici. Definitur denique sensus odorandi, cõmunem definitionemq; adaptat, cum quisq; sensus sit potentia tale, quale est sensile actu per formam, & qualitatem receptam in sensu, & delatam per medium, Quare odorans capax, seu odoratiuum, seu quod vim habet odorandi idest sensus est potestate huiusmodi, scilicet odor. Sed fit actu, cum fuisset prius in potentia capax, Verum sensus, & sensorium, ac medium non sunt actu talia, qualia sunt ipsa corpora odorifera, alioquin processus esset ad infinitum, sed actu fiunt talia qualia esse possunt, cum medium intentionem, & similitudinem odoris capiat, atque sensorium, & sensus, sed medium deferendo, sensorium alterando, sensum perficiendo, Dubitat Philoponus non bene dici odorem sicci, cum sit & humidi, vt planum est, nec saporem humidi, cum sit itẽ sicci. Respondebis intelligi prædominio odorem affici a sicco igneo humido exhalante, & saporem dominãte humido cui sit commixtum siccum agente calore, iccirco elementa simplicia nõ dant odorem, nec sapiunt, quia odor, & sapor sunt affectiones mixtionum, & non omnium, nec aurum sapit & dat odorem quoniam non exhalat igne, & nimium sicca, atque densa, Adamas & pleraque gemmæ, nix pura, glacies, vitrum, & id genus insipidorum, & frigidorum maxime, Hinc scito cum sint quatuor elementa, & organum visus ignibus apud Plat. Gale. tributum, qui existimant igneam inesse facultatem oculis ex multis argumentis, vt est author Aristot. in libello de sensibus sensilibus, contra quos decernit oculos aqueæ naturæ, & auditus organum aeri, & gustus instrumentum terreum, & tactus, ignibus odoratum, & odor non fumus est, neque vapor, sed instar fumi emanat ab odorifero qualitas ipsa receptibilis ab aere, & aqua vsque ad odorandi instrumentum, & cerebrum, quo fumi, & instar fumorum odores exhalant, Scito præterea de odore, vt de lumine, colore, sono disputari, quatenus edunt actiones in sensibus, & si aliquando de his agit quatenus talia contra in opusculo de sensibus differitur primum de sensilium natura qua talia, & connectitur disputatio de hisce qua feriunt sensus, Scito item, vt in aspectu sensile erat lumen, color, medium diaphaneytas, pespicuitas, maxime vtrinque, cum diaphanũ triplex, Vnum vere diaphanum ex omni latere traijciens visile, & aliud in superficie solum, vt specula calybea, & quidam lapides præciosi, & vbi sola lenia sint madida aqueo humore, quo diaphana, & lenia redduntur etiam marmora, & ligna, & lapides, & tertium solidum diaphanũ vsque ad profundum, atque præter diaphanũ oculi, & pupilla. humidũ crystallinũ, & sensus, atq; in au-

in auditu sonus, Media aer, aqua per mediã naturã Theophrasto dictã, dieches, id est soni traiectricem, & sensorium aerem connatum, membranam, neruum, ac sensum audiendi, ita in odore hæc sunt, odor, media aer, aqua per mediam naturam dictam ab eodem diosmon. ductricem odoris, sensorium membrana perforata ad ossa colatoria, & neruus atque sensus, quibus fit actio odorandi, & sensus fit actu odoratile, cuiusmodi erat in potentia tale, illud mirum quod Arist. primum, vbique sensiterium cor fecerit, & in libello de sensibus ad caput odores conscendere dixerit? Nisi ad caput frigidissimum odor temperandi causa petat, & denique in cor perueniat. Hinc odoribus vis vitalis resipiscit in sincope lipotomia, liposichia defectu animi, quæ affectiones sunt cordis. Vnde non exigua dubitatio oritur, an odores ad cor perueniant, an ad cerebrũ tanquam ad supremum sensitorium. Medici ad cerebrum omnia sensilia origunt, Aristotelici ad cor, & si instrumenta sint disposita præter tactum fusum vndique circa caput, ob id Aristot. octauo cap. libri secundi de partibus animalium sensum omnem a corde prouenire dixit, & si organa demandata sint capiti parte priore ob sinceritatem sanguinis, quia sanguinis feruor, & agitatio impedit officium sentiendi, contra Galenus asserit omnem vim in cerebro sentiendi, atque facultatem, & essentiam, spiritumque animalem vicarium animæ vel summum, & potissimum instrumentum, sed id alio loco fusius, nunc ad odorum genera nominibus potius expressa, & cõditionibus explicata. Tabella

Iucundus
Molestus
Suauis
Ingratus
Escarius
Voluptarius solum
Mites
Vehementes
Magni
Parui
Bene olentes
Male olentes
Acuti
Graues

Hæc menphorice dicuntur. Sunt qui animalia expertia putant non percipere odores iucundos, & molestos, suaues, ingratos. sed nisi escarios suaueis plus minus, & refugiunt molestos contra alimentum eorum, sed oldani, zibeti, musci, camphoræ, rosarum, liliorum, arancium, limonum, & similium odores, quippe qui ad escam non conferunt non sentiunt, ego censuerim elephantes, & animalia pleraque percipere odores gratos, atque suaueis re ipsa & si nomina nesciant, siquidem loca habitant odora sibi conuenientia, signo, quod molestos refugiunt odores, & his plerunque intereunt, ergo gratis, & conuenientibus naturæ gaudent, sed hactenus de odoribus

## *Caput quintum de gustatu tomi quinti de gustatili sapore, de medio, de organo, de actione, de sensu &c.*

## Contex. LXXXVII.

*GVstatile etiam quoddam tactile. Et causa hæc est, vt idipsum non sensile sit per medium externum corpus siquidem nec tactus. Ac corpus, in quo tanquam in materia est ipse sapor gustatilis humidum est, idque quoddam est tactile. Vnde si essemus in aqua dulce illi admixtum perciperemus, nec tum sensus nobis per inter medium, sed quia admixtum esset humido, vt sit in potione. At vero color non cernitur, quia miscetur, neque per deflexus. Non ergo sicut ibi medium.*



E ordine Auerhoes etiam addit primum de gustatu, quam de tactu,& post tres iam expressos sensus dici secundum ordinem cæptum a meliori, id est a nobiliori, vt etiam comment. supra 77. Incuria fuit vertendi ex arabico in latinum. Alioquin melior est tactus odoratu auditu, visu, & gustus itidem, quare dato ordine a nobiliori ad ea quæ sunt magis necessaria, & communia secundum naturam quartus locus dicendi debetur gustatui, & postea tactui quintus, qui communissimus est omnibus animalibus, nec vllum sine illo. Quædam autem sine gustatu putantur animalia. ceu conchæ, patellæ in mari, & ostreæ tactu solum præditæ repugnante quidem Plinio decimi lib. cap. 71. & asserente gustum omnibus communem, cum omnia saporem sequantur. Aristotel. visus est supra tactum dixisse sine alijs posse consistere, sed aliorum nullum sine illo, attamen necessarius est gustus. Hæc de ordine dicendi secundum alios sensus. Restat ordo dicendi in hoc capite de gustu, cum quatuor occurrant explicanda. Sensile, quod gustatile vocat nomine quidem relato ad potentiam sensus gustandi. Gustatile gustus gustatile. Medium non delatiuum, ceu aqua, aer, & alienum, sed medium proprium internum, & propinquum, alioquin non gustaretur, quia sensile impositum sensorio, & sensui sine vllo medio non sentitur. Instrumentum gustandi, velut linguæ pars neruea. Et gustus, qui sensus est, & animi facultas, seu potentia patibilis a sapore. Ordo iam receptus incipiendi a sensili obseruatur, quia ex illis quatuor ordimur ab obiecto, a gustatili, quod est commune nomen omnibus saporibus. Omnis enim sapor gustatilis. Verum sapor est nomen absolutum qualitatis secundæ in tertio genere chategoriæ qualitatis, qui oritur ex commixtione primarum. De gustatili igitur primum proponitur. Gustatile etiam, si dicendum est de omni sensu proprie, vt promissum fuit quoddam tactile. Hæc propositio probatur duplici argumento, & in primo videtur vna etiam decernere de medio gustandi ita, vt pleriq; decepti sint arbitrati doceri gustum non sentire per medium extraneum, cum ex ea declaretur gustatile esse tactile quoddã. Auerh. tum longe melius cui subscripsit, quoniã videbatur mens scriptoris nõ docere gustum non effici per medium externum, sed potius docere gustatile esse quoddam tactile, quia non per medium foris tactile percipitur, & gustatile æque non per medium extrinsecum, ergo gustatile est quoddam, seu quodammodo tactile. De obiecto ergo gustatus ad primũ esse ipsum quodam tactile. Veruntamen verbotenus hæc melior erit explicatio, quã illa Auerh. nunc perspecta magis, præterquam quod etiam contextus Auerh. deprauatus est, cum pro obiectis tactili, gustatili legat gustum esse aliquem tactum, & plane vide nomina scripta obiectorum sicut Alexander item legit gustatile esse quoddam tactile, non sicut Auerh. qui accepit nomina sensuum. Quamquam sequãtur gustatile est quoddam tactile, ergo gustus est quidam tactus, vt bene Themistius colligit, tamen ordo postulat dici primum de obiecto gustatili, quam de sensu gustandi. Proponitur ergo gustatile esse quoddam tactile, quia non omne tactile est, nec omnimodo. Non omne tactile quidem, quia cum gustatilis sapor versetur in humido, quale diluit sic cum terreum, non versatur in omni tactili primum, non enim in siccitate ignea, neque in secundis qualitatibus tactilibus aspero, leni, duro molli, & similibus, nec omni versatur modo, quia aliud est calidum, humidum, & aliud humidum saporosum. Equidem si obiecta differunt ceu sapor, & color, ac tactile, sensus differunt etiam, & si sensus, etiam obiecta. Cum præterea tactilis sit qualitas elementi simplicis, ceu calor ignis, siccitas, humiditasque aeris, aquæ Simpliciũ, & tamen sapor non potest esse simplex, quia est humidi, & sicci affectio. Ergo recte dicitur quoddam tactile, & non omne gustatile est. Minor ob id a græcis quibusdam non animaduersum illud. Quoddam præmissa igitur propositione hac gustatile esse quoddam tactile, interiecit author quoddam scitum de medio, per quod percipitur gustatile, & deinde adducitur ratio, cur gustatile est quoddam tactile. Et censuerim illud scitum adijci, quo persuadeatur vt sit propositio vera. Vnde bene Them. & Simplicius interpretantur, qui Simpl. asserit intelligẽdam propositionem non secundum se, sed secundum materiam, quia alia est ratio & forma gustatilis, & tactilis, quod Auerh. notabit. Verum declarauimus neque omnino secundum materiæ idem esse gustatile, & tactile, sed quodam subiecto. Hoc scitum est. Et causa hæc est, quia gustatile est quoddam tactile, vt idipsum gustatile non sensile sit per medium, & quoniam duplex medium. Intimum, & externum, atque vnum recipiendi solum, alterum etiam delatiuum sensilis actionem, vel speciem ad sensorium apud Aristot. subiungitur gustatile non sensile per medium externum, ceu per aerem, aut aquam, quæ iure differt gustatile ab odore, sono, colore, quæ sensilia deferuntur

per

per media dicta extranea ad sensoria, licet medio intimo gustetur, iccirco additur externum corpus ceu aerem aquam, quæ sunt media delatiua speciei obiecti ab eodem abstractæ. Non sentiri per medium docetur externum, quia nec tactus, seu nec tactile percipit, aut percipitur per mediũ extraneum. Siquidem nec tactus. Ratio dupliciter perfici potest a causa & signo. A causa in cõtextu est. Quicquid tactile, non sentitur per medium. Gustatile est quoddam tactile, ergo gustatile non percipitur per medium externũ. Hæc ex textu ratio. A signo autem. Quicquid per medium extraneum non sentitur primum, tactile, gustatile non sentitur primum medio externo, ergo gustatile tactile. Prima ex textu est, in quo item secunda sequitur quæ probat gustatile tactile esse ratione materiæ. Quicquid consistit in humido, velut in materia, etiam tactile est, sed sapor gustatilis versatur in humido, velut in materia, ergo gustatile est tactile non forma, & ratione, & omnino materia, & eodem modo, sed quodammodo, siquidem humidum tactile potest esse simplex ceu elementi simplicis, cuiusmodi non est materia gustus, aut gustatilis, quia tale est mixtum ex sicco, & humido Perciperẽtur qualitates elementorum a gustu, vt silentium ab auditu. Dico qualitates Simplicium tanquam insipidæ. Cæterum simul ex corrollario subnexo hoc. Vnde si essemus in aqua dulci apposito, dulce illi admixtum, iniectum aliunde adductum, non natiuum perciperemus, nec tum sensus nobis per medium delatiuum externum, sed quia dulce esset admixtum humido, vt fit in potione dulcorata, cum bibitur & per medium intimum fieret, ostenditur simul versari gustus in humido, & percipere sine medio, contra quam color, sonus, odor, quæ non percipiuntur solo medio intimo, & connaturali, vt aere intra aures sonus, & odor aere intra nares, sed etiam medio delatiuo externo, cum per species abstractus a corporibus obiectis percipiantur. Vnde Auerh. suam affirmat opinionem comment. 97. de odore, qui non sit corpus in medio externo, sed species odoris, vbi corpus esset quoddam subtile dicentibus Galeno, Auicena ceu fumus, & exhalatio, vt quoque videtur Plato testatus in Timeo olfactus esset tactus, quia sine medio olfaceret. De quo admiror maxime Auerh. qui ignorasse videtur etiam tactum, & gustatum sentire per species spirituales, & non corporeas, quia omnis sensus est capax specierum sine materia sicut patebit, & iam eluxit quia omnis sensus in sentiendo perficitur, nec vere patitur, quomodo ergo a corpore afficeretur sine vera alteratione, & affectione sensus gustus, & tactus? Quare vt colligatur oratio, gustatile est quoddam tactile, & non sentitur per medium extraneum, sed solo interno. Iccirco leges. At vero color non cernitur quia miscetur qualitas ipsa aeri, vel aquæ aut oculo, neque per defluxus, quo in verbo reprehendit opinionem triplicem asserẽtem fieri visionem per contactum qualitatis ipsius vel coloris, vel luminis. Vna Democriti, qui defluxum visilium ad oculos tradidit. Altera Empedoclis teste Platone in Timeo cecinit colores esse defluxus ad oculos. Tertia prospectiuæ disciplinæ, quæ cum Platonicis radios micare ab oculis vsque ac rem visam putat, & hæc effici visionem per contactum rei visæ tradidit. Nunc autem duas priores arguit per defluxus verbum, de quibus hæc item in libello de sens. & sensilibus secundum meam translationem. Quemadmodum veteres colores quosdam de- „
fluxus esse tradiderunt, quibus sane quicque videretur, absurdum est dicere. Nam tactu singuli „
sentiantur necesse est. Quamobrem multo melius est interuallum inter sensum, & id quod cadit „
sub sensum mutari ab eo, quam tactu, & defluxu cernendi sensum effici. Ex his elicitur opinio „
Aristotel. vt tribus sensibus medium externum aer, vel aqua, aut media natura non recipiat colorem ipsum, nec sonum, nec odorem. Alioquin aer coloraretur multis modis, & corpus fieret sonatile, & odoratile, sed recipit solum vim, aut speciem sensilem spiritualem obiectorum, qualem defert ad sensiteria, & inde sensus capiunt sensilia. Gustatus autem, & tactus non egent hoc medio, quia obiecta afficiunt media intima sine externis qualitate ipsa, vnde sensiteria, & sensus species recipiunt sensilium.

## *Caput dubiorum utile perscrutanti diligenter.*



T si metaphorice gustare dicimus pro notitia intelligendi, velut dicitur, ne primoribus labris gustauit quidem artem Melissi, tamen dicitur de gustu qui verus est sensus Vt nomen ostendit quasi gustus a gulæ standus, cum omnis sapor fiat causa gulæ, & alimenti, de quo quæritur, ne sit quidam tactus, ceu gustatile quoddam tactile, si valet hoc

hoc argumentum, ergo guſtus eſt quidam tactus, ergo tactus, quia ab inferiori ad ſuperius valet ratio. Hoc abſurdum quia ſunt duo ſenſus diuerſi, ſi quidem ſunt quinque omnes externi, de quo erit decretum Ariſtotel. cũ, cum non plures quinque decreuerit, atque diuerſi ſunt ſenſus diuerſitate inſtrumentorum, cum lingua vel nerui in ea parte ſint inſtrumenta guſtus, & inſtrumẽta tactus fuſa ſint per omne corpus, ceu D. Thomas nouit. Diuerſi item ſunt obiecto, quia ſapor eſt proprium ſenſile guſtui, & qualitates primæ calor gelu, & reliquæ tactui, ac eſſentia, & forma etiam alia ſit diffinitio guſtus, & alia tactus. Rurſus ſicut non probabile id ſapor in pomo, candor in pomo, ergo ſapor eſt candor, ita nec guſtus in humido verſatur, & in humido tactus, ergo guſtus eſt quidam tactus. Quinimo Ariſtotel. primo phyſicorum in Parmenidem diſputando aſſeruit, ſi omnia eſſent vnum ſubiecto, tamen plura eſſent, & diuerſa ratione. Quinetiam ſapor conſiſtit potius in ſicco terreo, quam in humore nõ ſolum verbis authoris in libello de ſenſib. ſenſil. & Alexandri in vtriſque huius, & illius opuſculi commentarijs, ſed etiam experientia, quia vbi plus humidi minus ſaporis, icciro aqua mera inſipida a medicis dicitur, & non poſſe nutrire. Dilutiora ſemper minus ſapiunt. Ariſt. libello de ſenſ. ſenſilibus aquam inſipidam ait, nec actu vllum habere ſaporem, nec perexiguum ſicut cecinit Empedocles, cum fructus ſaporem contrahant ex caliditate ſolis, & non ex humido, & ſucco eorum, & ob id ibi ſaporem effici a calido diluto ſicco terreſtri in humido, vt liquet diluto cinere per aquam in lixiuio amareſcit lixiuium. Verum qa guſtus ad nutriendum animal relatus ſapores guſtat, qui ex ſicco nutriente oriuntur, ob id oblectatur dulci, & vbi commixti ſapores ſunt attrahit dulce vis nutrix, & relinquit ſalſum & amarum, quare non ſicut contextus aſſerit guſtatus, & guſtatile verſantur in humido. Adde non poſſe quid agi, niſi intermedio aere, quia inter duo ſolida ſemper aer vel aqua intercipitur, ergo guſtatile non poteſt afficere linguam, niſi aer interponatur, vel humor cum ſemper ſaliua interiecta videntur. Poſtremo de ordine non eſt quid certi aſſerere, cum in citato libello de ſenſ. ante ſermo fiat ante de ſaporibus, & guſtu, quam de odoribus, & odoratu, & bona quidem ratione, propterea quod clarius eſt ſaporum genus, quam odorum quippe cum homo peiorem odoratum habeat, quam alia animalia, vt aſſeritur in eo libello, & ſi caſtigatius in hoc legimus ſupra deteriorem nobis eſſe hunc ſenſum complurium animalium ſenſu, quod crediderim, illud vero nunquam hominem odoratu omnium animalium ſuum deteriorem habere. Magnum eſt dicere omnium, ſi ergo clarius genus ſaporum, ergo præcedere debet, cum maxime ſpecies odorum ſequantur illas ſaporum. Adde Platonem in Timeo cũ fatur de ſenſibus cepiſſe a tactu, poſtea a ſapore, & guſtu. Deinde ab odore, & odoratu, mox ad auditum. Denique ad oculos, & aſpectum contrario ordine, quam fecit Ariſtotel. Ad quæ argumenta reſponſurus breuiter dixero ſecundum ordinem. De primo ratio concludit, ſi guſtus eſt quidam tactus, ergo eſt tactus cuiuſmodi ſcilicet quidam tactus eſt materia quadam, & non forma, quia diuerſi ſenſus ſunt, vt prudenter ratio colligebat. Veruntamen quodammodo eſt guſtus tactus, quia nunquam guſtare poſſumus, quin tangimus, & ſi obiectum tactus plerunque non animaduertitur aſſerente quoque Themiſtio. Vrinatores percipiunt maris ſalſuginem ſine humiditate, verum non poſſunt percipere niſi humidum ſubijciatur, qua ratione videtur quidam tactus ſentiendi non contactus quidam corporum, aut rerum. Alioquin omnis ſenſus fit per contactum ſaltem medij cum ſenſiterio. Quare guſtus eſt tactu ob materiam ſubiunctã ſapori, & Philoponus intellexit guſtum eſſe tactum, ideſt per tactum fieri rei ſapidæ quæ humida & ſicca eſt commixte, & vtraque percipitur tactu. De ſecundo dixeris quinimo ſubiecto idem eſſe candorem, & ſaporem, nõ autem propria ratione, & forma. Aeque guſtus & tactus ſubiecta re non autem ratione. Sed dicet quis, cum odor verſetur in humido ſiccitate ignea aduſto, & vtrunque eſt materia tactus, cur odoratus non quidam tactus eſt? Reſpondebit Auerh. non tangi qualitatem materialem, ſed ſolum deferri ſpeciem ſpiritualem ad ſenſorium per aerem etiam ſi odor conſiſtit in humiditate ſiccitate dominante, icciro odoratum non eſſe quendã tactum, cum item alia ſit humiditas odoratui neceſſaria, & alia ſapori, & guſtui, aliter affecta. Cum item additur de forma argumenti & a ſimili fit ratio non inficiat ſaporem eſſe candorem ſubiecto. Non ſequi tamen concluſionem, quia videtur colligere eſſe penitus idem, & ob id Ariſtotel. primo phyſicorum reprehendit Parmen. quoniam ſi omnia eſſent vna materia adhuc differrẽt forma, & ratione. Icciro non ſunt omnia vnum ſimpliciter. De tertio argumento illud vere dicitur ſaporem conſiſtere in ſicco diluto humido, attamen illud humidum materia eſt, & percipitur tactu, qua ratione guſtus eſt tactus. De quarto recte concluditur ſemper interponi medium

non

non qua ratione tactus, & gustus nō possint percipere sine medio externo, sed quia duo corpora solida nequeunt tangi sine medio, hinc fit, vt tactile, vel gustatile offendat aerem intermedium inter linguam, & corpus suum. Equidem necesse corporibus in aere, vel aqua interponi mediū aliquid horum, nunc Arist. quoad vim sensuum horum duorum decernit non sentiri per mediū externum. De quinto quoad ordinem. Nisi alia ratione in libello de sensib. sensil. tenuerit ordinem illum, siquidem in eo libro potius de sensilibus agitur, quam de sensibus, & cum inter saporem, odorem intercedat quædam agnatio, cum vterque versetur in sicco diluto humiditate, licet plus sicci in odore exigatur, & in sapore plus humidi ob id post vnum de altero dixit author & cepit a saporibus, quia clarius est genus saporum, quam odorum asserente eodem ibi, nunc vero in hoc opere de anima potius de sensibus agitur, quam de sensilibus, & quia nobilior odoratus gustatu, icciro ordinem cœptum persequitur dilatis gustu, & tactu ad vltimum locum dicendi de sensibus. De Platone non dubium, quin dissideant ambo in tractandi ordine de sensibus. Plato secutus naturam cœpit a tactu deinde a gustu, & a ceteris, contra Arist. a nobilioribus sumpsit exordium, vter melior ordo. Crediderim Platonicum, quia a communioribus ordo dat initium, & quia sequi debemus naturam, & innatum est nobis a certioribus incipere & notioribus primo phy. Tactus gustus communiores, exactiores sensus in homine sunt Aristoteles igitur quo videretur non solum in rebus tractandis alienus a Platone, sed etiam in ordine disserendi secutus est ordinem a nobilioribus. Hæc ad argumenta obijcienda sunt.

## Contex. LXXXVIII.

*Vt vero color visilis, ita sapor gustatilis. Et cum nihil sine humiditate cieat saporis sensum, sane omne efficiens sensum gustandi humiditatem habet vel actu, uel potentia, ceu salsum. Nam facile liqueri potest, & suo liquore afficere linguam.*




ADHVC de obiecto gustus, quod nominis absoluto sapor est, & relato gustatile de illo duæ cōclusiones afferuntur cū exemplo secundæ. Continuatur lectio superiori. quamquam gustus nō medio interiecto pcipiat saporē, nec habeat illud mediū, sicut color, vel visus, externum, delatiuū sed cōiunctum, intimū corpori vel partem eius, ceu clarius erit in tractatu de tactu postea tamen quo ad sensum aque color vt est visilis perse, ita sapor gustatilis, & non tactilis est sensile proprium gustui, ita vt eo nec affici alter sensus, nec de illo iudicium afferre possit. Et signo, quod si defecerit gustus, aut vitiabitur, aut debilis fuerit reliquis sanis sensibus nullam scientiam intellectus habebit de saporibus. Et signo item, quod certa parte, vt lingua dignoscit, & nulla alia, ergo si certa sedes instrumentaria percipiendi saporis, certum, & propriū est sensile sapor gustui. Vt vero color visilis adde proprium sensile, ita sapor gustui. Ac si illa oratio est perse, etiam perse erit hæc in secundo modo, vel quarto, sapor gustatilis, similitudo igitur est quo ad vim patibilem, & quo ad obiectum, non autem quo ad medium, nec quoad instrumētum, neque actionem, siquidem sapor est gustatilis sine vllo medio externo, quale requiratur ob sensum, & actionem. Quoad instrumentum, quia præclarum est linguam ab oculo differre, & reliqua intima sensiteria ab aliis sensiterijs, ceu linguæ sensiteria intima nerui vel cerebro secundū Gal. vel a corde apud Arist. ad linguam, aut caro neruea intima linguæ differunt a pupilla, ab humido crystallino, a neruis opticis. Et quoad actionem, quia gustus sapit, vel gustat nō accessu speciei sensili traiectæ per mediū interuallum externum, sicut oculus videt, sed per annexum & intimum medium apud quosdam qualitate ipsa affectus, nō specie sensili, sed apud alios specie sensili sola. Hæc de prima conclusione, si perpendatur quomodo color non mixtus aeri, vel aquæ medio, aut diaphano a visu percipiatur. Idem de auditilis sono, & odore odoratili, quum per suas species, & non per seipsas qualitates sentiantur. Et item quomodo sapor mixtus sapido gustetur, icciro queritur quomodo species coloris ab aqua, vel aere traducatur ad instrumentū oculorū, & illi nō misceatur, & quomodo mixta sit qualitas sapida. Hæc sunt recōdita, quæ si ab Arist. peterentur, nescio quomodo hæc explicaret. Quocirca solebam dicere philosophiā Aristotelis sic no

bis relictã, vt dimidium sit adhuc philosophandũ, & de rebus maxime abstrusis. Verũ quo breui me expediam, color est in re visa, & lumen in luminosa re. Hic color non est in aere, neq; in aqua. Sed species eius, quæ nec idolum est ne videamur opinionem sequi confutatam in libello de sensibus, sensil. sic, vt sit quædã pictura, sed est quædam impressio spiritualis vocata species sensilis, præsente colore perstet, & feriat oculũ, & sensum, sed abeunte recedat. At sapor non edit speciem istam in medio, sed in re sapida mutat sensiterium, quia tangit res sapida illud & si sensus gustus recipit spiritualiter, propterea quod quoduis recipitur secundum naturam recipientis, & non rei receptæ. Interest igitur, quia color sonus, odor non ferit sensiterium summum sensum perse, sed per suam speciem, quam apti sunt relinquere in medio præsentes, & absentes non, & minime cũ recedunt, ceu pedem si in aqua posueris, quoad tenueris vestigium pedis tui manet, vbi remoueris, non remanet statim. Ac facia præsente speculo imago videtur, recedente, non perstat, sapor vero, & tactile non per speciem suam ferit sensiterium, sed sua natura quoad præsens est, licet sensus actionem, & spiritualiter recipit. Quæritur ergo quomodo species illa coloris in medio sit. An misceatur, an exteridatur per totum medium, an adsit tanquam alligata vehiculo aereo, vel aquæo, quod traducat eam ad oculum, vel auditum, vel odoratum, si porro misceatur, aut extenditur, quomodo erit spiritalis res, quæ incorporea, & corpori misceri nequit. Et cum sæpe supra sit dictum, tamen planius nunc Arist. fatetur non misceri colorem medij, quomodo igitur inest in illo. Dicerem aerem, & aquam esse naturæ specularis, ieciroo qui specula condunt sic elaborant, vt lenia sint, & perpolita sicut aer, & aqua, cum item omnia perspicua merito aquæ, & aeris sic fiant. Vt ergo facies obiectu suo efficit imaginẽ sui, ita & color, qui quoad præsens est imaginem conseruat in medio vnam sui, & abeunte, recedit, & tandiu producit eam quoad sensiteriũ perspicuum oculum, & inde sensum feriat. Non cernitur autem ille color in medio, idest illa imago, propterea quod aer transparens est, & quoties aqua vbique perspicua non edit speciem illam visilem. Vnde in perspicuis solidis, quia non vbique perspicua sunt, ob id referunt speciem illam sicut in speculo, si quæratur quid sit illa species? non potest dici nisi qualitas spiritalis, sicut si petatur quid illa imago in speculo dici non potest nisi quædam qualitas figurata de quarta specie chategoriæ qualitatis spiritalis tamen. Vtrum vero sit in medio fusa, & extensa cum dimensione Simplicius fundi illam diceret sicut de soni specie litigant nonnulli. Quia mirum videri colorem per diuersas partes medijs non per speciem extensam, atque in medio extenso esse non extense, & præsertim cum totum calorem, & partem eius videamus per speciem, sed de his supra, nunc non misceatur color medijs, quia statim præsente species est præsens medio, & recedente, recedit, si enim mixtus esset, mox minime recedente obiecto recederet species, nam remaneret in mixto sed sicut lumen adest medio, ita species illa. Ceterum secunda conclusio est, vt nullus sapor possit mouere sensum gustandi sine humore vel actu, vel potentia. Et cum nihil sine humiditate cieat saporis sensum, idest gustum, sane omne efficiens sensum gustandi, hoc est actionem humiditatem habet subiectam vel actu si actu mouet, vt mel, oximel, vel potentia, & si concretum omne sit mixtum actu ex quatuor, tamen non dicitur, nisi potentia humidum ex abundantiore humiditate saporosum, & motiuum gustus, tandiu est impotentia humidum, quandiu sit saporosum mistione sicci terrei calore perficiente, vt est in opusculo de sens. & quandiu iam factum ad huc non percipitur a gustu, sed percipi potest ex se amoto omni impedimento ratione infirmi, aut læsi organi, aut deprauati sensus aut debitæ distantiæ, nunc videtur dici de potentia, qua gustatile est & potest sentiri, & si iam sapor sit, aut sapidum. Exemplum de salso, vel sale. Equidem potentia est sal gustatile, quia actu sic siccum est, quale vt nisi dissoluatur, nõ percipiatur salsedo. Sed humidum est in potentia, quia liquari potest, sicut glacies, verum quia sal coactum est calore dissoluitur humiditate, quidem linguæ, ceu instrumenti, vel potius medij gustandi sensus, semper lingua madet saliua, quam natura solers, diuina prouidit liquandis saporibus opportunam, bene Auerhoes testatus est comment. 102. a natura prouisam saliuam in ore, vt quæ calore indurãtur, madore liquentur, ac natura in homine branchos, vel potius branchon in homine edidit ad congregandam illam materiam. Vitium translatoris, qui græce ignarus branchos, pro bronchon dixit. Equidem Gal. teste principio septimi de anatome, atque in medio septimi de vsu partium bronchus est tota aspera arteria, & caput bronchi est larinx. Ergo solebam pro bronchijs intelligere laringem caput bronchi, seu fauces, in qua congregari humiditatem dixit Auerh. admouendam sapidis potentia, actu vero siccis, dulcis, quæ vbi satis madeant humore oris, & linguæ suppeditato per fauces, & caput bronchi. Verum debes scire non laringem, nec bronchi esse penũ tali-

uæ, & humiditatis defluentis a capite ad hunc vsum esse, sed glandulas adiacentes laringi, quas branchos, cum bronchias translator dicere debuisset, quia adiacent capiti branchi, hoc est laringi, cum natura diuersis in partibus humani corporis glandulas collocasset ad percipiendas superfluitates, de quibus in commentariis nostris in artem paruam Gal. vel Medicinalem, nunc glandulæ hæ, quas medici vocant σιαλοχόους a fundenda saliua, ceu Gal. in porrheticorum commentario primo cum de arida, & densa lingua sermo est intelligendæ sunt branchi, & apud Hippoc. libellum de Glandulis tonsillæ sunt cauernosæ, spongiosæ albide receptacula quidem pituitæ a cerebro fluentis cum hæc pars maxime scateat pituita, & sublatis ad caput vaporibus liquescat deorsum, & recipiatur in his glandulis, quæ interdum copia attolluntur pituitæ, & inflamman tur. Sed hactenus de saliua, & vase tanquam penu saliuæ etiam ad hunc vsum, vt sicca sapida potentia quædam madeant, & dissoluta humore actu sapient, & si quædam etiam calore oris (vt bene Simplicius) aduertit madefieri soleat, ceu confectiones, quas medici vocant manus christi cum ore tenentur, liquantur calore oris, sal autem, & piper humore, & tum sapiunt. Quæritur, tamen, ne hæc sapiant. Ceu salsum, & id genus humore oris, & linguæ, aut suo, dixerim præcipue suo signo, quia antequam dissoluatur salsum, adest humiditas linguę, nec ob id tum sapor gustatur, sed vbi primum sal, & similia liquantur vel madore, vel calore oris, tum degustatur. Quare humido sapidi percipitur sapor. Et si potes dicere tam humore linguæ, quam humore sapidi percipi saporem. Verum illo dispositorio, & præparatorio tanquam, hoc vero tanquam perficiente actionem gustandi. Quare sal cum percipitur tactu siccum a lingua, nondum, vt sapidum apprehenditur, nisi humectetur, & liquetur. Vbi liquetur suo madore sentitur, & madefecit linguam, & actu fit gustatum, ob id docet sal potentia esse sapidum, & quando fit actu. Nam facile liqueri potest humiditate oris. Quia sal calore durescit, madore liquatur, & suo liquore perficiente actionem ita, vt omnis sapor in humido diluente siccitatem terrestrem requirat, si actu mouere instrumentum gustatus debet, & sensum, non solum quo ad saporis naturam conficiendam, sed confectam ad mouendum sensum, iccirco & Plato in Timeo, vnde hæc Arist. hoc libro, & libello de sens. sensili accepit, sic reliquit. Tenduntur a lingua venæ ad cordis sedem saporum nunciæ, in quas, si qua ita inciderint, vt humidam carnis molliciem penetrātia terrestri sua natura modice liquefacta venas ipsa contrahant, arefaciantq; sapores huiusmodi pariant.

## *Caput de origine saporis quoad naturam absolutam, & quomodo gustum moueat & suum sensiterium.*



GALENVS Medicus excellentiss. ad extremum primi libri de Simplicium facultatibus testatus est philosophos meditari saporum naturam, qua sapores sunt, & non solum quomodo humanum gustum feriant. Iccirco de origine primum saporis, quomodo fiat. Deinde quomodo sensiterium suum, & sensum moueat. De primo Platone Arist. philosophis. Hippoc. & Gal. medicis nullus sapor sine humido extat, sed apto, & idoneo ad diluendum siccitatem terrestrem. Hinc fit, vt sapor sit, affectio mixti, non simplicis ullius elementi, quando nec ignis saporem habeat, nec aer, nec aqua, nec terra, nisi misceatur. Quinimo quanto sunt viciniora ex abundanti simplicibus, tanto dicuntur magis insipida, si enim in mera humiditate consisteret sapor, aqua sapida esset, cum sit insipida, velut fontium, vbi non sit mixta alicui, ceu sulphuri, ferro, & similibus, quæ partim ad ægros vtiles, partim ad alium vsum. Natura aquæ, vt sipida est, licet humidissima. Hinc physici, & medici aquam insipidam fatentur, & non aliter. Arguitur ob id ab Arist. libello de sens. Empedocles, qui cecinit aquam actu continere sapores insensiles ob paruitatem, vel Anaxag. qui seminarium quoddam aquam saporum credidit. Etenim insipida est, nisi alteretur, & misceatur sicco terreo, sicut mare salsum est, de qua salsedine libr. secundo meteororum, & amnes, lacus, fontes variis saporibus asperguntur mixtione, vt Plinius lib. 31. conscripsit. Humiditas igitur aquea non aerea materia saporis

ris debite mensurata,si enim exigua esset,non posset diluere siccitatem terrenam,si nimia,funderet ipsam,sicut apparet in mixtione aquæ nimiæ cum vino.Nam saporem obtundit. Quanto ergo diluimus,tanto minus sapit. Quinimo quando saporẽ acutum,vel obtundere volumus,aqua diluimus,aut contrario sapore remittitur.Ergo certa proportio humidi desideratur in condeda natura saporis,ne nimia fatiscat,deficiat,ne exigua nõ possit diluere siccitatum. Verum nec apta mensura sufficit,nisi cõficiatur ab aliquo,quale vel est efficiẽs,vel miscibile cum eo. Etenim apta mensura humidi aquæi diffluit,nec consistit,quia humidum non habet terminũ propriũm. Ex se fluit secondo libro de generatione,iccirco sistat necesse alterius causa. Hoc vel ignis est, cuius est alterare humidum. Dico ignem,vel calorem,sicut apparet in carnibus elixatis. Insipida aqua initio,fit aptior ignibus subditis,quia humidũ coqui debet,& crassari, vt fiat succus, vnde succi affectio sapor. Vnde antiqui tam succum,quam saporem vocabant græce χυμὸν posteris placuit mutare vocem ob res diuersas,& succum vocant chylum, saporem autem chymum, de quo etiam Gal.primo libro de facultatibus simplicium non longe a fine libri. Si ergo crassari debet humor, vt fiat materia saporis a calido,vel a sicco terrestri oportet,vt crassetur.Sed nõ sufficit calor, vt cecinit Empedocles,cum palam aqua incalescens subditis ignibus non crassetur, nisi admisceatur holus,aut sal,aut carnes,& id genus,iccirco præter calorẽ concausam oportet humidum sisti siccitate terrestri,& crassari apte. Idque liquet,si misceatur nitrum aquæ vel sal, sicut si cinis in lixiuio decoquatur aqua amara euadit,quia cinis erat amarus ob exustionẽ,& siccitatem terream,ob id relinquit suum saporem aquæ,quinetiam sicut tinctores inficiunt coloribus aquam,ita siccitatẽ terrestrem humido natura diluit dum humor calore agitatur,& coquitur,vt crassescat. Quare cum humor patibilis sit a colore crassante,& a sicco terreo terminante,inde succus fit & saporosus,& sapor dicitur affectus,qualitas dilutij sicci in humore mutans gustum potentia ad actum,si quidem sensitiuum traducit ex potentia ad actum,& sapor maxime est succi,sicciq; nutritiui. Vnde humor non fine sicco,neque siccum fine humido facit saporem, qui sapor diuiditur in plures species,quæ quales sint,& quot suo postea loco,nũc hactenus de natura saporis qua sapor est, qui antequam fiat,potentia est,& vbi fit factus,deinde est potentia motiuus gusti, & si nondũ gustatur,aut vitio fit humidi,aut sensiterij vel sensus.quia praue editus est,aut vitiose affectus, aut iam præoccupatus alio humore,si ergo nullum vitiũ incidit sapori nec defectu humidi,nec sicci gustatilis est,& nomen adipiscitur relatũ ad gustũ,cum absoluto nomine diceretur sapor,si autẽ tactu mouet gustũ in actu dicitur gustatũ,& nõ gustatile,& sapidum,sed actu mouere non potest, nisi sensiterium instrumentũ sensus afficiat,& sensiterium minime,nisi mediũ,& quia nõ est necesse mediũ externũ ceu aer,aqua contentũ est medio quidẽ annexo & coniuncto. Quãquam sunt qui sine omni medio gustũ & tactũ dicunt affici,ceu philoponus, Simplicius,de quo videro in sermone de tactu,quoniã si huic sensui actio nulla sine medio,multo magis etiã gustatur nulla erit. Vis ergo sensifica gustandi est in lingua experientia duce circa apicem. Instrumentũ dicitur ab auth. hoc in loco,& in libello de partibus animaliũ.cap.de lingua,quoniã lingua euidens est instrumẽtum,& mediũ iunctum saliua circa illã,varia forma linguę,in animalibus. Attamen medici instrumentũ neruos linguæ aiunt,& carnem eius mediũ tangendi,quoniã iudicium pertinet ad id quod altius est in lingua,iccirco cum quis de saporibus dijudicare optat,hic plane morari facit sapidũ in lingua quoad altius imprimat actionem,& tangendo sentit humidũ,& gustando saporẽ non animaduerso quidẽ humido,& sicco. Illud tamen dubij est, [illegible] si nerui sunt linguæ tactus instrumenta,quibus lingue tactilia apprehẽdit,sicut etiã neruis [illegible]rpus quelibet pars sentit tãgendo,ergo ijdẽ nerui linguæ nõ erũt instrumẽta tã [illegible] sensui suũ propriũ,& summũ instrumẽtũ datũ est.Deinde præter hominẽ in [illegible] neruis,quibus carẽt,nisi proportionalia habeãt neruis,aut neruea [illegible] Timeo venulas quasdã dixit a corde ad linguã porrectas,& has esse [illegible]is intelligũt neruulos,nõ tamen a corde,sed a cerebro manãtes [illegible]o saporum actionũ,& cũ a principio spinalis medu[illegible]notorij linguę duriores,qui in profundũ linguæ p[illegible] cõiugationis a cerebro,qui extimã parrẽ linguæ [illegible] sensifici & saporifici dicũtur,quare nõ dicuntu[illegible]ur nisi cũ quodã tactu. De his extat liber.9.de [illegible], & vbi gustatoria facultas,& vbi gustãdi inst[illegible] sit hæc cognoscere,& seplasiarij,vn[illegible]

Co[illegible]ex

## Contex. LXXXIX.

*QVinetiam ficut aspectus est visilis, & inuisilis rei. Tenebræ nanque inuisiles sunt, quas item aspectus dignoscit, ac quod ualde splendidum est, Etenim hoc etiam inuisile dicitur, & si non eodem, sed alio modo, quam tenebræ. Vt igitur visus visilis, & inuisilis est, etiam auditus æque soni silentijque est, quorum alterũ audibile, aliud non auditile, ac soni magni perinde, ac splendidi uisus. Vt enim paruus sonus quodam modo non audiri potest, æque & magnus, ac violentus, Inuisile multipliciter dici solet. Aliud æque, ac in cæteris quod non potest cerni, aliud ita, vt aptum sit habere id, quod videri queat, & illo careat, Aliud si habet remisse, uel praue, ut expes, & sine acinis, Aeque gustus est gustatilis, & ingustatilis, & id est, quod habet uel exiguum, uel prauum, uel deleterium gustus. Rursus videtur principium esse potabile, & non potabile. Nam gustus quidem est utrunque, uerum hoc ceu prauum, & deleterium gustus, illud uero secundum naturam. Commune porro tactui, & gustui potabile.*




T absoluatur sermo de obiecto gustus, quot modis esse queat, nunc narratur, postea enim erit sermo de instrumento, de speciebus saporis, quid gustatile, quid vero gustatiuum. Obiectum mouet sensum, & ratione mouendi multiplex est. Ergo inepte Philoponus arbitratur nunc dici communia gustui cũ alijs sensibus. Non respexit ad scopum authoris, nec ad seriem dictionis immemor, quod iam initio communia sensibus quę afferat breuiter fuere expressa dico sensibus externis communia. Themistius qui primam lineam contextus superioris, videlicet, Vt vero colore visilis, ita sapor gustatilis huic contextui addit etiam putat dici communia, Ego censeo velle authorem similitudine aliorum sensuum docere quæ gustari dicantur, Iccirco à similitudine eorum quæ cerni dicuntur, aut audiri orditur. Tacuit quæ odorari creduntur, quia latent, & si de his supra fecit mentionem; Aut contentus fuit similitudine duorum sensuum breuitatis causa, Vt ergo de obiectis gustatus decernatur abunde, ecce similitudinem. Sicut aspectus, visus, sensus oculorum (Dic vt libet) est visilis, & inuisilis rei. Contrariorum eadm facultas. Et enim decet eam vim, quæ rectum dignoscit, vt obliquum noscat, vt qui æquum, iniquum, ius, & iniuriam, Alioquin si inuisile non esset oculorum sensus, cuiusnam esset. sic auditus esse qua inuisile, ergo auditus percipiens sonum dijudicaret inuisile, contra silentium perciperetur visu, Hæc absurda sunt, Quare eiusdem est cognoscere habitum visile, & priuationem inuisile, visum percipere inuisile docet argumento Arist. Tenebræ inuisiles. Non enim luce vt colores, nec lumina sunt, nec fulgentia, nec tanquam vmbræ & nigra, opacaue, sed velut priuantia. Sed aspectus appræhendit tenebras, Non enim alio sensu, ergo appræhendit inuisilia, Maior oratio tenebræ namque inuisiles sunt. Minor oratio, quas item aspectus dignoscit, ergo aspectus (supple tu) percipit inuisilia, Appræhendit item aliud inuisile, ac quod valde splendidum est, ceu solis lucem meridianam, & si noctuæ solis lux inuisilis, & talpæ, ac luscitiosis, tamen, & homini qui figere obtutum oculorum in solem nõ potest, nisi cum pernicie. Valde splendidum corrumpit vim sensiterij, & temperamentum eius, & quoties facultas non operatur, nisi per instrumentum, hoc corrupto, aut vitiato non potest probe operari & eo magis. Si uis sensifica indita fuerit instrumento, velut acuties dolabræ, obtusis dentibus, aut acie fieri hebetatur. Nimirum excellens sensile crediderim ceu agens temperamentum corrumpit sensiterij. Experientia docebit obtutu fixo in solem, quoties respicientur alia, aut nil respicietur si diuturna mora, aut vitiosa, a mora. Remedium (vt dixi) ex Platone in phædone, & oculos conuertere in aquam, & e in ea, Et dixi excellens sensile vt agens naturale vitiare, contaminare sensum, quia refeatone in Thæteto quia asserit sensum, & sensile versari in mutuo congressu, & mutua ria. & sensile debet esse cognatum sensui, Excellens sensile, & valde splendidum non atum, ieciro non potest dici sensile, nisi cum additione valde, Ferunt esse in Turcica gen acillo igneo se occęcant viso sepulcro Maometi, Prouisum merito est a germanis, vt pocis, calidisque stuffe locis versentur hybernis & brumis diebus, quam coram ibus ma Nam oculorum obtutus assiduus in ignes debilitat aciem oculorum, Et in Italia Matronæ stacula faciunt e ligno, quæ ante faciem ponunt ea de causa, Quare inuisiles tenebræ

sile

sile excellens lumen, splendorque non eodem modo, Etenim & hoc inuisile etiam dicitur, valde splendidum, & omne vtcunque suo excessu lędens valde instrumentum, aut continua mora, vel diuturna, aut vicinitate, & generatim quicquid præter naturam excedens, inuisile dicitur non sua pte natura, quia quicquid est visile propter splendorem, etiam multo magis splendor visilis, Defectus est ob sensiterium, & sensum vim corporatam finitæ, & terminatæ virtutis, quæ potest patiatan rio, & non a maiore, Valde splendidum facit fatiscere lumen oculi, si Platonice oculi vis ignea, & lucida sit in Timæo, Nam lumen maius facit minus obtundi, si lucernæ lumen admoueas faci magnæ. Si Aristotelice aquea est, dissoluitur vis aquea igneo, sicut splendidum valde vi sua diffundit aciem conglobatam oculorum & si non eodem modo, sed alio, quam tenebræ, Melio tenebræ, vt priuationes non perse, sed per habitum videntur. Vt oculus cernens lumen non videt amplius illud, tenebras comprehendit, Deinde tenebræ non agunt, quia priuationes non efficiunt, lux magna, splendor magnus non priuanter deprehenditur, sed ob excessum, atq; agit corrumpendo, lacessendo, Cæterum persequitur similitudinem. Vt igitur visus visilis, & inuisilis est, etiam auditus æque soni, silentijque, quorum alterum perse audibile non per speciem alterius, & per accidens aut per aliud, & alterum, vel aliud non auditile perse, ceu silentium, sed per speciem soni, sed quomodo non auditile auditur? Hoc mirabile. Nisi inauditile per se, quia sui similitudinem non agit in sensiterio, sed auditile per aliud, per habitum, Et secundo modo inauditile, soni magni perinde, ac splendidi visus, quicquid splendido dictum etiam igitur de sono magno, Obstrepit, corrumpit, turbat. Hinc surda illa gens e catadupa vnde nilus amnis incipit fluere cum strepitu e montibus Lunæ, & paludibus ob strepitum ingentem. Bombardarum strepitus nocent, sed magni, parui proportione ad sensus diuersorum animalium. Alias solebam in Arist. decernere quod magnum lumen lędit, & magnus sonus ob aerem distractum, qui suo impetu irruit, & offendit, non autem sonus qua sonus præcipue si sola species spiritualis recipitur in aere & in sensu. Secundo libro de cęlo motus, & lumen distrahunt aerem. Tu considera, & rationem accipe cur soni ingentes nequeant audiri, ceu tonitrua sæpe a similitudine. Vt enim paruus sonus quodam modo non audiri potest, quia non potest imprimere aerem valide, vt vnus feratur ad auditum ictus per debilis nequit sonum efficere auditilem: ęque & magnus, ac violentus. Magnus obtundit aciem, Violentus sensui, & sensiterio ob impetu corrumpit sensum. Strepitus cicadarum molestus, & gallinarum. Et pica nimium garrit. Tonitrua violenti strepitus. Mirum non ergo si sonus factus ex motu stellarum Pythagoreus non auditur, de quo liber de coelo secundus, & tamen Arist. audiri in Pytag. sensit, & nunc inauditilem ait propter excessum. Concilia ergo loca, quia saltem ob distantiam, & si magnus sit, audiretur. Et lumen solis magnum deprehēditur ob distantiam, & tamen sonus pythagoreus, nec illa musica exaudiuntur. Ex his prome tertium insensile, aut inuisile, inauditile ob paruitatem nimiam sensilis; contra quod obijcies dictū Aristotelis in dubitatione libelli de sens. sensili, vbi fatetur minima continui diuidui ad infinitum sentiri, Non ergo sensilia præ exiguitate insensilia. Nisi illa minima sint potentia sensilia; & soni paruissimi item, sed actu fient quoties maiora erunt. Hæc dicta quærit Arist. in cōtextu reuocare ad certam formā significatorū. Inuisile multipliciter dici solet. Aliud primo ęque in cęteris quod non potest cerni, & in cæteris, ceu immodestum, quod nequit fieri modestū. Hoc caret natura habili, ceu lapis non pōt fieri modestus, & vox non pōt cerni. Abscolor, & sine luce est. Aliud ita, vt aptū sit habere id, quo videri queat, & illo careat. Habet id a natura potentiā, sed actu caret illo, & id est cum sit sensile, & nondum est ęn cum æs politur, & limatur. Tertium. Aliud si habet remissæ, vel praue id actu est, sed remisse pro sua natura, vt talpæ; noctuę lux lacessita, debilis, & naturæ suæ idonea. Et praue tum natura, vt homo prauum odorem obtinet; tum præter naturam; cum oculus iniuria lacessitur, vel sensile non idoneum mouere, Exempla, vt expes male graditur. & sine acinis oliuæ immaturę male sapiunt. Postremo quo referatur oratio superior, ecce. Aeque gustus est gustatilis, & ingustatilis, & ingustatilis non quod caret potentia, & non potest gustari, vox infinitum, dictiones, conceptus animi, sed ingustatilis, quod potest habere vnde gustętur, & non habet, quandiu caret ingustatile dicitur, aut si idest; quod habet vel exiguum, habet vnde, licet præ exiguitate non gustetur ab homine, a formica gustari poterit, aut cōiter si a quouis gustu actu gustari non potest quoad exiguum fuerat, vel prauum vitiatum, & remissum debile, vel deleterium gustus, vt sapores venenorū, idq; excessu pōt fiacere, vel mala qualitate. Et multi sapores deprauant, & corrumpunt. & mali aut nimiū acres, ceu cretæ vstæ sapor, ceu napelli, ceu sulphuris, & similium. Et sapor potest necare hominem, velut venenum. Denique credi-

crediderim velle authorem redigere hæc omnia de gustatilibus ad duo secundū veteres prima cō traria potabile,seu poculentum,& non potabile,& alterum est principium gustandi potabile, siquidem gustus est sensus ad vsum alimenti in opusculo de sensib. sensil. & gustatile versatur in humido non quouis,sed potabili,quasi hæc sententia faueat distillatoribus, & alchimicis rebus. quia omnia etiam sicca nisi igne tortefacta sint,sicut cinis potabilia ea sint ratione, quia possunt dissolui in aquam. Rursus videtur principium esse potabile seu humidum,quale potabile est, & non potabile,non quia sapere nō possit,vt vox,sed quia prauū,vel deleterium est gustus.Nam gustus quidē istiusmodi est vtrunque potabile, nō potabile cum ad illum pertinet receptio & iudicium. Verum hoc,ceu prauum impotabile,& deleterium gustus, illud vero potabile secundum naturam. Colligitur ex his commune porro tactui qua humidum est,quale subijcitur sapori. Et gustui potabile, qua sapit,&dilui siccum terreum,vnde oritur sapor,Simplicius etiam impotabile vtique sensui commune dicit. Qua humidum prauum,& deleterium, tactui, qua praue sapidum, & deleterium, gustui.

## *Dubia proponuntur, & diluuntur breuissime.*



AN tenebræ, & priuationes potius imaginatione nostra, quam sensu extero vel etiam imaginatione belluarum deprehendantur? Rursus tenebræ nigræ, ergo non priuationes. Ac excessus sensilium molesti sunt, si odores molesti apprehenduntur, ergo etiam gustatilia excedentia molesta. An valde splendidum sit de qualitatibus actiuis? An cuiusuis ingustatilis,& insipidi gustus sit capax,vel iudex? An debilitate potentiæ sensificæ praue sensile percipiatur? An in exemplo expes intelligatur omnino pede carens? Quid potabile? Ad hæc respondebis seriatim. De primo sensus visus præbet de tenebris imaginationem. Nil vere in sensu interiore,quia fit in exteriore, sat est apprehendi absentia lucis tenebras,quinimo sensus non potest nisi priuationes iudicare, vt præsentem colorem cernit, ita se priuatum illo absente cognoscit, quia non ferit sensum. De tenebris an sint vmbræ,necne supra est dictum. Non sunt colores tenebræ quia non fiunt ex mixtione qualitatum primarum elementorum, sed opacitate corporis densi non diaphani. De tertio fatendum est excedentia gustatilia molesta,& percipi molesta,vt communia sensilia, molestum, iocundū sensilia communia. De splendido dicitur lumen distrahens partes aeris habere qualitatem actiuā si diffundit,& corrumpit sensiterium,& reducitur ad igneam qualitatem calorificam. Ceterum non cuiusuis ingustatilis gustus est iudex,cum infinita sint non gustatilia,non enim vox gustatilis,& de voce non interest gustus iudicare. Ac de altero,non dubium,quin debilitate potentiæ, & sensorii praue quid sentiatur præsertim, cum nimium distant. Hinc illud philosophi. 2.libro de cælo videri stellas fixas scintillare, quod longa intercapedine vis fatiscit, vacillat, icciteo putamus scintillare,quia vis debilis. De exemplo intelligitur expes non carens omni pede, sed apodæ dicuntur aues,quæ exiguis pedibus non possunt facile niti, ceu noctuæ. Vltimo quid potabile? Est enim quicquid humore diluto vdum est,& potioni animalium aptum.

## Contex. LXXXX.

*CVm item gustatile humidum sit, necesse est, ut instrumentum gustus nec humidum actu sit, nec ita, vt humectari nequeat. Nam afficitur gustus ipso gustatili, qua gustatile est. Ergo oportet instrumentum gustus potentia esse, & humectari actu ita, vt seruetur, sed non humidum gustus sensiterium, inditio, quod nec lingua sicca, nec admodum humida sentit. Nam tactus fit primi humidi, ceu si cum prægustauerit quispiam ingentem, uel acrem saporem deinde alium gustarit, ceu fit in ægrotantibus, quibus omnia amara uidentur, propterea quod sentiunt tali humiditate refert.*

De



E conditione sensiterij gustandi cuiusmodi parari debeat, aut esse declaratur, siquidem non actu humidum, sed potentia, qua tamen queat humectari, esse debet, argumento primum, Et deinde simplici coniectura, vel signo. Sed argumento addendum illud, quod prudenter addit Auerh. quod est aptum recipere aliquid, id non habeat actu oportet si visus teneret colorem non perciperet illum, & forte nullum, quia intus apparens prohibet aditum extraneo, ceu si materia prima formam propriam haberet, nullam reciperet, ac dum sapidum suo potitur sapore, nullum alium admittit. Recte illa oratio omne recipiens careat recipiendo oportet, Philoponus addit quod est potentia tale, non esse actu tale, Alexander Aphrodisæus adiungit in sua paraphrase, cum omnis receptio fiat per alterationem, quicquid alteratur, ex dissimili ad simile tendit, Tu vero si subiunxeris orationi Auerh. huic quod est aptum recipere aliquid, actu caret illo, sed gustus sensiterium, ceu lingua est aptum recipere humidum, siquidem est aptum recipere gustatile, qua gustatile, & omne tale est humidum, quia materia cuiusuis saporis est humor, sicut supra est dictum, ergo sensiteriū, & lingua debet carere humido, & illud posse consequi & seruare sic, vt non corrumpat, sed saporem conseruet. Aeque si Philoponi additæ orationi, quod est potentia tale, non est actu tale, & sensiterium gustus est potentia humidum sapidum, quia omnis sensus est in potentia, & sensiterium. ergo. Item si addatur Alexandreæ orationi quod alteratur a dissimili ad simile alteratur, sensiterium gustus alteratur a sapore, ergo prius non habent eum oportet. Vtcunque primum sit argumentum, enthymema hoc. Gustatile est humidum, ergo necesse, vt instrumentum eius lingua apud Arist. hoc loco, & secundo de partib. animalium cap. de lingua, non sit actu humidum, sed potentia, & conclusio hæc probatur. Legatur enthymema. Cum item gustatile humidum sit, necesse est, vt instrumentum gustus nec humidum actu sit, nec ita, vt humectari nequeat, quia oportet humectari, si debet gustare sensus. probatio hæc, quia gustus per suum sensiterium mutatum percipit saporem, qua gustatilis, sed omnis sensus cum suo sensiterio est in potentia tale, quale est actu sensile, ergo gustus, & sensiterium in potentia, vt humectentur sic, ne plus iusto madeant, & diffundant saporem, aut sensiterium afficiatur valde, & corrumpatur. Hæc probatio. Nam afficitur gustus ipso gustatili, qua gustatile est, & sapor, & omnis sensus est in potentia sensile ex dictis. Ergo oportet instrumentum gustus potentia esse, & humectari actu ita, vt seruetur. sensiterium aptum, ne dilutius fiat, & corrumpatur, afficiaturve præter naturam aut, seruetur, vt humor non consumetur. Sunt quædam, quæ exsiccant linguam bellaria arida, & frixa acerrimi saporis qua calida sicca admodum, sed sed tamen si nimium exsiccauerint, non gustabuntur. Est certa ratio humidi, de qua supra in glandulis. Denuo proponitur sensiterium gustus non esse actu humidum simplici signo ostendendū. Sed nō humidum gustus sensiterium. Deinceps primum signum. Inditio, quod nec lingua sicca, nec admodum humida sentit, idest, idest gustat, quia posset sentire tactu humida, sicca, & si etiam in tactu mediocritas requiratur sensiterij, Nostra humectatur admodum in fluxionibus capitis, & in senibus, Illud dubij est, quia lingua in potionibus valde humescit, nec proinde impeditur, quia gustet saporem, Nisi id non vere, quia non bibitur, nisi in siti, & in hac lingua est siccior solito, simul ergo madet, & sentit saporem, Aduerte item mediocriter humectari linguam aliquando humore bilioso, nec tamen gustare ob qualitatem, non ob copiam, Sed cur Arist. adiecit nec linguam siccam gustare? Vt confirmet humectari oportere, & actu fiat talis, si debeat effici gustus in actu. Hippoc. in prædictionibus Aridæ linguę phęniticæ, ob biliosum humorem arescit lingua, sicut in febribus item ardentibus ob æstum magnum, qui saliuam, & humorem glandularum circa laringem absumit, & probat author non admodum vdam linguam sentire, quia tactus capit humiditatem, seu gustus cum tactu apprehendit humiditatem, & imbibit eam ita, vt non possit aliam sapidam percipere, perinde cum quis prægustatis saporibus ingentibus, qui solent afficere admodum seu acres alij cæpæ gariophylorum, piperis, nucis muscatæ non possunt alios sapores exacte degustare, Intus existens præcludit aditum alteri. Hinc fit, vt qui multa gustent non possint bene decernere, & quo quanto plus gustatur vinum, vt diiudicetur ab alijs, tanto minus discernatur probatio. Nam tactus fit primi humidi, idest gustus tactu primi humidi, quale quoad retinetur impedit sua copia, vel qualitate, quominus sapor percipiatur, exemplum, Ceu si cum prægustauerit quispiam ingentem, vel acrem saporem, ergo acer sapor ingens est, sed non extremus, siquidem dulcis, & amarus sunt contrarij sapores deinde alium vel æqualem, vel minorem gustarit non poterit dignoscere, quod exemplo arquatorū, qui morbo præcipue

ictorario arquato laborant. Hi linguam felleo humore ac bilioso vdam habent admodum, ob id quicquid gustant amara sentiunt. Regio morbo laboranti si mel gustandum dederis, haud dubie hoc dulce amarum illi videbitur, non quia dulcia facile in bilem vertantur, sed quia impressa lingua redundante bili non potest alium admittere sapidum humorem, ita, vt sensus gustet, Quare omnis sensus & omne sensiterium in quadam mediocritate consistit, & maxime gustus, ac tactus. Hoc vnum Simptoma regij morbi, de quo Hippocr. libris de morbis, & Galenus passim, atque Paulus Aegyneta, Oribasius, Trallianus, Aetius cap. de morbo regio, Dicitur (primi humidi) relationem ad secundum gustatum, & vtrunque sapidum est asserente Simplicio optime, Attende reuera affecta lingua, idest carne eius, & musculis humore nimio, & sapore admodum tanquam medio, non tanquam sensiterio non posse discerni vel saporem, vel externũ, sicut si medium aeris, vel aquæ totum esset refertum odore vehementi aliquo, non posset odoratus percipere alium odorem, & si ocularia naribus imposita essent flaui coloris, quicquid cerneretur eiusmodi videretur, Nerui autem sunt instrumenta gustus, qui sunt partes linguæ, & extimam partem eius condunt cũ musculis, & hi si madent, nimium impediuntur recipere sapores, & si valde essent alio sapore affecti, non possent eũ dignoscere, ceu oculi arquatorum nequeunt nisi flaue videre, quia oculos habent flauos. Hæc etiam atque etiam attende, & magis quod sequitur cætera contextus clara.

## *Caput an gustus per speciem sensilis gustet, & sentiat.*



ET si id fuisset in sermone de tactu differendum, tamen Alexander nos cogit dicens omnem receptionem effici per similitudinem, quærere an hæc similitudo fit per qualitatem corpoream, aut incorpoream, quam speciem vocant sensilem. Videri per sensilem qualitatem corpoream effici ita, vt sapor qualitas feriat gustum, & non species eius spiritalis, sicut color sensum visus mutabat specie spiritali, non seipso. Ratio prima. Vt visus, auditus, odoratus Auerh. sentiente per speciem sensilem incorpoream sentiunt, ergo & gustus, ac tactus. Alioquin assignanda est differentia, Ratio secunda omnis sensus receptor est specierum sine materia, velut cera figuram sigilli sine materia sigilli, & nix vestigium pedis, sine pede, sicut infra patebit verbis Arist. At vero gustus sensus est, & tactus, ergo specierum receptores, & non qualitatum corporearum. Tertia ratio, si gustus, tactus & sensiteria horum saporibus, & qualitatibus ipsis imprimerentur, plane sapida essent, & calida, vel frigida, sicca, humida, quia habere reapse calorem, & saporem, & non esse sapida, vel calida incredibile est, cum perpetua inductione secus videamus. Quod si sapit lingua, si gustus, si tactus, & instrumentum eius, cur non mouent seipsos sensus, & sensiteria? siquidem tum sapida re facta, & calida sunt sensilia proprijs sensibus, At contra potius si recipere debent, his careant necesse est. Quarta ratio gustus, tactus cognoscunt sua obiecta. Cognitio autem non est rei corporatæ impressio, siquidẽ hoc modo etiam sensilia cognoscerent, ergo rei spiritualis receptione fit cognitio. Quinta ratio omne recipiens recipit secundum naturam recipientis, non autem rei receptæ, cum sensus sit facultas animæ rei spiritualis, ergo recipit spirituales res, quibus tanquam impressis imaginibus appræhendit res sensiles extra, Et quamuis cera formam sigilli sine materia, nix vestigium pedis aquæ, & medium aeris, vel aquæ delatiuum speciem obiectorum sensilium, tamen non iudicat, nec cognoscunt, velut sensus. Qua ratione medium, & sensiterium, quæ recipiunt spiritualiter, haud tamen cognoscunt, & iudicant, sicut sensus, Quare gustus non rem ipsam, sed similitudinem eius accipit spiritalem, & per eam iudicat de re obiecta, sicut Aristot. confirmat. Hæc dubitatio magna est, & docto homine digna. Si enim gustus, vt contra præmissas rationes aliæ adducantur, speciem, & similitudinem conciperet rei sine re ipsa quomodo excessus saporis corrumperet simmetriam sensiterij, & sensum, aut quomodo diminutus sapor non bene gustum afficeret, Equidem similitudo rei excellentis spiritualis non corrumpit, quia non est de qualitatibus alterantibus, sed perficientibus, iccirco principio decretum est pati sensum sine alteratione vera, Ac debilis sapor æque speciem spiritalem edere sui similitudinem potest, sicut

valentior, quia quoad productionem speciei spiritualis, tam debilis, quam valens sufficit vt sensum moueat, Alioquin quomodo cognosceretur esse debile sensile, & exiguus sapor, nisi gustus declarasset debilem, Adde nisi sapor afficeret linguam re ipsa, sed solum per similitudinem sui, non opus esset humido, quia sapor sine humido potest efficere similitudinem sui in sensu gustus, Ac facile est cernere in re amatoria, vt si sal in lingua mulieris amatæ ipsa sua posuerit, & amatori in dissuauiando porrigat, plane amator admittens illam sentit salsam, & prius si non posuisset, non sensisset salsedinem ergo lingua sensiterium afficitur reipsa, & non specie sola spirituali. Quinetiam sicut agens est natum facere, & patiens recipere, ita erit res producta, Efficiens est res corporea sapidum, lingua corpus, aut neruus, ergo actio corporea & res ipsa, quæ sit qualitas corporea, Adhuc sensus ab intellectu distinguitur quinimo exterior sensus ab interioribus, phantasia, cogitatrice, memoria, sed intellectus, & interiores sensus recipiunt species sine materia, ergo non exterior, Hæc, & alia dici possunt. Iccirco propositis in vtranque partē rationibus videre est quid sit decernendum, Idque breuiter, siquidem de tribus sensibus visu, auditu, olfactu fere euidentissimum est Aristotelice effici sensum rei per speciem receptam in medio, antequam perueniat ad sensiterium, & vim sentiendi, quod & contra Platonem perpetuo tenuit Aristotel. & contra defluxus Democriti, vel idola, & Empedocl. sicut in libello de sensib. sensil. conscriptum est, & maxime, cum illa quæstio scribitur an sensilia, vel motiones eorū perueniant ad sensiteria, Et si intercst, quod aspectus in cernendo lumine statim cernit, & non per medium hoc prius, & illud posterius, Nam color illuminato diaphano ilico percipitur visu, Nec mirum alteratio est, & fit simul tota, vt congelatio primo phys. & octauo, quanto magis in hac appræhensione luminis, at sonus, odor feriunt in tempore sensus. At vero de gustu, & tactu non æque euidens est, an perficiantur per species, & similitudines receptas, Nisi Aristoteles aperte postquam decreuerit omnem sensum capacem specierum sine materia statuisset etiā gustum esse in eo numero, forte quis potuisset excipere, Et non dubium quin cognitio, & iudicium fiat per species receptas, sicut impressio per rem ipsam, Attamen receptio speciei multiplex aut cum cognitione, aut sine & si absque, & sine cognitione adhuc bifariam, aut a re animata, vel inanimata, Et ab inanimata dupliciter vel delatorie, vel tantum receptione, Et cum cognitione aut vniuersa, & sic intellectus, aut signato quodammodo, & vt aiunt particulari, vt cogitatrix, memoria, & hoc in absentia rei sensilis si species retinetur, & si nōn retinetur absente sensili. Iccirco specula inanimata recipiunt sine materia imagines, & medium sensuum diaphanum, diosmos, & dieches vel aer aqua, sensiterium sensus recipit animatum, sed hæc omnia sine cognitione, & iudicio, Et media delatorie species sens. admittunt, non autem Specula. Rursus sensus cognoscunt singularia cum suis conditionibus temporis, & loci vt aiunt hic, & nunc, iccirco absentibus non fit perceptio, interni sensus retinent imagines absque his particularium, Intellectus autem vniuersé percipit. Quare gustus si cognoscit, speciem saporis admittit, & affert iudicium, & discernit saporem a sapore per speciem, Quoniam si solum afficeretur re ipsa, & qualitate corporea, sane non aliud fieret, quam sapidus, & non iudex, & cognitor saporum, Ergo etiam gustus appræhendit speciem rei & similitudinem, quæ est qualitas quædam incorporea non habens dimensionem nec perse nec ex accidenti in sensu, quia recipiens recipit pro sua natura, & cum color, sapor, sonus, odor, calor gelu, humiditas siccitas qualitates diuiduæ sint per subiecta, in quibus sunt primo phys. tertio cæli & secundum se nō sint diuiduæ, iure in subiecto indiuiduo indiuiduæ sunt, ob id cum sint secundum suam similitudinem in sensu indiuiduæ sunt, & in sensiterio ac medio, quia species spiritales non funduntur fuso subiecto, Quare gustus, & tactus percipiunt, & indicant per species, Et tactus alimenti sensus cognoscit alimenta per species, & si sua substantia alimenta nutriant. Nam alimentū qua alimentum nutrit vt fit in plantis, vt sensile mouet sensum tactus, & gustus, sed illum per humiditatem, calid. & siccit. hunc vero per saporem. Cæterum si quis adhuc velle percontari quid sit species sensilis? facile respondebis non esse actionem sentiendi, sicut quidam putant, quia species est similitudo rei, hæcque in genere qualitatis, vt similitudo in figura tui, vel mei. Actio sentiendi in genere actionis, Alij putant esse speciem affectionem sensus, & medij, ac sensiterij. Absurdum est, quia affectio est in genere patiendi, species qualitas, His expositis, cum sæpe incidat de his sermo approbabis rationes primas Aristotelice, quia mea sententia non sunt hæ species, sed quodlibet sensile agit in medium, vt aptum est illud, & in sensorio, & sensu, ita vt sensus moueatur cognoscendo per solam præsentiam sensilis sine alia specie, sicut in theæ-

tero facit Plato. In mutuo enim congressu sensilis, & sensus fit operatio sine specie, Mirū enim videtur gigni speciem spiritalem, quæ de vno subiecto in aliud migret ceu ex medio ad sensiterium, ex hoc ad sensum. Accidentia non migrant de subiecta materia in subiectam, Atque si species in sensu esset aliquandiu retineri posset absente etiam sensili, sicut imago tabulata absente illo cuius est imago permanet, attamen continuo sensili recedente non fit actio, nec species remanet siquidem actio sola intercedit, quæ deficit si agens non agit, verum de his postea, Defensor Aristotelicus dixerit ad argumenta seriatim. Ad primum excellens sensile turbare & corrumpere sensiterium tanquam agens, & sensus percipit illud per speciem esse excessiuum, nec sensus corrumpitur, nisi corruptione sensiterij. Si enim mediocriter se haberet sensile, & non alteraretur temperamentum sensiterij, proculdubio sine molestia fieret iudicium de sensili, ideo turbatum est iudicium sensus de excessiuo sicut de exiguo, quale obscure mouet sensiterium. De secundo, quia debile sensile debiliter ferit sensiterium sensus obscurum facit iudicium, & speciem debiliter recipit, ceu siquis leuiter in niue pedis vestigium relinqueret. vtque fit in sigillanda cera. Nisi quis prælserit digitum tenue simulachrum relinquit. Equidem videtur a debili sensili sic effici impressio, vt fit cum aqua pedis vestigio insignitur. De tertio. subijci oportere humidum, vt sit sapor in actu, quia non mouet, nisi quod actu, & ideo non potest sine humido effici species sensilis. Et humidum forte requiritur ob sensiterium ipsum, quale non est aptum recipere actu saporem, nisi humectetur. De quarto statuerem reuera effici salsam linguam ceu a sale agente naturali, sed dum salsa fit, & percipere salsum debet, tanquam sensiterium, & non sensile solum specie sensili afficitur, vnde sensus gustus dignoscit linguam amatæ salsam, Vt vero sensilis gustu amantis discernitur & non a seipsa, Tu vero cogitabis, atque etiam cogitabis. De quinto respondebis sensiterium corpus esse aptum reipsa, & specie sensili affici, Vt corpus reapse vt sensiterium tale specie sensili. De vltimo decretum est supra aliter sensum exteriorem, interiorem, intellectum recipere species rerum sensilium. Reuise. hæc hactenus.

## Contex. X C I.

*Saporum vero species æque, ac colorum. Simplices quidem contrariæ, Dulce, & amarum. His iunctæ vt huic pingue illi vero salsum, inter quas reponuntur acre, acerbum, acidum, acutum. Hæ fere enim saporū differentiæ videntur. Cæterum vis gustandi est quod potestate est huiusmodi. Gustatile id, quod eam vim habet vt id facere actu possit.*



T vnius generis subiecti, & specierum est scientia, ita potentia sensifica, ob idcum de medio, de gustatili, quale esset, de lingua sensiterio eius disseruit, subingitur numerus specierum saporis. Deinceps quid gustatiuum, vel quod vim habet gustandi. Tertio, quid gustatile, vt absoluatur oratio de gustatili, & gustu. Hæc tria in contextu legeris. Sapor est genus analogum, propterea quod primas habet dulce tanquam nutritiuum. Sapor est condimenti, ac delectationis causa. Semper placuit illa sententia Plat. in Timæo iocundum suaue, dolorem, voluptatem sequi omnem sensum, & appetitum, Hodie alterandi appetitus causa miscentur, & cibi gratia, Alij defendunt vniuocum esse genus saporis, & affirmari de omnibus vna voce, vna ratione, attamen non de specie saporis spiritali, quia similitudo rei non res est. vero illud dubium, si æque de simplicibus saporibus, & de mixtis asseratur, Quinimo secundum rationē cōem, & quoad mutationem, Verum aduertendum duplex genus dici solere in his sensilibus, Vnum relatiuum gustatile, quale asseritur de quocunque gustatili, etiam de sapore cōi, alterum absolutum quoad naturam, & id sapor est, & conuertitur cum gustatili, Quicquid sapor, gustatile, & retrocedit quicquid gustatile sapor, & genus vtrunque vna voce, & vna cōi definitione de saporibus dicitur. Itidem de sono, auditili, de colore, visili, de odore, odoratili, De relato genere in tactilibus idem, sed de absoluto vno genere cōi non constat, de quo erit sermo proximo in capite, nunc generis absoluti, & relati species octo sapo. referuntur, quo de numero mox, interea quales sint, & cuiusmodi, Saporum vero species, si species, sapor ergo genus, vt dictum est. Refertur

tur ſpecies ad genus in topicis in chategorijs,& porphyriana Iſagogæ æque, ſimilitudine vtitur author, ac colorum, intercurrit dubitatio, cur Ariſt. in capite de viſu non recitauit coloris ſpecies quæ eſſent, cuiuſmodi,& quot, ſicut fecit in opuſculo de ſenſi. ſenſilibus cum maxime debuiſſet, ſi cupit intelligi nunc ſimilitudinem ſpecierum ſaporis. In opuſculo de ſenſibus tot ſpecies coloris naturalis, vt taceamus artificio editos,& apparentes, de quibus iam præoccupauimus lectorē cap. de viſu. Breuiter colores innumerabiles ob infinitas proportiones miſcendorum, ſicut & ſapores, de quibus non certa cognitio, non certa item enumeratio, ſed definita ſunt genera. Et Ariſt. ſeptem in eo libello affirmat coloris,& ſaporis, Vnde & alia ſuborta eſt dubitatio, quoniā

| | |
|---|---|
| Albus | Dulcis |
| Niger | Amarus |
| Flauus | Pinguis |
| Fuſcus | Salſus |
| Puniceus | Acer |
| Purpureus | Accerbus |
| Viridis | Auſterus |

ibi ſeptem decernit ſpecies, nunc octo. De prima dicendum dubitatione, quod ſatis eſt indicaſſe ibi,& tacuiſſe breuitatis cauſa, maxime cum hic repetendæ fuiſſent. De ſecunda primum enumerentur in contextu. Simplices quidem contrariæ hæ duæ dulce,& amarum. ſicut ſimplices colores, Albus, acer, non quia colores ſint non in re mixta,& mixtione qualitatum primarum non fiant, ſed ſimplices dicuntur pariter colores,& ſapores. quoniam non fiunt ex mixtione ſicut reliqui, & ſi Plato in Timæo rubrum voluit hac ratione ſimplicem eſſe, cui ſubſcribit Philoponus arbitratus rubrum, ac viride eſſe intermedios colores, ſed non mixtos ex nigro,& albo, ſicut etiam auſterū, acrem acutū ſapores intermedios,& nō mixtos, Ac Simplicius fatetur eſſe ſimplices colores,& ſapores medios, ſed ſocietate quadam cum ſimplicibus dicuntur mixti, ceu acer quia intenſior eſt auſterus, iccirco mixtus videtur. Vterque ab Ariſtotele, Alexandro Themiſtio diſſidet. Plane fatentur medios confici ex Simplicibus extremis, qui conſenſu omnium habentur ſimplices. ſed qūo dulcis, amarus contrarii? dupliciter ſane & natura,& cognitione. Iudicioque ſenſus. Natura ſe pellunt de eadem materia humida,& ſimul conſiſtere non poſſunt. Quæ medici,& mulieres amara dulci veſtiunt ob pueros,& lumbricos non ſunt dulcedo,& amaritas in eodē ſubiecto. Signo quod dulci alliciuntur, amaro deterrentur ſubeſſe dulce amaris poteſt, iccirco aliqū amara nutriunt, ſed non ſunt in eodem puncto ſubiecti. Pelluntur mutuo. Contrarij ergo. Atque actionibus indicantur contrarij, quia dulce lenit, amarum exaſperat. His autem dulci, amaro iunctæ ſunt duæ ſpecies. Huic dulci pingue, vt albo flauus color prætermiſſus a Platone in Timæo adnumeratus Ariſtotele, nedum Theophraſto, Et prætermittendi ratio fuit forte quia ſucci differentia potius, quā ſaporis videtur. Nā ſucci alter vinoſus, alter oleoſus, alter mellus, alter vnctuoſus, attamen Ariſt. ſpeciē ſaporis facit, quia lingua dignoſcitur. Pingue minus dulce. Implet tū,& dulcedinis aliquid habet. Ergo hęret affinis dulci, atq; alij. Calet minus, quam dulce. Illi vero ſalſum. Amaro agnaſcit ſalſus ſapor, ſed minus calet. Verum de agnationibus ſuis mox, nunc quatuor ſpecies, inter quas reponūtur acre, velut alij, naſturtij, euforbij cępe, idq; genus, accerbum, vt poma immatura, Acidum hæc ipſa antequam maturentur optime, Tranſeūt ex accerbo ad acidū,& poſtea fiunt matura,& dulcia, Acutum, alij auſterū, alij acetoſum exponunt, de quibus dixero, Interea octo legiſti ſpecies,& in opuſculo ſeptem leguntur de ſenſ ſenſil.& ab Alexandro ſeptem hoc in loco,& in commentarijs ſuis de ſenſi. ſenſ. ſeptem numerat quodāmodo ſicut ego primus in ea tranſlatione notaui ſeriatim, Iuuenis admodū verti illos commentarios e græco in latinum, ſed verti quidē latine,& eleganter, legeris contextū,& orationē Alexandri. Quinetiā Auerh. numerat ſeptem ſolū hoc loco, ſi pinguem dulci agnatū quis fecerit, ſicut eſt ſeptē ſunt, ſicut flauū candido colori ſpecies colorū ſalſum nō agnaſcit item amaro ſitu oſtenſum erit. Et quia videbat Ariſt. incertū eſſe numerū ſpecierū nobis, licet naturæ perſpectū, ſubiunxit. Hę fere ad uerbiū dubij illud, fere, enim ſaporum differentiæ. ſupra ſpecies vocauit, nunc differentias. Non refert ſolet ſpecies differentes vocare differentias. Galenus & ſpecies febrium vocauit differentias in libris de differentijs febriū, ad Glauconem,& alibi. Hæc de ſpeciebus ſaporum conciſim ab Ariſt. Deſideratur hic,& in libello de ſenſi ſenſ. quid quæq; ſpecies ſit ſaporis, ſicut Plato in Timæo qd ſit quæq; tradidit. Sicut quid quæq; ſpecies coloris. Itē deſiderat cuiuſmodi quæq; ſpecies feriat ſenſiteriū,& ſenſum, cū quęq; aliter feriat, quod videbatur pertinere ad hūc librū, aut ad opuſculū de ſenſib. ſenſ.& non fecit. His ſupplere oportet, ſed interea de ſecūda parte contex. qd ſit guſtatiua vis. Cæterū vis guſtādi eſt quod poteſtate eſt huiuſmodi guſtatile actu, Nunc guſtatiuū intelligitur non ſenſus ſolus, nō ſenſiteriū ſolū, ſed totū conflatū ex guſtu,& lingua. Et poteſtate eſt, quia non hēt actu ſaporē. ſed caret eo cum potentia ad capeſſendū. Recipiens denudatū actu recepturo, alioqu, [illegible],& potentiā eſſet, ant receperet quod haberet, primū effici non pōt, ſecundum temere-

conſi-

constitutum est ergo quoddam tertium, ex gustu, & instrumento, sed gustus vis animi est capax saporum specierum sine materia, instrumentum autem est quod primo habet facultatem gustandi. Nam sensorium quoduis est illud in processu dicendi, in quo primum facultas sentiendi. Tertia pars contex. quid gustatile edit. Gustatile est id, quod eam vim habet, vt id actu facere possit hoc est gustatiuum ex sensorio, & sensu conditũ traducere ex potẽtia ad actum, & facere idipsum non sapidum, sed cognoscens sapidi. Nam de potentia cognoscendi non essendi dicitur. Sapor enim materiam suam fecit actu sapidam, quæ sapida facit sensum actu talem, qualis est non reapse sed per speciem, alioquin si reapse faceret gustatorium sapidum, idipsum esset reapse sapidum, & perceptibile a seipso. Absurdum. Ergo sensile quoduis tantæ potestatis est, vt sui edita specie, & similitudine sensum actu tale, idest cognitorem, & iudicem rei sensilis per speciem. Etenim salsedo aliter mare facit salsum, & muriam, carnesque pisces, & aliter sensum. Illa enim reapse corporea, hunc autem per speciem sui spiritalem. Hæc nouit etiam Simplicius in suo comment. tributo illi.

## *Quot genera saporum, quid unumquodque & quomodo feriat quicque sensum.*



COGOR suppetias afferre. Hunc enim in modum videbor auxisse rem literariam. Debeo priscis, sed debeo etiam augere, aut illustrare veterum dogmata, & vbi benè, animiq;. Vbi male, amica veritas, Sententia Platonis fuit, vt nequeamus omnes sapores animo persequi, tanta varietate est & incredibilis. Quot potuit genera numerare & quicquid est quoduis, tradidit? Si austeram diuisit a põtico, & stiptico plane nouem species huiusmodi numerat, sed quomodo generatim linguam feriant, exponit, & deinde quomodo quicque genus feriat, vnde diffinitio cuiusq; promi potest. Sic generatim. Tenduntur a lingua venæ ad cordis sedem saporum nunciæ, in quas, si qua ita inciderint, vt humidam carnis mollitiem penetrantia terrestri sua natura modice liquefacta venas ipsas contrahãt arefaciantque sapores huiusmodi pariunt. Gal. hæc citauit primo de simpl. medic. facultatibus quem admiror pentũ anatome omisisse venas illas considerare quomodo a lingua ad cor perueniant, cum nec veræ, nec immo nerui sic procedant. Veteribus vsu venit vocare neruulos venas. Atque cor facit primum sensiterium gustus vt nonnulli recentiores, & ego solebam ostendere. Fetus in vtero alitur ergo gustat alimentum, & nondum lingua formata, ergo cor vel cerebrum sensiterium. Leuis ratio aluntur tactu solo, & non gustu more plantarum fetus in vtero. Lingua est sensiterium primum gustandi, venulæ sensiteria delatoria ad principem animam in corde. Cætera de modo, quo sapores feriant linguam Platonicæ dicta ostendunt, a quibus Arist. hausit. Post hęc vero quomodo feriant genera saporum linguam, & sensum tradit. Videlicet si asperiora sunt acerbos, acresque, ergo quid sapor acerbus est? sapor quidem, qui profundũ linguæ exasperat, & contrahit, exsiccat, & moleste ferit, vt pyra immatura siluestria, corna. Acies sapor est, qui altius mordicat, rodit, exsiccat, ceu alliũ, cępa, nasturcia, piperes, & id genus. Et subdit Plato. Sin aspera minus, austeros, & põticos parit. Austerus sapor, qui exasperat linguæ extimam partem vsque ad profundum, sed non æque, atque acerbus, cęu mespila, cotonea, ponticus sapor idem est vel cum austero, vel stringente, cum sapor astringens contrahat linguam, & stipet. Salsus sapor diffinitur his verbis Platonicis. Quæ & illas purgant, & si qua linguæ inherescunt, abluunt, si vltra modum id faciant, naturæque ipsius nonnihil liquefaciant, qualis est in intro potentia, amara omnia nominantur. Ergo deprometu saporem amarum dici qui ablnit, & abstergit linguam admodum addidit Gal. primo libro de Simpl. medicamen. facultatibus, & exasperat. Ac hisce verbis annexis. Sin autem vim nitro temperatiorem habent, leniterque abstergunt, salsa sine amaritudinis asperitate, magisque amica nobis apparent. Itaque salsus humor est, qui lenius abstergit linguam quam amarus amicior naturæ. Rursus sapor acutus quid sit his continetur. Quæ autem oris calori applicata, coque mollita

Marginal notes: Acerb. Pontic. Acris Auster. Salf. Amar. Acutus Acidus Dulc.

„ mollita,& ferucfacta ipsum vicissim ferucfaciunt, suaque leuitate sursum ad sensum capitis ele-
„ uantur,suoque attactu singula diuidunt propter huiusmodi vires acuta vocantur. Quare sapor
acutus est, qui ferucfacto ore exhalat ad caput. Atque post quædam de ampulla,& de fermento,
quomodo fiant, acidum saporem declarat, cum sit qualitas fermenti, & ampullæ hic sapor, &
„ medius inter acerbum,& dulcem. De dulci quid sit hæc verba facit. Quando vero ingredien-
„ tium qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors, & consentanea, ac lenit, mollitq;
„ eam,contractamque demulcet asperitatem, & quæ in nobis præter naturam contracta, vel spar-
„ sa fuerunt, relaxat, vel colligit, ac summatim naturalem restituit habitum, suaue huiusmodi om
„ ne, amicumque est omnibus violentarum quoque rerum medicina, atque remedium, dulceq;
vocatur. Sapor est dulcis, qui lenit, & mollit & demulcet asperitatem linguæ amicus naturę, &
Arist. in opusculo de sensibus sensil. vocat saporem alimenti. Galenus saporem dulcem inquit
inungere, & implere cum voluptate, si absque hac voluptate vngit, & implet, dicitur pinguis, &
vnctuosus. Tot saporum diffinitiones eliciuntur ex verbis Platonis in Timeo. Sed e verbis Ari-
stotel. in opusculo supra citato non plane quid quisque sit promitur. Forte in libris de plantis,vt
fecit Theophrastus in libellis de causis plantarum hos diffinire voluit. Nam & ibi de saporibus
stirpium fructuum dicendum. Verum si quid hauriendum est ab eo, hoc dixerim. Dulcis sapor
est, qui naturæ amicus alimentarius est suapte natura siue simplex, siue misceatur. Hæc verba
philosophi in eo libello. Omnia nanque dulci aluntur siue solitario, siue permixto. Quid item
sit amarus. Est enim priuatio dulcis in humore, quo alimur, ob id refugimus amara in cibis. Hæc
Arist. Præterea atque salsus, & amarus sunt priuationes dulces in humore, quo alimur. Quid itē
salsus sit. Iccirco interest Platonem, & Aristotel. de salso, quoniam ille ad alimentum conferre
ait, hic asserit condimenti solum gratia adhibendum. Non nutrit, salsus ergo humor est priuatio
licet minus dulcis in humore, quæ diffinitio potius est nitrosi, quam salsi, cum semper aliquid hu
mide nutritiui subiiciatur sali. Quid sit acerbus etiam elici potest ex illis verbis Quo[illegible] pabuli
lumi calor auget, & fingit, cuius partem simul ac lucis facta est, ad se trahit, alteram [illegible] salsam
vel acerbam ob eius pondus deserit & ne pluribus coner elicere ex eo opusculo diffinitiones sapo
rum, & libro de causis plantarum Theophrasti index erit tibi subscriptus substantiæ, qualitatis,
actionis, celeritatis, & tarditatis, ex quibus produci possunt diffinitiones. Nunc vtar verbo

| Substantiæ. | Qualitat. | Actiones. | Motus. |
|---|---|---|---|
| Crassus. tenuis. | primæ secundæ | intensæ. remissæ. | Celer. tardit. |

Substantiæ more medicorum. Crassities, tenuitas qualitates sunt, vt densitas raritas, tamen quia sequuntur substantias corporeas magis, quam reliquæ dicuntur substantiæ, vel potius consistentiæ. Crassus Platonicæ dicitur quicquid calore coactam, substantiam multam habet, tenue, quod minus substantiæ coactæ obtinet. Sicut crassum non facile frangitur, tenue vero ita facile. Hinc Gal. 4. lib. de Simpl. med. facultatibus tenuium partium ea vocat, quæ celeriter in tenuia vocantur, ceu sal tenuius est auro, & panis coctus non cocto, idque genus. Crassum autem non facile scinditur in tenuia, ceu crassior est adeps, quam sanguis. Aduertendum, quod nos fallit aliquando viscositas, tenacitas, lentor, quibus non facile dissoluuntur coagmentata, ceu oleum sua tenacitate non delabitur e manu ita, vt aqua teste Arist. in opusculo de sensib. sensil. Et viscus non leditur distrahitur, & dissoluitur non propter crassitiem, sed ob viscositatem. Iccirco alij crassum uefiniunt quod plus ponderis habet, & tenue, quod minus, quod ex eo absurdum videtur, siquidem potest tenue magnum ita librari, appendi, vt plus ponderis habeat, quam crassum, & tamen non erit crassum. Et ne diutius morer lectorem, crassum illud dicendum, quod plus terræ commixtum habet, quam aeris remittens penetranti, & diuidenti ne facile penetret, atque diuidat, & tarde actionis. Tenue autem contra Sicut in figuris mathematicis pyramis tenuis, cubus constā tior figura. Verum de crasso a gelu, vt quarto lib. meteorum nunc nihil, sed de illo, quod fit a calore externo, velut solis, aut vice illius. Et mespila, sorbæ calore palearum maturescunt, & interno, & quod est materia saporis, & digerente calore augetur. Et sal, lac, genitura, adeps crassescunt calore, vt etiam fructus, tanquam ab agente, quia materiæ sunt humor, & siccitas dicuntur, quæ minus terræ, & aquæ habent, subtile, tenerum viscositas, tenacitas his accidunt. Hæc de crassitie & tenuitate, mox de qualitatibus, primæ dicuntur actiuæ patibiles quatuor, calor, gelu, humid. siccitas, grauitas, leuitas hæ motiuæ dicuntur, illæ alteratrices. Secundæ asperitas, lenitas, duritics, mollities, densitas, raritas, tenax, lubricitas, & id genus. Galenus Auerhoe teste diuisit sapores, calores, frigore. Vocauit quarto, primo de simplicium facult. & libello de oculis ponticum,

&

& acetosum, seu acidum frigidos, & acutum fecit calidiorem amaro. Et vtrique hoc asserto obstat. Primo quidem in comment. suo 105. quoniam si differunt sapores gelu, calore, plane contrarij sapores secundum summam caliditatem, frigiditatem aduersabuntur, ita, vt dulcis summe sit calidus, & amarus summe frigidus. Duo quidem absurda. Et dulcem summe calidum, quoniam acrior est calidior, ceu cæpe alij, euforbij. Et amarum summe gelidum, siquidem calidus est. Quæ absurda non accidunt Aristoteli reputanti similitudine quadam ita diuidi sapores, ac colores. Quare melius est sequi Arist. quam Galen. Aliud, & secundum argumentum facit, sed aduerte, quod amarus dicitur calidus ad mentem Gal. ob id reprehenditur, siquidem quædam amara sunt frigida, opium, cinis, & fructus in primo incremento gelidi. Rursus asserit ille dulcia, calida, & tamen aliqua gelida sunt, vt fructus quidam post amarorem, succusque hordei. Tertio argumento vtitur, quia si contrarii sunt amarus dulcis, & acer, seu acutus, ponticus acidus medij erunt, eo signo qnod amaror non transit in dulcorem, nec contra dulcis in amarum, nisi per eos medios, vel per aliquos. Non enim cum transitur ex vno extremo ad aliud oportet per omnia media transire, satis est per aliqua. Ob id ex dulci per acutum in amarum, vel ponticum transitur. Quare sapores, qua sapores non gelu, & calore distinguuntur. Alioquin extremus, ceu amarus esset medius, & acer extremus, cum acer apud illum sit calidior amaro, vt allium amaris amigdalis. Quarto argumento adhuc obijcit Galeno ille, quia & si dulces, amarus sapor calidus est, non ex natura rei, sed iudicio gustus humani, de quo est sermo Gal. Attamen Arist. loquitur ex natura rei, iccirco possunt inueniri dulces, & amari gelidi. Quinto argumento vtitur, quoniam non decuit Gal. asserere contrarios humores, & differre calore, gelu, cum magis consistant in siccitate & humiditate sicut in opusculo de sens. sensil. explicatur. Quare Auerh. inficiatur sapores diuidendos qualitatibus actiuis, tametsi tertio collectaneorum sanciat fieri sapores secundum concoctionem, vt ille sit dulcis, qui est succi temperate concocti contra amarus est. Et mihi videtur potius addictus Aristoteli, quam veritati, & sensui adhibere fidem Auerh. Et cui nam dubium acria esse fortiora calore. Confer amaris acria, Absinthio, amigdalis amaris, aloe, nitro, bili, felli, cineri, & similibus nasturtium, nisi hoc piper, pyrethrum, allium, euforbium, & facile quorum sit superior calor dijudicabitur, vt taceam, quæ rodunt, vlcerant, iccirco (Auerh. mi) vide etiam atque etiam, an sensui vel Aristoteli, aut tuæ cupiditati obnitendi Galeno assentire malis. Quare primū ille bene acrem saporem amaro facit calidiorem libro 4. de facult. Simplicium medicorum cap. quod acres sapores calidissimi, primo in gradu locat acres, hi urant, inflammant, secundo loco amari, qui abstergunt. Tertio dulces nutriunt. Nunc sermo est de his saporibus non commixtis alijs. Alioquin alij plus, alij minus amari, acres, dulces ita, vt fieri possit, vt quidam amarus sit calidior quodam acri ob mixtionem. Verumtamen excellenter amarus fit acer nec solum exasperat, sed etiā vrit, ceu staphis agria, quæ abstergit, & carnem colliquari facit, sed heus Auerh. non solum Gal. calidiorem acrem saporem amaro asserentem, sed etiam Platonem in Timeo. Theophrastum in libello de causis plantarum, Ioannem Mesue, qui tardius censet amarum operari, quam acutum. Quod item præposuisti dici a Gal. ponticum & acetosum frigidos quis id ibit inficias. Plane gelidi, licet plus minusve hi sunt acerbus, austerus, acidus, ponticus, & suo gelu perfrigerant, & sepe astringunt, tametsi adstringere sit actio saporum. Et ne multa persequar ad tuas obiectiones respondebo. Primæ, quia dulcis, & amarus quoad substantiam, seu consistentiam maxime contrarij, non autem quoad qualitates Arist. primo modo fecit eos contrarios, & Gal. secundo modo. Atque hi duo sapotes qua sapores possunt esse summe contrarij, & non qua calidi, gelidi, quoniam acer magis opponitur dulci, quam amarus, nec illud absurdum sequitur amarum esse frigidum, & dulcem summe calidum, siquidem non opponuntur qualitatibus his, sed consistentia quoad sapores. De secunda obiectione nec ignorauit Gal. plura amara gelida, & opium, & Meconium, sed fieri gelu extrudente caliditatem ad extimam partem, cum fit ex papauere, iccirco congelat intus, foris est amarus, cū tamen huic responso se opponat Auerh. quarto collectaneorum cap. de cognitu medicinarum per sapores, vbi amarum saporem effici tum e frigore, tum e calore, qui quidem fit e gelu post amarum fit dulcis, sicut Galenus, & quædam cucurbitæ, sed sapor amarus ex calore fit quoties amaritudo transit in dulcorē, & denuo amarescit, ita, vt sapor amarus cum e calore siccitate fiat, tum ex gelu, & sicco, vt niger color fit tum calore in Ethiopibus, tum gelu, vt atra bilis asserit, atque addit nec medicos, nec Gal. ante ipsum nouisse amarum fieri ex gelu, & quia videbat dici posse opium, & id genus effici amara calore, vt dictum est. ob id refellit, quia amaror opij magnus est, & ostendit naturam eius, & ita videri debere non

in superficie sola, sed tota substantia amarum, sed in his multa peccat Auerh. nec dignoscit quid sit amarus sapor, cum glandes, & castaneas cucurbitas primum amaras dicit esse, & gelida non distinguens subausterum ab amaro propter quandam asperitatem in his adhuc immaturis, & magnam ariditatem. Deinde si fit opium, & Meconium ex papauere erratico, vt fit lacticulum ampullarũ, & capitellorũ papaueris opium, & mæconiũ ex cõtritis follijs, & ampullis viridis papaueris, plane Auerh. non vidit quomodo amaritudo opio, & Meconio superueniat, cum enim siccescunt succus in conculis calore, tum accidit calore amaritudo. Docuit spurius liber Gal. de simpl. medicamentis vtrunque effici opium, & meconium. Alia etiam Auerh. tacebo confutare, vnũ notauero quod nunc arguit ex Galeno faciente contrarios sapores qualitatibus elementarijs, idẽ facit ipse citato loco, & libro supra, cum de his saporibus facit verbum. De dulci vnctuoso, amaro, salso, acuto, pontico, acerbo, acetoso. Vnde ad tertium dicendum contrarios esse quo ad consistentiam, & qua sapores dulcem, amarum. Medij vero sunt alij. Et dixi qua saporis, quia sapor gratia nutrimenti maxime fit, iccirco cum amarus qua amarus nihil nutriat, immo gustum deterret a cibo, & contra dulcis nutrit, ob id maxime contrarij sunt dulcis, amarus, intermedij vero, quia partim conferunt ad alimentum, partim contumaces sunt. Acris nutrit aliquando suo humore. Amarus sua siccitate præpollente non potest, sicut acerbus admodum, & lignosus sicut, iccirco austeri, acidi, insipidi, acetosi aliquid, & salsi vnctuosi conferunt ad alimentum. De quarto argumento cernis quid ex eo elicitur, si Arist. de saporibus quo ad rei naturam loquitur, & Gal. quo ad iudicium nostræ naturæ, qua prosunt, & obsunt, merito non fuit Gal. accusandus, quia sapores & obesse, & prodesse possunt calore, gelu, humiditate, siccitate. De quinto non aduertit quid dicat. Et si ad cõficiendam materiam saporum siccitas terrestris, & humor præcipue aqueus concoctus a calore interno, externoque necessaria sint, tamen quo ad operationem eorũ considerantur a Galeno, cum acres calidiores, & alij minus sint, & secundum mixturam caloris maiorem minorem euadunt sapores tales calidi, frigidi. Quare conuenit eos etiam qualitatibus dirimi, vt omni via quibus diuidantur, in notitiam nostram cadant. Et cum sint relati inter ea, quæ magis & minus dicuntur, ob id intensioris, & remissioris actionis asseruntur. Adde alios celerioris motus, qui citius afficiunt gustum. Et tardioris, qui lento imprimunt. Index legatur, ex quibus diffinitiones, & alia eliciuntur.

| Costsistentia. | | Qualitate. | Actione. | Motus. |
|---|---|---|---|---|
| Acer Acutus tenuis. | | Calefa.vrit.mordet penetr. aperit. exten. incidit, attrah.procul. | Ingens. vehem. intens. & plus.minus intendit. | Celeris plus minus. |
| Amarus | Crassior terrestrior | Desicc. consum. aperit. absterg.resol.incid. Asper.præseruat.calf. | Minus ingens acuto. & intensior dulci, falso vnctuoso.remittit aiunt. | Celeris minus acuto, & plus aliis tardior. |
| Dulcis | Crassus terrestris | humect. calefact. mediocr. matur. mollific. opillat.nut. | Mediocr. plus vnctu. pingui. | Mediocriter. |
| Vnctuosus, pinguis | Tenuior aereus | Lenit.laxat, moll. nause.flatuos.opill. | Minus med. remittit acutum, & salsũ, ama. | Minus celer dulci |
| Salsus Nitrosus | Crassus terreus | lauat, mũdif. liquefa. p̃seruat vomit.exsicca.ex aspe.aperit.mord. | Aliquanto vehemens intendit debilia solutione. | Celerior.sed minus amarus acuto. |
| Ponticus Acerb. | crassus terreus | cogit.obstruit, asper.frigi.exsic.obstruit. incras. | Vehement. actionis intendit debil.sap. | Tardi. |
| Acidus Acetosus | Tenuis aqueus | Incid.subtil. aperit. lau. attrah.dissol. absterg.ex asper.extinguit.frigid. | Magnæ remittit, & intendit. | Celer.pontico acerbo. |
| Austerus Stypticus | Crass. | | | |
| Insipidus. | | dẽsat, cogit.frig.asper. | Remittunt. | Tard.debil. |

## *Quinti tomi cap. sextum de tangili, & tactu, & medio sensorio, actione &c.*

### Contex. LXXXXII.

*DE tactili, deque tactu eadem est ratio. Quod si tactus non est vnus sensus, sed plures, necesse est etiam, ut tactilia sint plura sensilia. Verum dubitatio est nam plures sint, an unus, & quid nam sit sensorium capax tactilis, caro ne, & quod in alijs habet proportionem, & conuenientiam, aut non, sed hoc quidem est medium, & primum sensorium aliud utpote aliquid intus.*



E sensibus externis quinque visu, auditu, olfactu, gustu, tactu hic extremum lectionis locum obtinuit, & si cęteris communior, & vnde ob id ante erat sumendum initium, & eo magis, quod hic sensus homini tributus est exactissimus ad tuendam vitam, & ad exquisitius iudicandum, ob id solers homines, cum alij sensus falluntur, tactu corrigere errores, ceu si remus fractus in aqua videtur, tactus corrigit visionem, si vnum duo videntur iratis tactus emendat, & pleraque alia. Quasi tactus sit communis corrector fallentium sensuum, & si quisque alium corrigit cum errat circa suum proprium obiectum, vt si duo videantur soni, auditus vnum iudicat, si colores aliter videantur sensus oculorum &c. Exquisitissimus hic sensus homini maxime quia ex ipso temperamento calidi, sicci, vdi frigidi oritur, temperamentum homini melius est temperamentis aliorũ animalium præsertim quo ad cognoscendum, iudicandum, deliberandum. Hinc fusus fere per omnes partes corporis nerueas, quandoquidem omnes sensus per neruos sentiant & moueant, hinc alij sensifici sensibus seruientes, alij motorij motui. Adde sensum hunc in mediocritate calidi frig. sicci vdi consistere, tēperamentum hominis ad mediocritatem magis pertinere videtur. Hoc habet plus sensus tactus in homine, quam in reliquis animantibus, quia non solum est sensus alimenti in illis, sed doloris cogniti, & voluptatis & si sensus qua hominis differant a sensibus, qua sensus. His non obstantibus tamen postremo legitur loco ob varias dubitationes, vt de sensorio eius quale sit, an caro, an aliquid aliud, ac si vnus, vel plures sint sensus tactus. Adde tactum magis necessarium, attamen vilissimum aliorum, quem nonnulli veterum etiam plantis dedere. Verum de laude, & ignobilitate tactus alibi plura, nunc hæc philosopho sufficiant. Proponitur de quo sit dicendũ & duæ afferuntur dubitationes. A notioribus obiectis exorditur nomine relatiuo dicens. De tactili, refertur ad tactum, alioquin tactile triplex. Vnum per se primo calor, gelu, mox humidum, siccum, alterum secundum, vt molle, durum, asperum, bene, gracile, crassum, acutum, obtusum, leue, graue, rarum, densum, & similia. Tertium motum, quietem, molem, figuram, numerum. Hæc sensilia communia appellabatur, & sentiuntur per se a tactu non primo. Taceo tactilia ex accidenti. Tactile est obiectum tactui. Nullum corpus preditum his qualitatibus potest esse non tactile, licet non tangatur. Testula in fundo maris algida tactilis est, quia potest mouere sensum tangendi. Tactile cęlum, immo tangitur suis qualitatibus actiuis, & motiuis sensus. Tactile est quicquid tangi potest motiuum sensus tactus quem potest perficere, proposito notiore tactili additur sensus. Deque tactu eadem est ratio dicendi. Aliud est contactus, aliud tactus. Nam contactu omne sensile suum mouet sensorium, vt patuit. Sed tactus est vnus sensus, & facultas sentiendi, de quo erit sermo. Qua ratione dictum est de alijs sensibus, etiam de hoc erit oratio, & si in sermone illorum non prima fronte occurrebant dubitationes, vt nunc occurrunt. Quarum prima nunquid hic sensus vnus, aut plures sit. Argumento quod si plures, etiam plura sensilla, attamen reciprocatam orationem accipe, cuius sensus obiecta primaria plura, & sensus plures, sed sunt plura obiecta primaria calor, gelu, atque humidum siccum tactus ergo & ipse tactus plures sensus. De hac dubitatione legito vsque ad hæc verba. Et quid sit sensorium &c. vbi secunda dubitatio adducitur de sensorio huius sensus quale sit, num caro & proportione simile carni, caro

OO præcipue

præcipue pro mole musculorum sub cute intelligitur cum cute vtraque, necnon qualibet caro viscerum sentiens, vt cordis. Pisces, insecta, putri materia orta pleraque habent similitudinem carnis, & loco carnis sunt musculi eorum, vel non caro neque proportionale ei, sed aliud quid intus, vt dixit etiam primi libri de historia animal. cap. 4. & alibi, quod Simplicius putat cor, & ita carnem esse medium tangendi, sicut aer, aqua audiendi, videndi, olfaciendi, credidit Auerh. Philoponus etiam hanc additam dubitationem de sensiterio quale sit, ob dubitationem primam si tactus vnus sensus, aut plures, quia si caro erit sensorium vnum, etiam erit tactus vnus, & ita vtranque partem cęptum est disputari, an sensus hic vnus, aut est secundum argumentum probans plures sensus tactum esse, quia si caro quæ vnum est sensorium esset tactus, ille vnus esset, fac argumẽtum si sensus tangendi vnus caro esset sensorium eius, at vero non est, ergo neque tactus vnus, sed crede mihi hæc commenta sunt interpretum, quia Arist. affert duas dubitationes vnam de nũmero sensus tactus, aliam de suo sensorio. Cęterum expecta locum dicendi de eo, quod est intus sensorium quale sit, an cor, an neruus, an neruea caro, an sanguis vel huic proportionale, vel spiritus crassus terrenus? ex his clara lectio.

## Contex. LXXXXIII.

*OMnis namque sensus unius contrarietatis esse uidetur, vt uisus albi, nigri. Auditus acuti, & grauis. Gustatus amari, dulcis, at uero in tactili multæ contrarietates, calidum, frigidum, siccum, humidum, durum, molle, & ex alijs quæcunque sunt huiusmodi, sed habet quandam solutionem ad hanc dubitationem, quoniam & in alijs sensilibus sunt contrarietates plures, ut in uoce non solum acutum, ac graue, sed etiam magnitudo, prauitas, lenitas asperitas uocis, & alia huiusmodi. Ac in colore extant diuersę huiusmodi differentiæ. Quod uero sit unum subiectum, ut audituí sonus, sic tactui non est manifestum.*



ARGVMENTVM primæ dubitationis clarius repeti videtur. Sensus vnus est vnius primæ contrarietatis positiuæ, vt visus albi, nigri, auditus grauis, acuti gustatus amari dulcis, sed plures sunt contrarietates in genere tactilium, velut calor frigus, humidum, siccum, molle durum, ergo non est tactus vnus sensus. Aduerte quoniam dixi contrarietatis positiuæ, quia quilibet est vnius contrarietatis priuatiuæ, vt visus visilis inuisilis, lucis, & tenebrarũ. Auditus auditilis, nõ auditilis odoratus, odorabilis non odorabilis. Gustus gustatilis, non gustatilis, tactus tactilis, non tactilis. Conctor afferre quandã solutionẽ ibi, sed habet quandã solutionẽ, & dixit quãdam, quia huic aduersabitur mox. Hæc solutio est, quod alij sensus singuli sunt vnus, & tamen habent plures contrarietates, velut auditus vocem acutam, grauem, lenem, asperam, magnam, paruam. Atque in colore. Aduersatur huic solutioni dicens eas contrarietates reduci ad vnam in vno genere obiecti, vt niger, albus ad colorem, asperum lene ad vocem &c. sed calidum, siccum, humidum gelidum non reducantur ad vnum genus subiectum, ergo non potest dici sensus tactus vnus, legito instantiam. Quod vero sit vnum subiectum, vt auditui sonus, sic tactui non est manifestum, quia vel reuera non est, vel si est nos latet, aut difficile cognitu est, per subiectum intelligitur genus obiecti, cum in vnoquoque genus sit vna prima contrarietas primo physi. sed sicco, humido, calido, frigido non est vnum genus, nisi equiuoci, Auerhoes graue, leue ponit in genere substantiæ, cęteras differentias obiectorum in genere qualitatis. Decipitur quia graue pro pondere, & leue sunt in prædicamento quantitatis, & pro qualitatibus in genere qualitatis, nec sunt substantiæ grauitas, leuitas libro 4. de cęlo. Elicit ex hoc contextu item carnẽ esse medium tangendi, & non sensorium, & si secus in libris de historia animalium sensit carnem esse sensorium, sed eo tempore Arist. ignorauit anatomen, qua deprehendentur nerui sensoria instrumenta motus, & sensus. Auerhoes fallitur, quia Arist. in illis libris non determinauit esse carnem sensorium, nisi aliquid intus, postremo dubitabis quia nec visus erit vnus sensus quia nõ versatur in vno genere, sed in his luce, colore, & quod nomine caret. Nisi hæc reducantur ad vnum genus lucidi, & colores ob lucem videantur.

## Contex. XCIIII.

*VTrum uero sit sensorium intus, nec ne, sed statim caro nullum habetur signum, quia sensus fit simul eorum quæ tanguntur. Si quis enim circa carnem veluti factam pelliculam extenderit similiter sensum simul, ac attigerit reddet. Attamen constat in ea non esse sensorium, quod si illud fuerit congenitum adhuc celerius sensus permeabit. Quocirca talis pars corporis uidetur sic se habere, ac si in orbem nos aer redimeret. Nam uideremur uno quodam sentire, sonum, colorem, odorem, & unus esset sensus uisus auditus, odoratus, nunc vero quia certum est per quæ fiunt motus, iccirco euidens est sensoria esse diuersa, sed in tactu adhuc incertum est.*



VIA non ab vno genere obiecti quis vnum sensum diceret, sed ab vno sensorio ob id ostendit non esse euidens illud sensorium, & ob id neque carnem, quare adhuc dubium an tactus sit vnus sensus, cum præterea vnum sensorium seruat binis sensibus, vt lingua gustui, & tactui, & si per alios neruos linguę gustet, & per alios tangat, sed non euidens esse sensorium quod sit caro declaratur, quando nullum signum, & inditium sit nobis de hoc, & quia quis illud offerret indicium, quod simul tacta carne statim fit sensus, mox obijcitur id nihil esse dato quod quis circa corpus extenderet membranam, pelliculam scilicet subtilem, & non corium bubuli crassum simul tangentem sentire statim corpus, & caro circundata pelliculæ. Quinimo secundum ictus, & percussiones circūducta ferrea percussa simul caro sentiunt percussionem, nec ob id ferrea vestis, vel pellicula redimita est sensorium tangendi. Sic & caro vndique corporis non est sensorium, quæ congenita celerius admittit ictum tangendi, quam pellicula aduentitia circundata. Quare caro erit tanquam pellicula circundata, & aer, qui ambiat, & circundet interiora, ob id medium potius est quam sensorium. Quod de carne dicitur Platonis sententia est in Timeo vbi definiens eam scribit. Caro vero tegmen foret aduersus frigus vt calorem, & quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus varios munimentum, præsertim quia talis erat futura, vt molliter leniterque corporibus cederet &c. Additur etiam quod caro non potest esse sensorium. Nam sic esset perinde, ac aer circunfusus corpori, quo casu si esset aer intimus, vt caro corpori, tum cerneremus simul colorem, & sentiremus odorem & sonum, quare si ab vno sensorio diceretur vnus sensus, visus, auditus odoratus essent vnus sensus, quod est falsum, quia nunc constat per quæ loca fiunt operationes sensuum, vt per oculos visio, per aures auditus per naues olfactus & iccirco euidens est sensoria esse diuersa, sed in tactu incertum est quale sit sensorium, & quot sint maxime prima, itaque neque sensus tangendi est vnus ob vnum sensorium. Collige non esse vnum ob sensile obiectum, quia plura sunt & quia non vnum est genus obiecti, nec ob vnum sensorium certum, quale non potest esse caro cum nullum sit inditium, saltem non illud quod afferunt dicendo quod statim affecta carne tactu simul fit actio tangendi, &c. lege tu quia ex his illucescunt. Cæterum quis dixerit carnem sensorium inditio, quod statim caro tactile admotum sentit quasi sensus tangendi in ea sit constitutus, videtur Plato in Timeo, cum scribit quomodo dolor, & voluptas sentiantur, cum maxime sensus tangendi vtrunque percipiat, odorem quidem in solutione continui, scilicet carnis, & voluptatis, cum restituitur ad suam naturam. Hæc Platonis similiter quæcunque per corporis partes sensibus scatent, dolores voluptatesque cient & cętera legeris diligenter. Hactenus habes sensum tactus non videri vnum, nec ex vno genere obiecti, neque ex vno sensorio quod sit caro, quia caro esse non potest ex dictis.

## Contex. XCV.

*EX aere enim, aut aqua non posse constitui animatum corpus oportet, siquidem solidum esse aliquod, iccirco restat, vt sit mixtum ex terra, & ex his, cuiusmodi uidetur caro, uel quod ei proportio uale est. Quod si omnis sensus per medium, & tactus, ita, ut necesse sit corpus quoque congenitum, & coherens habenti uim tangendi medium, per quod fiant sensus, cum plures sint.*

OO 2. Docet


OCET non esse certum sensorium tactui, quia quod putatur sensorium est medium quale nec aer esse, nec aqua debuit, neque quid constitutum ex alterutro, cum medium sensus tangendi animatum esse debet, quia congenitum est, & non externum & quod est animatum est mixtum, & solidum aliquod non cedens vt aer, vel aqua, & cum omne solidum fiat merito terrę, ob id restat, vt istud medium animatum sit ex terra, & ex his aere, aqua, cuiusmodi videtur caro, vel ei proportionale in piscibus, insectis & alijs. Declarata natura huius medij ex assumptis prius concludit carnem esse medium & non sensorium. Argumentum. Omnis sensus medio vtitur ex dictis, tactus sensus est, ergo medio vtitur non externo, sed congenito, & coherente sensorio, & sensui habenti vim sentiendi, & tangendi, per quod medium fiant sensus, cum plures sint isti sensus tangendi. Tria ergo habes ex hoc contextu, primum, carnem esse medium, & non sensorium. Secundum hoc medium esse non extrinsecum, sed intimum sensorio & sensui. Tertium sensus tactus esse plures, ex his clara lectio.

## Contex. XCVI.

*INdicat autem plures tactus esse, ille qui est in lingua. Nam omnia tactilia sentit per eandem particulam, & saporem, si igitur alia caro sentiret saporem uideri posset vnus, & idem sensus gustus, & tactus, nunc autem duo quia non conuertuntur.*


IXIT tactus plures sensus esse, confirmat inditio tactus in lingua, quæ per eandem particulam, ceu per apicem capit tactilia omnia calida frigida &c. & saporem, diuersa obiecta, & ita vno medio plures sensus vtuntur, licet non eisdem neruis sensorijs, sed id peculiare est linguæ carni, alioquin si omnis alia caro esset medium percipiendi saporem, & tactilia videri possent vnus sensus gustus, & tactus, quia vbique vno medio vterentur, sed nunc duo sunt sensus gustus, & tactus, quia non conuertuntur, non enim si omnis gustus est tactus quidam, & omnis tactus est gustus, non enim tactus in pectore in Thorace collo tibijs, & reliquis, atque si omne gustatile est quoddam tactile non autem econtra omne tactile est gustatile, vt aurum, argentum, adamas & id genus, quare adhuc sensus tangendi plures esset, etiam si caro esset vnum medium, tametsi non vbique simile. Quare nec obiecto vno, nec certo sensorio, nec medio vno tactus est vnus sensus, cum plures sensus vno fungi possint medio. Hinc liquet, quod plures sensus sit tactus, si quidem qui in lingua est gustatui affinis, & qui alibi est non est. Non enim ille in Thorace, vel hipocundrio &c.

## Contex. XCVII.

*SEd quis dubitaret ei omne corpus habet profunditatem, id autem est tertia magnitudo. Quorũ autem est inter duo corpora aliquod corpus, non possunt se mutuo tangere. Humidum enim non est sine corpore, neque madidum, sed necesse est intercipi aquam, vel aqua cohærere. Quæ autem se mutuo in aqua tangunt si non sicca extrema, intercedat aqua, qua plena sunt extrema necesse est, si hoc porro uerum est non poterit aliud tangere aliud in aqua. Eodem modo & in aere, cum simili modo se habeat aer ad ea, quæ sunt in aqua, sed nos magis latet si fuerint animalia in aqua si madefactum tangit madefactum.*


ONTRA assertum de carne medio dubitat congenito, quia videtur medium esse vel aer vel aqua non congenitum, sed quod necesse intercedit inter duo tactilia se tangentia, quale medium poterit esse delatiuum, vt in alijs sensibus videndi, odorandi est dictum, & ita caro posset esse sensorium & vti medio aere, vel aqua, pro dubitatione assumit euidentia. Primum, omne, corpus habere profunditatem.

Trina

Trina constat dimensione libro primo de cęlo in commentarijs nostris ostensum est diligenter, idque Euclides vndecimo elementorum tradidit, corporis extremum est superficies. Secundũ sumit Quorum corporum intermedium est, hæc duo non possunt se tangere immediate, cum ergo tactile sit corpus, & caro corpus, inter hæc si fuerint in aqua intercedet aqua, vel vdum, Nam extrema erunt madida, si non sicca, quandoquidem omne tactile aut siccum, aut humidum, si humidum erit corpus & humore madidum in aqua, quare medium erit aqua. Simili modo si in aere fuerint intercedet aer. & si lateat magis vbi sint animalia in aqua si madidum tangat madidum sine aqua, cum ergo inter tactile, & carnem intercedat aer, vel aqua, alterutrum erit medium tangendi non intimum, sed externum, atque caro poterit esse sensorium vtens alterutro medio. Dubitat Philoponus quia tangitur aer, vel aqua sine medio, alioquin processus ad infinitum si per aerem aerem tangeremus, vel aquam. Rursus quomodo differt humidum ab ipso madido, vel vdo, Atque videtur ridicula dubitatio quia sermo est de medio delatiuo speciei, & actionis sensilis non de medio contactus, De tangilibus hoc modo in quinto, & sexto phys. dictum est. Quin etiam accipiamus asses duos planos, & committantur, certe cohærent sine medio glutino, vel clauo iuncti. signo, quod si vnus eleuetur ab altero tum ingreditur aer inter extrema, ergo aliqua se tangunt sine medio, quandoquidem tangentia sint, quorum extrema simul, vbi enim aliquid interponatur, extrema non essent simul, præterea si manus tangat mollia non per medium tangit, si item aer cedit, & aqua tangentibus, quomodo intercedit medium. Ad hęc dixeris. De primo dicito extremis se tangere corpora, & ideo aer determinatus non tangit corpus nisi quadam parte aeris media, sic & aqua. nec processus ad infinitum quia certa parte aeris aer tangit vel aquam, vel solidum, vt in hidrolæo in oximelle, & similibus, quoad non se penetrant, supernatat oleum aquæ ac tangit illam parte media aquæ. De secundo dicitur humidum illud, quod habet humorem per se, madidum quod particeps est. De tertio dicito dubium afferri secundum phantasiam eorum, qui eiusmodi dicerent. De quarto affirmabis inter duo extrema plana esse quid aeris, vel aquæ, si in aqua fuerint, De quinto manus tangit mollia per aerem, vel aquam non medium delatiuum, sed medium requisitum contangentibus se, quia non possunt se ita tangere, quia aliquod medium frangibile intercedat, ne detur vacuum, De sexto dicito cedere aquam, & aerem sic, vt vna pars aeris succedat alteri, & non detur vacuum, summa est vt intermedia ista aer & aqua sint ob naturam tangentium se mutuo, non quia delatiua, vt dictum est.

## Contex. XCVIII.

*AN omnium sensus simili modo fit, an diuersus diuersorum, sicut nunc cernitur, Gustus enim, & tactus quia tangunt, Alij vero procul, sed id minime est, siquidem durum, & molle per alia sentimus, ceu sonatile, visile, odoratile, hæc quidem eminus, illa uero cominus, Quare latent, siquidem omnia per medium sentimus, tametsi in his latet, Atqui ceu diximus etiam si per pelliculam omnia tactilia sentiamus, quæ lateat, cum efficitur, perinde se haberet, vt nunc in aqua, & aere, Nam putaremus ea tangere, at nihil esse intermedij. Verum differt tactile a visilibus. & sonorijs, quia illa quidem sentimus, quod medium quodammodo nos afficit, sed tactilia non quia a medio, sed vna cum medio nos afficit, vt per clipeum percussus, Non enim clipeus percussus percutit, sed ambo euenit ut percutiantur.*



CONCLVSIT tactum gustatum fieri per media, vt alios sensus, quæritur ob id an sensus omnium fiant simili modo maxime si oẽs fierent per aerem, vel aquã, an diuersis modis, vt nunc compertũ est, quod aliter gustus, tactus sentiunt cũ prope moti sentiant, quã odoratus, auditus, visus, qui procul mouentur a sensilibus suis, cõfutat primum scilicet omnium sensus simili modo effici, quia durũ molle per alia sentimus, & p alia sonatile visile, odoratile, & si per medium aerem vel aquam omnes fiant, non quod hæc visilia, odoratilia, soni eminus sentiantur, & tactilia gustatilia cominus solum, quare latent hęc media gustatus, & tactus, sed quia medium gustus, & tactus latet, ceu lateret si per superpositam pelliculam tactilia sentiremus, quæ lateret cum efficitur sensus tangendi perinde se haberet, vt nunc in aqua, & aere, Nam putaremus ea tangere, & nihil esse intermedij cum tamẽ sit, Vnde ex his omnibus colligitur

ligitur sensum gustus,& tactus effici per medium aerem,& aquam,& si latet. Verum differre ab alijs sensibus non quia prope,vel eminus,quando & prope videri cõtingat, vt suffusio in cornea, & audiri prope,vt strepitus auris tanquam cornu, & odorari excrementa putrida ex naribus defluentia,sed quia alij tres sensus a medio delatiuo afficiuntur non compatiente cum sensorio medio,at gustus tactus simul afficiuntur a medio cum suo sensorio ita, vt non prius media afficiantur quam sensorium afficiatur,vt fit in medijs auditus odoratus visus,sed simul media coafficiuntur cum sensorio.Exemplo siquis percutiatur per ictum in clipeo Non prius clipeum percutitur, & postea caput,sed simul caput cum clipeo percutitur,æque simul afficitur sensorium & mediũ, aut caro,& aer vel aqua,Quare cedit Arist.inter tactile,& carnem, & sensorium medium esse aerem,vel aquam,sed hæc media simul coafficí cum sensorio,non ita media auditus,odoratus, visus,& hoc est discrimen eorum.

## Contex. XCIX.

*Omnino autem videtur caro,& lingua,vt aer, & aqua ad visum, auditum, odoratum se habent sic se habere ad sensorium eorum vnumquodque,Cum vero tangitur sensorium neque in his, ucque in illis fit sensus,vt siquis videlicet hoc album corpus super extremum oculi posuerit, Quocirca patet id quod intus est sensorium esse tactilis,sic enim huic contingit,ut alijs,Nam imposita supra sensorium non sentit, sed imposita super carnem sentit,quare caro est medium ipsius tangentis.*



AVILLOSVS, vel ambiguus videri potest Arist.quia supra defendebat tactũ affici per aerem, vel aquam media quæ simul afficerentur cum intimo medio, vel sensorio, & non per media, quæ deferrent sonum,colorem, odorem ad propria sensoria exemplo pelliculæ coextensæ carni, & clipei percussi cum capite simul, nunc vero inficiatur illa media aerem,aquam, sed eorum loco esse carnem medium sensus tangendi,& sensorium aliquid intus argumento, quod si sensile positum sopra sensum & sensorium non efficit sentiendi actionem, neque percipitur, propterea quod sensoriu m,& sensus non sunt apta percipere nisi species obiectorum spirituales, vt cognoscant, & talis perceptio non potest fieri, nisi sint species illæ, & hæ species deferri aptæ sunt per media, Atque euidentia constat sensile supra sensum non operari actionẽ,nisi medium intercedat,vt supra fuse est dictum, sed tactile positum supra carnem sentitur ergo caro non est sensorium, sed medium percipiendi ab aliquo sensorio intus. quale est apud Auerh. neruus authore Galeno etiam durior alijs neruis sensificis. cum omnes nerui sint aut sensifici, aut motorij, omnis sensus instrumenta quoque sunt nerui,vt optici in visione,auditorij in auditu, odoratorij in odoratu, tametsi hi non ęque patent, Gustatorij in lingua. & tactorij fusi per omne corpus, taceo hoc intus esse spiritum,Taceo esse cor,quia communia sunt hæc apud Arist.sensiteria,Taceo sanguinem quia sentiunt etiam expertia sanguinis,Taceo membranas,tendines,quia fortasse terrestria nimium hæc sunt,sicut pili,ossa,vngues non sentiunt ex se ob excessum terrestri,seu de his copiosior erit sermo,si nunc attendas cur dicantur in contextu caro,& lingua? Equidem dicuntur caro tanquam commune medium omni tactui, linguam vero medium tactui cuidam, qui est gustatus,aut gustui vicinus.Rursus attende cum dicit si quis posuerit corpus album supra extremum oculi,Cornea vestis sensorium est,cum sit medium,vt patet in suffusionibus,quæ cernũtur propterea quod cornea vestis,aut albugineus humor media sunt inter humidum cristallinũ, & corpus album positum,Nisi corpus album disgreget & positum supra nimium disgreget.Sunt tamen qui non vident nisi prope admota oculis sed de morbis alias. Hactenus caro medium est, & non sensorium, quale est intus,quid hoc intus sit videro.

## Contex. C.

*Differentiæ autem tactilis corporis qua corpus. Dico quidem differentiás, quæ elementa definiunt calidum, frigidum, humidum, ficcum, de quibus prius diximus, ubi de elementis disserebatur. Et sensorium dicimus illud, in quo primum tactus inest, pars utpote quæ potentia talis est qualia sunt tactilia actu. Nam sentire est aliquid pati. Quare tactile facit illud potentia existens actu quale est ipsum, iccirco simili modo calidum, frigidum, durum, molle non sentimus, sed excessus eorum, cum sit sensus uelut quædam mediocritas in sensorijs, contrarietatis & ob id indicat sensilia. Medium enim est quod indicat, fit enim ad utrunque alterum extremorum, & oportet sicut sensurum candidum, & nigrum neutrum eorum esse actu, sed utrunque potentia, sic & in alijs, & in tactu nec calidum, nec frigidum.*



VMMATIM colligit propria tactilia primum qualitates elementorum actiuas, patibilis quæ sunt differentiæ eorum corporum qua corpora talia. His accidit sentiri tactu, sed perse constituunt elementa in libro secundo de generatione, quem vocat de elementis adde tu qua elementa sint primæ ortus, & intentus causæ. Nam de his ibi agitur in hunc modum, caliditas, humid. siccitas, frigus qualitates sunt corporis qua corpus constitutiuæ, quia ex his omne mortale corpus constituitur. Hæ primo tactiles, secundæ vno mol le, durum, graue, leue, asperum, lene, fragile, solidum. Tertio tactilia sensilia communia. Quarto dolor, voluptas, quæ maxime per sensum tactum percipiuntur, per alios autem sensus non eque euidenter, vt recte Plato in Timeo prodidit. Quinto tactilia ex accidenti, vt substantiæ. Quoad primas qualitates tactiles libro 2. de temperam. Gal. tactum solum iudicem ait caloris, & frigoris, sed humidi, & sicci non solum sed cum ratione, quod error Galeni est. Neque enim ratio potest percipere humidum, & siccum, nisi sensus antea conceperit, tactus. Distinguit tamen ratio durum a sicco, quando non omne durum est siccum, vt glacies coacta dura non sicca. Calor sensorium dilatando, & resoluendo immutat, idque cum excesserit tempe riem sensorij, siquidem a simili non prouenit actio, sed a contrario primum. Excessus sentitur ra tione alterandi simetriam temperamenti sensorij. Frigus itidem stringendo, & densando immu tat sensorium secundum excessum. Humiditas excendens diffundendo, & madefaciendo. Siccitas obtundendo, & exasperando. Secundæ autem qualitates decem enumeratæ a Galeno vltimo cap 3. libri de differentijs pulsuum grauitas, leuitas, durities, mollitudo, lentor, friabilitas, asperitas, læuor, crassities, tenuitas, & quinque oppositiones sic afficiunt sensorium, vt grauitas excedēs qualitate, & mole dignoscitur tactu deprimendo, leuitas autem consistendo quod etiam in staterис, ponderibus patet. Graue deprimit sensum, leue non deprimit, sed potius tollit, id sensorio, & sensu comprehenditur vt visu, certius tamen tactu. Durities non cedit tactui. Durum deprehen ditur hoc modo, & quoties non frangitur percussum facile, quod & tactu certius dignoscitur, sed visu alio modo, nempe vt magnū, uel figuratū vel paruū. Sed non omne nō cedens tactui est durū, de quo alias. Mollitudo cedit tactui seu tangenti, aut cedit facilius, & frangit, nisi viscoso humore connexum sit molle. Lentor immutat sensum sua tenacitate, vt oleum pix liquida, & id genus. Fragilitas mouet sensum facili distinctione cum partes continuæ facile diducuntur, & separantur. Asperitas immutat sensum tangendi quadam scabra eminentia, & depressione partiū superficialium, vt ligna non ascia vel instrumento perpolita, & æs, atque similia antequam dolcantur, & poliantur tum vero leuigata conformi tenore partium percipiuntur sensu tangendi, atque asperum impedit discursum digiti tangentis, lene minime. Crassities mutat sensum partium consistentia difficili contritu, & separatione. Tenuitas vero contra facili contritu, & distractione, crassa item non facile penetrari. Tenuia autem facile penetrantur si maxime non fuerint densa. An vero mordacitas, densitas, raritas, dolor, voluptas sint qualitates tactiles? Crediderim. Nam sensum tangendi immutant magis, quam alios sensus. Varia mordacitas, densitas, raritas, dolor, & voluptas. Mordax qualitas mutat sensum affligendo, densitas coarctando, raritas dispescendo, dolor tristando, voluptas titulando, & glifcendo cum plene tintillat sensus, & glifcit, tametsi dolor, & voluptas sequantur quoque cupiditatem sed de his in mortalibus. De tactilibus

ctilibus,quæ sunt sensilia communia,& ex accidenti supra in sermone de illis facta fuit oratio le gito. Differentiæ autem tactilis corporis &c. vsque ad ea. Et sensorium,quale definit tangendi, seu tactus,dicimus illud in quo primum tactus inest. Quid posita est illa nox. Primum,siquidē plura esse possunt organa eiusdem sensus,atque sensoria,vt humidum cristallinum,nerui optici, spiritus visiuus in visionem. Nisi primum in primo sensiterio intelligatur, vt neruo, & spiritu apud nonnullos, sed primum in neruo, aut nisi primum & perse quo posito fit sensus, & quo amoto sensus deficiat,& si nonnulli male intelligant esse primum pro tactu, qui est primus omnium sensuum,qui fine cæteris est,& illi non fine illo, vt dudum decernimus ea sane pars est sensorium istud dico,pars corporis similaris,vel dissimilaris,dissimilaris, si caro neruea, similaris si medulla,vel sanguis,aut neruus vel neruea res fuerit sensorium, quæ pars potentia & capedine tale,quale est actu tactile non scilicet calida,frigida,sicca,humida,mollis,dura &c. re ipsa, sed tale per similitudinē cognoscendā,& sentiendā alioquin sensoriū recipiens calorē reipsa calefieret, & frigidū fieret receptione speciei frigoris. Idque perpetuo intelligas in omni sensorio, & sensu effici talia,qualia obiecta sunt,scilicet perficiendo per similitudinem suam, & non reipsa, alioquin oculus cum suspiceret lumen solis luminosus fieret,& coloratus colore viridi eo inspecto, quinimo tanquam Chamæleon mutaretur variis coloribus cum varios respiciat. Atqui similitudines recipiunt sensoria,& sensus. Docet esse sensorium potentia tale quale est actu tactile, siquidem sentire est quoddam pati non cum interitu nisi sit excellens sensile,sed perfectione, vt sæpe supra fuit dictum. Quod autem patitur ab aliquo prius est potentia vt recipiat per actionem, & passionem tale,quale efficiens facit. Et cum hæc sint generalia ad omne sensorium, & sensile, mox subditur ad propositum. Quare tactile quoddam sensile facit illud, sensorium, & sensum potentia existens actu quale est ipsum edendo sui similitudinem in sensorio,& sensu. Habes igitur quæ sint tactilia. Quid sensorium,vnde etiam elici potest quid sensus videlicet facultas effici endi talis,quale est sensile actu, & quid tactile, vnde quid sensorium tactus potentia est tactile actu,& quid tactus. Vnde & quid actio tangendi,seu passio,cum sit motus factus a tactili in sensorio sensuque patiente. Cęterum ex definitione sensorij, & tactilis promitur cuiusmodi sensus iste & sensorium sentiāt, cum enim omne recipiens debeat esse nudatum reipsa recipienda, & sensorium constet ex qualitatibus tangilibus. Nam omne mixtum corpus ex his constat in libro de generatione,ergo non posset sensorium admittere illas differentias calidi,sicci &c. quinimo non esset in potentia tales,cum iam habeat,ob id subiungitur a sensorio percipi excessus qualitatum,quo caret,& dicit. Iccirco & simili modo frigidum, calidum, durum, molle non sentimus,quia simile non percipit simile,sed fit actio a dissimili primum, & si potentia est tale, non ergo habet illud,ergo si sensorium in mediocritate,& quadam simmetria consistit, equales gradu non percipiet,cum iam actu habeat & non sit potentia tales. Varia simmetria, varius excessus, vna est regula omnium corporis simpliciter constituti ex equalibus pondere,qualitatibus actiuis patibilibus, & numero quale corpus medici vocant equale,& regulam policleti,sed de hoc in cō mentarijs nostris in artem paruam Galeni, cum ergo ab equali non proueniat actio sentiemus excessus calidi,frig.duri,mollis,cum sit sensus, atque sensorium quædam mediocritas in sensorijs contrarietatis,& quia est mediocritas,ob id iudicat sensilia, omnis virtus in mediocritate, & hinc iudices documentum capiant,vt sensum habeant in mediocritate non affectum excessu auaritiæ & odij vel amoris. Medium enim est quod iudicat extrema,fit enim ad vtrunque alterum extremorum,& potentia est vtrunque. Vt sensurum album,& nigrum colorem neutrum est eorum actu,sed vtrunque potentia,ita sensorium,& sensus tangendi. Reliquum in his occurrunt dubia. Primum de differentijs tactilibus,quia tactus non solum calidum frig.&c. elementorum qualitates,sed etiam calorem cęlestem,ac luminis & motus, cum motus excitet calorem distrahendo partes,vt in frictionibus musculorum in exercitio,percipit item calorem ignium artificialium,& frigora arte facta. Sentit item calorem natiuum,& omnem aquistitium, secundum tactus non percipit omnem calorem frigus humidum,siccum,non sui,nec inequalia suis remissiora,si solum excessus apprehendit. Tertium sensorium item est caro apud libros de historia animalium,& non quid intus. Quartum, si est aliquid intus aut cor, neque istud quia commune sensiterium est,nec valet dici, sensus tactus est communis sensus, quia communis est omnibus animantibus,communis est fusus per omnes fere partes corporis,communis item quia quasi omnes sensus perficiuntur per contactum medij ad sensorium,sed nō communis sensus, de quo erit sermo. Et quamquam Plato videatur dicere cor sensiterium gustus, & tactus,tamen apud Arist.

cor commune est sensiterium, vt cerebrum apud Galenum, neque spiritus, quoniam tactus est sensus corporalior cæteris, iccirco non per spiritum absoluitur, neque sanguis, quia expertia sanguinis fruuntur hoc sensu, nisi sit proportionale sanguini, sed tamen sanguis solet esse impedimento tangendi, atque sanguis calidior, & humidior quam competat sensorij mediocritati, Non item parenchima, aut caro viscerum, cum pleraque non sentiant nec iecoris caro, nec splenis, nec pulmonis &c. nec arteria, vena, nec glandulæ, Quinetiam nec medulla, nec cerebrum, nec tendines, quare aut membrana, aut neruus sensorium est tactus, Galenus putat neruos duriores aliis neruis sensificis instrumenta tactus, sed dubium est, quia nerui puncti, & icti sentiunt, quare si sensili posito supra sensum non fit sentiendi actio, & posito sensili acu pungente fit sensus, ergo neruus non sensorium, Adde omnem spasmum effici contracto, aut relaxato neruo, ergo sentit positum sensile supra se, non igitur neruus sensorium, Atque nerui intus sunt, attamen sentitur priusquam nerui afficiantur, ergo non est neruus primum sensorium, Nam cutis, & epidermis supra cutis si pungantur sentiunt sine neruo, id constat ex dolore solutionis continui. Atque primo libro Aristoteles censuit neruos, vngues, capillos non sentire, & ad calcem tertii libri de anima, qua nimis terrena sunt, quare non sensoria nerui. Rursus si sensorium in mediocritate consistit calidi, sicci, humidi, frigidi, vt excessus percipiat, neruus exanguis est, durus, gelidus admodum, quomodo erit sensorium tactus? Quinetiam cor maxime sensitiuum tactilium sine neruo, non ergo hic est sensorium. Adde tactum plurimis animalibus inesse sine neruo, Accedit dentes sentire tactilia sine neruo. Et cum plura dici soleant a medicis, & maxime de arteria pulsus sine neruo tacta, per quam æger sentit se tangi a medico, non ero nunc prolixior. Respondebo ad singula seriatim. Ad primum dicito sentiri calorem celestem, qui factus est elementaris motu aeris distracti secundo libro de celo, qui aer motu veloci luminosi corporis distrahitur, indeque calor gignitur, & hic sentitur elementaris, De calore ignium artificialium non dubium, quin elementari participent. Calor autem natiuus particeps elementaris est. Ad secundum satis est tactum percipere excessum, & cognoscere defectũ eius tanquam priuationem eius. Ad tertium caro est medium, & non sensorium loquebatur tum Aristot. vbi id fit ad mentem aliorum, & forte vulgi in libro de historia. Ad quartum, vere dicitur apud philosophum cor commune sensiterium, proprium autem est aliquid aliud intus, & me diuinando procedas hoc intimum est neruus conflatus ex triplici substantia ex vna cerebri pene medullari intus, ex duabus tunicis vna orta a tenui membrana cerebri, altera ex duriore membrana, apud Galen. in libris de placitis Hippocr. & Platon. & in libris de vsu partium, sed apud Aristot. putantem neruos nasci ex corde hi constant ex pinguiore humore cordis intra eius cauum, & membrana eiusdem, in substantia illa neruorum inter tunicas inest sensus tangẽdi, vestes autem media sunt ad similitudinem carnis, cum ergo sensile ponitur supra vestibus non ponitur supra illa media substantia quæ est sensorium, iccirco punctæ vestes, & scissæ sentiuntur, Atque vestes contrahuntur, relaxanturque, & sensus in media substantia sentit per affectus vestium, tanquam mediorum, quia sensus est in sensorio media illa substantia, Ad illud quod antea sentitur, quam nerui intus afficiantur dices, quinimo neruos fusos quosdam per cutim neruosam membranosam ex natura neruorum. Quod additur Aristot. sententia, qui neruos non sentire dixit, præclare inquam additur, Nam secundum tunicas non sentiunt quia terrestres, sed intus sensorium est humidius. Ad aliud respondebis neruos duros gelidos secundũ vestes, intus autem calidiores humidiores. Quod de corde dicitur Aristot. sentiret membrum illud maxime sensitiuum quia est origo neruorum, Mirum ob id mihi semper visum est a Galeno asseri cerebrum originem neruorum, & sensus, quale tamen affirmat non sentire. Ad illud de animalibus sentientibus sine neruis dicito sat esse si proportionalia neruis habent. Denique nec dentes sentiunt sine neruis, cum inserantur ibi. Hæc alibi fusius, nunc ad cõtextum sequentẽ.

## Contex. C I.

*Præterea vt visilis erit quodammodo visus, eodem etiam modo reliqui oppositorum sic & tactus tactilis. Intactile autem quod paruam habet differentiam tactilium omnino, vt euenit aeri, & tactilium excessus, vt pote qui possint corrumpere, Adumbrate igitur dictum est de vnoquoque sensu.*


OMMVNEM cum alijs sensibus adfert perceptionem contrariorum, quæ priuantia sint, & adde tu quæ etiam positiua dicuntur. Vt visus capax visilis inuisilis, vel exigui, vel excedentis vel tenebrarum, vel omnino inuisilis, vtque auditus auditilis, inauditilis, & odoratus odoratilis, non odoratilis, ita & tactus tactilis, non tactilis. Non tactile siue ob exiguam vim mouendi, siue ob excessum compræhenditur sed illud tanquam priuatio, hoc tanquam corrumpens, iam asseruimus quæcunque obiecta propria vni esse insensilia alteri vt color visui inaudibilis & sonus auditui inodorabilis,, Auerhoes supra sentiri aerem, & aquam in sua naturali constitutione vt loca conseruantia negat, sed sentiri commixta alijs corporibus. Hoc plane est erratum, quia qualitates tactiles elementorum qua constitutiuæ eorum sentiuntur & sunt tactiles, vt paulosupra est dictum, Quinimo non vidit Auerhoes illa corpora commixta aeri, aquæ esse frigida, calida, humida, sicca ob naturales qualitates elementorum, quare hæ primo & perse tanguntur, & non ob mixtionem aliorum corporum, Quod dixit loca conseruatiua non sentiri a locatis potuisset dicere melius non aduerti nisi prius incidant in contraria ob longam consuetudinem, iccirco cęlo natiuo, & patria gaudeat animalia vt elephantes in quadam parte Zooprobanæ Insulæ conseruentur vltra æquatorem, qui non conseruantur ita in alia eiusdem insulæ parte ad boream supra æquatorem, sed hactenus de tactu, sensu, tactili, medio carne, sensorio media substantia neruorum, & de modo sentiendi, ac de vnoquoque sensu.

## *Sexti tomi de his, quæ communia sensibus, de communi sensorio, cum dubitationibus.*

### Contex. CII.

*VNiuersale autem de omni sensu hæc sumenda sunt. Siquidem sensus est capax specierum sine materia, vt cera annuli sine ferro, & auro recipit signum, & non qua ęs aut aurum, eodem quoque modo sensus ab habente colorem, aut sonum, aut odorem patitur, neque qua vnumquodque eorum dicitur, sed huiusmodi, & secundum rationem.*


VAE sunt qnoque communia sensibus tractabuntur, id primum recipiendi, & patiendi, & perficiendi a specie rei obiectæ, sine materia in qua est qualitas obiecti motiua, quinimo recipiendi non qualitatem illam, sed speciem, similitudinem illius qualitatis, vt sensorium, ac sensus recipiat similitudinem spiritalem per medium delatam, quam vocat qua huiusmodi scilicet percipi apta a sensu, & secundum rationem, idest spiritali modo secundum cognitionem, non secundum impressionem materiatam, & corpoream, vt sonus in sonatili, odor in odorabili &c. cum ergo de quouis sensu sigillatim supra sit dictum, nunc communia proponuntur quædam. Vniuersæ autem de omni sensu hæc sumenda sunt, id primum. Siquidem sensus est capax, receptio, passio omnibus sensibus communes specierum, idest formarum sensilium spiritalium sine materia, Hæc exquisitius intelligenda, quia non satis est Græcis dixisse sensus recipere cognitiue, & intellectus possibilis recipit sine materia cognitiue, ac phantasia. Verum antea perpendenda est insequens oratio, Exemplum solum docet receptionem formæ sine materia, sed non cognitiue recipi, neque secundum intentionem, vt dicit Auerh. vel apud me secundum similitudinem spiritali modo dum dicitur vt cera anuli sine ferro, aut auro materia recipit signum, & similitudinem non autem eandem figuram quæ est in ferro, neque vt ibi est corporeo modo recipit sensus, & non qua æs, aut aurum recipit, idest non qua illa figura

gura est in ære, vel auro, Tũ enim esset annulus figurãs & corpus, & cera non materia, sed locus, & vbi esset materia, tũ sigillatio esset q̃dã generatio similis formæ in cera, Eodẽ quoq; modo sensus ab habẽte colorẽ, aut sonũ, aut odorẽ patitur, quia recipit formã sine materia, & ne qs putet recipe formã a sensu vt est in sensili, sed spiritali modo, aut cognitiue, aut secũdũ intentionẽ additur nec qua vnumquodque eorum dicitur. idest non qua est talis forma res ipsa afficiens obiectum, vt color facit coloratum, & odor odoriferum, & sonus sonabile & sapor sapidum, & calor calidum, sed qua huiusmodi idest secundum aptitudinem sensus recipiendi, quia omne recipiens recipit secundum naturam recipientis, & secundum rationem, idest apud Auerh. intentionem, quia qualitates sensiles duplex esse habent reale, & intentionale. primo modo sunt in materia corporea odor, sapor, color, sonus, secundo modo in sensu, quomodo cognitiue, & spiritali modo sunt. Verum examinemus acutius, sensus est capax specierum sine materia, Quinimo materia recipit formas sine materia, Quinimo subiectum recipit qualitates sine materia, & omnis transmutatio est formarum existente vno subiecto, dico accidentium, nisi intelligatur sine materia, idest sine materiali impressione, quam faciunt dum afficiunt corpora ipsa, cum præterea cera recipiat formam sigilli sine auro, sensus non recipit eodem modo extensæ formam, quia forma sigilli extenditur ad extensionem ceræ, iccirco qui sigillant tantum solent ceræ dilatare, quantum capit forma sigilli in ferro, vel argento. Fortasse cum species obiecti sensilis recipiatur a medio, a sensorio ob aptitudinem, & modum recipiendi eorum, quæ habent molem, & dimensionem recipitur secundum extensionem, iccirco sonus in aere auditur a multis, & dilatatur apud Auerh. sphericee, vt odor, vt color, sed in sensu non recipitur extense quia non habet dimensionem sensus, nec recipit vt specula effigies extensas magnas, & paruas, sed spiritali modo cognoscendo vbi sufficit similitudo spiritalis ad cognitionem, sicut sufficit phantasiæ memoriæ imago Cæsaris, & Philandri ad recognoscendum Cæsarem, Philandrum, Verum illud in dubium est quomodo magnitudo videatur, & sentiatur sine extensione, cum sit ipsa magnitudo extensio, nisi species magnitudinis spiritalis repræsentet eam extenso modo, & si recipiatur a sensu incorporea, & spiritalis. Vnde hoc oriatur? Dico a natura sensus apti sic imprimi, & affici non aliter, Quod vero extensæ recipiatur in medio species coloris signum est, quia colores arborum videntur in aqua, & in parietibus lenibus extensi, non tanquam vmbræ, sed colores, Quod si vmbræ extenduntur, & lumina cur non etiam species illæ sensiles, cum recipiantur per modum rei recipientis? Postremo quamuis sensus sit in materia dimensionata, tamen spiritaliter recipit, & alio modo quam phantasia, cogitatiua, memoria, intellectus capaces specierum sine materia, quia sensus recipit exterior tales sensiles species repræsentantes illas in materia at sensus interiores non recipiunt, nisi species externis sensibus receptas, & intellectus recipit vniuersæ, & communiter omnino abstractas a materia, conditionibus materiæ repræsentantes non has vel illas species, neque illas in obiectis, sed communiter species & vniuersales, de quibus in tertio libro.

## Contex. CIII.

*SEnsorium autem primum in quo talis facultas est, quæ idem est, sed quo ad esse alterum, alioquin magnitudo esset id, quod sentit non autem ea, quod vim habet sentiendi, Neque sensus est magnitudo, sed ratio quædam, & facultas ipsius, Ex his constat quare sensilium excessus sensoria corrumpunt, si enim sensorio fuerit validior motus, soluitur ratio, quæ erat sensus, sicut concentus & tonus valde pulsatis fidibus, Ac constat quã ob causam planta non sentiant cum aliquam animatam partem habeant, & patiantur aliquid a tactilibus. Nam frigent, & calefiunt, Causa enim est, quia non habent medietatem, neque huiusmodi principium, quo recipiant formas sensilium, sed patiuntur cum materia.*



OMMVNITER item quid sit sensorium cuiusque sensus traditur, hocque a sensu differre ratione ostenditur, Elicitur ex eo quod sensus est quædam ratio, & mediocritas in sensorio mediocriter constituto vtrunque lædi ab excessu sensilium exemplo adhibito ictu vehementi fidium corrumpi concentum, Elicitur item causa, cur plantæ non sentiant, siquidem terrestres nimium non habent illam sensus mediocritatem neque sen-

ſitricem animam. contra Empedoc. Anaxag. Platonem, qui tribuunt ſenſum plantis, vt eſt primo libro de hiſtoria plantarum noſtris temporibus reperto Ariſtotelico, alioquin antea ſumebantur ſolum libri Theophraſti de plantis in manibus. Legito ſenſorium autem cum dicit primum, ſecunda ſenſoria non definit. Iam proditum fuit vni ſenſui plura ſenſoria, & inſtrumēta eſſe, ſed primum, & ſummum eſt, in quo talis facultas ſentiendi eſt, vt ſenſorium, ſeu inſtrumentum, vel ſenſiterium, vel organum (Non ſit nunc de nominibus contētio) videndi apud Gale. eſt ſpiritus viſorius, vel apud Ariſt. humidum criſtallinum, ſenſorium autem audiendi vel ſpiritus, vel membrana, vel neruus auditorius, ſenſorium odorādi eſt ſpiritus, vel neruus, aut membrana perforata ad oſſa colatoria. Senſorium guſtandi neruus in lingua tertiæ coniugationis neruorum cum ſeptem paria pullulent e cerebro ſenſorii, vt taceam nunc motorios a cerebello ortos ſexaginta, & a ſpinali medulla, ſenſorium tactus nerui fuſi per corpus, Et ſenſorium primum eſt illud cuius affectione a ſenſili facta ſenſus integer ſtatim ſentit. Senſorium ergo non ſentit, ſed facultas in eo cognitrix recipiendo ſpeciem ſenſilem incorpoream a ſenſorio ſentit, & ſi ex ſenſorio, & ea facultate fit vnum compoſitum dicitur ſenſorium ſentire ob facultatem in ipſo; quia tum ſubiecto, & vt ſunt idem, ſed ratione diſcrepāt, ideo ſubiūgitur de facultate, quæ idem eſt cum ſenſorio nempe re ipſa, & ſubiecto, vt forma, & materia, vel accidens, & ſubiectum ſed quo ad eſſe, ideſt ſecundum ſuam naturam, & rationem alterum eſt, & quid diuerſum, & probatur, quia ſenſorium eſt quædam magnitudo corporea, & ſi idem eſſet ratione, & natura cum ſenſu, hic eſſet magnitudo, & nō qua vim habet ſentiēdi, alioquin quod ſemper ſentiret magnitudo eſſet, ſed ſenſus non eſt magnitudo, cum ſit quædam ratio actus, perfectio cognitrix & facultas ſenſorij, ergo non erit eadem cum ſenſorio, Hoc alia res eſt, & ſubijcitur, ſenſus alia, quæ eſt ratio, & perfectio in ipſo ſenſorio cognitrix. Aduerte verbum illud. (Ratio) quale indicat naturam ſenſus in ſimmetria, & mediocritate conſiſtere, & eſſe actum incorporeum, & potētiam ſentiēdi patibilem, nō agētē apud Simplicium, quæ excitetur inſtrumento affecto. Cum ergo ſenſus ſit ratio, & debita proportio ſuo ſenſorio elicitur primum excellentia ſenſilia corrumpere ſenſum, & ſenſorij ſimmetriam. Eſt enim ſenſorium ceu illud quod ſimmetria conſtat, ſenſus autem eſt illa ratio ſimmetriæ. Excellens ſenſile corrumpit ſummetriam ſenſorij & ſenſum rationem ſimmetriæ, cum ferſendo debeat eſſe proportionale vtrique & ob id ſubditur. Ex his conſtat ideſt quia ſenſus eſt ipſa ratio, & mediocritas ſenſorij quare ſenſilium exceſſus ſenſoria corrumpant, & hæc cauſa quia ſenſorio fuerit validior motus ſenſilis agentis ſoluitur ratio ſimmetriæ ſenſorij continens, & illa mediocritas, quæ erat ſenſus, Exemplo, Sicut concentus, ideſt ſonorum conſonantium conſenſus auribus gratus, Equidem gratus, quia natura inſitum eſt animo gaudere concentu, & horere ſtrepitum diſſonantem, Animus certa ratio eſt concentus corporis, & tonus diapaſon, octaua conſonantia conſtat ex diateſſeron, & diapente ex hemitonijs, & tonis, ditonis, &c. valde pulſatis fidibus citharæ, aut lyræ, ſed cithara inuētum antiquius, Valde quidē fortiter, celerrime, inordinate ſine arte, itaque & valde ſenſilia ſenſorij, ac ſenſus ſimmetriam corrumpunt. Attēde dici ſi validior ſit motus, ideſt actio in motu, vnde non ſolum exceſſu ſenſilis, ſed etiam actione eius immodica corrūpuntur ſenſoria, & ſenſus, Quandoquidem poteſt eſſe non excedens ſenſile, ſed tamen eius actio impetuoſa, & motus nimium excellit ceu ſi lumen ſtatim admoueatur in tenebris exiſtentibus diu. Dionyſius Siracuſius tyrannus, cum ciues conquerentes priuare luminibus vellet ex diuturnis carceribus tenebricoſis ſtatim extrahi in dealbatos parietes, quorum luce inſolita occecati ſunt, ſenſile quidem candidus calor in luce parietum non erat excellens, ſed ſubita actio, & motus admoti candoris corrupit viſum, Quinetiam intercapedo maior, minor, inter obiectum, & ſenſum moderatur, aut corrumpit ſenſum, ob id ſol Deo natura duce tanto interuallo diſtat, ab oculis, vt ſuo exceſſu minime lædat, niſi quis figat obtutum in illum, Quinimo excellens ſenſile ſi ſenſim, & certo interuallo adhibeatur non offendit. Aliquando excellens ſenſile edens operationē vehemētem ob exceſſum officit, ſed illud quæritur nunquid ſenſile excellens qua ſenſile, aut efficiens naturale corrumpat? Dixerim qua agens naturale, & non qua ſenſile agens perfectiuum. Et perſuadeo id legentibus, Efficiens corrumpens, non eſt agens ſolum perfectiuum, ſed ſenſile ſolum agit perficiendo, & ideo diximus paſſionem ſenſus eſſe ſine interitu, & ſenſum affici ſolum perfectiue, ergo ſenſile, qua ſenſile non corrumpit. Adde omne efficiens corrumpens contrariam formam introducere cum qualitatibus contrarijs, ſed ſenſile nullum gignit aliquam formam contrariam cum qualitatibus contrarijs, ſed ſpiritualem in medio, in ſenſorio, in ſenſu ergo ſenſile qua ſenſile nō corrūpit, ſed perficit. Accedit quod ex verbis Ariſtot. apparet ſenten-

ſententia Platonis in Theeteto vera, quod ſenſile debet eſſe ſenſui cognatum, vt lux, color oculis, ſonus auribus, &c. atque effici actionem ſentiendi in mutuo congreſſu ſenſilis ad ſenſum, ſen ſibile igitur qualecunque excellens qua ſenſile debet eſſe cognatum. Quod ſi dixeris hæc vera de ſenſili non excedente, ſcito exceſſu illum non agere qua ſenſilis, ſed qua efficiens naturale corrũpens intendens contrariam formam producere vel qua ſibi eſt aliquid coniunctum pernicioſum & corrumpens, vt lumini ſoli calor diſgregans aciem, & corrumpens humida criſtalina oculorum, & albedini lux coniuncta diſgregans ob ſuum calorem, calor, frigus, humiditas, excellentes ſenſorium euertunt, & ſenſum non qua ſenſiles, ſed qua actiue qualitates, & corrumpentes, ſapor acutus qua calet guſtum lędit, ſonus acutus lædit qua penetrat cum impetu, nullum ergo ſen ſile qua ſenſile offendit ſenſum aut corrumpit, ſed perficit, quia eſt agens perficiens ſimilitudinem ſui nulli contrariam, ſed incorpoream edit. Poſtremo ſenſus corrumpitur interitu ſenſorij, non ex ſe primum. & ſenſorium eſt corpus, ergo per actionem corpoream contrariam interit, & non per ſpiritalem, & incorpoream, qualis eſt ſentiendi actio. Denique elicitur ex eo quod ſenſus eſt quædam mediocritas, ſimmetria, ratio, commenſuratioque ſenſorij conſtituti ex mediocri temperamento plantas non ſentire, neque ſenſu tactus. Ac conſtat quam ob cauſam plantæ non ſentiant, & ſi partem aliquam animatam habeant, & patiantur a tactilibus a calore, gelu, hu mido, ſicco, duro, molle &c. Nam frigent calefiunt, humectantur, ſiccantur, ut Theophraſtus in libris de hiſtoria plantarum, & de cauſis, & patiuntur non tanquam ſententias ſed tanquam patientia naturalia, & quodammodo animata vegetali anima per vim nutritiuam. Aliquando frigoribus areſcunt, coloribus æſtuant, humoribus diffunduntur, nec bene aluntur, iccirco non edũt fructus fructiferæ. Quinetiam ſectæ, auulſæ, ictæ ſteriIeſcunt aut intereunt, & cum hæc a tactilibus patiantur nihilominus non ſentiunt, quia non habent ſenſoria temperata, nec ſenſus, qui ſunt medietates, & rationes ſenſorium. Cauſa enim eſt, quia non habent medietatem ſenſitricem, neque ſimmetriam ſenſorium, cum abundent terreſtri a prædominio mixtura, vt oſſa, vngues, pili, cartilagines, ligamẽta, & id genus neque habent huiuſmodi principium animam, & ſenſum, neq; ſenſorium, quo recipiant formas ſpirituales ſenſilium cognoſcendo, ſed patiuntur cum materia quia anima vegetalis eſt forma omnino materiata, & recipiunt formas, & non ſimilitudines formarum, & ſpiritales qualitates, vt faciunt ſenſus, qui recipiunt ſpecies ſine materia, ſed de plantis alias ſermo fuit, & futurus eſt in tertio libro de anima.

## Contex. CIIII.

*Sed quiſpiam ambigeret, an quod odorari non poteſt ab odore aliquid patiatur, vel a colore quod non poſſunt uidere, atque ſimili modo in alijs. At vero ſi odor eſt odorabile, & facit aliquid odoratui, qua odor facit. Quare qua olfacere nequeunt, ab odore non poſſunt aliquid pati. Eadem ratio in alijs. Neque qua poſſunt pati, ſed quatenus vnumquodque eſt capax ſenſus, ſimul item hoc pacto fit euidens ſiquidem nec lux, aut tenebræ, nec ſonus, nec odor faciunt quidpiam corporibus, ſed ea, in quibus ſunt, vt aer, qui eſt cum tonitru ſcindit lignũ, ſed tactilia, & ſapores agunt, ſin minus. A quo igitur patientur inanimata, & alterabuntur? Nunquid ergo illata efficient, vel non omne corpus patibile eſt ab odore, & ſono. Quæ autem patiuntur, indefinita ſunt, & non manent, vt aer. Nam olet, vt quid paſſus. Quid eſt ergo odorari, niſi aliquid pati, niſi odorari ſit aliquid ſentire ſed aer paſſus fit celeriter ſenſilis.*



IXIT plantas pati a tangilibus qualitatibus, quas tamen non ſentiunt, ob id ſubdit dubitationem ne quid quod non poteſt ſentire odorem affici, & pati queat ab odore, & quod non poteſt videre a colore murari, idque ſimiliter de alijs. Reſpondet dubitationi affirmans non poſſe aliquid pati ab odore qua odor eſt, niſi odoratum habeat. Ratio eſt, quia odor eſt odorabilis, ergo ab aliquo odoratu, ſi porro odoratum mouet qua odor facit, ergo quæ carent odoratu non poſſunt pati aliquid ab odore. Eadem ratio eſt de coloribus, ſaporibus ſonis &c. Dubiũ, quia veſtes contrahunt odores, loca, aquæ, nec ſentiunt. Atque corpora coloribus inficiuntur vt a croco & ab alijs, hoc norunt pictores. Et ſapores eſculenta potus admittunt

tunt &c. Quinetiam media delatiua ſpecierum ad ſenſoria recipiunt, nec ſentiunt, atque ſenſoria priuato ſenſu. Reſpondebit alia inanimata, & vegetalia affici a qualitatibus his, qua qualitates ſequentes corpora, ſed non qua ſenſiles. Hoc enim modo referuntur ad ſenſus. Quod ſi contingit coloratum audiri, guſtari, tangi odorari, non tamen qua coloratum auditur, ſed cernitur, neque qua cernitur, guſtatur ita, vt quicquid eſt pluribus ſenſibus ſenſile p propriã qualitatẽ ſuũ ſenſum mutet, & non alium, iccirco recte Plato in Thęteto libro ſuo ſimpathiam, & cognationẽm ſenſilis ad ſenſum ſtatuit, quod Ariſt. inquit nunc dicens non qua poſſunt pati ſenſus, ſenſoria, media ſic afficiuntur ſenſilibus, ſed quatenus vnumquodque eſt ſenſus capax, quandoquidẽ quilibet ſenſus ſuũm agnoſcat obiectum, & non aliud, atque aer, aqua media qua diaphana traijciunt colores, & oculi qua viſoria organa afficiunt, & viſus tanquam facultas cui ſolum ſit officium videndi, & non audiendi, idemque de cæteris dicendum. Hæc omnia in Thęteto Platonis explicantur, & comprobantur adhuc ex hoc euidente ſiquidem nec lux colorue, aut ſonus, odor in corporibus efficiunt aliquid corrumpendo imprimendo, ſed ea ſic agunt, in quibus ſunt ſenſilia, vt in tonitruo ſcindente ligna, & rumpente cum ſonitu audito, certe quod ſcindit non eſt ſonus. Hic perficit, ſed aer eſt violenter impulſus, qui arbores frangit &c. Atque lux non qua cernitur immutat, & corrumpit aliqua non ſenſitiua, ſed quia ſibi eſt calor iunctus, qui euertit, ob id ſupra videor mihi bene ſtatuiſſe excellentia ſenſilia non qua ſenſilia, ſed quatenus ſecum alia habent coniuncta, aut qua qualitates corporeę corrumpere ſenſoria, & ſenſus, vt odoribus coniuncta eſt aliqua qualitas peſtilentialis, quæ inficit corpora, & non qua odor, iccirco tangendo ille odor maculat. Meo enim tempore pulueres, & vnguenta aliqui deferebant per quæ peſtis oriebatur. Depræhenſi hi pernicioſiſſimi homines confeſſi debitas pęnas dederunt. Quod ſi quis inficiaretur ſenſilia efficere, Ariſtot. cedit hoc dato non conceſſo, attamen ſubiungit dici non poſſe quin ſaltem ſapores venenorum, & tactilia calor, frigus efficiant, cum euidentiſſime efficiant, quas qualitates ſi efficere quis negabit, dicat obſecro a quo patiantur inanimata, & alia corpora, cum merito primarum qualitatum omnia corpora patiantur ſiue ſimplicia ipſa elementa, ſiue ex his mixta? niſi velit corpora introduci impatibilia, quod abſurdum, & contra ſenſum quare tactilia, & guſtatilia agunt qua qualitates in corporibus vel perſe, vel merito coniunctorum, ſed quæri adhuc poteſt num inanimata poſſint affici a ſono, & odore omnia? Reſpondet Ariſtotel. non omnia, ſed quędam humida, velut aer, & aqua, quæ indefinita corpora ex eo dicũtur, quod vbi ſunt, & cedendo ſe quocunque huius inferi mundi ſublunaris ſeſe recipiunt. Hæc non diu retinent ſonum, & odorem, quia non manent, ſed cedunt, & mobiles ſunt, iccirco media ſunt delatiua, & ſtatim functa officio non retinent ſpecies, neque affectus niſi proprios, aduentitios autẽ vt admittunt, ita deferunt. Nam aer ſi odorem contraxit, mox affectus etiam relinquit, iccirco non longas eſſe peſtes ex aere corrupto, longiores eſſe compertum eſt ex infectis humoribus, & corporibus mixtis cum aere, ſenſus autem diu retinet cognitionem, & ſpeciem rei, aut ſaltem diutius, quam aer, aqua, ſed dices ſi aer, aqua recipiunt ſpecies odorum cur non ſentiunt? Reſpondet odorari non eſſe ſolum pati, ſed etiam ſentire, iccirco aer poteſt pati celeriter, & ſentiri, ſed non ſentire quia deficit ei ſenſus. Quamquam recipiat aer, aqua, ſpecula, cera formas ſine materia, tamen non recipiunt cognitiue, & ſenſitiue. Deſunt eis facultates ſentiendi. Quare omnia corpora pati poſſunt a tactilibus, & aliqua a saporibus, odoribus, coloribus ſonis non qua ſenſilia mouentia ſenſum, quia hoc modo ſenſum habentia afficiuntur, ſed qua qualitates apte efficere, & mutare corpora. Quinimo addiderim & iſta ſenſilia poſſe mouere ſentientia non qua ſenſilia. Quoties ob id mouent qua ſenſilia ſentiuntur a ſenſu remoto omni impedimento, ſed illud dubium, cum aer, & aqua affecta ſenſilibus qualitatibus iam ſenſilia facta vt aqua ſalſa maris, & aer odorus, vtrum hæc per media mouent ſenſus. Dices poſſe mouere, & mouent per medias partes expertes ſenſilium, quia non eſt idem numero agens & patiens, ſi aer ſenſilis factus actu agit, non poteſt idem aer recipere ſpeciem ſenſilis, ſed alia eius pars expers ſenſilis. Aqua ſalſa percipitur media lingua experte omnis ſaporis, & piſces olfaciunt odoratilem aquam per eam partem, quæ eſt expers illius odoris, & cuiuſque quoniam intus apparens prohibet extraneum, ſed de communibus ſenſibus hæc dicta ſint.

Septimi

## *Septimi tomi caput docet non esse plures sensus quinque nec pauciores.*

### *Præfatio Lucilli Philalthai in Græcos interpretes.*



RAECI tertij libri hinc sumunt initium, non autem Arabes, nec latini. Simplicius de anima rationali, eiusque facultatibus nunc inchoari sermonem falsus est, & Philoponus idem. Affirmat, nihilominus primum agi de numero quinque sensuum, vt hos doceat differre a sensu communi, & hunc a phantasia, quam denique ab intellectrice, & ideo præmisit hæc sermoni de anima rationali, & facultatibus eius, & actionibus. At reuera cum sæpe græci placuerint, nunc maxime displicent. Alexander Aphrodiseus tamen videtur hæc non separare a tractatu de sensibus. Displicuere quidem, quia solitum Aristoteli est initio librorum id præponere de quo sit dicturus, vt fecerit principio tertij libri dicturus de parte autem animæ &c. Atque non videbant hi græci hæc tractari de sensibus ex dictis profecta, & sensibus competere etiam si nullus esset homo. Nam in Leone, Elephante, & similibus sunt quinque sensus, & non plures, nec pauciores, quare vbi non esset homo quinque sexuum, sed totus intellectus saltem quæreretur an solum sint quinque sensus in brutis sine relatione ad animam rationalem. Rursus non norunt Platonem tres animas posuisse, ac separasse rationalem a cæteris capite tanquam diuinam, ideirco & desiderabat orationem separatam in proprio libro, vt erit. Quinetiam in sermone de sensibus erat cõtinuanda oratio de sensibus internis externis, cum anima sensitrix omnes has capiat facultates. Et leo, & formica phantasiam sensum communem, memoriam habent, quare si communiter de sensibus fuit antea texenda oratio, quam de Intellectu diceretur, merito persequitur dicere, aut scribere Philoponus de sensibus externis quæ remanent, & de internis. Quare sit hic septimus tomus secundi libri de anima.

### Contex. C V.

*Non esse alium sensum a quinque, vtpote visu, auditu, odoratu, gustu, tactu ex his quispiam crediderit. Nã si cuiuscunque est sensus tactus huius sensum habemus, omnes enim ipsius tactilis quatenus tactile affectiones tactu nobis sensiles sunt, ac necesse est aliquod sensorium deesse, si aliquis sensus deest, ac quæcunque tangendo sentimus, sunt tactu sensilia, quem habemus, & quæcunque per media haud tangendo Simplicibus interuallis, vtpote aere, aqua sentimus, idque ita se habet, vt si quidem per vnam sensilia plura, diuersaque genere sentiatur, necesse fuerit, vt qui hoc habet sensorium, vim sentiendi habeat, ceu si sensorium ex aere est, & aer soni, & coloris, quod si per plura eiusdem vt coloris aerem, & aquam. Nam ambo pellucida, & qui alterum eorum habet solum, sentit quod per ambo.*



TINAM Græci, Auerhoes interpretati essent hunc locum de numero quinque sensuum exteriorum nec maiore nec minore in animalibus perfectis, & in nullo animali caduco perspecto & cognito mortali. Taceo cælestia si sint animalia alios sensus habentia, quæ tamen carere sensibus putarim, & solum mente viuere. Qua de re disserui in secundi libri de cælo commentarijs, nunc solum quinque sensus animalium mortalium esse, in quibus sunt nec plures, nec pauciores docebimus. Nam interpretati sunt quidem illi, sed suas cogitationes dixerunt. Tria argumenta facturus philosophus, primum ex constructione sensoriorũ, quæ sint cognita medijs sentiendi docet non esse plures sensus, secundum sensilia communia nõ desiderare sextum sensum. Tertium non sufficisse vnum externum perfectis animalibus. Additur

ditur quartum ex inductione animalium, quæ sensus habent alia vnum, alia duo, & tandem non reperiri animal de sexto sensu. Verum experiemur explicare. Proponitur decretum. Non esse alium sensum a quinque, vtpote visu, auditu, odoratu, gustu, tactu ex his quispiam crediderit. Argumentum assumit hæc euidentia. Primum. Si cuiusque est sensus tactus, huius sensum habemus, exemplo sensus tactus quædam oratio generalis intelligitur, cuius est sensilis sensus, hoc sentimus, & econtra quod sentimus, huius est sensus, sed de tactu nobis sensu exquisitione persequitur docere, omnes enim ipsius tactilis quatenus tactile affectiones tactu nobis sensiles sunt, ergo accipe vniuersalem orationem quecunque sensilia non alio quam sensu percipiuntur, & qualibet suo proprio. Accipe secundum. Ac necesse est aliquod sensorium deesse, si aliquis sensus deest, vt ostreis, Zoophytis desunt organa odoratus, auditus, visus, quia desunt sensus. Purpuris, echinis desunt organa auditus, quia deest auditus, & plerisque visus. Plantis desunt omnia sensoria, quia nulli sensus dati sunt illis. Adde tu sensorium sensus ad aliquid esse, vbi non vnum, nec alterum. Adde non frustra alterum confici, igitur si sensus, & sensuum sensorium instrumentũ, postquam natura voluit instrumenta opificibus necessaria. Vbi sensorium esset sine sensu, vel sensus sine instrumento vel illud frustra conditum, vel hic sine instrumento posset agere quod fieri nequit. Tertium assumit. Ac quæcunque tangendo sentimus sunt tactu sensilia, quem habemus. Descriptio tactilium. Ea nempe tactilia, quæ sentimus sensu tactus, & si sentimus tangendo habemus tactum, idque in alijs gustatile gustu, odoratile odoratu, auditile auditu, visile visu. Quartum assumit. Et quæcunque per media haud tangendo simplicibus interuallis, vtpote aere, aqua sentimus, idque ita se habet siue plura sensilia diuersaque genere per vnum medium simplex vel aerem, vel aquam sentiamus, ceu si sentiatur color, odor per aerem, siue item vnum sentiatur idemque genere per plura media, vt odor per aerem, & aquam, & color similiter, qui tamẽ color sentitur per vnam naturam diaphani communem aeri, aquę, cum vero per hæc media sensorium recipit, constituitur ex eiusdem medij natura, iccirco oculus ex aqua non sine aere, sed prædominante aqua fit, & auditorium sensorium fit ex aere, & gustus, tactus ex terrena prepollente qualitate quandoquidem per carnem medium sentiat, sensorium odoratus ex ignea natura vaporum. Hæc hactenus assumpta sint.

## Contex. C V I.

*Simplicium autem ex his duobus sunt solum sensoria ex aere, & aqua. Nam pupilla ex aqua, auditus ex aere, odoratus ex vtroque eorum, ignis vero vel omnibus, siquidem nihil sine calore est sensus particeps, vel nulli. Terra autem vel nullius est, uel tactus maxime mixta proprie, ergo nullum aliud sensorium restat præter aerem, & aquam. Hæc item nunc quoque habent nunnulla animalia, ergo omnes sensus habentur ab his, quæ non imperfecta, nec orbata sunt, Atque talpa cernitur habere oculos sub cute. Quare si neque est aliquid aliud corpus, nec affectio, quæ sit nullius eorum, quæ hic sunt corporum, nullus deest sensus.*



VRSVS assumit sensoria constare ex simplicibus aere, & aqua solum, vt pupilla ex aqua constat. Dixit pupillam tanquam sensorium primum, cum tamen non solum foramen, & humores, sed etiam vestes, & omnem coagmentationem oculi lenem, & tersam intelligat constare illam ex aqua, & igne contra Platonem in Timæo docuit Aristotel. in opusculo de sens. sensilibus, vbi assentitur Democrito quo ad assertionem de sensorio oculi aqueo, tametsi actio cernendi non oculis data est qua aquei, sed perspicui, & perspicuitas est aquæ aeri communis, & si sensorium debuit potius ex aqua cum arctius, & diutius teneat, quam aer, & facilius loco concludatur. Atque adsunt inditia, quia cum effodiuntur oculi, manat quidam humor. Atque infantium oculi ab ortu fulgent, & clari sunt, sicut aqua nitent lapides. Adde albugineum humorem merito aquæ crassum, & pinguem non rigere. Adde signum ex lachrimis quarum fluxu saltem oculi sunt aquei. Adde ignem non esse perspicuum vtrinque, vt vestes oculorum sunt, cum vnus oculus alterius oculos cernit, intus quid pupillæ cernit visione penetrante corneam vestem. Adde aerem non facile concludi captu vestium, quare assumptio vera. Simplicium autem ex his duobus sunt solum sensoria ex aere, & aqua

aqua. Nam pupilla ex aqua. Additur, auditos ex aere vt in opusculo de sensibus. Odoratus ex vtroque eorum aere, & aqua apud Platonem, iccirco alij corrigunt dicentes scribi ex altero ab vtroque, qui est ignis. Et conforme est id libello de sensilibus, vbi reperies odoratum tribui igni, sed tamen aperte secus dicit, subditque, Ignis vero vel omnibus hac ratione, siquidem nihil sine calore est sensus particeps. Hæc ratio communis est, & equiuoca, cum sermo sit de calore elementali, nunc autem calor naturalis est causa sensus participationis. Vnde neque oculus ex aqua, neque auditus ex aere simplici sed vitaci, & animato constant. Quod si bene perpendenda esset & exacte Aristotelica hoc loco crede mihi multa forent dicenda, vel nulli, ergo hæc odoratui cum tamen in vapore & siccitate ignea consistat odor. Terra autem vel nullius est sensorij sensusue, vel tactus maxime mixta proprie in carne vbi sit sensorium, sed magis in neruo qui terrestrior longe est carne, ergo nullum sensorium restat ex simplici elemento præter aerem, & aquam, idest nullum sensorium componitur ex alijs simplicibus prædominio, nisi ex aere, & aqua. Aliud item assumit quinque sensus inesse nonnullis animalibus non imperfectis, nec orbatis. Perfecta sunt homines primum, qui excellunt cæteris sensibus, quoniam ministri, & nuncij sunt rationis intelligentiæ, præterquam dati sunt eis quoque ad tuendam vitam, & salutē, & ad agenda, efficienda omnia. Vnde ingenium, & infinitæ artes profectæ sunt, & disciplinæ Elephantes, Leones, Pantheræ & omne genus aquatile, terrestre, marinum animalium. Tacco quartum genus diuinum a Platone in Timeo conscriptum, & a Iamblico confirmatum. Taceo dæmones, quos Plato asserit animalia. Hæc forte non indigent sensibus, cum intelligentia sufficiat. Taceo cęlum animal, & mundum apud Platonem in Timeo animal magnum, & si quidam cęlo, & mundo dedere sensus contra Platonem citato opere, vbi ostendit mundo nec aures, nec nares, nec oculos, nec pedes, nec vlla sensoria data ex eo, quod non erant sensus externi cęlo necessarij, neque ad alimoniam, neque ad fugienda noxia, & prosequenda salutaria. sed animalia imperfecta sunt, velut Zoophyta ancipitis vitæ, quæ solo tactu funguntur, quia non mouentur, nisi extensione contractione alimenti boni, & mali, & qualitatibus sactilibus. Ostreæ dicuntur habere gustum, quia pasci videntur. Et conchylia insuper gaudent olfatu cum odore persequatur hiatulas, alia habent anditum sine visu, vt talpæ tametsi hoc loco, & in libris de historia animalium talpæ habent visum, & oculos sub cute lacessitos, & obductos membrana, crediderim ne pulueribus lædantur cum intra fossiculas luteas, & puluerosas habitent & discurrant. Hæc dicuntur imperfecta animalia, & lacessita. Et orbata, quæ habere deberent, & non habent. Quocunque visum obtinent, & reliquos sensus habent, hæc perfecta dicuntur. Hæc item nunc quoque habent nonnulla animalia, ergo omnes sensus habentur ab his quæ nō imperfecta nec orbata sunt. Additur pręcipue de talpa, quam indicat animal perfectum, atque talpa cernitur habere oculos sub cute. Hæc assumptio ostendit si perfecta animalia omnes sensus habent, non esse igitur alium, quem non habeat animal perfectum, alioquin dato illo, animalia forent imperfecta sine illo, & orbata. Hactenus prima assumptio de sensorio quod nullum est præter dicta, secunda quod sensorij compositio nulla alia est nisi ex aere, & aqua, vel igne, terra quodammodo. Tertia quod animalia perfecta habent sensus, qui haberi possint præcipue homo ex his colligit argumentum in his. Quare si non est aliquod aliud corpus pręter hæc, quæ sunt nec affectio idest mutatio a sensili in sensorio, medio, & sensu, quæ sit nullius eorum, quæ hic sit corporum, nullus deest sensus, idest si non est aliud sensorium, nec medium, nec sensile, nec animal preter ea, quæ hic sunt & quodlibet animal perfectum omnes sensus habet, præcipue homo, qui si habet dicente Themistio meliores vires mentem, intellectum, memoriam, phantasiam, debet etiam habere inferiores omnes, qui sunt sensus. Non enim fit consensus ad principes, & dominos, nisi nuncios, & seruos habeat, ergo tantum quinque sensus sunt, nec plures. Verum occurrunt dubitationes, quia non constat aliud sensorium non esse primum ex natura cęlesti, & vbi essent hæc solum sensoria, non tamen sufficiunt numero quinque sensuum, siquidem quatuor elementa sunt, & quinque oportet esse sensoria prima quinque sensibus subiecta; quandoquidem sensoria constent ex prædominio alicuius elementi. Quinimo sensoria pauciora sunt, cum idem sensorium seruiat pluribus sensibus, vt gustui, tactui lingua. Atque media duo sunt vel tria aer, aqua, caro, ergo si pro medijs sensus numerandi, plane non quinque erunt. Rursus vni sensui plura media, vt odoratui aqua, aer, & plura sensoria vni, non igitur ex his certū numerum sensuum habebis. Neque sensilium numeris docet esse totsensus, cum plura vni sensui tactus genera sensilium supra enumerata sint, nec adhuc definitum, an sensus tangendi

di vnus in quæstiones supra, an sensus tactus sit vnus. Atque dictum est de animalibus, quæ possunt esse nobis occulta & habere sextum septimum sensum Plinius septimo naturalis historię tradit homines multorum, & pauciorum sensuum. Atque si potentiæ per actus distinguuntur multo plures actus, quam sensus quinque potentię animi, ergo plures sensus. Actus multo plures sunt, quia aliud est videre album, aliud nigrum &c. Respondebis sensorium interitui affectionibus obnoxium, iccirco non posse in natura caduca consistere cęleste ab his alienum, si cęlum habeat alios sensus, alibi videndum. Quod elementa quatuor, id verum, sed sensoria quædam sunt mixta, vt tactus, & gustus quare pro generibus sensoriorum sunt numerandi sensus, quoties sensoria vt media aliter se habent ad diuersos sensus. Cum præterea subiungitur pauciora sensoria, dicito quinimo tot esse genere simplicia, & mixta quos natura decreuit, atque aer alio modo seruit odoratui, & aliter visui, auditui & aqua similiter. Idem de mediis dixeris. Quo ad sensilia tactus reducuntur ad vnum tactile genus, quale voces excedens temperamentū sensorii. Nam quodcunque tactile sentitur ea ratione, & ita sensus tactus est vnus. Quo item ad animalia occulta dices naturam non efficere occulta, quæ sensilia sint, ne frustra sint sensilia, neque animalia occulta corporea. Quocirca dixeris si occulta essent animalia vel eiusdem generis, vel alterius, quod si eiusdem, mirum quod non occultis dederit sensus, & occultis plures, nisi sint ostenta, & prodigia recitata Plinio, quæ tuum si accipere, ego illos homines monoculos, in pectore oculatos, vicipites, & geriones, andrgynos inter fabulosa, aut mirabilia mundi collocarim, sed non esse alium sensum proprium pręter quinque docerem ex homine, qui solum quinque habet, & perfectissimus est omnium animalium, ergo si sex alteri dati essent, illud foret vel perfectius, vel imperfectius, si inferius animal cur abundat vno, vel pluribus sensibus, potuisset natura multis generibus animalium imperfectioribus homine impertiri sextum sensum, si ergo perfectius homine esset, quid est illud nisi cęlum, dæmon, aut si quid aliud, cum nullum horum habent sensoria sensuum. Quare quinque sint sensus diuersi, & non solum vnus sensus, quia per oculos, aures, nares, linguam, neruos sentiat diuersa organa, vt in Theæteto Plato videtur vehementer dubitare, quinimo in quocunque sensorio sua vis est & suus sensus, de quo erit etiam sermo.

## Contex. CVII.

*QVinetiam nec communium sensilium poteſt esse proprium sensorium, quæ ex accidenti vnoquoque sensu sentimus, vt motum, statum, figuram, magnitudinem, numerum vnum. Hæc n. motu omnia sentimus, vt magnitudinem motu, quare, & figuram. Nam magnitudo aliqua est, & figura. Quiescens sentitur ex eo, quod non mouetur. Numerus vero negatione continui, & propriis cognoscitur. Vnum quisque sentit sensus. Quare non poteſt esse cuiusque horum proprie sensus, vt motus, sic enim erit, sicut nunc dulce visu sentimus, & id, quia amborum sensum habemus, aut quando simul inciderint cognoscimus, sin minus, nullo modo, nisi ex accidenti sentimus. Vt Cleonis filium, non quia Cleonis filius, sed quod albus. Accidit ei, vt sit Cleonis filius. Communem autem sensum communium habemus non per accidens, non ergo sunt propria. Nam non aliter sentiremus, quā videre nos dicimus Cleonis filium, si quidem inter se propria ex accidenti sentiunt sensus non quatenus iidem, sed quatenus vnus, quando simul sensus in eodem fuerint, ceu bilem flauam, amaram. Non enim est alius, qui dicat ambo vnum. Vnde etiam fallitur si sit flauum existimare bilem esse.*



VM a sensoriis non pluribus non plures sensus proprios dixerit, & a mediis, & sensilibus propriis, idem confirmarit, nunc primum ostendit non esse communium sensilium magnitudinis, motus, figuræ, quietis numeri proprium sensoriū, nec sensum ob id proprium. Vocat autem sensilia communia sicut principio sermonis de sensu, quæ possunt a pluribus sensibus perse non primo, sed coniuncta cum propriis sensilibus cuiusque sentiri, vt magnitudo colorata a visu, figura similiter, &c. propria vero perse primo sentiunt qua talia vt color, lumenque visu. Non ergo cōmunia dicuntur quia vno communi sensu percipiantur, sed quia quinque sensibus sensilia, & nō vni, non alteri sicut color visui non auditui, & sonus auditui non visui, nec odori, &c. Equidem magnitudo visui, auditui, odoratui sensilis est. Vt communia sensilia non nuncupant sibi propriū sensum

sensum, nec quoque proprium sensorium, species sensilis cõmunis transmittitur per idẽ mediũ ad sensorium, per quod proprij species traducitur. Quare nec per diuersa media a propriorum medijs traijciuntur, sensilia ex accidenti tripliciter dicuntur in hoc cont. aliqua ex accidenti, idest per aliud, vt magnitudo per motum, & figura per magnitudinem, & quies per motum, & numerus per continuum &c. quæ tamen per se mouent sensus non primo, vt dictum est, aliqua sensilia dicuntur quia vnum sensile proprium sentitur per aliud proprium sensile a sensu proprio, velut dulce sentitur visu quia flauum fuit perceptum, vt mel flauum visum & gustatu dulce sentiente, postea sensus oculi videns illud flauum sentit esse dulce, hoc ex accidenti fuit quia iam gustus ostenderat esse dulce aliqua item dicuntur ex accidenti quia accidunt obiectis proprijs, vt accidit albo esse demis filium. His præmissis proponitur conclusio explicanda hæc. Quinetiam nec communium sensilium potest esse proprium sensorium, declarat quæ sint ista communia sensilia, & quomodo communia ante quæ ex accidenti vnoquoque sensu sentimus, communia ergo sunt quia omnibus quinque sensibus sentiuntur & non communi sensu, aut aliquo proprio sexto. Dixit verbum obscure illud (ex accidenti) cum iam perse sensilia supra citato loco asseruerit, nisi intelligas ex accidenti, hoc est per aliud, quæ etiam secundum se potentiã esse sensilia & non primo. Hæc numerat quinque, vt motum, statum, figuram, numerum, magnitudinem, & quomodo ex accidenti percipiantur hoc est vnum peraliud docet. Hæc. n. motu præcipue alteratione sentimus omnia, vt magnitudinem motu, quia omnis motus est subiecti quanti, aut per motum intelligit localem, per quem mobile, & internallum per quod fit sentitur, quare & figuram ob magnitudinem. Apud Euclidem, Plotinum figura est quantitas, apud Aristotel. est qualitas in quãtitata. Vnde Aristotel. nõ sequit Geometras & dicit, Nã magnitudo aliqua est figura, siquidẽ est quæ termino vt circularis, vel terminis clauditur primo libro elementorũ Euclidis. Atque quies, vel quiescens sentitur ex eo, quod non mouetur. Numerus vero negatione cõtinui, quia discretus est per partes siue sit par, siue impar. Nam vnitates numeri non copulantur vt continui ad vnum terminum communem, sed seiunctæ sunt interse, & si conficiant diuersas numerorum species, sed numerus duplex lib. 4. phys. numerans, & numeratus. Numerans percipitur continui negatione, & numeratus propriorum sensilium vt duo colores a visu, tres, quatuor, & quinque sapores, & sex vel septem odores ob id additur & proprijs sensilibus cognoscitur, cum sensus quilibet vnum cognoscat, & plures sub illo vno, vt sub colore albed. nigredinem rubedinem &c. Vnde colligitur argumentum, cum omnia sensilia motu percipiantur & motus non vno proprio sensu cognoscatur, sed pluribus, ergo non erit communibus sensilibus vnus dicatus sensus præter eos, a quibus abunde percipiuntur. Quare non potest cuiusque horum esse proprius sensus, sicut nec motus est. Aliud item argumentum adducitur docens communium sensilium non esse proprium sensum. quia si esset ille sensus, ipsa sensilia communia cognosceremus sensu ex accidenti, vt dulce visu percipitur, quia nobis habentibus vtrunque plane sensum saporis gustum, & visum incidit aliquando gustando dulce & id videre velut flauum, vt mel, & ita quando videmus mel flauum putamus dulce, vel etiam si simul gustus iudicet dulce, & oculus flauum æquo si exempli gratia proprio sensu magnitudo perciperetur, cum oculus videret illam ex accidenti cognosceret, vel quia suo sensui obiecto fuit aliquando, vel quia simul oculus, & ille sensus eam apprehenderet, quare ex accidenti sentiretur, & non perse contra scilicet decreta supra vbi sensilia communia perse sentiri dicebantur, legeris argumentum. Sic enim erit, sicut nunc dulce visu sentimus, & id ex accidenti narratur quomodo sentitur, quia amborum sensuum habemus gustum, & visum aut quando simul inciderint cognoscimus, flauum dulce in melle. Sin minus, idest dato quod non sentiatur sensile commune hoc modo vbi sit eius proprius sensus, certe nullo modo sentietur, nisi ex accidenti vt Cleonis filium, non quia Cleonis filius, sed quod albus, cui accidit esse Cleonis filium, sed communem sensum non de quo dicturi sumus ad quem spectat iudicium, & qui est vna communis facultas in communi sensiterio, sed communem sensum per quinq; sensus habitum communium habemus non per accidens, sicut dudum diuisa fuere tria sensilia propria, communia perse contra sensilia ex accidenti, ergo non sunt propria sensoria, nec proprii sensus communem sensilium, aut ipsa non sunt propria sensilia alicuius proprij sensus sexti, & cætera legantur repetita præter illud cum dicit. Non enim est alicuius sensus qui dicat ambo vnum hoc est non est alius sensus proprius, qui dicat dulce & flauum esse vnum, vt mel, id est officium sensus communis, de quo postea; aut qui dicat flauam bilem amaram, sed quisque sensus simpliciter suum cognoscit obiectum, vt

colorem flauum visus, & dulcem saporem gustus, & hic ex accidenti sentit flauum, sicut, & visus dulce, siquidem sensus sunt vnius sentientis, & vnius subiecti, vt mellis, vel bilis. Vnde etiam falluntur proprij sensus si quid sit flauum, statim existimare bilem esse, quia flaui colores, flauum crocum, flaua ster cora croco inspersa, & herbe; atque similia non bilis, icciirco Galenus optimus medicus primo, & secundo libro de Simplic. medicam. facultatibus. praecepit sensilia sapores, odores, colores, calid. siccum humid. frig. perse, ab his, quae ex accidenti, & per aliud & quae actu, & potentia, & quae primum, non primum alterant sensoria, & sensus, quia non sequitur rubeum est, ergo calidum. Rosa rubet non calida dignosci. Nec simili color facit pariter vires dici, vt nix, calx, vt aster, granum ceridium, terra selinussia, cincus, veratrum, cerussa. Nam haec alba sunt disparis viribus, siquidem nix, aster, terra selinussia, cerussa; nix algent, alia calefaciunt. Ac precipit dignosci mora temporis id quod est ex accidenti ab eo quod est perse, quia ex accidenti breui de se indicia exhibent, quae perse & primum semper, & diu, quandoquidem aqua gelida reuocet calorē breui, sed diu perstans refrigerat, & semper ex se nulli iuncta vt in Tomo secundo nostro de cura quorundam morborum diximus, & in consilio de aquae niualis vsu conscripto ad Eccellentissimum Marchionem Vasti bellicosissimum principem, sed de his in medicorum officina latius.

## Contex. CVIII.

*Quaesiuerit autem quis qua m ob causam habemus plures sensus, & non unum solum? Nunquid quo non lateant consequentia, & communia, ut motus, magnitudo, numerus. Si enim esset solus uisus, & ipse albi, magis lateret, etiam si hoc videretur esse omnia, quia inter se mutuo consequerentur simul color, & magnitudo, nunc autem quoniam in altero sensu communia insunt, apertum fit, vt sit quid aliud vnumquodque eorum.*



SI verborum superficiem attenderis videtur quaestio de sensibus propriis; cur non vnus sit solum, & non plures? Sed si sermo hic sequitur praemissum quaeritur cur sensilium communium non est vnus sensus, sed pluribus percipiuntur, vt motus; magnitudo aspectu, auditu, odoratu &c. Respondet ideo pluribus sensibus ea communia sensilia percipi, quia non debent latere communia, & consequentia propriorum sensilium, cum enim colores sequantur motus, magnitudines, figurae, quies, numerus, merito apprehensis a visu coloribus simul & haec sequentia sentiantur, & quia haec ipsa communia sensilia sequantur sonos, odores, sapores, tactilia, ob id vna sentiuntur communia cum propriis sonis odoribus, &c. Quaesiuerit autem quis quam ob causam habemus plures sensus sensilium communium, & non vnum solum? Respondet, ne caleant consequentia propriorum sensilium, quorum perceptione simul & communia sensilia percipiuntur, vt motus, magnitudo, numerus, equidem vbi esset vnus solus sensus communium percipiens, vt solus visus, qui omnia apprehenderet sensilia communia, adhuc magis laterēt, propterea quod odoratus magni saporis, & auditus magni soni non perciperent consequentia suorum obiectorum, & ideo non esset perceptio eorum exacta, sed obscura, & per accidens, at vero nunc contra experimur, quilibet sensus exactam notitiam habet sui obiecti cum consequentibus, & ideo clarum est, quod alia est magnitudo soni, alia magnitudo coloris, alia saporis, & ita alius motus coloris alius soni; alius saporis. Accipe igitur verba anthoris. Si enim esset solus visus particeps communium sensilium, qui & ipse albi cognitor, magis lateret quodcunque sensile commune, etiam si visus perciperet omnia sensilia communia, cum solum color, & magnitudo, &c. lege, quia ex dictis omnia clara sunt, tametsi Graeci, arabes, latini obscure explicent. Verum aduerte in Theeteto Platonem quaerere an sit vnus sensus, qui per oculos cernat, per aures audiat, per nares olfaciat, per linguam gustet, per carnem tangat ita, vt vnus sensus sit, & organa solum diuersa, quae non sunt apta nisi diuersis actionibus seruire vnius sensus. Vnde colligit oportere sensum communem introduci, Arist. quinque sensus diuersos cum propriis organis diuersis constituit.

## *Octaui Tomi caput declarat quemlibet sensum se sentire, & suam operationem, atque idem esse sensile actu & sensum, & si non potentia nec ratione idem & de sensu communi.*

### Contex. CIX.

*Quoniam vero sentimus quæ cernimus, & audimus necesse est aut visu sentire quod cernitur, aut alio, sed idem erit ipsius visus, & subiecti coloris, Quare aut duo eiusdem erunt, aut ipse suimet, Ac si alius esset sensus visus, aut in infinitum progrederetur, aut idem erit suipsius, & id ergo in primo faciendum fuit.*



OST decretum de numero quinque sensuum externorum, qui reperiuntur in multis animalibus perfectis, nunc Simplicio videtur interpreti proponi de sensibus humanis, qui apti sunt soli se, & suas cognoscere actiones, & non de alijs corporatis omnino. Et quamquam ratio incorporea sola supra se conuertit, tamen sensus humanus aliquo modo in se conuertitur ob id de his proponitur, quod se sentiant sentire, vt visus sentiat se videre, atque suam actionem, & si percipere sentientem. Duobus vtitur argumentis. & primo a diuisione, Aut enim visus se sentit videre, aut alius sentit illud videre colorem, idem de cæteris sensibus dicito, sic tamen vt alius capiat actionem sensus dum idem suum obiectum sentit, vt dum visus cernit colorem, alius sensus non cernat colorem, sed solum percipiat visum sentire, & videre, Quod si dixeris alio sensu sentiri videre actionem visus, tunc duo erunt sensus eiusdem actionis obiecti perse. Nam haud fieri potest, quod visus percipiens colorem, non percipiat actionem, cum sensatio (vt ita dicam) nihil aliud sit, quam actio recepta obiecti in sensu per speciem sensilem apud Arist. quare visus sui actionem obiecti capit, & ex dato alius sensus sentit eam visionem, ergo visio erit duorum sensuum perse, & visus, & alterius sensus, quod absurdum est, ne idem numero accidens duo diuersa subiecta habeat simul, & vno tem pore, quod si non duo, nec plures eiusdem actionis participes sensus sunt, itaque idem ceu visus erit suiipsius sentiens, & hoc absurdum, quia idem actu & potentia, idem mouens, & motum esset, Dicit ergo, Quoniam vero sentimus quę cernimus, & audimus, adde odoramus, gustamus, tangimus necesse est aut visu sentire quod cernimus, aut alio non sexto, non septimo sensu proprio, dum tamen idem sensus visus erit ipsius sentire, & subiecti coloris, vult dicere philosophus intelligo alio sensu solum percipi actionem vt videre oculorum, dum tamen ijdē oculi sentiunt colorem ita, vt alius sensus sine percepto colore sentiet solum videndi actionem, Euertit vtranque partem diuisionis, Non enim idem sensus percipit se videre, se audire &c. quia idem sensus erit suiipsius sentiens, absurdum ex dictis, nec alius erit percipiēs, quoniam duo sensus proprij erunt eiusdem actionis. Quare aut duo eiusdem erunt, aut ipse suimet visus percipiens. Hactenus de primo argumento. Secundum argumentum. Si alius esset sensus visus qui cognosceret actionem alterius visus, aut in infinitum progrederetur, quia sicut alius visus cognoscit actionem alterius visus, ita & cognitoris visus actionem alius visus nouerit, de qua notitia similiter quæretur, & sic de alia vsque ad infinitum, quod si euitandum, certe melius erit dicere quod idē sensus videre colorem apprehendat etiam suam operationem, quod principio dicendum fuit, clara est oratio lectori. Vnum ad notandum quod quis diceret sensum nullum se percipere sentire, quia virtus corporea in se non conuertitur, tertio libro de anima, & si sentiret se sentire non sui causa primum, sed quia iunctus est sensui communi iudici omnium sensuum exteriorum ita, vt visus videat se videre ope sensus communis, cui nuncius est. At vero de sensu communi postea.

Aliud item aduertendum, quod cum ſenſus omnis ſentiat per ſpeciem obiecti receptam in ſenſorio, & ſenſu ex dictis, vtrum ſit idem recipere ſpeciem, & ſentire, vt idem ne ſit recipi ab oculo, & viſu ſpeciem coloris, & videre & ſi non idem ſunt, quid prius ſit in ſenſu ſpecies ne, an actio ipſa? Quidam tamen cogitarunt ſpeciem, & actionem idem eſſe cum nihil aliud recipiatur a ſenſu, quam actio obiecti & cum ſpecies primo recipiatur erit ſane ſpecies illa actio, aut ſaltem receptio ipſa ſpeciei, ſecus alij ſentiunt affirmantes differre videndi actionem a ſpecie ſpiritali coloris obiecti, cum prius ſpecies perficiat ſenſum, quam operatio videndi, Quinimo ſpecies in medio aere, vel aqua eſt eadem illa in ſenſorio, & ſenſu licet ſpiritualior, quæ tamen differt ab operatione, eſt ergo Ariſtot. quærit an quiſque ſenſus ſuam operationem ſentiat non quærit an quiſque ſenſus ſpeciem ſui obiecti cognoſcat, quinimo cognoſcere oportet ſi cognoſcitur obiectum, niſi ſpecies cognoſceretur ſimilitudo obiecti, nec ipſum ſentiretur, quare ſpecies ſenſilis differt a receptione, & actione ipſa.

## Contex. C X.

*Habet autem dubitationem, quoniam ſi viſu ſentire eſt cernere, & color cernitur, aut quod illum habet, ergo ſi intuebitur aliquis eum cernens, etiam cernens primo habebit colorem, ſed euidens eſt non eſſe vnum ipſum viſu ſentire, Quando enim non videmus iudicamus tenebras, & lucem. Atque & ipſum cernens eſt quaſi colore affectum, ſiquidem ſenſorium quodcunque recipere poteſt ſenſile ſine materia, iccirco abeuntibus ſenſilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ſenſorijs.*



QVOD videbatur affirmari quemque ſenſum ſuum ſentire actionem dubitat, quoniam omne ſenſile, vt viſile eſt coloratum, & ſua qualitate impreſſum, quod ſentitur, ſed nulla operatio ſenſus, & viſus eſt colorata, vel ſonora, vel ſapida, vel odorifera, vel calida, frigida, &c. ergo nulla operatio ſenſus ſentitur, & ita ſenſus non ſentit ſuam actionem, Ad hoc dubium duo reſponſa affert, primum cum dicit; ſed euidens eſt non eſſe vnum ipſum viſu ſentire, vbi aſſerit Ariſt. non ſolum cerni colorata, ſed tenebras, & lucem inditio, quod non videndo iudicamus tenebras, & lucem, quare eſt cernere etiam ſine coloribus, & ita actio videndi poteſt eſſe non colorata, ſicut nec tenebræ, nec lux ſunt coloratæ, & tamen videntur, ſed reuera hoc reſponſum eſt leue, ſiquidem cum quæritur num viſus videat ſe videre, & ſentiat ſe ſentire, non de vna actione viſus, ſed de omni quæritur vtrum cognoſcat illam, quare adhuc dubium eſt cum videt viſus colorem, an ſe ſentiat videre illum, cum ipſa actio videndi non ſit colorata, ob id aliud ſubiungitur reſponſum ibi, Atque & ipſum cernens quaſi colore affectum, dicit actionem eſſe quodammodo coloratam, & ſe ſentiens coloratum, quia recepit ſpeciem coloris ſine materia, Quanquam nec actio, nec ſenſus viſus ſit coloratus vt pomum, mel, & id genus, attamen coloratur ſimilitudine ſpiritali, & ita ſenſus ſe vidēs coloratus eſt, & ſua actio dependens ita a colore, vt non a tenebris, a luce &c. Quod vero ſenſus admittant ſpecies ſenſiles ſimilitudines ſenſilium oſtendit dicens, iccirco abeuntibus ſenſilibus, vt receſſu pomi, mellis flaui, inſunt ſenſus, ideſt ſpecies ſimilitudines ſenſilium in ſenſu, & imaginationes in ſenſorijs hoc eſt effigies, ſpecies ſenſiles in ſenſibus, niſi etiam intelligantur imaginationes ex eo, quod ex ſeruatis ſpeciebus in ſenſibus phantaſiæ fiunt, & cogitationes, Cæterum Philoponus non poteſt exiſtimare actiones vtpote incorporeas coloratas eſſe, ne item eadem actio quæ vna eſt videre album nigrum ſit alba, & nigra ſimul, ob id ſatius dici putat ſenſorium coloratum, nec lampades videri niſi ob imaginationem, quæ etiam clusis oculis facit videri lampades, attamen non videt Philoponus de ipſo cernente dici quod ſit affectum quaſi colore nō de actione; Verum etiam quodammodo colorata dicitur ſi a colore ſit tanquam comes formæ ſenſilis coloris, & viſus eſt odoratus non vt pomum, ſed vt ſpiritali forma imagine coloris affectus, quia recipit, vt ſenſus viuax per ſenſorium animatum, quare etiam res incorporea poteſt dici hoc modo colorata, ſicut & ſenſus recipiens ſpiritali modo, Vnde fallitur in altero quoque Philoponus dicens ſenſum ſe videre non poſſe, quia virtus corporea in ſe non conuertitur, quod negat Simplicius

plicius de sensu humano, qui seruit rationi, Quamquam sensus sit facultas in organo, attamen spiritali modo cognoscit, & quo ad cognitionem in se conuertitur, non autem quauis in corpore, cum & Philoponus asserat sensum, vt instrumentum rationi se cognoscere, tametsi Alexander in commentariis statuat sensile deprehendi a proprio sensu suo, sed actionem a sensu communi cum sensili. Plutarchus sensile a sensu proprio percipi, sed operationem suam ab opinione, confitantur, quia nihil cadit in sensum communem, & opinionem, nisi sensus externi apprehenderit, ergo necesse est, vt externi suam cognoscant actionem antequã cõis sensus vel opinio apprehendant. Alii recentiores addunt facultatem attentiuam, & per eam cognosci sensuum operationem, quia dum sensus attendunt suam noscunt operationem, Decipiuntur, quia attentio fit iussu voluntatis, & ob id ratio cum sensu cognoscit voluntate imperante sensui, & rationi, vt attendant. Ego crediderim sentiri actionem a suo sensu ex accidenti, quia dependet a suo agente sensili, & istam dubitationem moueri ab intellectu humano vtrum se sentiat quisque sensus sentire, Quod si obiiciatur quod ex accidenti est vni, alteri est per se primo libro de cęlo, quare si à suo sensu actio comprehenditur ex accidenti, ab altero per se dignoscetur, & non ab alio sensu externo, ergo vel ab intellectu, aut alio sensu interno, iccirco cogor sentire cum Alexandro, quinimo cum Aristotele in libro de somno, & vigilia vbi dicit, Est etiã communis potestas, quæ omnes consequitur sensus, quæ videt, audit, sentit, &c. vnde cognitio actionum sensuum, & iudicium communi sensui delegata sunt, Nec obstat dici non percipi quid a sensu communi, nisi antea cadat in sensum externum, quia actio cadit in sensum externum nõ cognita tamen ab illo quia nihil est suarum actionum iudex, sed cognoscitur quidem a sensu cõmuni iudice, & ita appræhenduntur actiones eorum sensuum a communi sensu, & ob id differt sensus proprius ab intellectu, quia ille intelligit se intelligere, quia vis est incorporea non dependens ab organo, neque a subiecto, vt sensus proprius in organo, Veruntamen Aristot. videtur asserere proprias actiones a suis sensibus cognoscere cum actio sit sensilis, & in sensum cadat externum oporteat.

## Contex. CXI.

*HVius autem quod est sensile operatio, & sensus sunt eadem, & vna, sed quoad esse non idem, ceu dixerim sonum actu, & auditum in actu, si quidem sunt quæ auditum habent, & non audiunt, & quæ sonum habẽt, & non sonant, sed quando operatur quod potest audire, & sonat quod potest sonare, tum simul fit auditus actu, & sonus actu ita, vt quis diceret illud auditionem, hoc sonationem. Quinetiam si motus, affectio, seu passio, & actio sunt in eo quod mouetur, necesse est sonum, & auditum actu esse in eo, quod est potentia, Nam actiui, & motiui actus est in patiente, & ita non necesse est mouens moueri, sonatiui igitur actus, aut sonus, aut sonatio est, Auditiui autem auditus, vel auditio, siquidem duplex est auditus, & duplex sonus. Eadem ratio in alys sensibus, & sensilibus, vt enim actio, & passio in patiente, & non in agente, sic & sensilis operatio in sensitiuo, sed in nonnullis sunt aliqua nominata, ut sonitus, & auditio in nonnullis autem alterum caret nomine, Visio enim dicitur uisus operatio, sed coloris nomen non habet, Et gustatio gustatiui, sed saporis caret nomine.*



CREDIDERIM nunc sequi coeptum sermonem philosophum, quia dixit sensum suam sentire actionem, ne quis addat quærendo, ne actio sensus, vt visio, auditio sit illa sensilis, vt coloris, vtque soni, an alia, quoniam si eadem, ergo semper mouendo sensile medium, sensoriumque & sensum sentiret se sentire, quod absurdum est, siquidem abeuntibus sensilibus dicebamus remanere species, & actiones, si autem alia, quærendum esset qui sensus illam aliam cognosceret. Dicit ergo operationem sensilis, & sensus eandem esse, & vnam re ipsa, sed ratione differre, & quomodo re sint vna & eadem, & ratione diuersæ subiungit. cum sensile duplex vnum actu perceptum, alterum potentia solum, quod nondum sentitur, sed sentiri potest. Exemplo auditilis & soni ostendit, cum sonus actu est cum fit ictu solidorum, & auditur, non actu cum non fit, nec auditur, Aduerte sonum actu dupliciter cum sonat aliquid, & si non auditur, & cum sonat, & auditur tum est in actu & actio sensus dicitur auditio. Vt sensile dupliciter actu & potentia, ita & sensus actu & potentia, quot modis vnum relatiuorum, & totidẽ

aliud, fatetur ergo actionem sensilis, & sensitiui, sensorij, & sensus vnam, eandem cum simul actu color mouet visum, & videtur, & cum sonus iam editus mouet auditum, sed si non mouet actu, non est eadem; Et quando eadem est actu, attamen differt ratione, quoniam qua fit a sensili vt a colore ficto nomine diceretur colorationis impressio, & qua recipitur a visu visio, idem de auditu. Hæc vsque eo, Quinetiam, vbi alia ratio ex communibus iam assertis in tertio libro physic. promitur declarans quod actio sensilis in sensu actu est vna, & eadem quia actio passio in motu vno idem, qui motus est in patiente, & moto, quare actio sensilis, & sensus actu vna est, atque eadem re ipsa subiecta, & ob id actio non recipitur ab agente, & mouente, ne idem sit mouens, & motum, sed recipitur a patiente, & moto per modum recipientis, & non agentis, Attamen ratione discrepant, quia quatenus actio visus ab agente sensili fit diceretur coloratio, si nomen esset, & in sapore saporatio, sed desunt nomina, quatenus in visu visio vocatur, & gustatio, Verum id patet magis vbi sunt propria nomina, vt a sono sonitus, & in auditu auditio, Quare sicut doctrina a doctore dicitur, & disciplina in discipulo, tametsi actu ipsa doctrina est ipsa disciplina, cum nihil discat auditor nisi doctrinam. Quare eadem re sunt actu, sed ratione discrepant, vt sonitus a sono, qui auditus est ipsa auditio, ergo sensus quicunque sentiens suam actionem sentit eandem re, quæ est ipsius sensilis, & si ratione dissidet. Caute Philoponus dicas rationes rerum sensilium esse in sensu, quia dicit simul idem esse actionem sensilis, & sensus, vt Empedocles cecinit.

## Contex. CXII.

*CVM vna sit actio sensilis, & eius, quod sentit, licet secundum esse diuersa, necesse quidem est, ut simul corrumpantur, & seruentur uelut auditus, & sonus eiusmodi, ac sapor, & gustus, & alia eodem modo, sed nō item necesse est seruari quæ secundum potentiam dicuntur, ob id uetustiores philosophi id non recte dicebant arbitrantes neque album, neque nigrum esse sine uisu, neque saporem sine gustu. Equidem partim recte dicebant, partim non recte. Dupliciter autem cum dicatur sensus, & ipsum sensile, & hæc partim potestate, partim actu his contingit quod dictum fuit, & in aliis non contingit. Verum illi simpliciter loquebantur de his, quæ dici non possunt simpliciter.*



MEMINISSE poteris, quod supra reliquit author abeuntibus sensilibus remanere sensus, & imaginationes contra Democritum, & alios antiquos, qui dicebant non esse sensus neque sensilia nisi in congressu sensilis cum sensu, vt Plato in Theæteto prodidit. ob id confirmaturus ea remanere abeuntibus sensilibus, & ostensurus quomodo antiqui aliquo modo recte dicere potuissent, & si simpliciter loquerentur sine distinctione subiungit decretum supra cum vna sit actio sensilis, & eius quod sentit re ipsa, licet secundum esse, seu ratione diuersa, & huic decreto adiungit necesse quidem est vt simul corrumpantur, & seruentur velut auditus, & sonus eiusmodi idest in actu, præsente enim colore fit visio, amoto remouetur visio illa sed non sensus potentia, qua rursus sentire possit, nec habitus aut species retenta ac sapor, & gustus actio actu, & alia eodem modo. An relicta specie coloris in visu possit ille videre? Dicito, vbi remaneat posse videre cum species suppleat vicem absentis coloris, sed tum est sensus in potentia, qui quo reducatur ad actum requiritur præsentia coloris denuo, propterea quod visus non est aptus actu videre sine intermedio aere, vel aqua actu perspicuo illustrato, iccirco sensus potentia, & sensile potentia non se seruant, neque corrumpunt cum possit esse sensus visus, & non videre in somno, & clausis palpebris atque potest esse sensile in potentia vt testula in profundo maris, & tum non videri. Quare ad actionem actu sensile mouens, & sensus motus simul se seruant & perimunt, non autem quo ad sensile potentia, & sensum, sed non item seruari, quæ secundum potentiam dicuntur necesse est. Hinc infert corrollarium vetustiores philologos simpliciter loquendo non recte dixisse arbitrati non esse nigrum, nec albū sine visu neque saporem sine gustu. & si præmissa diuisione de actu, & potentia possint recte partim dixisse, vt actu esse non possint album, & nigrum diiudicata, & percepta talia sine visu, & partim non recte, quia potentia sensilia possunt esse sine sensibus colores in obscuro sunt, absque

visu; & congressu sensus, quod Democritus non nouit cum simpliciter loqueretur, & assereret; simpliciter sensilia non esse, nisi in mutuo congressu cum sensu. Quocirca sensilia qua absolutæ qualitates vt color lumen, sapor, sonus, color frigus &c. sunt absque relatione ad sensus, quæ itē si referantur ad sensum vel actu feriunt, vel possunt ferire sensum, si actu feriunt simul sensus, & sensilia in congressu consistunt, si potentia, non consistunt in congressu vt idem color qui vesper tino diluculo cernebatur in nocte non cernitur, potest tamen præsentia luminis cerni, si porro antiqui actu sensile & sensum dicebant versari in mutuo congressu, & non aliter esse recte dicebāt, sed arguendi tamen quia simpliciter loquebantur sine distinctione.

## Contex. CXIII.

*Si autem concentus vox quædam est, & vox auditusque vnum fore, & fere non vnum hoc ipsum, sed concentus est quædam ratio, ergo necesse est & auditum quandam esse rationem, & ob id quoduis excellens acutum, & graue corrumpere auditum, eodem item modo sapores ad gustum, & odores ad visum ac lucidum, & tenebrosum se habent, necnon in odoratu vehemens odor, & dulcis, & amarus ita, vt sensus sit quædam ratio, Quocirca cum pura, immixta, velut acutum, aut dulce, aut salsum ducantur ad rationem tum sua vita fiunt, & omnino quod mixtum est potius conuentus est, quàm acutum, & graue. Tactus autem est ratio eius quod calefacere, aut frigefacere potest, itaque sensus est ratio, execedentia uero aut molestia afficiunt, aut corrumpunt.*



REDIBILE non esse id corrollarium, sed sequi orationem dicentem actionem sensilis vnam eandem esse etiam sensus signo, quod excellentia sensilia eadem actione afficiunt, & labefactant sensus, atque sensoria, itaque vna actio est, quomodo autem labefactent sensum indicat author confirmans sensum esse quendam concentum, & simmetriam commensuratam, non quod anima sit harmonia, vt dudum primo libro explosum est, sed quod quisque sensus consistit in quadam proportione apta ad sentiendum, quam corrumpunt excellentia sensilia, Aduerte doceri auditum præcipue esse quendam concentum quia ex eo auditur simphonia, & idem iudicium est de reliquis sensibus, & sensorijs. Ratio est.. Vox, & auditus actu vnum fere sunt. Et fere, quia ratione dissident, sed concentus est vox, ergo concentus & auditus idem, subdit sub conclusione, & concentus est quædam ratio acuti ad graue, & mediorum ad extremos sonos, vt diapason, diapente &c. ergo & auditus sensus, ac sensorium est quædam ratio, & simmetria, Hinc elicitur quod excellens sensile sua qualitate molesta, & acutus sonus solus, vel grauis vehemens corrumpit auditum, qui est simmetria quædam audiendi, & in sensorio commensurato, & sapor grauissimus odor molestissimus, color ingens, lux amplissima, tenebræ diuturnæ, & densæ molestant sensus suos, & euertūt, quia consistunt in mediocritate ob id pura, & immixta acuta, grauia, salsa cum temperantur ipsa mixtura euadunt gratiora, & iocunda, nec lacessunt sensus, nec lacerāt, sed oblectant, Quæ de alijs sensibus, & sensilibus asseruntur, hæc etiam de tactu, & tactibus comprobanda, Quare actio sensilis, & sensuum ex eo videtur vna, quia actio vehemens excellentis sensilis molestia afficit, & euertit sensus, Quoniam si diuersæ essent, vna esset incommoda, altera vero congrua & commensurata. Cæterum Gal. in libro de simptomatum causis lædi solere sensus, sensoria, & seruientia excessu sensilium tradidit, vt lux ampla cristallinum humorem lædit, sensumque videndi in eo siue a cerebro proueniat, siue a corde Arist. iudicio, & vestes, humores alios oculi turbat, Nigerrimum facile oculi sensum obtundit hebetat, quia nigrum congregando officit aliquo modo albissimum facile disgregat, quia album separat, & lucidissimum diffundit, & labefactat, quia lux consumit suo quoque calore, cæruleum, & fuscum quod moderata sunt, oculi iucunda, & delectant. Attende item sensile vehemens suæ actionis celeritate, & violentia, atque vicinitate obesse sensui. Verum si cupis hæc abunde cognoscere sume in manibus primum librum de simptomatum causis. Postremo quoad philosophos attinet, Nō patiē sensus ab excessu sensilis primo, quia pari passu intellectus ab excellēti intellectili læderetur, sed alteratione organi, & sensorij, ob id intellectus nō in organo nō patitur, tertio li-

bro,sed sensus,quia in organo inest,quare secundo afficitur læsione sensorij, hinc accidit, vt etiã animal pereat, Vt probitas sensus ex probitate sensorii est,ideo primo libro de anima reliquit Arist. si senex reciperet oculum iuuenis ęque videret, & postea subdit intus quodam lacessito offendi sensus,quare excellens sensile corrumpit prius simmetriam sensorij,& temperaturam,mox & sensum,qui non est aptus perficere sensorium nisi bene temperatum, Atque repete excellens sensile, vt lux solis corrumpit visum non spiritali actione agens,sed corporea forte ob luci aliam connexam qualitatem,vt calorem,qui aut per se aut cum alio excedens corrumpit simmetriam, sed vnum mirum videri solet,quod Arist.videtur velle facile pati ab excessu quod commensuratum est & in mediocri proportione consistit,contra Galenus in secundo, & primo de temperamentis, & in parua arte quod est magis commensuratum, & propinquius corpori saluberrimo, & optime commensurato minus affici,& plus obsistere excessibus & causis lædentibus, Nisi non facile lædi dicat Arist.sed ideo lædi,& corrumpi sensiterium, & sensum, quia sunt simmetra, & optime commensurata.

## *Caput de sensu communi.*

### Contex. CXIIII.

*VNusquisque igitur sensus sensilis subiecti est in sensorio,qua sensorium est. Et indicat differentias subiecti sensilis, vt album quidem,& nigrum uisus,& dulce, amarum gustus idque se habet similiter in alijs, sed quoniam album,& dulce,& unum.quodque sensile ab altero iudicamus,& sentimus differre,id certe sensu fit, siquidem hæc sunt sensilia,Hinc euidẽs quoque carnem non esse ultimum sensorium, siquidem necesse foret quod iudicat tangendo iudicare,vt dulce ab albo esse aliud. At uero oportet vno quodam esse utraque manifesta sic enim habet,ut si hoc quidem ego,tu uero aliud sensoris clarum est,quod hæc inter se sunt diuersa, sed oportet ut unum dicat quod est alterum,siquidem dulce est alterum ab albo,ergo quod dicit, est idem,quare ut dicit sic intelligit, & sentit, ergo liquet non esse disiunctis iudicare disiuncta.*



HOC caput pertinet ad sensum communem,qui vnus est iudex sensilium omnium,quæ percipit, iccirco differt a quouis proprio, propterea quod quilibet sensus proprius solum obiectum suum, & eius differentias appræhendit in proprio sensorio existens, At communis in communi sensiterio percipit non tam huius,quam alterius sensilia propria cuilibet tamen annexus, & suo marte diiudicat ea,& ea dicit differre,Docet igitur primum hunc esse sensum communem oportere,& sensorium commune,cum non sit caro,idque facit in hoc loco, Deinde ostendet author cuiusmodi sit actio huius sensus in percipiendo, & iudicando sensilia propriorum sensuum,quandoquidem vno tempore, & non diuersis appræhendat diuersa obiecta sensilia,vt simul album, & dulce. postea dubitat, & dubitationi haud verum responsum adfert, iccirco aliud elaborat verum, & ita concludit sensum communem esse cum suo officio. Hoc argumento colligit sensum communem esse oportere. quia nullus sensus quinque, cum non detur sextus proprius compræhendit obiectum alterius sensus eiusque differentias, nec iudicat ea obiecta differre sensilia, vt dulce, & album, sed solum quisque in suo sensorio appræhendit propria sensilia, ergo necessarius est quidam sensus, qui iudicet illa, siquidem illa sunt sensilia, & differentia illorum sensu dignoscenda sit, prius, quam intellectus cognoscat, aut cogitatiua cogitet, & phantasia imaginetur, Vt colligit hoc argumento oportere sensum communem esse,ne quis tribuat actionem diiudicandi differre obiecta diuersa sensuum carni sensitiuæ prout est prædita sensu tactus, adnectit ex hac actione diiudicandi vnum diuersum obiectum ab alio non esse carnem, quam vltimum sensoriũ, idest sensitiuum dicunt, & id probatur quia differenria albi ab ipso dulci perciperetur tactu, & ita caro iudicaret tangendo, quod est absurdum, quoniam albus color non tangitur, nec odor, nec sonus, nec sapor qua sapor, ergo caro sensitiua non potest iudicare de eo, quod non percipit.

pit. Quinetiam quis diceret non fore necessarium sensum communem praeter proprios ob dignotionem differentiarum obiectorum sensilium, quia satis est cognosci vnum obiectum sensile, vt colorem a visu,& dulce a gustu, ob id docet oportere iudicium esse vnius,& non duorũ,quod vnum cognoscat illa duo, alioquin clarum est quod si visus colorem sentiat, & gustus saporem, quod haec duo sunt interse diuersa a diuersis sensibus per diuersa sensoria percepta, sed non sufficit cognoscere diuersa, quinimo oportet cuiusmodi diuersa sint, quod fieri non potest a quocunque particulari sensu non percipiente sensile proprium alterius sensus, sed legendo haec erunt tibi illustriora. Repetit primum cuiusque sensus actionem propriam, quam cum suo sensili cognoscit, & inquit. Vnusquisque igitur sensus sensilis subiecti, seu obiecti, qua obijcitur, & subiecti, qua subijcitur qualitati motiuę, vt corpus coloratum subijcitur colori, & sapidum sapori, in sensorio vt perfectio, & animae essentia est eo modo in sensorio,& species recepta spiritalis per medium ad sensorium adducta est in sensorio, sed non qua sensorium hoc est instrumentum sentiendi, sensus autem perficit sensorium, & vtitur etiam eodem, vt instrumento, sane animato viuaci, iccirco additur qua sensorium est. & cum sentit subiectum sit, vt genus, quale differentias habet, vt coloris albedo, nigror, fuscum, cęruleum &c. & saporis, amarum, dulce,& reliquorum similiter, ob id dicit. Et iudicat differentias subiecti sensilis proprij, vt visus iudicat album, & nigrum, & gustus dulce amarum, idque se habet similiter in alijs, in odoratu, auditu, tactu ita, vt quisque sensus proprium obiectum genus, & differentias eius percipit, & iudicat, & si quae alia vis has percipit duce suo sensu percipit, & iudicat, Hactenus est cuiusque sensus potestas, & tantum potest, & non diiudicare differentiam sensilium interse vt coloris, & odoris, saporis, quia nullus capit obiectum alterius non enim visus dulce, nec saporem percipit. nec gustus colorem, quare ad iudicium tanti discriminis adhibenda est communis facultas, quae dijudicet, lege, Sed quoniam album, & dulce, & vnumquodque sensile ab altero iudicamus, & sentimus differre, & apposite dicit sentimus, ne hoc diiudicandi officium vendicetur opinioni, cogitationi, intellectui, phantasiae qua talis & sentimus differre sensu cõmuni adiunctis proprijs sensilium dijudicandorum, vt facit iudex optimus cum audire iura partium ab aduocatis, & patronis, decernit, probat ob id sensu diiudicanda & non alia facultate dicens id certe sensu fit, hac ratione siquidem haec differentia interse sunt sensilia, vt intellectiliũ intellectus iudex, & cognitor, ita & sensilium sensus adde tu si haec sensilia differre candidum, & dulce, & calidum, & sonum acutum cognoscit sensus,& iudicat,& nullus quinque dictorum id facere potest, propterea quod nullus cognoscit, sensile alterius sensus, itaque constituendus est communis cognitor, & iudex, quem sensum communem appellant, & ne superuacaneũ hunc putes dicendo carnem sensitricem posse iudicare discrimen sensilium & eam esse vltimum sensitiuum, cui detegenda sit haec potestas, dicimus non esse illam, non solum, quia iudicium spectet ad aliquod incorporeum cognoscens,& non corporeum, vt caro est sed etiam si carnem sensorium cum sensu intelliges non poterit illa iudicare, quia tangendo sentiret has differentias, sed tactus non apprehendit aliorum obiecta, Non enim colorem, saporem, sonum &c. ergo caro sensoria non est hic iudex. Hinc euidens quoque idest si quisque sensus solum sua iudicat, & non alia carnem non esse vltimum sensorium, seu sensitiuum, quod iudicat haec, siquidem necesse foret quod iudicat tangendo iudicare album a dulci aliud, sed tactus non apprehendit dulce, nec album, ergo alia vis est, Et ne dicatur satis esse quod vis sensile a suo sensu iudicari, & ita differre. ob id subiungit. At vero oportet vno quodam & non diuersis esse vtraque manifesta. caetera lege clara sunt, illud aduerte cum dicit, Quare vt dicit sic intelligit, & sentit, additum verbũ (sentit) corrigit illud (intelligit) quia reuera sensus non intelligit neque communis, nisi more veterum dicentium sentire intelligere, contra quos erit alter tomus. Quidam ex eo verbo volunt discrimen obiectorum pertinere ad iudicium intellectus, quod minime verum, siquidem sensilia diiudicanda sensu, alioquin sine sensibus intellectus habent cognitionem de sensilibus sed intellectus percipit sensilia vtens sensu pro ministro, & suo satellite, ac nuncio, & instrumento. Quinimo sensus canis, vbi non est intellectus dignoscit gustatile a visili differre, & si interdum decipiatur, vt homo, cũ carnem quaereret & nõ lumen, nec colorem, Hactenus ergo fuit necesse sensum communem introduci, Aduerte aliud in verbo illo, carnem non esse vltimum sensorium, quia videtur author vltimum sensitiuũ dicere quid intus, vbi stat iudicium de diuersis obiectis & hoc est cor apud Arist. apud Gal. cerebrum, contra Gal. supra animaduerti asserens mirum videri esse primum sensitiuum, quod non sentit, cerebrum non sentit, sed cor maxime, quare sensus

communis est in corde primo sensiterio, de quo postea. Aduerte item non posse a duobus dijudicari discrimen obiectorum, quia dum vnus sensus sentit suum non sentit alterius sensile, nec dum alter sensus comprehendit suum, sentit aliud, ergo idem sit, qui utrunque apprehendat oportet.

## Contex. CXV.

*Quod item non in tempore separato, hinc liquet. Vt enim idem dicit bonum diuersum a malo, ita & quando alterum dicit diuersum esse, & alterum non secundum accidens illud quando, Dico autem, ut nunc per inde, ac diuersum non tamen nunc diuersum, sed sic dicit & nunc, & quod nunc, ergo simul, Quare inseparabile temporeque inseparabili.*



SIVE ex eo quod non in diuersis temporibus iudicantur sensilia diuersa confirmetur adhuc vnum esse, & idem quod discernit, & iudicat, siue agatur de modo percipiendi, & iudicandi sensus communis illud liquet in eodem tempore percipi album, & dulce, & ita diuersa iudicari, Philoponus absurdum dicit nunc doceri in ipso instanti effici iudicium sensus communis, quinimo Simplicius inconstans actiones spiritales ait effici in ipsis discretis instantibus, & non incontinuo tempore, quinimo nunc quod modo intelligitur est quoddam tempus minimum diuisile quidem, vt illud quod fit subito, repente, de quo tempore momentaneo sermo est in quarto physicorum, Proponitur. Quod item non in tempore separato adde non percipiat, nec iudicet album diuersum a dulci, vt fit in sensibus externis dicente Aristot. tertio meteorum, quod & si sonus tonitrui fiat prior splendore fulminis, tamen prius cernitur splendor, quam audiatur tonitruum, hinc liquet similitudine scilicet. Vt enim idem eadem cupiditas, ira, voluntas, ratio dicit bonum diuersum a malo eodem momento, & non diuersis ita & quando alterum dicit sensus communis sensile diuersum esse vt eodem tempore statuat dulce non sonatile, non album. & quando dicit alterum esse non secundum accidens idest quatenus fuere diuersa, sed cum ilico dijudicantur diuersa a sensu communi, ita, vt verbi gratia non quãdo putruit mespilum amarum factum dico esse amarum, sed quando gustatur, eodem modo diuersum saporem ab odore non diiudicat sensus communis, nisi perse, cum percipit sic, vt tempus illud momentaneum referatur ad actionem vnam duorum comprehensorum diuersorum, alioquin si sensus in tempore quando erant diuersa ageret, sane videretur cognitor præteritorum, ac futurorum, sed præsentibus mouetur solum, vt est in libello de memoria, reminiscentia, & per accidens præteritorum, ob id dicit, Dico nunc, tempus exiguum perinde diuersum, quia fuere in eo tum diuersa quoque, non tamen nunc diuersum, quia in eodem nunc percepta sensoria iudicat diuersa, sed sic dicit & nunc quando percipiuntur ideo, vt nunc, ergo simul iudicat ea diuersa, Quare inseparabili tempore inseparabiliter iudicium sit de duobus diuersis inseparabile, iudicium vero separabile est cum quisque sensus suum obiectum iudicat ita, vt gustus cum saporem iudicat, & visus colorem, quod si ambo simul iudicent suum obiectum, hoc est per accidens, quatenus incidit vni sensui per suum sensorium affici dum alter afficiebatur. potes etiam intelligere per inseparabile & sensum, & sensorium ipsum, contra quam in sensibus propriis qui diuersa iudicant separatis sensoriis. Collige iudicium sensus vno tempore effici de duobus diffidentibus sensilibus, ergo vnus est iudex.

## Contex. CXVI.

*At uero non potest idem simul contrarijs motibus moueri, præcipue indiuisile, & indiuisili tempore. Nam si dulce sic mouet sensum, aut intelligentiam, amarum sane contrario modo, & album alio. Nunquid ergo simul, & numero indiuisile, & tempore inseparabili quod iudicat, sed quoadesse separatum? Est quidem vt diuisile diuisa sentiat, & qua indiuisile. Nam est diuisile, sed loco, tempore, numero indiuisile. An id fieri non potest, siquidem idem potentia est diuisile, indiuisile, & contraria, sed actu nequaquam, & aqua agit diuisile. At non potest simul esse nigrum, & album. Quare nec eorum formæ id patiuntur, si eiusmodi est sensus, & intelligentia, nisi potius sicut quem punctum quidem uocant quatenus unum, & quatenus duo, & ea ratione diuisile est. Qua ergo quod iudicat, & simul indiuisile est unum, sed qua diuisile, non unum. Bis enim eodem signo utitur simul. Quatenus ergo duobus utitur duo iudicat, & sunt separata tanquam ea, quæ sunt separatorum. Quatenus uero unum, uno & simul iudicat. De principio igitur quatenus animal dicimus esse, hoc sit modo desinitum.*



DECREVIT sensum esse communem supra philosophus, atque percipere & iudicare sensilia diuersa adde & corrigere sensuum errores, necnon duo diuersa vno actu, vnoque temporis momento separare & dijudicare, nunc dubitat dicens quod si vnus est hic sensus communis incorporeus, indiuisilis sine partibus, & vno tempore fere indiuisili iudicat, non poterit percipere duo contraria simul, & diuersa, & ita non iudicare, cum duo quidem communia simul esse non possint in eodem numero indiuiduo, & vno momento temporis. Nam idem secundum diuersas partes potest contrariis imprimi. Sensus communis non habet partes, incorporeus est, & indiuiduus, ergo nequit subire per diuersas partes duo contraria, aut diuersa. Quinetiam cum sit vno temporis momento iudicans non potest eodem tempore duo contraria admittere. Euenit suscipi contraria diuersis temporibus. Vnde ingens dubitatio est hæc, nunquid possit iudicare contraria, diuersa cum non possit recipere ea per contrarias aut diuersas partes, neque in temporibus diuersis. Dubium. At vero non potest idem simul contrarijs motibus moueri, vt dulcis saporis motu, ex amari, aut saporis, & coloris, quæ dubitatio communis est etiam sensibus proprijs percipientibus sui obiecti contrarias, vt coloris album, nigrum, attamen nunc adducitur data occasione de iudicandis contrariis. Auget difficultatem subijciens præcipue indiuisile sine partibus, vt sensus, qui per diuersas partes non potest admittere contraria, cum idem diuersis portionibus contraria subeat vt corpus neruis gelu. Corde calidum, & indiuisili tempore, quandoquidem idem sine partibus saltem diuersis temporibus vicissim affici contrarijs potest, probat ergo iudicanda esse contraria. Nam si dulce sic mouet sensum leniendo asperū, & vt Plato dicit in Timeo de superioribus, & hęc de dulci. Quando vero ingredientiū qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors, & cōsentanea, ac lenit, molliq; eam, contractūque demulcet asperitatē, & quæ in nobis præter naturā contracta, vel sparsa fuerunt relaxat, vel colligit, ac summatim naturalē habitū restituit, suaue huiusmodi omne, amicumq; est omnibus violentarū passionum quoq; medicina atq; remediū dulceque vocatur, aut intelligentiam, seu imaginationē, seu operationem intellectus, vel melius secundum veteres putantes sensum, & intellectum idem hoc dicitur, amarum sane contrario modo, & album alio, diuerso non contrario dulci, quoniam sapores, & colores non distant in eodem genere cuiusmodi sunt contraria quinto metaphy. Et amarum sane contrario modo quam dulce mouet sensum, quia asperat aliquanto magis dicente quoq; Platone de amaro vt est etiam videre in primo Gal. comment. de simplic. medicament. facultatibus, & si qua linguæ inherescunt, abluūt, si vltra modum id faciant, naturæq; ipsius nonnihil liquefaciant qualis est in nitro potentia, amara omnia nominantur quare contrarij sunt sapores amarum, dulce, & dicit album alio modo, sed non est contrarium dulci &c. Dices non iudicari primum contraria a sensu communi, sed diuersa genera, vt saporem dulcem, & qualemcunq; non album? Nisi ex consequenti etiam possit iudicare contraria vt si dijudicat album non esse dulce, poterit etiam dijudicare nigrum nō esse amarum, quare stat dubitatio. Huic dubio primum affert responsum, quod sensus communis numero

ro loco,& tempore indiuisili iudicat contraria,sed non quoad esse separatum est,vult dicere sensum cõmunem quo ad se iudicare momento,& simul,sed vt applicatur huic sensui & illi, & illi cognoscenti suum obiectum sic recipit contraria,quare idem est, sed applicatione non idem sed multi sensus, & ita vt vnum corpus multis partibus potest contraria simul, & eodem momento recipere contraria,ita vnus sensus cõmunis diuersis applicationibus, & habitudinibus contraria admittet. Dicit. Nunquid ergo simul,& numero indiuisibile,& tempore inseparabili quod iudicat,sed quoad esse separatum? & cętera legito vsque ad illa. An id fieri non potest,vbi cõfutat hoc responsum,quia quod est potentia tale potest per diuersas applicationes suscipere contraria, sed non si actu tale sit,vt sensus est communis iudicando,siquidem idem potentia est diuisile indiuisile,sed nequaquam actu,& qua agit diuisile,siquidem vno actu,vno tempore vno loco dijudicat. Quinetiam non oportet confugere ad diuersas applicationes sensus communis ad proprios sensus,cum ipsa contraria ex se non possint in eodem indiuisili in esse, vt in eodem proprio sensu ergo neq; in eodem sensu communi applicato illi,vt album nigrum simul esse nequeunt in eodẽ puncto obiecti corporei eodem tempore,neq; eorum formæ in sensorio, & sensu proprio, ergo neq; in applicato communi. Ac non possint simul esse nigrum & album,quare neq; eorum formæ idest species sensiles id patiuntur scilicet esse in eodem sensorio,& sensu simul;& eodem tempore si eiusmodi est sensus & intelligentia more veterum arbitrantium sensum intellectum,vt sit capax formarum sine materia, confutata hac respõsione,aliam Platonicam subiungit dicens sensum communem esse vnum,& plura secundum quod feriunt sensilia ipsum similitudine puncti quod est centrum circuli,a quo eductæ lineæ ad peripheriam sint quinq;, certum est quod illud centrum est vnum indiuisile sine partibus,tamen est plura,& quinq; quatenus lineę quinq; terminantur ad illud. Aeque sensus cõmunis in corde vnus est incorporeus,indiuiduus,qui tamẽ plura est obiecta,quatenus per diuersos sensus mouẽt illũ,& ipse iudicat ea opposita,& cõtraria, quare poterit sumere contraria,& iudicare eo modo. Inquit nisi potius quem punctum quidam vocant Plato Socrates,qui est centrum sphera,hic vnus est, & duo,ac plura,cuiusmodi est diuisilis,sic sensus communis vnus in iudicando,sed in percipiendo plura,quatenus diuersa obiecta, & separata est plura,& ita potest recipere contraria,& opposita,ergo vnum est,& non vnum alio modo, & eo quidem quo recipit contraria,lege tu quia facile percipies verba authoris, sed dices percipere nigrum,& album,dulce,& album non est percipere contraria,quia non sunt eiusdem subiecti,de quo affirmentur,aliud album,aliud nigrum est,nisi sint eiusdem generis obiecti contraria,vt coloris cum album disgreget aciem videndi,nigrum congreget,sed salua pace Arist. dicerem cum sensus communis sit in communi sensiterio corde eum posse recipere contrarias obiectorum similitudines spiritales per diuersas partes sensorij diuisilis, sed quia iudicium est officium merum sensus sine sensiterio,ideo iudicat duo contraria simul vno momento per contrarias receptiones alioquin contrariorum non esset vna scientia,vna cognitio,sed quid de intellectu qui simul contrarias,& contradictorias propositiones cognoscit? Nisi dicas intellectum esse vnum, sed plura potentia,& cum actu sit plura contradicentia, tum est plura simul actu ex ratione contradicentium obiectorum,sicut intellectus possibilis per diuersa, & contraria phantasmata recipit species intellectiles cõtrariorum simul,sed de his alias,nunc videtur sensus communis superfluus, aut si necessarius,alii proprii superuacanei,si communis cognoscit sensilia propria,& iudicat, ergo per eum animalia possunt fugere detrimenta,& prosequi vtilia,& homo præterea habere scientiam sensilium,& frustra fiunt illa sine quibus aliquid effici potest bene, simili modo si sensus proprij sua noscunt sensilia,& iudicant,ad nullum vsum sensus erit communis. Respondebis valere sensum communem ad iudicium discriminis sensilium,quale non percipit vllus sensus proprius. Sed quia ex dictis potes habere quomodo sensus communis est,& quomodo vnus, ac qua ratione contraria opposita recipiat,iccirco non ero longior. Attende conclusionem scopi huius libri secundi. De principio igitur quatenus animal dicimus esse,& viuere hoc est de sensitrice anima & eius potentijs actionibus,obiectis hoc modo sit definitum & ita concludit secundum librum.

Finis secundi libri Deo duce.

SECTIO PRIMA.

# TERTII LIBRI ARIST. DE ANIMA INTELLECTRICE

LVCILLO PHILALTHEO AVTHORE

## Commentarius.

*NVPER EDITVS AD DEI GLORIAM.*



E vlla lectorem capiat admiratio, quod initium tertij libri sumendum duxerim, vnde nec Græci, nec latini cæpere, siquidem illi a septimo tomo, hi post hæc cum propositum fuerit de ea animæ parte, qua cognoscit, & prudenter sapit, principium faciendum censuerint, docebo quibus de causis iudicauerim exordiendum ab his tertium. Non enim ergo, sed Aristoteles in epilogo supra reliquit. De principio igitur quatenus animal dicimus esse hoc modo sit definitum vbi facit finem dicendi de sensitrice anima, & eius facultatibus, quibus diuisim.vel omnibus quoduis animal constat. Homo, & bruta animalia sensu esse dicuntur ac viuere, quem epilogum vtinam Græci legissent, certe non proposuissent in septimo supra tomo ceptum de rationali anima tractari, cum Aristotel. plane tradat de principio quo quicque animal est vsque ad finem octaui tomi disputatum, quos item a sua opinione potuit deterere lectio ipsa perse solum de sensilibus, qua sensus sunt, & quo numero sint, & quomodo suam cognoscant actionem, & qua de causa communis sensus introduci debeat, in quibus nihil retulit author ad animam rationalem, nunc vero omnia refert ad intellectricem animam, & facultatem, vt quoque græci fatentur, & ipsa lectio confirmabit, quã doquidem ab actione ex canone dudum præscripto intellectricis ducens initium constituit intelligendi opus nullo sensui aptum, nec opinioni, nec cogitatiuæ, nec phantasiæ, sed intellectrici proprium, ob id de more veterum opiniones euertit asserentium sentire intelligere, atque sensum intellectum, & scientiam. Quinimo declarabit nec opinari, nec imaginari intelligere, nec sensum opinionem, nec imaginatricem. Dico sensum externum, cum hi sensus opinandi, cogitandi, phantasia sint sensus interni appellati. Quare si e differentia actionum propriarum discrimen cõuincitur facultatum, concludetur intellectus facultas diuersa a sensibus externis, & internis, ob id in ea parte vnde latini ceperunt tertium librum, & arabes de sola intellectrice summum erit negocium. Sed heus(amicissime lector) præfemur & hoc loco de scopo, & materia tertij voluminis. Cohortemur studiosos ad hanc lecturam. Diuidemus volumen in præcipuas partes, vt præsciat lector vsum, & quo labor sit referendus. Materia igitur est anima rationalis, & ea præcipua pars, quæ intellectrix dicitur, & intellectus vulgo cum suis potentijs, actionibus, & quibusdam obiectis. Animam dico rationalem apud Aristotel. non quandam formam superadditam temperamento ex eodem ortam absoluto, vt censuit Alexander Aphrodiseus, ceu ex temperamento fidicem chordarum oritur concentus superueniens temperamento, quo perstante anima permanet, eo recedente, aut euerso occidit anima, censuit porro ille animam humani generis absoluto corporis temperamento ex elementorum viribus, & humorum, partiumque similarium, & dissimilarium organicarum, & calore natiuo constituto adnasci entelechiam quandam, quæ vegetet, sentiat, ratiocinetur per diuersas facultates, quæ sententia damnatur non solum, quia videtur illa forma, sicut sanitas, & simphonia humorum & temperamenti, sed etiam quod ex temperamento non potest oriri tam excellens, & egregia forma, per quam a cęteris belluis differt homo,

mo,& Deo similis euadit,cum præterea aduersetur Aristoteli,cuius volumen secundum de par-
tu animalium capite tertio de origine animarum ille videtur non legisse, vbi plane in senectute
reliquit vegetalem,sensitricem animam e semine ortum trahere, sed intellectricem deforis acce-
dere & nihil habere commune cum corpore. Quare Alexander dicat,si aliunde quam e semine,
certe etiam quam ex temperamento accedere dicendum est. Atque si nihil habet commune cũ
corpore,non superadditur temperamento,quia tum haberet quid commune cum temperamen
to. Atque materialis esset hæc anima,& patibilis interitura,cum eam Aristotel. impatibilem,im
mixtam non solum a corpore separatam,sed etiam ab organo, sicut processus explicabit oratio-
nis. Verum hactenus in Alexandrum,dabitur occasio etiam confutandæ opinioni. Simili mo-
do non placere sententia Hippocratis asserentis animam humanam esse calorem natiuum homi
nis intelligentem,sicut in libello de carnibus videtur ille statuisse,& Gal. ei attribuit in comment.
quinto sexti libri vbi Hippoc. dicit. Hominis anima semper ad mortem vsque producitur &c.
Hæc sententia ab Aristotele irrisa fuit in capite.7. secundi libri de partibus animalium, cum dicat
igitur animam esse ignem arbitrari simile est,atque si serram,aut asciam,aut fabrum, artem fabri
lem esse ideo arbitreris,quia opus nonnisi his iunctis efficiatur, si ergo calor natiuus est instrumẽ
tum,quo vtitur anima,non ergo erit ipsa anima,ne vtens idem sit,& id quo vtitur. Sed mihi mi-
rũ de Hippocrate videri solet,quod in libello de pueri natura calor innato & spiritu decreuit fabri
cari corpus humanũ e seminibus,& mẽsibus muliebribus,quo tempore nondũ est anima,nisi co
dicente ibidem in maribus cõfecta fabrica corporis in vtero post 36.dies scilicet accedere animã,
& in feminis post 42.dies quare non potest idem calor qui præfuit,anima esse quæ demũ aduenit.
Nisi calorem natiuum absolutum perfectis organis, & absoluta fabrica dicat animam post eos
dies se constituere cum spiritu,qui alit, sentit,ratiocinatur. Sed Aristoteles communibus inherẽs
credidit animam rationalem quandam essentiam, & entelechiam apud Simplicium conflatam
ex vegetali sensitrice cogitatrice,& accedente intellectu, & mente. Nec obstare spiritalem sub-
stantiam incorpoream conflari ex partibus essentialibus diuersis, quarum vna sit alterius perfe-
ctio. Galenus implicitus controuersis stoicorum,peripatheticorum,& si varia passim de anima
dicat,& conetur referre quid sit in libris de decretis Hippoc. Plat. & de fętus formatione, atq; ali-
bi,tamen denique fatetur se ignarũ huius problematis quid sit anima rationalis, vt plane citato li
bro sexto de vulgaribus morbis asserit. Auerhoes animam humanam credidit cogitatiuam quæ
constituit hominem,& differre facit a reliquis, ob id opinari cogitatricem esse quendam intelle-
ctum, verum aduenire, & assistere homini intellectum possibilem, & huic agentem, tanquam
duas intelligentias eternas humano generi ad ratiocinandum, & intelligeudum præscriptas fere
æque,ac orbi cęlesti quoque suo absistit. Quæ opinio commentum est,siquidem intimæ sunt fa-
cultates vtrique intellectus hominis non quia ex semine parentum oriantur, sed quia perficiunt
hominem diuinitus accedentes deforis afferente Aristotel.in citato libro supra de partu anima-
lium. Quare crediderim Aristotelis opinionem esse, vt anima rationalis sit essentia simplex ex
animabus e semine ortis vegetalem,& sensitricem potentiam obtinere & deforis, & diuinitus a
Deo data,& non ab astro illapsa,vt Plato in Timeo scripsit,quæ essentia sic conflata sit forma per
ficiens hominem,huicque esse,& operationem prebent cogitandi,& intelligendi,& cum faculta
tes pro numero officiorum diuersorum enumerari soleant,quot officia agit tot obtinet faculta-
tes,iccirco anima rationalis nutrit vegetali anima,auget,procreat,& sensitrice sentit,& phantasia
imaginatur, & cogitatiua cogitur,& memoria meminit,& intellectu intelligit,& ratiocinatur.
Verum Theologi a Deo creari essentiam istam, & substantiam,atque infundi corporibus huma-
nis putant,quam reputo. & assero veram esse,& stoici putauere animas creari a Deo,& spiritus es-
se seu spiritales substantias. Et Aristotel. veritate impulsus animam deforis accedere diuinitus di
xit,eamque rem diuinam prodidit. Quod si res diuina est, a Deo ortum suum,& creationem ha-
bet, quare essentia est condita a Deo,& non a parentibus per semina, & menses, neque ex putri
materia,neque ex ouo,neque e vermiculari substantia orta, vt animæ eorum animalium prode-
unt, & ob id formæ sunt constitutæ per subiectum, a quo dependent, & eo euerso euertuntur.
Anima vero rationalis non constituitur per subiectum,nec ab eo pendet, sed a Deo conflata cõ-
stituit & perficit humanum corpus, quale deserit deo volente, ea pro eius voluntate, remanet-
que & si corpus dissoluatur,de quo erit sermo. Nunc tertius liber tractabit animam rationalem
cui præcipuum opus intelligere constituet,& ob id facultates seruientes ei,& intellectrices explica
bit,videlicet phantasiam,opinatricem,intellectricem, quam bipertito partietur in duplicem fa-
cultatem

cultatem vnam intellectum Theoreticum contemplatiuum, & aliam practicum cum voluntate concupiscentia, & iracundia, sed contemplatiuum pro diuersis muneribus diuiserit in ipsum intellectum passibilem apud Themist. Theophrastum, Philop. seu patibilem apud Alexandrum, Plutarchum, Iamblicum. Syrianum, & participantem secundum Simplicium, necnon in speculatiuum habitibus perditum, atque in agentem participatum more Simplicij, & adeptum, de quibus, & eorum actionibus, & proprietatibus, & quid quęcunque sit harum potentiarum definire conabitur. Hæc de materia subiecta operi, & scopo, postea cohortandus est lector ad hanc excellentem lectionem de re sublimi, admirabili, diuina. Nam anima rationalis sublimis est non solum sui corporis fabrica humani insigni, sed etiam actionibus intelligendi, agendi, efficiendi. Admirabilis item ingenio, & industria. Diuina præterea ortu, & natura. Etenim sublimis videri solet, quod tanta fabrica corporis nostri diuina prouidentia architectāte, & fabricante subiectum ei est. Non credibile enim e parentibus genitore, genitrice, neque e seminibus eorum, neque aliqua eorum vi in vtero concepta tantam partium, & organorum dispositionem, molitionem, fabricam sculpturam, & demum figurationem, & picturam elaborari, siquidem genitores vel absunt dum conficiunt in vtero, aut ignorant efficere tanti corporis constructionem. Quis, ne Policletus quidem, nouit vnquam condere genus humanum? Ergo cum Galeno admirante diuinam prouidentiam in libello de sytus formatione huic sublime hoc opus vendicemus oportet, cum natura, nisi diuina non operetur cognoscendo. At vero opifex tanti operis sculptor, & pictor opus cognoscat necesse est, quod si perpendissent animo bene Democritus, & Epicurus non e fortuito atomorum concursu, & duce fortuna id factum tenuissent, sed cum Galeno vno medicorum facile principe exclamassent, ô diuinam prouidentiam. Quod si corpus diuinæ prouidentiæ vt ita dixerim manibus constructum est humani generis, cur & animus noster editus, & conditus a Deo non est, siquidem diuina prouidentia Dei est, & non terminariæ fortunæ. Ergo & corporis idem molitor opifex, & animæ multo magis. Verum si coniectura sublimitatis animæ ex humano corpore sumenda est, vt placuit item Alexandro Aphrodisæo in sua paraphrase de anima, profecto illud sublime opus, hæc sublimis erit. Euenit porrò mihi scribere anatomen corporis nostris in commentarijs de arte medica, & animi, qui & si indiuiduas, tamen suas habet potentias, & vires. Adde sublimem animam rationalem ob actiones intelligendi, agendi, efficiendi. Actio intelligendi est cęteris actionibus animatis, in animatis præstantior, quandoquidem hæc mentibus diuinis data est, & vni earum summo principi Deo, qua & homo accedit ad similitudinem eius. Actio agendi secundum prudentiam intelligentis pertineret ad humanam fęlicitatem vt illa contemplandi ad diuinam. Hinc moribus & virtutibus quisque studiosus vir operam nauat, vt bene, beateque viuere possit. Tacebo igitur quas animus heroicas, mortales virtutes inuenerit ornamenta boni viri, & optimi ciuis. De his Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles multa disseruerunt. Tacebo leges, quas perscripserunt primi philosophi Solon, Licurgus, & ante hos Rhadamantus, Minoes, & posteri Socrates, Plato. Efficientia autem quo ad gesta hominum ob vim animæ rationalis docet sublimitatem animæ. Quocirca ingenio quoque & industria admirabilis anima nostri generis visa est. Nouit hæc vna ingenio conscendere cęlum, metirique orbes & præscribere cursus, & sydenim ortus, occasus, necnon quantum cęlum a terra absit & interualla emensa ad certum concentum. Mundanam compagem aduxit, vt nihil in cęlo homini spectabile omissum videatur. Hinc præclara ingenia non philosophorum solum, sed etiam astronomorum in perfide in Chaldeis, in Aegypto, in Græcia auferunt disciplinam de celestibus edere, & in commentarijs nostris de cęlo quamplurimos authores legeris, & nostram assertionem de orbibus contra epicyclos, & excentricos Ptolomæi. Nouit etiam hæc vna penetrare abyssus, recessusque terrarum, & quærere fodinas auri, argenti, metallorum. Didicit transmittere maria velis, & nauium stractura, atque superare equora, altitudinem maris tranare vsque ad profundū: Quinimo quadrante metiri, vt quoque sublimes turres, & altissima quæque loca. Et ne plura cō sequar dicēdo de ingenio animi nostri, tuum sit mi lector augere, quod etiam facilius feceris vbi industriam eiusdem consideraueris in reperiendis innumerabilibus artibus ad vsum mortalium, inque inueniendis disciplinis, & optimarum rerum, ac maximarum scientijs, de quibus dicere lōgum esset encomium, ob id animi nostri diuinitas restat ortu explicanda, & natura. Et ortus quidem non a fortuna, vt Democr. non a natura non cognitrice, quæ cognoscentem non potest edere, non a parentibus, non e semine, vel vite seminis, non ab Astro. quia corpus non edit incorporeum sine vi incorporei, ergo a mente diuina prodit Aristotelico quoque decreto. Natu

ra item diuina est anima, quia spiritalis, incorporea, actus, intelligentia omnia per intellectum & sensum intellectilia, sensilia, quæque & libertatis causa, cum habeat facultatem liberam voluntatem potentiam quidē ad vtrunque, vt nono metaphys. tradidit Aristotel. & libro 2. de interpretatione ob hæc igitur hominem reddit quam simillimum Deo. Postremo partitio tertij libri summatim bipertito scinditur, vna pars dicata est intellectui contemplatiuo, altera practico, & voluntati. Prior pars octo digeritur capitibus. Primum confutat opiniones asserentes sentire intelligere, & sensum intellectum, aut phantasiam, opinionem intellectum, docebit non idem esse, vt propria actio intelligendi adiudicetur intellectui. Secundum nec imaginari esse intelligere nec sentire imaginari, & quid sit phantasia, vt diuersa ab intellectu dignoscatur. Tertium naturam intellectus potentiæ explicabit. Quartum quomodo intellectus fiat singula per species abstractas a rebus. Quintum de intellectu agente. Sextum de duplici operatione intellectus. Septimum exponet qualis sit proportio sensus ad intellectum, & si abstracta intelligat quoad in corpore est. Octauum summatim colligit animam esse omnia per sensum sensilia, & omnia per omnium species intellectiles. Secunda pars de intellectu practico, quæ facultas animæ sit practica, & mouens enumeratis potentijs vbi non sint infinitæ numero, inuestigans concludit nec sensus, nec phantasiam, nec irascibilem, concupiscibilem, nec rationalem esse hunc intellectum principium mouendi animal. Secundo colligit esse appetitum rationalem, voluntatem mouentem, & motum hunc intellectum practicum. Tertio ostendit tactum esse sensum necessarium animalibus, reliquos ad bene esse, & visum auditum, gustum odoratum conferre ad motū. Quarto docet nullum animatum corpus simplex esse. Quare velim te præstes lectioni attentissimum.

## *Caput primum tertij libri.*

### Contex. I.

*Q*uoniam duabus præcipue differentijs sensu, & motu animam definiunt. Et motu ad locum, atque actione intelligendi, iudicandi, sentiendi, videtur his actio intelligendi sapere, vt sentire quoddam esse. Nam anima his vtrisque iudicat, & discernit ea, quæ sunt. Atque prisci sapere, seu intelligere, & sentire idem esse aiunt, sicut Empedocles cecinit. Namque homini certe ad præsens sapientia crescit. Et alibi. Vnde ijs perpetuo quoque adest aliena videre. Et hæc quoque vult illud Homeri. Terrenorum hominum intellectus tali habetur. Ad qualem ipse deinde deducit iuppiter almus. Omnes enim hi existimabant intelligere corporeum est, sicut sentire, & mente concipere simile simili, sicut in sermone a principio præscripsimus.*



ONSILIVM est de rationali anima differere, idque eius potentijs, actionibus, & obiectus ob id primum docet intelligere non sapere, nec sentire, vt ab actionibus orsus tanquam a notioribus colligatur intellectus differre a sensu, & prudentia, atque ab opinione, & phantasia, siquidem concluditur recte intelligere non est sentire, nec opinari, nec imaginari, ergo nec intellectus sensus, vel opinio, vel phantasia cum tamen Empedocles, Homerus & alij prisci censuerint sentire intelligere & sapere, ob id primum narratur horum sententia carminibus testata heroicis, verum Empedocles Agrigentinus siculus philosophus fuit, Homerus poeta. Arripit occasionem dicendi. Quoniam duabus præcipue differentijs, his videlicet sensu & motu animam definiunt dicendo, anima est principium, quo sentimus, & mouemur ad locum, vt secundo libro asserebatur, & primo animalium ab inanimato differre sensu, & motu tradidit veteres asseuerasse. Sensus est differentia qua animal differt ab inanimatis, & plantis. Hæc carent sensu. Quinimo a cælo altera ratione animante, a dæmonibus. Et motus est differentia ad omnes vel ad aliquas situs, & loci differentias motus animalis, alioquin non est differentia, simplicia corpora, & mixta mouentur ad locum definitum, vt grauia deorsum, leuia sursum, at animalia præcipue perfecta ad plures loci differentias motu cientur, vt id constat libro octauo phys. libello de motioribus animalium, & de incessu. Et cum nomen motus multiplex sit tertio libro phys. alteratioque, accretio, diminutio, & communiter generatio, & oppositum, plane

quem

quem motum intelligat subdit. Et motu ad locum. Quid? ostreæ Zoophyta, & omnia animas lia hæreant saxis non feruntur motu ad locum? Nisi extendantur, contrahantur, quæ speciesunt motus, & cor sistole, diastole mouetur, nec quidem alio genere motus, quam locali, vt quoque arteriæ, & si expulsio, atractio in omni motu locali sunt, Zoophyta expellunt, atrahunt plus que loci in extensione occupanr sine incremento, & diminutione. Quare motũ ad locũ animalem intelligit, communiter siue circa locum, siue e loco ad locum feratur animal. Sed adhuc dices hoc motu non differre animatum caducum a celo, cum feratur circa locum, & ad locum vt ab ortu ad occasum. Nisi intelligat motum ad locum progrediendo per organa ceu musculos, neruos, tendines, ligamenta aut horum similia confectum quæ nulla sunt cęlo data. Declarat item quid per vocem illam sensu intelligatur atque actione intelligendi, iudicandi vt erat sensus communis, & sentiendi, dogma ex his narratur veterum. Videtur actio intelligendi intelligere sapere, vt sentire quoddam esse. Et cur videatur causa redditur. Nam anima his vtrisque sensu, intellectu. Iudicat, & discernit ea, quæ sint, sensu sensilia, intellectu intellectilia, sermo est de anima humana non solum quia hæc sola intelligit, verumetiam quod antiqui de hac sola curam habuere, vt primo libro est dictum. Confirmatur dogma veterum opinione. Atque prisci sapere, seu intelligere, & sentire idem aiunt. Sicut Empedocles cecinit. Namque homini certe præsens sapientia, prudentia crescit. Et si hic versus Empedoclis de prudentia, & consilio sit, quale melius fieri indies solet, vt cernitur, attamen videtur sentire, & sapere idem dicere, dum prudentiam de sensilibus asserit, quæ sensus capit, tametsi non sine ratione, & intellectu fit prudentia, sapientia. Addit & aliud carmen & in alijs. Vnde ijs perpetuo quoque adest aliena videre, sapere & sentire. Comprobat Homeri item carminibus idem. Et hæc quoque vult illud Homeri. Terrenorum hominum intellectus talis habetur. Ad qualem ipse diem deducit Iuppiter almus quasi dicat hominum intellectum esse, ad qualem ipse Iuppiter diem sensile deducit, vel potius fortunam, aut casum, sed nunc non est videre quomodo Homerus Empedocles intelligant. Imponit Aristotel. his velle sentire sapere, & intelligere, idem, sicut Theetetus in libello de scientia Platonis introducitur cum Socrate disputare. Ibi reperies hac de re multa. Omnes enim hi & alij quidem existimabant intelligere corporeum esse, idest actionem factam cum organo, & tamen processu operis videbitur intellectus sine organo esse. Corporea actio aut in subiecto corpore, aut in organo, aut ab obiecto corporeo proxime dependet, sensum actio in corpore, in organo, a re corporea per media corporata est, & si spiritali modo recipiat, idest non quatenus corpus coloratum colore afficitur, sed specie coloris sensus, sensorium recipiunt, quod est spiritale accipere conferendo ad receptionem corporis colorati, cum subdit colorem, attamen corporea est si conferatur ad intellectionem, quæ fit sine organo aliquo, nec proxime dependet ab obiecto corpore, vt actio sentiendi, sed quomodo corporei isti dicerent intelligere, sicut sentire, & mente concipere simile simili, & hoc fit per contactum corporeum, vt terra terram cognosci, & igne ignem sicut in sermone a principio præscripsimus narrando videlicet Empedoclis, & aliorum opiniones de anima.

## Contex. II.

*AT vero conueniebat eos potius loqui de ipsa deceptione. Nam anima animalium in hac plus temporis persistit, iccirco necesse est, aut sicut aliqui aiunt omnia, quæ apparent esse uera, aut deceptionem esse dissimilis tactionem. Id enim contrarium est ipsi cognoscere simile simili. Atque uidetur deceptio, & scientia contrariorum eadem esse.*



RGVIT Empedoclem Homerum duplici argumento. Primo quod debebant loqui etiam de deceptione, & non solum de sapientia, & cognitione hac de causa, quod plus temporis homines decipiuntur, & falluntur. Nam si inuentores sunt disciplinarum, diutius conterunt tempus antequam absoluant, si auditores persæpe aliter discunt, quam sit mens doctoris, & scriptoris. Verum vt ingenue fatear amistrephon in Aristot. quadrat, cum in his libris de cognitione differat fere perpetuo, etiam debuit eadem de causa ille de deceptione

ne, & errore. Nisi Aristotel. id referat ad argumentum, quoniam si loquuti essent de deceptione vidissent non simili simile cognosci, sed etiam dissimili, quod est contrarium simile simili cognosci. Si enim tangendo simile fit cognitio similis. Deceptio tangendo erit dissimilis, quare contactus erit similis & dissimilis, sed cognitio fit per contactum, ergo cognitio erit tam similis, quam dissimilis. Quod item confirmatur, quia deceptio, & scientia est contrariorum ergo si similis, etiam dissimilis. Non ergo cecinit recte Empedocles simile simili cognosci. Et quoniam id non est ad rem propositam videlicet quod sentire sit intelligere, & sensus intellectus, iccirco accedit ad propositum & inquit.

## Contex. III.

*Quod uero non sit idem sentire, & sapere patet, illud enim inest in omnibus, hoc uero paucis animalibus datum. Ac neque intelligere, in quo est quid recte, & quid non recte. Quod enim recte prudentia, & scientia & uera opinio. Quod autem non recte, horum contraria, ne hoc quidem est quod sentire. Sensus enim semper proprium uerus est, & omnibus inest animalibus, sed cogitare accidit etiam falsum, & nulli inest, cui non ratio.*



BINIS rationibus decet sentire non intelligere, seu cogitare, quia illa operatio in omnibus animalibus est, hæc vero cogitandi non est in omnibus, sed solum in rationalibus, vt etiam sapere, intelligere, & quia sensus non fallitur a proprio obiecto in debita intercapedine, & si sanus fuerit, & semotum omne impedimentum ex obiecto, ex medio, ex vento ex sensorio, & sensu, ideirco semper recte procedit. At cogitatio opinio prudentia, & scientia tam recte, quam non recte se gerit. Quia si recte prudentia dicitur recta, eodem modo opinio vera, & scientia, sin autem, prudentia non recta, & opinio falsa atque scientia. Prima ratio ibi. Quod vero vsque ad illud. Ac neque vbi incipit secunda ratio. Quo ad primum rationē putant nonnulli in omnibus animalibus inesse perfectis, quibus sunt omnes sensus, sed maiorē, minore adeo, vt in Elephante, qui didicit adorare regem, & alia videatur ratio prope accedere ad illam hominis, vt est legere octauo libro de historia animalium, qui liber docet in diuersis animalibus inesse vestigia prudentiæ, intelligentiæ, vt formica prouida congregat granum & tribus collis construit domicilium. Vnum cumulo, alterum vbi habitet, tertium cadaueri post mortem, de quo maxime mirum. Tacebo alia. Verum in his phantasia, & vis æstimatiua est præpollens, sed minime cogitatiua, & intellectus capax vniuersalium, scientiarum, & artium author. Prudentia ratione fulta paucis, soliq; homini data. Galenus ergo in oratione adhortatoria ad artes non bene constituit rationem in cunctis animalibus perfectis. Hæc solum homini data siue sit dianæa ipsa, siue intellectus. Nulli enim animalium data est raciocinandi actio. De prudentia recta non recta legeris sextum ethicorum. De opinione vera, falsa legeris ad calcem librum primum de postera resolutione & Theætetum Platonis. De scientia similiter. Verum animæ rationalis, hæ vires cognitrices dicuntur.

Sensus externus
Sensus communis
Phantasia perfecta serua intellectui
Cogitatrix
Memoria.
Intellectus potentiæ
Intellectus agens
Intellectus in habitu
Intellectus adeptus
Intellectus practicus
Cupido
Irascibilis
Voluntas

Quod sensus proprios, an decipiantur minime ab obiectis propriis dictum est nequaquam præmissis conditionibus supra de congruo interuallo, & de cęteris, ob id Cicero in Accademicis quęstionibus multa de errore sensuū coegit, quæ refellūtur facile annotatis cōditionibus citatis. Quid stoico phasma illud, & improbe visum id quoq; Epicuro solē minorē esse, quā Ptolomeus 5. lib. aditionis magnæ, & nos in commentarijs 2. lib. de cęlo perscripsimus, nec fere bipedalem? Quinimo

simo & astra errantia, & fixa globulos videri accensos. Plane interuallum ingens obstat quominus vera moles apprehendatur. Sed id quoque est sensile commune & non proprium, sensus non oberrant circa propria, & si interdum allucinantur circa communia, vt quoque error sit ob intercapedinem, & circa sensile commune suspicere solem stare, & solstitia dicere, cum nunquã stet. Datum est hoc sensui erranti circa sensile commune, vt est quoque motus. An magnum spectrum illud, vel erratum Niceæ syracusani, vt hac tempestate Copernici reputantium stellas, & planetas, & orbesque stare, & terram solam moueri. Deceptio hæc est visus ob copulationẽ eius cum opinione, & phantasia ita, vt externi sensus cogantur decipi pertinacia falsæ opinionis, & imaginationis, Quid de viso remo fracto, de multis coloribus colli columbæ, cum vnus sit tamen, Quid de duobus ouis similibus, quorum similitudo fallit aspectum ? Natos duos seruulios narrant quam simillimos ita, vt foris alter ab altero non discerneretur. Editi gemini fuerant, Quid irato videri duos aut ante os hostem ? Quid commoto oculo videri duas lucernas, & in naui transeunte ripas moueri visas. Ebrij aliter sentiunt, Arquati, suffusi itidem, vt taceam alios, Mirum erratum visus Anaxagoræ qui niuem nigram dixerit. Et ne quis phantasiam opinionẽ, rationem coniunctam sensui fraudis causam dicet. Canis vmbra decipitur Muscipula ludens mures credit currere permotis vmbricosis, sed ad hæc, & ad alia innumeralia respondebis seruatis conditionibus præmissis. Fractio remi visa in aqua pertinet ad figuram sensile commune circa quod deceptio accidit. Tactus corrigit errorem. Decipiendi causa est intermedium crassum aqua, qualis etiam facit videri in fundo cyphi denarium, & globulum maiorem, sed remi fracti mediorum differentia visionem facit fallacem ex eo, quod partim est in aere remus, partim in aere. Cũ porro sit dispar tenuitas aeris & crassitia aquæ, non mirum si fractus remus appareat. Quoad colores columbæ dixeris luminis causa, & radiorum id euenire, necnon quia lenia apta sunt varie fulgere pro diuersitate radiorum, & perspicuitatis medii apparet multicolor. Ac forte metu, & lætitia affecta columba collum eius varios ostendit colores. Nec mirum, siquidem Chamæleo mutatur coloribus affectu quam minimo, vt homines quoque. De similitudine ouorum aiunt quidã simile, dissimile communia sensilia. Verum non decipitur sensus perceptione albi, sed dissimilitudine, Hoc idem dicito de geminis natis. Atque irati læduntur ob vapores sublatos ad oculos, Quinetiam commoto oculo celeriter idem afficitur. De motu riparum sensili communi error est. Apparet id celeriter nauiculæ, & quia tactu certiore se cognoscunt manere sedentes in naui. Ebrij non sani sunt, nec arquati iecorario morbo infestati. Nam intus apparẽs prohibet extraneũ, cum oculos habeant flauos sic videri visa. Eodem modo suffusi. Anaxagoras dixit niuem atram quoad eius materiam aquam vaporibus sublatam, antequam exalbescat vere atra est. Canis decipitur vmbra quando odor non mouet illum ob interceptum spacium, Felis fallitur motu sensili communi. Quare si quis conditiones præmissas attenderit, plane affirmabit nullum sensum falli a proprijs obiectis, Reliquum ob superiorem contextum cum dicit aliquos existimasse omnia visa vera, Protagoras, vt in libro extat Platonis eiusdem nominis magnus sophista prodidit hominem mensuram rerum omnium, cui quicquid videretur ita esse apud quem nunquam homo fallebatur, & ita nulla deceptio est, Parmenides eleates præter vnum quod vere est reliqua phantasmata, & visa minime vera dicebat ita, vt iste scientiam labefactabat, sicut ille deceptionem.

## Contex. IIII.

*Phantasia enim a sensu, & cogitatione aliud est, tametsi ea non sine sensu efficiatur, nec sine illa cogitatio. Non esse autem idem imaginationem, & cogitationem compertum est, siquidem hæc affectio in nobis est cum volumus, cum sit id facere ante oculos, sicut faciunt, qui inter fælici memoria præditos collocantur, & qui memoria gratia condunt imagines, sed opinari non est in nobis, quia necesse est esse falsum, vel uerum, Ac ut opinati fuerimus quid graue, aut terribile simul afficimur statim, simili modo si quid audaciam, & fiduciam excitet, sed secundum imaginationem proinde nos ipsos non habemus, ceu qui in pictura intueatur horrenda, & quæ audaciam excitant.*

PRO-


ROPONITVR phātaſia a ſenſu,& a cogitatione,quæ ſit communis actio opinioni etiam differre. Ea particula redditiua cauſæ legenda venit pro(certe) Differt quippe ab his & ſi phantaſia,aut imaginatio non ſine ſenſu,vel actione eius fiat,Differt item a cogitatione, quamquam ſine phantaſia non ſit cogitatio.Docet ſecundum,& differt primum ad proximum caput. Duplici ratione vtitur. prima, quod imaginatio eſt in nobis ſic, vt imaginemur cum,& quę, & quomodo volumus. Imaginari poſſumus ea quæ non ſunt eſſe, & quæ ſunt non eſſe aut aliter eſſe,vt bis duo eſſe quinque,& hominem vnius cubiti atque gigantes cum Homero fingere creſcere quotidie duodecim palmis, & cum Luciano nauigationes per aerem, & cum Plinio monoculos & monſtra ſecundo cap.ſeptimi libri;, atque chymeras, hipocentauros, Acheronta,& commenta poetarum, atque pictorum, qui artifices præ aliis phantaſia excellere debent, Atque ſi mouemur rerum imaginationibus exiſtentium id facimus cum volumus ſi ſpecies ſeruatæ ſint in memoria,aut in phantaſia,non enim poteſt hæc vis ſine ſpectris & phantaſmatibus operari,ob id ait,cum ſit id facere ante oculos,& ſi abſint vt Romæ imaginem abſentis ob oculos ponere,ſicut faciunt præditi fęlici memoria,qui memoriæ gratia condunt imagines vel in Delphico oraculo,vel de memoria artificiali, cuius arte vſi ſunt præclari oratores habiti fęlicis, & optimæ memoriæ,& reminiſcentiæ.Ego habui meas orationes impreſſas poſtea bene longas vtebar artificio ad retinendum animo contextum,vt compoſueram,icciteo locos præſiniebam, & imagines in oratione ipſa, vt quoque ſoleo margines voluminum vngue,& calamo pene obſignare tuendæ memoriæ lectionis cauſa. De memoria reliquit Cicero in libris de rethorica, de oratore,tametſi ego didicerim a libello Ariſt.de memoria, & reminiſcentia artificium ſingulare memoriæ,Vnde collige argumentum primum. Imaginatio eſt voluntaria interdum accidit in ſomno ex imaginationibus præteritis voluntarijs,ſed opinari non eſt in nobis,quia cogitur ſequi veritatem,vel falſitatem in rebus,vtque res eſt,aut non eſt opinio vera, & falſa dicitur apud quoque Platonem in Theæteto,& paſſim. Hoc argumentum poſt propoſitum præmiſſum leges ibi Siquidem &c vſque ad hæc. Ac cum opinati. vbi ſecunda ratio ſcribitur. ad hunc modum opinando aliquod graue, & terribile, quinimo & iucundū & gratiſſimum,atque audendum,& ſpe, fiducia plenum,idque gentus actionum ſtatim afficimur, ſed non ita afficimur phantaſmatibus, imaginationibus,niſi velut commoti ad imaginandum,quia quælibet potētia ſuo mouetur obiecto,& quod non ita afficiamur oſtendit exemplo, ceu cum cernimus horrenda audenda in picturis,ergo imaginari non eſt opinari, nec imaginatio opinio, Aduerte medicos & me tenuiſſe ſimilitudinem filiorum cum parentibus ex imaginatione forti genitricis proficiſci, intelligendo imaginatione fortem pro fixa cogitatione.

## *Caput ſecundum tertij libri quod imaginatio non ſit ſenſus & quid ſit phantaſia præcipue.*

### Contex. V.

*Vinetiam ſunt exiſtimationis differentiæ. Scientia, opinio, prudentia, harumque contraria, de quarum differentia alia erit oratio, ſed de ipſo intelligere, quoniam aliud eſt, quam ſentire. hoc eſt imaginatio, & illud cogitatio uidetur, ubi erit nobis de imaginatione decretum, mox de altero dicendum. Si porro phantaſia eſt, per quam dicimus aliquid uiſu fieri vel non, ſi quid ſecundum tranlationem dicimus una eſt. horum potentia habitus ſecundum quem iudicamus, & uera cenſemus, uel fallaces ſumus. Hac autem ſunt ſenſus, ſcientia, opinio, intellectio.*

DOCEN-



OCENDAM differentiam phantasiæ a sensu, cogitatione, intellectione, sciētia proponens antea enumerat differentias dianeæ, & rationalis animæ, quæ sunt scientia, opinio, prudentia, & contraria ignorantia, fides, fatuitas, de, quibus vel in libris ethicorum dicendum asserit, vel paulopost quodammodo. nisi item ad nonum metaphysic. volumen, vbi de potentiis rationalibus disserit, vel potius in reliquis huius libri capitibus, nunc contentus est hac partitio ne ipsius intelligere communiter accepto, siquidem, vt dictum est aliud ab ipso sentire, duæ sunt actiones, Vna imaginatio, quare phantasia pro intellectu vsurpatur, & alia cogitatio, & ab Auerhoe vocatur cogitatiua intellectus particularium qui cognoscit singulares intentiones decem generum, qua præmissa diuisione sancit ordinem dicendi prius de phantasia, & imaginatione, & post eam de cogitatione & dianæa ratiocinatrice facultate, Dato ordine auspicatur a phantasia, hanc describit metaphoricæ, & quid nominis adumbrat, est enim phantasia vis phantasmatum receptrix per ea, quæ a visu fiunt, vel non fiunt, icci rco reponit eam inter potentias vel habitus, per quos iudicamus, & videmur veraces, aut fallaces, & hi habitus sunt sensus, scientia, opinio, intellectio adde imaginationem. Quinque ergo sunt. Aduerte nunc sensum in tel ligi humanum. Veterum sermo fuit de sola anima humana tametsi phantasia in brutis quoque differt a sensibus proprijs, quos habent. Triplex phantasia, vna confusa, imperfecta, quæ sequitur appetitum, & sensum tactus, sicut secundo libro supra est dictum, & est in omnibus animalibus, Altera est perfectior seruiens estimatiue, virtuti, vt imperfectionibus animalibus, Tertia est hominibus, quæ dicitur quidam intellectus quatenus recipit prima obiecta intellectilia phantasmata appellata & ideo dicitur intelligere cum phantasmatibus vel non sine phantasmatibus effici. vnde quocunque modo imaginari non est proprie intelligere, nec phantasia est intellectus potentiæ, nec sentire proprie est imaginari, nec sensus phantasia. Cæterum quinque habitus supra enumerati quid sint, describantur. Scientia est habitus ex conclusis demonstrationibus ortus etiam ob id est cognitio rei per causam, quoniam illius est causa & non contingit aliter esse, vt primo posteriorum libro scribitur. Prudentia est habitus dirigendi cogitatiuam, & intellectum practicum ad bene agendum ethicorum sexto. Opinio est persuasio assentiendi probabilibus, & si aliquando falsis, icci rco quædam fides sequitur persuasionem anceps, non illa firma primorum principiorum, quæ græci axiomata vocant, nostri effata, & dignitates, sensus est habitus, vel potentia sentiendi per receptionem specierum sensilium ab obiectis sensilibus, quæ cognoscit, & iudicat. Intelligentia vero est potentia cognoscendi intellictilia per eorum species intellectiles, De phantasia quid sit postea, interea hanc differre a sensu actu; & potentia, & imaginari, a sentiēdi actione sex argumentis docet.

## Contex. VI.

*Quod itaque sensus non est imaginatio ex his constat, Nam sensus facultas est, vel operatio, vt uisus, & uisio. Sed aliquid apparet, & si neutrum eorum adsit, ceu quæ uidentur in somnis, Ac sensus semper adest, non autem imaginatio, Quinetiam si actu idem, inesset omnibus animalibus imaginatio, quod non uidetur, velut non formicis, apibus, vermibus, Adde hos ueraces esse, sed plures imaginationes sunt falsæ. Deinde nec dicimus quando exacte circa sensile agimus, hoc uidetur nobis, Quinimo magis quando non aperte sentimus tunc uera uel falsa dicimus, Accedit, sicut dicebamus ante, apparent uisa clausis oculis.*



STENDIT sex inditijs imaginationem differre a sensu, & præcipue a visu, cum quo nonnihil intercedit phantasiæ. Distingnit sensum potentia, a sensu actu, hunc vocat operationem, illum facultatem, potentiam, vt visus potentia, & visio operatio est, Neutrum sensum esse imaginationem declarat, nec quando est, & non operatur, nec quando iam operatur, ceu clausis oculis sensus est videndi, & in somnis, nec ob id operatur, sed vacat. In vigilijs est, & operatur. Inditium primum est, quod animal dormiens afficitur imaginationibus, somnia enim sunt opera phantasiæ vel præteritorum sensilium reliqua-

rum

rum in sensibus. Nam abscedentibus sensilibus remanet species sensilibus similitudines, idola effigies (Appella vt vis) vel præsentium, vel futurorum, quorum est ditunatio, ob id Aristot. in libello de insomnijs describit insomnium phantasma occurrens somni tempore, non autem vigiliarum spacio, neque interdormiendum, cum remisse sentiunt, ceu nonnulli stertendo languide visi sunt videre lumen. Quare somnium est cum vere dormit quis. quo tempore cum operetur phantasia, non sensus externus, quia non videt, non audit, non tangit, non odoratur, non gustat. Equidem somnus est vinculum sensuum exteriorum, satis est phantasiæ in somnis ex relictis imaginibus, & speciebus in sensorijs & maxime primo vel corde, vel cerebro operari, ergo phantasia non est sensus, nec imaginatio sensatio. Nec obstat, si dixeris saltem phantasiam esse sensum in potentia, qui adest in somno, & si non operetur, quoniam ex hoc videtur plane phantasia sensus non esse, Nam cum sensus non operatur, phantasia agat, ergo idem esse non possunt quæ vacant operationibus, & quæ exercent. & si eadem manus ligata, & soluta, non tamen eadem facultas est, præsertim cum a diuersis obiectis moueantur. Nam sensus externus præsentiam obiecti desiderat, phantasia contenta est phantasmatibus, & speciebus relictis sensilium in sensibus, quæ non sunt ipsa obiecta, sed obiectorum imagines, & species, Remanet has similitudines in sensorijs, & sensibus recessu sensilium supra secundo libro, & in libello de insomnijs testatus est Aristo. vt in cera remanet figura sigilli recedente sigillo, cur non est in sensorijs, ac sensibus non remanebunt effigies illæ, & simulacra rerum. Sed permanere ex eo, quod somniant non solum equum, hominem, mulieremque sed etiam albam pulchram, magnam, atque amplecti, & similia, quæ sine speciebus, & similitudinibus in sensorijs, & sensibus relictis somniari non possent, iccirco somnium non est actio opinionis sine sensibus, & maxime cum præterea videntur somniare versus quos præfigerant quidam in memoria, sane in ea species rerum consistunt tanquam in Thesaurum specierum sensilium, Nec obijciendum quomodo vacent sensus si species remanent in eis, siquidem vacent in operationibus, attamen patiuntur, hoc est affectus retinent suos, qua illę species in communi sensiterio cerebro, vel corde quoque se offerunt phantasiæ. Nec instandum quod somnus, & somnium sunt partes sensitiuæ affectio, siquidem somnus ligat sensus externos, & vigilia soluit, propterea quod somnus per exhalationem crassam famosam ad primum sensiterium, vel cor, vel cerebrum sensus vincit ne operentur externos, attamen solutam phantasiam reliquit. Et ne plura adducantur sensus externi ociantur, phantasia in somnis, neque in vigilijs ociatur, ergo sensus non est phantasia, nec phantasia sensus externus, siquidem phantasia est, & dicitur sensus internus, de hoc primum inditium legito ab his, Quod itaque sensus non est imaginatio, &c. vsque eo, Ac sensus semper adest, in quibus secundum adhibetur inditium, differentiæ inter phantasiam, & sensum, siquidem sensus semper adest animalibus. Constituitur enim animal sensu præcipue tactu. & perfectum animal quoque a lijs ad bene esse, vt visu, auditu, sed phantasia non semper adest. Infantes non vtuntur phantasia nuper nati maxime, quia vbera cuiusuis fœminæ sugunt, vltimo matris vbera agnoscunt, veluti muscæ non seruant phantasmata rerum hostilium, quia ad eadem pericula redeunt, ergo phantasia a sensu discrepat. Quod si dices infantes somniare saltem vbera sugere e motu labiorum, ergo exercent phantasiã, quæ sola in somnis operatur, negabit Aristot. in libello de insomnijs infantes somniare ob vehementem commotionem alimenti, quam facit calor natiuus coquendo & digerendo. Plato in Timæo dixerit confusam illi phantasiam, quia anima illa sensitrix humoribus completur, ceu inter fumos crassos visus non se explicat ad cernendum exacte, nisi prius discussis fumis, & caligine. Illud tamen in dubium est, quod si canes deteriores infantibus somniant, vt depræhendũtur dormientes cum vociferent, & latrent, remisse, quanto magis infantes somniant. Hos dormire diutius, quam reliquorum animalium nupergenita excepto vno animalis genere vulgo mamortua vocato constat, propterea quod in vtero creduntur dormire vbi cęperint sentire, & si non dormiant proprie in vtero. Adde infantes somniare, quia dormiendo rident, lachrymãt interdũ, Nisi in pueris tum sit phantasia imperfecta, quæ sequitur appetitum æscæ & cibi, sed ẽt inest illa, quæ in brutis perfectis actu, impeditur vt dictum est, Vnde dormiunt, nec somniant. Canis asit fantasia iã cũ somniat. litera est impedimentis, sicut ẽt illa pueri vt libera seruit intellectui, vt impedit cõfusa est & primo phys. oẽs homines patres appellant, sed liberi & soluti copia humorũ, & firmatis magis sensorijs distinguunt ab alijs patrẽ. Infantes autẽ ridere, lachrymare in somnis narrant nisi nobis videantur ob descensum humorum ad maxillas, & ad oculos. Nam maxilla contrahuntur, & videntur ridere cum sit similis risu sardonico, quæ contractio

facile

facile soluitur ob tenuitatem humoris,& vim caloris innati. Tertium inditium ibi. Quinetiam si actu idem. &c. Argumentum sensus in omnibus animalibus, vt tactus, sed phantasia non omnibus concessa est, non formicæ, non api, non lumbrico, vermique. ergo a sensu distat phantasia, potuisset vti imperfectioribus animalibus ostreis conchis, echinis. Zoophytis, quia muscæ, apes formicæ motu progressiuo, & volatu sensus omnes atqueque has carere phantasia imperfecta incredibile, siquidem aluntur, & appetitum, & tactu'm hab nt, At carere phantasia exactiore cognitrice accedente vltra sensus externos magna dubitatio est. De apibus cum dormiunt, somniant, ergo illis phantasia. Dormire compertum est, quia cessant bombo tum, atque videntur lucernarum luce dormire,& quiescere, somniare autem, quod nullo strepitu excitatę se mouent, sed fac exile hoc inditium, ne tamen vera obtinent phantasiam ducum argumento quos sequuntur, & quærunt ad prolem habendam. Condunt fauos vbi fętificant e floribus ceram ex fauis arborum, oliuæ vt quidam aiunt, alij ex floribus quercus, quorum succum cum rore aeris commiscent,& ceram ex terrestriore parte conficiunt, & mel ex aereo rore, post ortum vergitiarum, seu pliadum in dorso tauri, sunt qui succum florum pro suo pastu eas deferre in ore ad aluearia dicant ibi rorem aereum non inueniunt pro cibo seruando, sunt qui etiam fateantur deferri flores, vt intra aluearia eliciant succum ad cibum, & ex succo mel eliciatur, ex materia terrestri florum coram conficiant, Vtcunque mira ars est apum, & cognitio, de qua legeris.22.caput quinti libri Aristotelici de historia animalium, vt quoque non prætermittam vet ba Plinij dicentis apes sequi duces, & reges Rempublicáque tenere, eo pietatis officio fungi, vt mortuas aliæ sepeliant, pugnant vsque ad necem si condunt cellas sexangulas faciunt, pelluntq; hostes ab eis, & castra instituunt miro ordine, Discernunt præterea flores, cohibent quandoque aculeos, ne lædant, Quare ex his & alijs adductus nemo Aristoteli crederet apes carere phantasia siquidem hæc opera sunt phantasiæ, & prudentiæ cuiusdam, Nisi nunc phantasiam vocet ancillam intellectus, quæ homini data est, sed reuera argumentum Aristo. probabile est. Simili modo quis ambigit in formicis inesse phantasiam cum prouidentia vtantur in congerendis granis ad horrea sua, & cellas pro futuro alimento, cum mortuas trahant ad loca cadauerum constructa ab eis. Formicarum genera duo. Aliæ alatæ, aliæ pedestres, hæ prudentiores cernuntur. Carent phantasia intellectricis famula, sed non sua, De vermibus idem dicito, Quartum inditium ibi. Adde hos veraces esse argumentum est. Sensus externi non falluntur ab obiectis, sed semper veraces sunt, Veritas nunc intelligitur adæquatio rei ad cognitionem pro non decipi, sed phantasia fallax sæpissime est præcipue in his, qui imaginationibus gaudent, Quinetiã effingit phantasia quæ non sunt, ac si essent, & quæ sunt non esse, Vnde chymeræ, Hircocerui, & plura ostenta, prodigia. Stulti hoc norunt, Histriones, circulatores, & similes Apuleius asinum aureum fingit, & poemata, ac fabulæ ficta, & commentitia sunt. Quintum inditium ibi. Deinde nec dicimus. consuetudo est fere ab omnibus recepta cum quid obscure, incerto, dubie occurrit tum dicere nihil videtur, hoc est sic imaginor, sic apparet phantasiæ meæ, At vero cum quid exacte cernitur, auditur, odoratur, gustatur, tangitur, non dicimus videtur, apparet, sed probamus, & confirmamus maxime, & maxime cum sensus cernit, vnde illud Plauti plus valet vnus testis oculatus, quam auriti decem. Hoc vidit iurisperitus in cap. de probationibus de testibus, & Aristot. primo rethorices. si ergo consuetudo sequitur naturam cognoscendi plane constat phantasiam dubiam ancipitem non esse sensum certissimum, & constantissimum si sanus sit, si omne impedimentum sublatum fuerit sentienti probe. Sextum inditium quod clausis oculis non cernimus colores, nec aliud, attamen imaginamur colores & sensilia communia, quinimo in tenebris, & ceci non nati. Hi enim phantasmata colorum habere non possunt, quod nunquam obiecti sunt oculis eorum, haud intuentur, & tamen imaginantur, quare phantasia non est visus vnde nomen accepit & si quod de conclusis oculis dixit, ad omnia sensoria aliorum sensuum traduci possit, Nam nihil tangendo sæpe phantasia videmur tangere, Quinimo nisi phantasia perseruata phantasmata operaretur, plerunque inciderem in discrimina vitæ, aut non prosequeremur vtilia, sed quia servatis phantasmatibus declinamus, & prosequimur, icirco imaginatio viget vbi nulla actio sensuum est quo ad illas imaginationes. Quibus concludit inditijs Aristot. sensum differre a phantasia.

## Contex. VII.

*Q Vinetiam neque eorum, quæ semper uera sunt phantasia erit, ut scientia, uel intellectus, Est enim imaginatio falsa etiam, Restat ergo uidere, an sit opinio, siquidem opinio est uera, falsaque, attamen opinionem sequitur fides, Nemini quidem, ea contingit opinari, quibus non uideatur credere, sed nulli brutorum fides inest multis tamen imaginatio, præterea omnem opinionem sequitur fides, & fidem persuasio, hanc uero ratio, sed non nullis belluis imaginatio adest, quibus non ratio.*



ONCLVSIT lectio superior phantasiam non esse sensum ex inditijs, nunc declarat neque scientiam proprie, neque intellectum, sexto ethicorum, & in extremo secundi libri posteriorum scientia est habitus conclusionis per ea, quæ aliter esse non possunt collectæ certissimæ, & verissimæ, Quoniam primo libro eiusdem tituli non ens, idest falsum non vere scitur, nisi negatiuæ, Intellectus est principiorum scientiæ, quę vocant dignitates, proloquia, ceu quicquid affirmatur esse, vel non esse, & totum maius parte, idque genus. Cũ ergo scientia, & intellectus eiusmodi semper vera sint, & imaginatio sæpe falsa, ergo phantasia non est scientia, nec intellectus. Accipe verba in contex. Quinetiam vsque ad illud. Restat ergo vbi nec opinionem esse phantasiam docet, cum maxime phantasia videatur ob id opinio, quia ambæ sunt verę, & falsæ, ita vt argumentum effici possit, opinio qua libet falsa vel vera, phãtasia quælibet falsa vel vera, phantasia quælibet vera, vel falsa, ergo phantasia opinio. Vituperanda forma concludendi in secunda figura ex omnibus affirmatiuis, iccirco ratio melior est hæc separans imaginatricem vim ab opinatrice, in nonnullis animalibus est imaginatio, sed in his nõ est opinio, ergo imaginatio differt ab opinione, Non esse autem opinionem in nonnullis animantibus explicat, quia parit opinionem fides licet anceps, & dubia quod parit fidem est persuasio, quam edit ratio, opinionem gigni a fide docet ex eo, quod nulli contingit opinari, cui non assentitur aliquo modo & ei fidem præstet, sed in nullis animalibus citra hominem est fides, & aliquibus est imaginatio, hæc igitur non est opinio, Addit secundum argumentum, Quibus opinio, & ratio quædam, sed multis competit imaginatio, quibus nulla ratio, ergo imaginatio non est opinio, Dubitant, quia fides serpentibus data videtur, cum incantationibus pareant, vt leo cicur persuaderi videantur assueti mansuetiores fiunt, & equus paret domitori, & dromedarius, & elephas adorat regem. & psittacus loquitur, & merula, sturnus, Nisi nulla sit fides, & persuasio in his, serpentes coguntur, & persuadentur, Alia animalia assuescunt parere, & obtemperare vel flagellis, vel ventris cupiditate, sed id est minime persuaderi, tametsi elephantes ex Aphrica duci, & transmitti in Italiam a Scipione persuaderi paterentur Plinio teste atque Aristot. octauo libro prodiderit elephantem habere fidem, & persuaderi, quandamque præ se ferre intelligentiam, Verumenimvero nullam fidem, nec rationem, nisi quædam vestigia obtinent vtriusque fides est triplex vna intellectus agentis circa prima scientiarum principia, cuius lumine & assertione credimus primis principijs. Altera fides est rationis, quam intellectus potentiæ præstat conclusioni ob fidem præmissarum primo libro posteriorum. Credimus conclusioni, quia magis credebamus præmissis. Hæc & prima fides certissima est sine formidine, & suspitione oppositorum, Tertia fides est opinionis, quam parit persuasio, sed anceps dubia, cum suspicione & si fuere quidam veteres tam pertinaces in suis dogmatibus, vt his tanquam hærentia saxis vndequaque auelli possint addicta omnino essent, ceu dogma illud paulosupra recitatum protagoræ quicquid homini videretur, ita esse, silebo multa alia, Cæterum vt fides principiorum parit scientiam constantem demonstratiuam, ita fides ex persuasione parit opinionem, quæ gignit sillogismum topicum dialecticum, iccirco conficitur ex propositionibus, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel paucis forte sapientibus, quorum authoritati stat sæpe vulgus, Fides ergo genitrix opinionis est habitus estimatiuæ facultatis, seu opinatricis ex persuasione conceptus cum suspitione oppositi dogmatis.

## Contex. VIII.

*EVidens ergo quod neque erit imaginatio opinio cum sensu, nec per sensum, neque connexio opinionis, & sensus, Quibus etiam clarum fit, vt non sit alia quædam opinio, sed eius est, cuius est sensus. Dico autem ex albi opinione, & sensu connexio non est imaginatio, Non enim ex opinione boni, sensu vero albi, itaque apparere esset opinari quod sentit non ex accidenti, At uero & falsa apparent, de quibus ueram habent opinionem, ut apparet sol unius pedis, creditur uere esse maior terra habitabili. Euenit igitur, ut uel suam ueram opinionem, quam habebat amiserit re seruata non obliuiscens, neque alia persuasione permutatus, uel qui habet necesse est eam esse ueram, uel falsam, sed falsa fuit, quando res, quæ incidit obliuioni data esset, ergo horum quidpiam minime uerum, neque ex his est imaginatio.*



SEPARATIM docuit author imaginationem non esse sensum, nec scientiam, nec opinionem, nunc neque connexæ videlicet neque esse phantasiam opinionem cum sensu, nec per sensum, neque connexionem opinionis, & sensus. Et ne quis de noua opinione a sensu omnino remota loqui se dicat infert ex his clarum esse non aliam existere opinionem, quæ ope sensus non egeat, sed quæcunque est, hanc esse sensu præeunte, & de rebus sensilibus, aut intellectilibus per sensum, Exponit opinionem hanc cum sensu aut per sensum exẽplo, vt ex albo viso coniectura, opinioque fit, quod sit bonum, ceu agaricus albus habetur bonus, & flauum mel, Vnde quidam intelligunt opinionem cum sensu tanquam duas causas affectrices imaginationis, & opinionem per sensum causam primariam opinionem, instrumentalem sensum ad efficiendam imaginationem. Connexionem vero ex opinione, & sensu tanquam ex duabus partibus commixtis simul imaginatio conflетur, sed cum aduersus Platonem in sophista, & in Philebo id probetur, plane quocunque modo intelligit Aristot. imaginationem non esse opinionis, & sensus connexionem, siue sit connexio primo modo opinionis cum sensit, vt si quis opinetur id, & affirmet quod sensus indicat, ceu opinio Epicuri de sole bipedali, qui sic apparet, visu, eius opinio asseruit, aut secundo modo opinionis per sensum, cum præuiderit, ceu digladiantem ferire alterum, & opinetur ob id quis hunc interfectum ab illo, aut tertio modo opinionis connexæ cum sensu, vt cum non exacte sensus senserit, & tamen opinio est, vel fuit de eo quod sentitur, aut econtra si sensus perfecte senserit, sed obstat opinio in asserendo. Exemplum primi, si quis procul viderit aliquem furari, nec tamen quid furatus sit & quomodo, nouerit, & opinio eius est quod fur vir malus sit, accedente item querela eorum, quibus ablata fuerunt bona, & ille dicat nescio an furatus sit plane attamen opinor illum furatum fuisse. Exemplum secundi, vt si quis plane norit aliquem furatum, de quo semper bonam habuerit opinionem, tum sensus affirmat & opinio vacillat, inquit ergo Arist. quouis modo imaginatio non est opinio cum sensu, nec per sensum, nec connexa sensui, quia apparere, & ipsa apparitio rerum esset opinio eius quod nõ secundum accidens, sed perse sentit, quod absurdum est, siquidem falsa apparent, de quibus vera est opinio, vt apparet sol bipedalis oculis suspicientibus perse, & non per accidens, quoniam magnitudo eius est sensile non ex accidenti, vt superiore libro constitutum fuit, commune quidem, & perse sensile, attamen pugnat opinio dicens solem centies sexagesies sex fere vniuerso orbe terrarum ampliorem authore Ptolemæo quinto Almagesti, seu magnæ editionis, vt ego etiã secundi libri de cęlo in commentarijs perspicuo decreui, & statui. Vnde sol non est bipedalis, imaginatio ergo non est actio duorum pugnantium interse videlicet sensus, & opinionis sed dices quomodo sequitur illa ratio, quod si imaginatio esset connexio sensus, & opinionis, tum apparitio foret opinio eius quod sentitur perse, certe sequitur ex eo, quod si imaginatio esset connexio opinionis, & sensus plane esset ista etiam connexio cum sensus vnum videt, & opinio aliud asserit, Quod si dicatur imaginatio sola esse sensus, & opinionis consensus, quando scilicet sensus videt, & opinio fatetur quod videt, tum maius absurdum sequeretur, videlicet nunquam phantasiam esse falsam veletiam opinionem, sed cum vtraque sit falsa, & vera ob id opinio vera dissentit a sensu decepto, vt in nauicula labente circa margines terræ apparet terra moueri quæ apparitio est mera sensus deceptio, iccirco opinio reclamat, & ratio deceptionis reddit, causam apud Arist in libello

de in ſomnijs,quia viſus mouetur ſicut ſi quis medium digitum ſuper indicem poſuerit, & tum extremis digitorum tetigerit granum ciceris vnum duo apparebit tactui, Hæc deceptio tactus eſt ratione detegente, ſeu cogitatrice quia tactus diſtrahitur ex ſuperpoſito digito, atque ſicut ſupra in libro ſecundo tomo octauo tactum conſiſtere in mediocritate,& ab exceſſu nimio corrumpi,ob id cum tangendi vis ſit in manu præpollens,& præſertim in indice apud quoque Galenum libris de temperamentis vbi hic fuerit diſtractus,aut alteratus fallitur, Nam tactus deſiderat quietem in percipiendo, cum mouetur,diſtrahitur ſenſorium , aut medium , inde fit deceptio , ac ſi flante vento muſica caneretur & concentus diſtraheretur in medio aere a vento,tum auditus deciperetur , Quocirca tactus ille corrigitur a viſu,qui in corrigendo hac ratione eſt certior, ſed nõ ſimpliciter tactu,ſiquidem ſenſus hic exactiſſimus eſt in homine,nec ſolum corrigitur a viſu,ſed etiam a cogitatiua,quæ mouet opinionem ſecus dicere quam ſenſus deceptus oſtendit , vt de remo fracto in aqua dicebatur cum viſus decipitur, & tactus corrigit tum certior viſu,& omnis ſenſus corrigens alterum in eo officio eſt exactior,attamen opinio dicit remum non fractum adhęrens tactui,cum ergo opinio pugnet cũm ſæpe ſenſu,imaginatio non erit actio utriuſque interſe diſſidentis,alioquin ſimul de eodem uera & falſa erit imaginatio , Aduerte obiter dici ſolem terra habitabili maiorem,quia videtur Ariſt.dicere omnem terram habitabilem,cum ſol ſit tota terra maior,ſed in libro meteorum ſecundo aſſerit ridicule dici totam terram habitabilem , contra quem ſecundo libro de cęlo in commentarijs noſtris ſcripſimus omnem terram habitabilem, & omnem zonam,atque habitari,niſi impediat quid ſed ratione frigoris,aut caloris nullam eſſe partem non habitabilem,ſicut Ariſt.hoc loco dicit,alioquin carperetur hoc loco ille ſolem affirmãs habitabili ſola maiorem,quæ erat ſuo tempore ex ſeptentrione 43 graduum , & totidem ex auſtrali parte,mediam zonam æſtu non habitabilem credidit,& fuit in errore cum alijs, ſed hodie nauigatio luſitanorum detexit erratum , Ptolemæus anceps fuit in aſſertione hac , uera aliquãdo aſſerat mediam habitari,aliquando neget,ſed de his libro ſecundo de cęlo,nunc proſequitur author oſtendere abſurdum,ſi imaginatio eſſet actio vtriuſque ſenſus,opinionis , eſſet quippe cum conſentiunt ſimul,& non cum diſſentiunt,quo dato illud abſurdum ſequitur non fere unquam imaginationẽ falſam,niſi mutetur opinio tum diſſidens a ſenſu ſed mutari nõ poteſt , quia opinans non mutatus , non opinabile,vt ſol bipedalis,non obliuio incidit , non alia perſuaſione corruptus . Quatuor his modis ſolet mutari opinio ergo non aliter accidit, niſi quia opinio poteſt eſſe vera,& falſa , ergo non ſemper vera eſt conſentiendo ſenſui, & ob id quoque imaginatio eſt vera,& falſa , Atque opinio aliquando falſa eſt cum obliuiſcitur quis ſecus ſenties,ac verum erat, non ergo ſemper opinio conſentit ſenſui vere ſentienti , quoniam ſenſu monſtrante verum poteſt opinio euadere falſa obliuione, ſi ergo ſenſus , & opinio connecti ſemper non poſſunt, ſed ſeparantur ergo imaginatio non erit vtriuſque connexio , Addunt alij ſi connexio ſenſus opinionis dicatur imaginatio,profecto imaginatio non eſſet in brutis , quia non opinio. Rurſus imaginatio in noſtra poteſtate, ſed connexio ſenſus & opinionis non in noſtra poteſtate . Nam poſſumus imaginari vt libet,ſed videre album,aut opinari aliter ſimul non poſſumus, dum cernimus, & ſi aperire oculos & claudere in nobis ſitum ſit, verum actio videndi non eſt libera circa ſenſilia Cæterum lege,quia ex his clara eſt lectio .

## Contex. IX.

*SEd quia ſenſu hoc moto,ab eo mouetur phantaſia, videtur imaginatio quidam motus nec ſine ſenſu fieri. Verum ſentientibus,& his,quorum eſt ſenſus poteſt fieri motus ab operatione ſenſus . Atque hanc eſſe similẽ ſenſui neceſſe eſt , neque poteſt eſſe hic motus ſine ſenſu , neque ineſſe non ſentientibus , Quinetiam per eum id , quod eandem obtinet multa poteſt pati,& facere,& hæc uera , & falſa eſſe contingit , & id ob hæc euenit ſenſus enim propriorum eſt uerus,uel quam minimum falſi habet,ſecundum eſt eius , cui hæc quoque accidunt , de quibus decipitur,ſiquidem quod album non fallitur,ſed ſi hoc album,uel aliquid aliud decipitur.Tertium eſt cõmunium,& eorum,quę ſequuntur accidentia,quibus inſunt propria,ceu motus magnitudo, quæ accidunt ſenſibus circa quæ maxime ſibi ſenſus imponit .*



T, docuit nec separatim imaginationem, & phantasiam esse sensum, scientiam, opinionem prudentiam, nec connexe opinionem cum sensu, vel per sensum, vel ex ea, & sensu complicationem, non mixtionem, quia misceri non possunt primo libro de generatione, nunc explicare vult quid phantasiæ intercedat cum sensu, vt venetur diffinitionem phātasiæ, & prodat quid sit. Vnde hæc est necessitudo phantasiæ primum cum sensu. Sed quia sensu hoc moto externo, an communi etiam? Nisi sit phantasia re ipsa sensus communis, & ratione discrepet, ab eo mouetur phantasia, sensile propriū, vel commune, vel ex accidenti mouet sensum externum, cuius species recipit sensus videtur imaginatio quidam motus non enim omnis motus est animæ rationalis. Non primus sensus a sensili non opinatricis, cogitatiuæ, intellectus, nec practici, nec appetitus, ergo quidem est proprius ei. Motus est alterationis perfectiuæ, non cum interitu. Verum motus sumitur pro operatione ipsa, & passione, quæ sunt eędem motu, vt 3. phys. expressum fuit in sermone de actione, & passione. Quare imaginatio est actio, operatio, vel potius passio non sine sensu. Aliud est dici motus a sensu, aliud non sine sensu. Vtrunque conuenit. A sensu mouetur actu operante, vt viso spectro colorii imaginari, & a sensu prædito speciebus recessu sensilium, vt in somno. Quinimo somnium est fantasma, & actio ex speciebus in sensibus relictis, quare in somno non fuit sine sensu, idest speciebus in sensu, sed actio prior operante sensu est motio a sensu. Vnde illud oritur dubium omissum ab Aristotel. an sufficiat operante sensu sola ipsa actio mouere phantasiam sine officio speciei receptæ in sensu, vt cum color mouet visum, satis sit ad mouendam phantasiam operatio ipsa sensus, an requiratur etiam species recepta in sensu. Dicito moueri phantasiam ab actione recepta in sensu, quæ fieri non potest, nisi species simul admissæ sint, quare motio imaginatiuæ est a sensu operante actu cum speciebus, sed in somnis est a sensu prædito speciebus non operante, quia species illæ seruatæ vim habent mouendi phantasiam apud Aristotel. in libello de insomnijs alioquin si phantasmata, & solæ species in ipsa imaginatrice vi mouerunt tum phantasiam non erat necesse Aristotel. libro citato affirmare quod species sensilium remaneant in sensilibus externis ad somnia mouenda, satis fuissent phantasmata in phantasia. Verum hæc bene considerato lector. Redibo ad verba philosophi dicentis sensum moueri a sensili, quale mouet, & non mouetur, vt bonum mouet appetitum, non mouetur sensus autem mouetur, & mouet, vt vectis a manu mouente non mota mouetur, & mouet. Equidem sensus mouetur a sensili, mouet autem phantasiam, quæ in hoc motu mouetur solum, licet in alio motu moueat animalia ad agendum. Et hominum quemque phantasia mouet, & intellectum per sua phantasmata. Verum qua ratione moueatur superiore libro fuit dictum, quia sensus est vis patibilis, & perficitur, alteratur perfectiue, sed qua ratione moueat phantasiam non est adhuc clarum, cum præsertim patibilis potentia non est actiua. Nisi vno modo patiatur a sensili, & alio modo agat quoad phantasiam. Atqui cur Aristotel. superiore libro scripsit sensum consistere in patiendo, si agit? Nisi non solum dixerit in patiendo versari. Aut sensus quoad naturam suam solam patibilis est, sed ob aliud sibi adiunctam agit, sicut cera solā patitur a sigillo, agit autem sigillata cum certiorem reddat aliquem sigillo quo facto de cera nulla cura est, æque sensus suapte natura patibilis, sed impressis speciebus sensilium agit in phantasiam, & mouet eam. Quinetiam attende illud cum dicitur, nec fieri sine sensu imaginationem, phantasia imaginatur hircoceruum, ostenta prodigia, monstra, fabulas, & intellectilia, atque ea, quæ non sunt, quæ non cedunt in sensum, ergo sine sensu fit. Adde sensum affici semper vere a suo sensili, sed imaginatio aliquando falsa, ergo fit tum sine sensu. Accedit imaginationem esse in potestate nostra, ergo non obstantibus sensibus vti ea possumus sine illis. Nisi quæ phantasia imaginatur etiam a sensu antea accepta sint. Vidit hircum, vidit ceruum, ob id hircoceruum imaginatur. Et de substantijs diuinis si quid imaginatur per actiones sensuum ex sensilibus imaginatur, vt quia mouent intelligentiæ orbes, motus sensile commune cadit in sensum, vnde imaginatio, cum præterea imaginatur quæ non sunt attamen alio modo sunt, vt si sedentem Philandrum. Vrsam quis videns aut mortuam imaginetur stare, aut viuam, certe non sunt hæ res, tamen quodammodo sunt vel fuerunt, ob id nemo nihil imaginatur. Quare phantasia est motus factus a sensu moto actu, vel qui fuit motus non sine sensu facta. At dices & sensus communis mouetur a sensilibus nec sine sensu iudicat. Nisi, hac ratione diffideant, quod sensus communis iudicat inter sensilia, phantasia non iudicat, sed fingit, & recipit phantasma etiam iudicii sensus communis. Cęterum quia author dixit eam fieri non sine sensu,

exponit

exponit cum actu fit ex operatione sensuum. Verum sentientibus actu cum oculus videt, auris audit, tactus tangit, & his, quorum est sensus, hoc est de his sensilibus, quæ cadunt in sensum potest fieri motus idest imaginatio ab operatione sensus, cęcis a natiuitate, & surdis nulla imaginatio colorum, & vocum. Ac non habentibus aliquem sensuum nulla illis imaginatio secundum illum. Vt spongijs, conchilibus maris nulla imaginatio odoris, quia deest illis odoratus. Quocirca animali cęco nulla phantasia, quia nullus sensus. Et in somno vacant sensus, sed imaginatio est ob actiones præteritas sensuum, & species in sensibus relictas sensiles, infantibus nulla imaginatio, nec somnium. Quibus non contigit vnquam in vita somnium, nec his in somno phantasia, sed in vigilia. Simili modo non est imaginatio de sensilibus, quæ non cadunt in sensum, vt de testula in profundo maris, quod si per se, vel per aliud sensilia sunt, & feriunt sensus, de eis est imaginatio. Post hæc communia sensui externo & phantasiæ afferuntur. Primum motus sensuum communis est sensibus, & phantasiæ, sed sensibus in recipiendo, proxime ab obiectis, phantasiæ remotæ, vt porro sensus mouetur a sensilibus, ita phantasia mouetur a speciebus in sensu. Differt quia motus ille verus est sensilium propriorum, phantasia quia seruit voluntati, & est in potestate nostra aliter potest imaginari mota tamen phantasia ab eodem sensu non decepto, vt responsum sit ad secundam dubitationem supradictam, & tertiam. Secundum commune est, quod motus phantasiæ, & sensuum non potest esse sine sensibus, neque inanimatis, & plantis, & accidentibus, & omnibus quæ carent sensu atque si non omni sensu carent, sed quodam, vel quibusdam, deficit eis phantasia secundum illos sensus, sed dices si phantasia mouetur a sensu, erit ignobilior sensu, cum motum sit ignobilius mouente, qua mouens. Nisi sensus moneat, vt seruus dominum, attamen conuenit inter ea, quia sensus mouetur a proprijs sensilibus, & communibus, ab illis secundum accidens, æque, & imaginatiua mouetur. Tertium vt per sensum, qui habetur quis potest multa pati, ita & per imaginationem, ac facere. Quartum vt imaginatio vera, & falsa, ita sensus verus est perceptis proprijs sensilibus, & aliquando quid falsi licet quam minimum, idque quoad sensilia propria cum fuerint exigua, & apparentia quæ non sunt, vt in picturis apparet quædam profunditas ex coloribus appositis, & nulla est in superficie, & apparet colorata. Verum error accidit ob sensilia communia, & ea quæ dicuntur ex accidenti, ob id diuidit tripliciter sensile in proprium, vt color visui, odor odoratui, sonus auditui, sapor gustui, tactui tactile, secundum commune, de quo accidit error in sensu, & imaginatione, motus, moles, numerus, figura, quies, pulchritudo, & alia accidentia, quæ sequuntur propria sensilia, & communia, sequitur motum continuitas, interceptio, celeritas, tarditas, sequitur molem, seu magnitudinē latitudo, cōtractio, extensio, lōgitudo, altitudo crassities tenuitas diuitiæs molities asperitas, lenitas, verū hæc ex accidēti, quia tactui subijciuntur sed illa ex se. Sequitur numerū multitudo, paucitas. Sequitur figuram rectitudo, obliquitas, circulatio, flexio, gibbositas planities curuita-, conexitas. Sequitur quietem immobilitas, constans, & instabilis, circa quæ decipiuntur sensus. Tertium sensile ex accidenti, vt substantia, & cleonis, filius quod accidit sensilibus proprijs, & cōibus in eo quod sensile est, alioquin substantia non accidit. Phantasia, si sequatur sanos sensus citra id, quod facit eos decipi, vt longa intercapedo, & id genus non est falsa circa propria tametsi aliūde mota. Nam paret etiam voluntati potest aliter imaginari, sed falsa est quando decipitur circa communia sensilia, & ex accidenti. Tacuit author quartum genus sensilis ex accidenti cum sensile proprium percipitur etiam ab alio sensu, vt dulce visui obijcitur, in quo vis phantastica etiam aberrat, sed minus, quam in sensilibus communibus, & ex accidenti dicto modo.

## Contex. X.

*SEd motsu, qui fit ab operatione differt à sensu, qui est ab his tribus sensibus. Et primus quidem præsente sensu verus est, alij autem absente, & præsente sensu falli possunt, & maxime quando sensorium procul fuerit, si ergo nihil aliud habent quæ dicta sunt, quam imaginationem, hoc autem dictum est, imaginatio erit motus à sensu secundum actum. Et quoniam visus est maxime sensus, nomen quoque phantasia a phau luce accepit, qā sine luce non est videre, & quoniam permanet, & est perinde ac sensus, Multa quidem secundum eam agunt animalia, & præcipue bruta, quoniam non habent intellectum, sed illa propterea quod intellectus est adūbratus, vel occupatus affectu, ceu morbo, somno, ut homines, De imaginatione ergo quid sit, & quam ob causam hactenus sit nobis dictum.*



DOCERE vult quomodo intercedat deceptio communis phantasiæ cum sensu externo, aut potius vult explicare cuiusmodi sit motus phantasiæ factus a sensibus, & secundo ex dictis quid sit imaginatio tradit vnde quid sit facultas imaginandi promi potest. Tertio de nomine actionis, & phantasiæ vnde ti actum sit. Quarto quę animalia vtantur phantasia & quando maxime homines. Quinto epilogus. De primo ait motum phantasiæ, imaginationem differre a sensu pro actione sensus, vel motu facto a tribus sensibus, idest sensilibus. Vnde nomen sensus sumit primum pro actione, deinde pro sensili agente, sed motus qui fit ab operatione differt a sensu, idest a motu, & actione sensus, qui motus, aut quæ actio est ab his tribus sensibus, idest sensilibus supra enumeratis. Et quamquam id constet quia secundus motus phantasiæ differt a primo sensu, cum hic a sensili per medium ad sensorium, & sensum fiat, & ille phantasiæ ab operatione sensus dum fit, & facta est, atque a speciebus sensilium in sensu existentibus oriatur, vt in somnis, tamē ostendit quomodo differant, & primum a motu sensus a propriis sensilibus, quia ille motus verus est. Et primus quidem præsente sensu idest sensili verus est, absente sensili non fit, aut apparens tantum, seruatis conditionibus supra sæpe dictis, quod sensus sanus, ac sensorium, cum debito interuallo, & medio sano, & non impedito, & aliis iam enumeratis, alii autem, idest actiones aliæ sensilium communium, & sensilium ex accidenti falli possunt hoc est falsæ esse queunt, & maxime quando sensorium procul fuerit a re sensili, inter alia conditiones huius meminit de debito, & congruo interuallo, præterea quod frequentius ob distantiam sensus falluntur præcipue qui per seiuncta media sentiunt, sed gustus & tactus sæpe decipiunt ob sensorii, & mediorum affectum morbosum siue sit in intemperie, siue in compositione, siue in solutione continui. Ex dictis inquit. Si ergo nihil habent quæ dicta sunt, quam imaginationem, hoc est si sensus propriorum, & communium nihil habent proxime recipiens, & cognoscens suas actiones, & species sensiles quam imaginationem, vimque phantasticam, & si pro iudice agnoscunt sensum communē & hoc dictum est, ecce definitionem actionis imaginatiuæ, seu phantasiæ imaginatio erit motus a sensu secundum actum, idest a sensu iam affecto a sensili, potest sensus affici, & nulla accidit imaginatio, vt in ipsis infantibus & cum duplex sensus actu, & potentia, plane motus est sensus actu, non potentia. Verum nunquam imaginatio accidit, nisi sensus fuerit affectus, vt in somnis fiunt somnia non tum affectis sensibus qui vacaret operationibus, sed qui fuerunt affecti, & per species sensiles remanentes somnia & visa in somno accidunt, sed interest, quod imaginatio mouetur interdum a sensu operante, cuius motum verum, vel deceptum sequitur imaginatio, & interdum cessante, vt in somno sensu, quinimmo etiam in vigilia non agente imaginatio fit dummodo alias sensus fuerit affectus, & memoria seruarit species. Hinc est, quod nascuntur opiniones &c. Aduerte ex definitione actionis imaginatiæ promi definitionem potentiæ imaginatricis, phantasiæ. Nam est facultas mota a sensu actu per species sensiles capax phantasmatum. Phantasia est alia imperfecta, alia perfecta, illa sequitur appetitum, & tactum etiam in Zoophytis solum habentibus sensum tactus est, alia perfecta in reliquis animantibus, sed q̄ in homine est, rationi, & intellectui practico seruit, & libertati famula. Rursus perfecta alia vera, alia falsa, & alia sequens sensum operantem, alia sequens vacante sensu species sensiles relictas in sensu, vt in somno. Atque vna seruiens rationi, alia minime vt in brutis, omnis autem est motus a sensu facti capax, & specierum, quæ sunt phantasmata. Imperfecta mouetur a sensu tactus, & phantasmata eo recipit modo confusa imperfecta, perfecta autem recipit melius pro motu sensuum meliorum, optime recipit humana partim vera, partim falsa. Et phantasia perfectorum animalium decipitur, quinetiam mouetur in somnis etiam brutis. Tradita ergo definitione, agit de nomine, quia dicitur græce phantasia quasi phaostasia a luce visa. Nam phos vel phaos græce lumen, lucem significat præcipue visam, & stasia stationem, permanentiam significat, quasi phantastica vis sistat actionem rerum visilium, attamen non solum sistit actionem visus, sed etiam aliorum sensuum, quia imaginatio est motus factus a quocunque sensu externo, ob id dicit author datum nomen ei a præcipuo sensuum visu, & nobiliore, qui magis multa discernit, quam alius quisque sensus, & iccirco magis diligitur primo metaph. & ad inuentionem rerum aptior, & si exactior sit factus in homine in uola manus, & indice præsertim valentior in organo, quale nulli animatum datum est, ceu manus, tamen oculus quamuis pluribus est animalibus longe præclarior est, & phantasiæ magis inseruit, ob id scribitur. Et quoniam visus est maxime sensus, nomen quoque phantasia a phau luce accepit, quia sine luce non est videre nisi priuatiue tenebras. Vmbræ in luce reflexa videtur

dentur lux videtur seipsa, & quoniam nomen constat ex phau, & altero stia, quasi stase græce, quod significat consistentiam permanentiam, ob id subiungitur. Et quoniã permanet, quasi phantasia sistat visum sensum, & quia sistit est perinde, ac sensus, græce dicitur sensus æstisis, qđ nomẽ significat permanentiã, stationẽ, & sensus moratur actionem sensilium, & receptaculũ eius. Addit author in quibus sit phantasia, & quæ & quando magis vtuntur ea, & excellunt. Multa quidem secundum eam agunt animalia, & præcipue bruta, quinimo & homines viuentes more brutorum, & naui, & qui rationem sopitam, & tenuem habent, perfecta animalia, ceu in genere pedestri Elephas, Leo, Tigris, Draco, Serpens, Lupus, Formica, Rhinoceron, & similia, idque genus in genere aquatili Balena, Delphinus, Spatha, Lupus, in genere volatili Pica, Aquila, accipiter, & omne genus venatiuum aptum venationi. Bruta maxime valere hac facultate ex eo debent, quoniam non habent intellectum, nec cogitatricem altiores facultates, quibus regantur. Nam reguntur sensibus, & phantasia, ac memoria quadam nonnulla, & icirco eam exerceant exactè, sed plus minus, vt ex actionibus earum deprehensum est. Homines autem, quibus ratio obtecta est crasso, obeso, fatuo temperamento, de quibus est coniectura in libello de physiognomia valent phantasia, atque pictores, fabulosi, poetæ, lucricupidi, astuti, fallaces, mendaces, iracundi. Sed occupatur ratio in somno, & viget phantasia, & morbo, vt in phrenesi, delirio, sed qui homines polleant phantasia, audi, sed illa rationalia animalia, propterea quod illis intellectus est adumbratus, confusus vel occupatus affectu, ceu morbo afficiente rationem, & somno, illud quærendum quomodo occupetur intellectus superior phantasia in somno, & non illa, cum intellectus sit spiritalior magis, & separatus a corpore, & organo. Nisi pro intellectu sumat cogitatricem potentiam, quæ licet altior, tamen corporea, & in organo est vel medio cerebro, vel in corde, sed obstat, quod Aristotel. in libello de insomnijs, & de diuinatione per somnia etiam cogitatricem vim vigilem dicit, & non occupatam. Atque intellectus non occupatur somno non solum quia disputamus in somno, legimus, & apud Galenum monemur, sicut ipse testatur se monitum in somno de præceptis medicinæ, & de cura, in commentarijs de humana natura, sed etiam, quia somnus est uinculum sensuum in primo sensiterio per exhalationem petentem cerebrum, apud Gal. vel cor apud Aristotel. & non vinculum rationis, & intellectus. Nec de somno lethargo est sermo, sed de illo, qui est quies intercepta laboribus, cum omne animal labore, & lassitudine correptum quiescere oporteat libro secundo de cęlo, & in opusculo de somno & vigilia. Cũ ergo intellectus non obruatur exhalationibus nec crassis, nec tenuibus, quomodo somno occupatur? Nisi occupatur somno quatenus cessantibus sensibus nihil secundum sensus intelligat, tametsi ex speciebus in memoria rerum sensilium, & in phantasia in somno queat intelligere, & cogitatiua iudicare. Attende tamen tu diligenter, & hanc sententiam accipe eandem cum libello Galeni de passionibus animæ, & moribus qui sequuntur temperamenta corporum, vbi affici rationalem animam, & mentem morbis delitio, humoribus melancholicis dicit. Verum enimuero cum Philopono perpende verbum illud, adumbratus, & aliud occupatus, quia potest vicinitate, & ministerio sensuum morbo, & somno adumbrari, & occupari quoad est in corpore, sed non interire. Postremo epilogus. De imaginatione seu phantasia pro actione, quandoquidem ipsum verbum græcum vsurpetur pro actione, & ipsa potentia, nunc pro actione ergo quid sit. vnde etiam definitio potentiæ promitur, est potentia apta moueri a sensu, vel speciebus sensilium capax phantasmatum, & imaginationis, & quam ob causam sit, quoniam data est brutis ad prosequenda, & fugienda bona, & mala vitæ tuendæ gratia, homini vero ad intelligendum & agendum, icirco necesse est intelligentem phantasmata speculari, & agentem moueri ab illis. Hactenus sit nobis dictum, de qua etiam alibi in opusculis de memoria reminiscentia, de somno insomnijs, & alijs opusculis erit sermo.

Digressio

## *Digressio loco opportuna.*



ON deerũt qui accusabunt authorem eo, quod in sermone de phantasia nõ videtur secutus præcepta sua de sumẽdo initio ab obiectis, tacendo obiecta phantasię phantasmata, & eo magis, quod primo libro mentionẽ fecit de phantasmatibus, atq; facturus est in sequenti probe sensu. Quinetiã accusaretur, quod in sermone de anima, & potentijs eius omisit cogitatricẽ, dianęã, quę apud Auerrh. propria est anima humana, Quinetiã omisit sensoria phantasię cogitatrice, cum sint facultates organicæ. Ac prætermisit, memoriã reminiscentiã, & æstimatiuã, ac facultatẽ respirãdi, quã pleriq; animã respirantiũ dixere vt est in primo lib. & in opusculo de spiratione. Neq; dixeris has vires, & facultates animę non esse, quia Arist. & opusculis proprijs, & in libris de historia animalium fatetur eas; etsi non æstimatiuæ meminerint, quã Auicenna attigit. & in brutis locant. Nec dicendũ satis fuisse, si alibi de his disputatũ sit, quia mancum saltẽ, & mutilũ hunc sermonẽ certe de anima produnt; vbi sermo de anima, & omnibus, eius potentijs esse debuit, cur enim de his, & nõ de illis nune mentio? Atq; illud maxime mirabile quod Arist. in sermone de omni anima reliquisset animã propriã hominu cogitatiuã apud Auerh. aut partẽ rationalis animę apud simplicium; Quod hæ facultates animæ sint in homine ex officiis, & actionibus, deprehenduntur. siquidẽ homo cogitat, & cõprehendit singularia decẽ generũ, atque differre, & de indiuiduis, & opinionibus discurrit, Quidam aiunt intellectũ potentię, & cogitatiuã idẽ esse, & fore sermonẽ in sequẽti tertio capite de illo intellectu. Errant, quod intellectus potentiæ apprehendit vniuersales formas, quas non cogitatiua, Atq; hæc organica est vis, ille non est in organo, atq; hæc e seminæ prodit, ille deforis accedit, vt taceã alias differentias. simili modo deprehenduntur memoria in homine, & reminiscentia, quia memorat, & reminiscitur. præteritorũ memor prosequitur, aut vitat. Ac prudens est, ergo præterita retinet memoriter: Ac addiscit, ergo habet memoriã, Quinetiã reminiscitur, cum oblita reuocat iam ante obliuionem memorata, vt fit cũ quis aliquã scientiã memoriter tenebat, & incidit in obliuionẽ cuiusdã partis, quã reminiscitur per aliã partẽ, Solus homo reminiscitur, Demũ de opinione quid sit, & de opinatiua facultate, cuius tamen supra meminit nihil disseruit. Hanc esse cogitatiuam nemo dicat ex eo, quod opinio persuasiorẽ a cogitatiua meditante, maturaq; sępe accipit, & opinatiua non discurrit, cogitatiua de singularibus discurrit, Quare breuissimo compẽdio persequar hæc hoc loco, vt ante sermonẽ de intellectu lector sit instructio. summam initiũ a phantasmate, & phantasię sensorio, & id Aristotelice profitebor, phantasma est ipsa species rei sensilis spiritualior quã sit, vel fuerit in sensu externo, & communi. Differre phantasiã a sensu externo ex dictis supra cõstat, an differrat a cõmuni sensu, nondũ cõstat, ob id hoc primũ accipito omnes has facultates cognoscendi citra intellectũ consentire in nomine sensus, siquidem cunctæ sunt sensus, verũ alter externus, vt quilibet quinque, Externi dicuntur, quia ab obiectis externis per media externa & sensoria in summa parte corporis. alter autẽ internus qui nõ mouetur ab externis obiectis, & non per media, nec in summa sunt corporis parte, vt sensus cõmunis, phantasia, cogitatiua, memoria, opinatiua, sunt porro qui sensum communẽ re esse phantasiã dicunt, sed ratione differre ob diuersa officia, & cadẽ manus diceretur pistoria, si concipiat panẽ, pictoria, si picturã sensus ob id cõis appellatur, qa ad eum deferuntur oẽs species obiectorũ sensiliũ, & sensuum exteriorẽ, velut ad cognitorẽ qui iudicet sicut supra est dictum, sed phantasia, quatenus imaginatur recipiens easdẽ species purius, & sincerius, & tum phãtasmata denominantur a phantasia eorũ receptaculo, vt tabella quedã quę prius admittit quosdam tractus lineares rudes e pictoris manu, & postea eosdem exactiores factos, si sensus communis vt recipit species sensuum exteriorum rudes, postea priores aliquanto suscipit phãtasia, Has species tum phantasmata vocant id Aristotelice profitentur, quia in libello de memoria prodidit phantasma esse communis sensus affectionem, Re ergo phantasia est sensus communis in primo sensiterio corde, sed ratione diffidet. Alij contra sentiunt differre etiam re ipsa & diuersis sensoriis, quoniam sensus communis locatur sub sincipite, & phantasia in prioribus ventriculis cerebri vbi externę sincipite a coronati commissura non longe, idque experimento comprobant a lęso sincipite, quia tum vel aboletur imaginatio, vel remissior fit, vel lęsa & tamen sensus communis

nis non afficitur. iccirco differt ſenſus communis ſubiecto a phantaſia, & ſane officio, ſi quid ſex ſunt ordines, primus ſenſilium extra, quæ mouere ſenſus, mox ſecundus ſpecierum in ſenſu communi. Tertius phantaſmatum, Quartus ſpecierũ in virtute vel æſtimatiua, vel cogitatiua, Quintus ſpecierũ in memoria quatenus rerum imagines ſunt rerũ præteritarũ compræhenſarum a ſenſibus, vnde ſenſus cõis differt a phantaſia etiam ſubiecto. Verũ intereſt an ſequi malis Ariſt. an medicos. Nam Ariſtotelice ſenſus communis eſt idẽ ſenſus a phantaſia, in corde qui vt iudicat ſenſus dicitur communis, vt imaginatur phantaſia, & cũ actiones diuerſæ ſint & eadem ſit facultas ex aliqua cauſa ſunt diuerſæ, quare ob agantes cauſas, ſiquidẽ in ſenſu communi ſpecies eſt radior quæ facta ſincerior recipitur, & per eam receptionẽ deſcribitur phantaſia, & illa ſpecies purior facta vocatur phantaſma obiectum, & opus phantaſiæ, obiectũ, vt eſt melior illa ſpecies, ſed opus vbi recepta eſt phantaſticæ, At medici putant diuerſas facultates ſenſum cõem, phantaſiam ob diuerſas actiones, diuerſos modos recipiendi, diuerſa ſenſoria, crediderim medicis ex eo, quod plane ſenſoria ſunt diuerſa ſenſus cõis, & phantaſiæ, cum plane ex phreneſi videtur læſio in cerebro, & confuſio non in ſenſu communi, ſed in phantaſia cum imaginentur ægri quæ non ſunt at tamen phantaſma nihil aliud eſt, quam ſpecies ſenſilis mouens phantaſiã, & receptũ ab ea ſpiritualius tum aptũ mouere intellectũ, & cogitatiuã, atq; effici imaginẽ rei memorabilis receptũ a memoria, & effici opinabile, idem ergo phantaſma aliter, & aliter elaboratũ fit obiectũ phantaſię, cogitatricis, momorię, reminiſcentię, opinatricis, & intellectricis, ideo dictũ eſt neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari Hactenus de phantaſmate & de ſenſorio phantaſiæ. Cogitatiua autẽ altior potentia eſt animę rationalis apta nata recipere phantaſmata ſincerius elaborata, quæ cogitabilia dici poſſunt, vel cogitata, quoniã ipſa phantaſmata prout ſunt in phantaſia poſſunt mouere uirtutẽ cogitatiuã, & eo reſpectu dicerentur cogitabilia, vt vero recepta actu a cogitatiua dicuntur cogitata, & ſunt ſingularia decem generũ, de quibus etiã ratiocinatur ut de Socrate hoc currente, de hoc triangulo. Et hoc ei eſt propriũ, & per hoc cogitatiua ſolũ eſt in hominibus, & in alijs vbi apparet eſt ſolum veſtigiũ vt in Elefante, Quæ cogitatiua ſeu dianęa eſt facultas cognoſcendi cogitabilia & cogitata cũ ratiocinatione de ſingularibus. Vtrũ vero hæc ſit opinatiua potentia vel differat, dubiũ eſt, ſi quidẽ & opinatiua cognoſcit ſingularia, & cõponit vere, vel falſo opinabilia, niſi differat ex eo, quod non diſcurit, niſi per cogitatiuã, quę coniuncta opinatiuę ratiocinatur de opinabilibus. opinabile autem eſt phantaſma motiuus opinatiuę potentiæ dubitabile, cum vero appręhenditur ab opinatiua, dicitur opinatũ. Et opinio eſt habitus opinatiuę de opinabilibus, vel opinatis genitus ex multis, vel vna opinatione, ſeu actione opinandi. ſenſoriũ vero cogitatiuę apud Ariſtotelẽ eſt cor, apud medicos eſt medius ventriculus cerebri. Vtra opinio ſit melior alibi videndũ eſt. Crediderim tamẽ veriorẽ illã medicorum, quia læſa ea parte capitis cogitatio diminuitur, & quia in profundis cogitationibus tota uis cerebri vnitur ẽt ſi in cogitationibus terribiliũ propter metũ ſentiat coacto ſpiritu intra penetralia cordis, ſicut in cogitationibus delectabiliũ cor conſentit effuſe ſpiritu nimiũ. ſed opinatrici potentiæ non datũ eſt organum, ſicut memoriæ datur extremuus ventriculus cerebri ſub occipite capitis, ſigno quod eo affecto lęditur memoria & quandoquis non facile meminit, eã partẽ capitis tãgit, quinimo appoſitis ibi remedijs conualet memoria, & ſi eãdem Ariſtoteles ita corde locet. Memorabile eſt igitur phantaſma præteritæ rei receptile a memoria. Dixi autem rei præteritæ, quia memorabile nõ eſt ſpecies, & immago rei præſentis, ſed ſenſus, neq; rei futuræ, cuius eſt ſpes, & diuinatio. Memoratiua autẽ potentia eſt facultas organica receptiua imaginũ quatenus ſunt imagines rerum ſenſilium præteritarũ per ſe, & intellictiliũ per accidens. Memoria vero eſt habitus memoratiuæ potentiæ ſenſificæ, organicæ cognoſcẽdi res præteritas per imagines prædictas. Memoratio eſt actio memorabilis in memoratiua potentia: Poſtremo reminiſcentia ſolum homini data eſt habitus memoratiuæ potentiæ rerum præteritarum ſenſilium, ceu opinabilium, & cogitabilium, quatenus ex obliuione reuocantur ad memoriam, & ob id non eſt data alijs animalibus quia non reuocant ex obliuione aliquid ad memoriam, licet ſeruare diu ſoleant aliqua memoratu, vt leo, elephantes, & id genus, adque, vt intellctilia memoramus ex accidenti, ita reminiſcimur eorũdem ex accidenti. Hæc præfari breuiter ante ſermonem de intellectu cenſeri.

## SECTIO SECVNDA.

### *Caput tertium libri iij. de anima, vbi agitur de natura intellectus potentia, & de actione intelligendi.*

### Contex. XI.

*DE particula autem animæ, qua & cognoscit, & sapit anima siue sit separabilis, siue non separabilis magnitudine, sed ratione, & quam habeat differentiam, & quomodo fiat intelligere considerandum.*



ET si plane author proponat consilium suum, tamen interpretes cum græci, tum Arabes, & Latini confundunt, vt si diuinare his lectis quid velit Aristotel. ob id non digrediar a rebus tractatis in hoc processu dicendi, vnde coniectura certa sumitur de mẽte authoris. Certũ illud, non persequi illum, quod nõ præmiserit differendum. Reperies primum disputari, seu tractari de intellectu, quo anima humana cognoscit, & de differentijs huius intellectus vtpote patibili, & in habitu, atque de agente, & adepto. & quomodo fiat intelligere. Dein de de intellectu pratico mouente, quo anima sapit, iccirco proposuit philosophus duo verba, qua cognoscit vnum, quod pertinet ad intellectũ theoreticũ contemplatiuũ, & alterum. Sapit, quod pertinet ad intellectum praticum, voluntatem, appetitũ rationalem, Quare consilium Arist. huc pertinet, Vbi enim docuit differre sensũ a phantasia, ab opinione, & sciẽtia, neque sentire dici deberi ipsum intelligere, nec imaginari, nec opinari & quid sit phantasia etiam ancilla intellectui, nunc quæ sit natura intellectus docere conatur, in tertio capite tertij libri, & si plerique initiũ sumant ex hoc con. vndecimo, quorũ sententiam recusauimus principio, cum igitur de vegetali anima, eiusq; potentijs, obiectis, actionibus dixerit, & de sensitrice, eiusque facultatibus sensitricis externis, internis, de sensibus vtpote quinque, & sensu communi, phantasia, Reliquum erat etiã de intellectiua agere, cui proprium est intelligere, deque potentijs eius & obiectis quodammodo. Nam simpliciter pertinet ad metaph. ob Deũ, & separata, & ob id vbi peruentio fuerit ad eorum intelligentiam Arist. fecerit finem dicendi de intellectione, & dabit initium sermoni de Intellectu practico, quare etiam tractabit actiones intellectus, Hæc summa consilij in reliquo opere tertij de anima, Non conteram tempus in confutandis interpretibus, quoniam ex nostra interpretatione id erit factum, proponitur ergo dicendum de potentijs animæ intellectricis, quæ est particula animæ rationalis humanæ constitutæ ex sensitrice vegetali, & intellectrice, tanquã ex partibus essẽtialibus, aut ex potentijs cum anima humana accedens deforis a Deo secundum Arist. 3. cap. secundi libri de partu animalium, & non e semine continent vegetalem, sensitricẽ cogitatiuam tanquam suas potentias, vt quadratum continet duos triangulos potentia, & si sit quadratum solum, Nam diametro ducta actu fiunt bini trianguli, ita anima rationalis adueniens in se redigit vegetalem, qua embrio, fœtus viuebat ante 12. diem in maribus, & in fœminis ante 42. & sensitricem motricem, qua moueri incipiebat fœtus, & alias vires animæ, quę postea absoluto animali prodeunte in lucẽ exercent officia sua cũ tẽpore exactius, & ita deprehenduntur seiunctæ, diuisęq; potentiæ organis vt tractu diametri actu fiunt bini trianguli. Quare anima rationalis apud Soc. Plat. Aristot. constat ex multiplici potentia & vna essẽntia, vt recte vidit Plutarchus quoad istud dogma, quale secutus est diuus Thomas, cum ergo proponitur De particula animæ intellige humanæ, seu rationalis, seu intellectiuæ, cuius essẽntia, & substantia in corporea non ẽ semine, sed diuinitus deforis accedens apud Arist. & apud Hippoc. in libello de natura pueri continet potentias vegetalis oẽs, sensitricis, & intellectiuæ, Appellat particulam animæ more Socratis, Plato

nis in Timæo, vbi solum de humana anima, vt ante hos alij veteres dixere plane differendo intellectricē tū genus animæ immortale, tum partem uocat quod ēt in quarto, & sexto dialogo de republica fecit, ob id Gal. libro quinto de decretis, Hip. Platonis tū partes animæ, tū facultates appellat, animāq; cap. 4. citati libri ait cōpositā ex diuersis partibus genere & natura velut irascibilis, cupiditas, rō tres sunt, Atq; tres partes animę sedibus corporis disiūctæ dicuntur, quia cupiditas subter pręcordia est plantalis quidē. Irascibilis intra præcordia, Ratio aūt in capite, Hæ partes quoq; officio diuerso facultates, & potentiæ dicuntur, & ne plures nunc author vocat partem intellectuale animæ humanę particulā, q̄ si appelles facultatē non refert, Illud philoponus aduertit cur particula, nō pars dicta sit? Decernit perinde dici, ac in sermone de toto mūdo quis vocaret solē particulā, immem or tamē cōsuetudinis Arist. in alijs libris vocādo partes particulas, Sed id ad rē pauci momenti, illud potius cōsiderādū quæ sit ista particula animę rōnalis, Alij putāt cogitatiuā tdq; tribus rationibus prima. quod Arist. nō solet ab extremo ad extremū accedere sine medio cū supra de sensu cōi, & phantasia sit disputatū, oportet etiā dici de cogitatiua, & opinatrice ante intellectū, quare cū de his nō dixerit, nunc de cogitatrice sermo est, quæ cognoscit, quatenus rōcinatur, & ideo vocatur a Græcis dianęa, & sapit, quatenus opinatur. Est enim opinionis sapere de eligendis, deliberādis, quæ in vtrāq; partē quis opinatur. ob id paulo post dicet Aristo Quid ergo dicitur intellectus animæ Dico aūt intellectū, quo cogitat, & existimat anima, nihil est actu eorum, &c. Plane ait, quo Cogitat, & existimat, ergo hæc particula animæ est cogitatiua qua cognoscit dicitur intellectus, & qua sapit opinio, & intellectus practicus mouens, Secunda quia Cogitatiua anima est propria homini. Mirū in sermone de anima hanc prætermitti. Tertia. quoniam si quis perpēdit bene omnia hominis nouerit eius intelligere non esse aliud quā cogitare, meditari, & postea opinari, & opinionibus impelli ad gerenda, & sentienda, seu affirmāda, & neganda. Vnde Auerh. quatuor intellectus enumerauit Cogitatricē, potentię. in habitu, agentē, asserit ęrgo cogitatiuā intellectū, Alexander itē vtrāque cogitatricē, opinatricē admittit dici intellectus, & ad opinionē pertinere consilium &c. ad cogitatricē, scientiā. Hāc adultis aduenire post innatum intellectū opinatorē, ēt intellectū materialē, potentiæ nihil aliud esse, quam habilitatē animę cogitatiuæ ad excipiendas species intellectiles, vt anima sit sicut tabella, nuda, & intellectu potentiæ ipsa aptitudo ad excipiendas formas, Græci consusi post Alexandrū affirmant istā particulam animę nostræ esse quandā substantiā incorporeā simplicē sine organo, & sensorio, quæ cognoscit p duplicē facultatē, Vnā potentię, alterā agentē, quoniā intellectus in habitu vel in actu est idē intellectus potentię receptis habitibus, & cū operatur, & alterā intellectus practici, Auerhoes in suo cōmēt. quinto animā intellectricē esse cogitatiuā ponit, cui aduenit intellectus potentię, qui est intelligentia separata ęterna vna numero in omnibus hominibus, per quā homo intelligit vniuersalia ope ra præcedente intellectus agentis, qui est separata intelligētia, & substantia, Vnde rōnalis anima cōponitur primarie ex cogitatiua, & his intellectibus assistentibus homini, vt nauta naui, quorū intellectus potest homini copulatus non quo ipse intelligat, sed quo homo per ipsum cognoscat ope phantasiæ dependet a phantasmatibus, ita, vt ille vnus intellectus quo ad se intelligat, sine phantasmatibus, sed copulatus cogitatiuę, & homini indiget illis ad intellectionē & ob id materialis, potentiæ, patibilis passione perficiente vocatur, Quare apud Auerh. hęc particula animę est essentia quędā cogitatiuę cui adsunt intellectus materialis, agens, cui ēt est volūtas, & intellectus practicus, sed errat Auerh. quia intellectus materialis, & agens apud cū nō sunt particulæ animæ, nunc Arist. loquitur de particula animæ nostrę diuisa in duas facultates cognoscendi & agendi, De his suo modo intellectibus postea, quoniā plane suum cōmentum est. Censui ego hanc particulā animæ esse essentiā simplicem in corpoream aptam perficere corpus non e semine ortam, sed deforis accedere cum Aristot. cap. 3. secūdi de partu animalium cuius essentiæ primariæ facultates duæ intellectus Theoreticus, & practicus, & Theoreticus quāuis vnus sit subiecto qui & agens, tamen ab seipso differt officio, quoniam qua actu moueas est agens dicitur, qua recipiens potentia, & materialis, Recipit autem priusquā nouerit habitus, agit vero illustratus lumine naturali quo lumine assentimus prius principijs, de quo postea, Alias potentias habet secundarias cogitandi, & opinandi, aliàs sensificas, infimas vero vegetales, Quare de particula animæ rationalis, quæ est essentia simplex perfectiua corporis non e semine, sed deforis diuinitus edita plures continens potentias & inter alias, hanc particulā qua & cognoscit, idest cogitat, opinatur, intelligit potentia, habitu, actu. Nam cogitatio, opinatio, intellectio

quo-

quocunque modo est quædam cognitio. Sed dices potest intelligi etiam hæc particula sensus humanus esse, & phantasia, quia sunt particulæ, quibus anima cognoscit. iccirco aiunt dicēdum qua anima intelligit, alij aiunt annexum ob id & sapit, quod est proprium intellectui, & rationi, Nulla enim alia vis animi nisi ratio sapit, tamen sapere actio est intellectus practici, quæ præsupponit esse cognitionem, & ideo illud sapere ad intellectum practicum attinet. Aduerte quia dicit qua anima cognoscit, & sapit, & non homo, & ita cognitio, & prudentia sunt operationes propriæ animæ rationales, vnde definita esset illa quæstio in primo libro, ne sit operatio propria animæ, Atque videtur id aduersari alteri sententiæ primo libro, cum inquit author melius est dicere hominem anima discere cogitare, cognoscere, quam animam; Nisi propriæ sint rationali diuersæ a sensitrice, vegetali etiam si communicet homo intellectione, de qua dubium est, an solius animæ sit primum quæ tamen accedens corpori illam communicet, an nec corporis, nec animæ seorsum, sed vtriusque simul, hoc est compositi hominis. Verum de hoc erit sermo, nunc anima cognoscit primum, & sapit, & non solum vtitur corpore, vt Plato dicebat in libro suo Alcibiadis, sed etiam perficit, quo deficien te, non ob id interit anima, quia non e semine orta sed diuinitus, & deforis, vnde animæ illæ intereunt cum corpore, quæ e semine proficiscuntur, & iccirco dependent quo ad esse, & conseruari a materia, & corpore, sed rationalis anima non e semine duxit originem, ob id nihil cōe cum corpore, vt Arist. lib. 2. de partu animal. cap. 3. decreuit, quod si nihil habet cōe cum corpore, certe neq; interitū, & mortē, nec actionē intelligere quare hæc actio illi propria intelligendi, & sapere, vnde nō est in organo vt sentire, neq; in corpore subiecto, a quo dependet, & si a phātasmate dependet non est id suapte natura, sed prout actionem illam homini concedit cuiusmodi illa aptus ad capessendam, non aptus est nisi per phantasmata intelligere, Anima autem intelligit ex se sine phantasmatibus, Hactenus igitur proposuit primum, interim prætermissa illa quæstione vel potius dissoluta in primo libro videlicet siue separabilis in vtroque statu præsenti cum perficit corpus, siue in futuro post mortem, siue non separabilis in vtroque statu præsenti cum perficit corpus, siue in futuro post mortem, siue non separabilis nec in hoc statu, neque in futuro, & antequam corpus cęplt perficere. Tres status animæ numerantur ante lapsum in corpus Platonice in Timæo, vbi author certo in numero cōditus animas nostras duxit, & cuiq; astro vnā, & suo fato pręscriptā delabēdi in corpus, quæ sententia vana est, & si recte in illo dixit a Deo cōditas, secūdus status dicitur donec corpus perficit, & gubernat, abortu vsq; ad mortē. Tertius post mortē, & iccirco quæritur, ne separabilis, an inseparabilis sit in omni statu magnitudine, id est a corpore, cum Socrates in Philebo animā in extasi a corpore seiungi suo opere dicat, & ideo philosophiam esse huius mortis meditationem constituit, hoc est separationis intelligentiæ a corpore sed ratione, ita vt sit in corpore, sicut sensitiua, vegetalis hæc nostra, sed solum ratione, idest definitione, & non subiecto sit separabilis, cum sit alia vegetalis, alia sensitiuæ, alia intellectiuæ ratio, & definitio, vt dictum est in secundo libro, De duplici statu præsenti, & futuro meminit secundo libro author dicens nondum liquere ex dictis ibidem in definitione animæ generali, an inseparabilis sit anima nostra, an separabilis sicut nauta naui ab ipso corpore. De statu futuro postea in eodem libro citato, cum scribitur videri intellectum speculatiuum esse alterum genus animæ, & separari tanquam perpetuum a caduco quidam putant, & si illud visum est Platoni in Timæo de statu isto, quando Plato separat rationem ab ira, & cupiditate tanquam immortalem animæ partem a caducis irascibili, cupiditate locis, vt subter præcordia locet concupiscibilem, intra præcordia irascibilem, in capite rationem, quod si animam intellectricem quoad est in corpore tanquam immortalem separat a caduco quanto magis immortalis erit separata omnino a corpore, quod ex se immortale nulla contagione efficitur mortale, & ne contagione infestaretur dirempit illam a reliquis. Quocirca potest etiam hæc prætermissā nunc quæstio, ne anima sit separabilis magnitudine, an inseparabilis, & sola ratione separabilis, hoc est non separabilis loco, vt Plato fecit locans eam in capite, sed sola definitione, Hanc quæstionem primo libro visus esse Arist. sustulisse affirmans non esse tot animas in corpore cum quicque animal sit vnum vna forma, & anima, Atque intelligi potest ne sit anima nostra separabilis ab alijs non solum substantia, vt est, sed etiam organo, sicut sensus sunt externi summis quidem organis diuisi, Vtcunque dicatur hæc quæstio nunc dimittitur, quasi dicat considerandum de intellectrice anima siue sit mole, siue definitione separabilis, aut inseparabilis. Secundum proponitur, & quam differentiam habeat vel a reliquis facultatibus animæ, & naturis iam patuit, & patebit. vel quam differentiam habet ipsa in se quatenus patitur, & quatenus agit, & prout est in actu, & in habitu, & mouet, quoniam per di

uersa

uersa officia videatur plures potentiæ differentes, Vtroque modo processus operis disputabit de differentijs animæ nostræ, Tertium proponitur, & quomodo fiat intelligere, considerandū hoc est quomodo formas rerum compræhendat, & quomodo agens intellectus eas agat, & patibilis recipiat, & si diuidat, componat, & simpliciter intelligat, & quomodo naturalia, mathematica, & abstracta, Hæc processus futurus explicabit.

## Contex. XII.

*SI ergo intelligere est sicut sentire, aut erit aliquod pati ab intellectili, aut quid alterum huiusmodi, oportet ergo impatibilem esse, & capacem speciei, atque potentia tale, sed non hoc. vtque sensus capax ad sensilia, ita intellectus ad intellectilia.*



ON exorditur a tertio proposito, vt quidam male interprætantur, quoniam de tertio disputabit declaratis intellectu potentia, in habitu, in actu, agente, sed sumit quod verum est quoad similitudinem quandam, & communitatem qua sensus, & intellectus consentiunt in passione perfectiua, veteres qui supra dice bantur asseruisse intelligere sentire dici, & esse facillime dabunt hanc similitudinem. Si ergo intelligere est sicut sentire, tametsi similitudo aliquam differentiam indicet, & conuenientiam in qua similia cōsentiunt, vt gemini facie similes, ingenio forte dissimiles, Verum quia facile dabatur a priscis, iccirco sumit illud, & subiungit communitatem, aut erit intelligere aliquod pati ab intellectili, & dixit aliquod pati, quia non proprie patitur cum interitu substantiæ, vel accidentis, sed solum perficitur sensus, & intellectus, aut quid alterum huiusmodi, Philoponus inquit hoc additum ad ostendendum quod erit alterum pati, scilicet perfectiue, & non vidit, quod si sensus eiusmodi patitur, quod non erit alterum, pati, siquidem sensus, intellectus consentiunt in eo patiendi perfectiue genere, sed potius est alterum pati intellectus ab illo sensus, quia non organice patitur, nec per medium, nec ab excellenti intellectili afficitur, interit, sicut sensus, organice per medium ab excessu sensilis afficitur. Cæterum ex his elicitur, quod non de omni intelligere hæc similitudo fit, Non enim de intellectione intellectus agentis, quæ est pura actio, nec de intellectione intellectus in habitu, & actu, quoniam non est quoddam pati, sed agere, ergo sermo est de intellectione intellectus potentiæ, & materialis, qui nobis a sexto, vel septimo anno aduenit, hoc est apparet intelligere, & est, sicut tabella non picta primum, aut libellus non scriptus, vt Plato quoque reliquit scriptum in libro de summo bono, Hic enim patitur intelligendo, discendo, & intelligere est passio, vel qualitas patibilis perfectiua, atque ortus est author ab operatione quia notior facultate, & potentia, & si debuit ante ordiri ab intellectili, quod actione notius, tamen qua intellectile est difficillimum captu, cum sit forma, & quidditas rei, & aliqua forma difficilis captu, vt Deus, & substantia separata, & quidditas non potest eius intelligi pro statu isto, & in solo lumine naturali, ad quam intellectus noster se habet, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, secundo metaphys. libro, & si vere loqui volumus, quia vltimæ differentiæ essentiales latent, quidditas difficilis captu est, Nec mirum sit, cur initium fiat ab hoc intelligere intellectus potentiæ, & ab ipso, quia ortu prior est, & qui fit omnia intelligendo, & qui maxime propius est imbecillitati nostræ, & quo primum a belluis distinguimur, imitatur ergo naturam in scribendo author, & dixit si intelligere &c. cum conditione, quia postea clarum erit, quomodo non est sicut sentire, sed hactenus sit sicut sentire quo ad genus patiendi perfectiue, in quo conueniunt, & ob id aduerte intellectile nomen esse relatiuum ad intellectum, sicut sensile ad sensum, vtque sensile aptum est mouere sensum, ita intellectile intellectum, & si alio modo quia sensile mouet medium, sensorium sine ope alterius agētis, intellectile autem sine medio, sensorio est id quod aptum est in phantasia mouere intellectum, & tum agens intellectus vniuersales species intellectiles in intellectu potentiæ creat de quibus postea, nunc infert, siue patiatur intellectus sine in tertio modo sensus, siue alio modo non organice cum sensorio oportere impatibilem esse, Quid tu Alexander quinimo vos omnes appello, qui de mente Arist. censetis animam mortalem? Verbum est clarissimum, impatibile, non cum interitu patitur, neque organice, neq;

cor-

corporeo modo quomodo igitur mortalis est & interitura anima nostra. Et si actio communi cata corpori dependet ab aliquo obiecto corporeo, vt a phantasmate, eiusque mutatione actio cõ municata afficitur, attamen intellectus innascitur substantia primo libro supra, atque deforis ve-nit, & nihil habet commune cum corpore subiectiue, & si in corpore actio homini communicata dependeat ab obiecto in organo phantasiæ, quod est phantasma, at vero quod interit subiectiue patitur passionem cum interitu, vnde in morte est solus recessus animi a corpore, quale solum interit, Nec obstat si dicatur omnia orta occidunt primo libro de cęlo, quandoquidem non est ortus animæ a prima materia, vel a semine, sed deforis diuinitus accedit homini, iccirco forma non e materia educta, si oriatur alio modo, non interit, Nec dixeris animam intellectiuam gigni a parente, si generans homo vniuoce gignit similem in forma specifica, quoniam satis est generare hominem vniuoce per alias potentias cogitandi, opinandi aptas perfici a forma diuinitus accedẽte intellectiua. Quinetiam satis est in semine esse vim organicam aptam recipere intellectiuam animam, & ita vniuoce procreat homo hominem, sed reuertendum ad verbum impatibilem, quia obijceretur illud supra contex. x. intellectum morbo occupari, & somno, quare patitur cum interitu, obijceretur totus liber Galeni de moribus qui sequuntur temperamenta corporum, cum in phrenesi, melancholia afficiatur intellectus, Vtinam spe ? asset Gal. quod docuit spectaculum esse in libris de simpl. medicamentorum facultatibus id quod per se, & quod per accidens euenit, hoc enim modo nouisset animum nostrum impatibilem per se, & occupari, & affici per accidens ex affectu phantasiæ cogitatiuæ, quibus facultatibus cum intellectus vtatur vt ancillis proximis videtur, & ille affici, Atque si actio corpori humano communicata affligeretur quia dependet a phantasia, non ob id actio propria animi per se. Nouit & id Arist. primo libro, vbi reliquit intellectus substantiam innasci, nec interire, & si interitum esset maxime senio tabesceret attamen animam in senio non affici, sed phantasiam, & organum, vt fit in ebrijs & subdit intelligere, & contemplari marcescere alio quoddam intus corrupto scilicet phantasia, sed ipsum intelligere per se impatibile est, & intellectus est quoddam diuinius, & impatibile. Quid clarius hoc testimonio cõ formi cum verbis in secundo libro de partu animalium cap. tertio quando asserit originem animæ nostræ non e semine, sed deforis accedere diuinitus, Quare physiologi sunt qui cortices verborum accipiunt Aristotelis, & quo videantur magni suscitant quid noui, & Alexander mihi magnus interpres videri plerunque solet, sed considerem potius Theophrasto. Eudemo, qui vocem authoris audierunt confitentes animam immortalem. sed hoc alias pluribus, nunc dedit occasionem verbum illud, impatibilem esse, deinde subiungit genus passionis suæ perfectiuum, quia solum consistit in receptione, & capacem speciei intellectilis, Duplex est species vna sensilis semper purius facta a sensibus externis, a sensu communi, a phantasia, a cogitatiua, opinatiua, altera intellectilis, quæ est opera intellectus agentis elaborata, similitudo quidem intellectilis vniuersalis, cuius capax est intellectus materialis potentiæ vti tabella polita capax picturatum, sed imaginare tabellam, quæ pingi posset hominis figura vniuerse, ita, vt visa figura nihil aliud repræsentet quã hominem, & non Socratem ventricosum, aut gibbosum, ita intellectus est capax speciei similitudinis vniuersalis, vt cogitatiua speciei Socratis, Philandri &c. cum ergo capax est speciei, intellige vniuersalis rei similitudinis, atque potentia tale, ita, vt non habeat speciem vniuersalem intellectilis, sed possit recipere, quod sane verbum in Platonem dici putant, qui censuit in Timæo animã conditam a Deo cum omnibus habitibus rerum, sed lapsam in corpus obliuisci, atque reminisci vel sensus opera vel magistri voce, vt quoque scriptum reperies in dialogo, qui de virtute inscribitur, vel Memnones. Aristoteles a Deo dari putat homini, vt tabellam non pictam sed aptam picturæ animam ipsam, quare est in pura potentia intellectilium, & ad habitus primũ, & ad actiones sequentes habitus, velut puer capax est grammaticæ, & potest etiam adepto habitu illo operari secundum illum, sed apud Platonem anima erat solum in potentia ad operationem secundũ habitus, sed illud forte mirum videretur, quia intellectus est forma, & actus quomodo dicitur potentia pura omnium intellectilium, & eo magis quod Alexander interpratatur, tale sed non hoc, idest sed non forma, cum tamen intellectus sit etiã forma, Nisi intellectus ad duo referatur ad corpus perfectibile, & ad suam perfectionem, vt perficit corpus, & actus, forma, entellechia quæ tamen collata ad suam perfectionem per habitus, & operationem dicitur pura potentia omnium intellectilium. Vt sensus omnium sensilium, ita intellectus omnium intellectilium capax sed alio modo, quia sensus vis in corpore, & organo recipit, at intellectus sine corpore, postremo aduerte quod similitudo sensus, & intellectus est quo ad receptionem perfectiuam, & ita intellectus

est

est potentia passiua, & definitio eius, vt sit potentia passiua capax speciei intellectilis potentia intellectile, sed non hoc actu nec quemadmodum est, nisi per similitudinem, non enim intellectus vbi intellexerit quidditatem leonis euadit leo, sed fit talis quidditas per similitudinem, quia leo non est in anima, sed species leonis, Definitio intellectilis est, vt possit mouere actu intellectu perficiendo, quod cum fuerit cognitum, erit actu intellectum, ergo habes quid intellectus, quid intellectile potentia, & actu intellectum, quare differt intellectus ab intellectili potentia, quia huius est actiua transmutandi alterum, qua alteri, nono metaphys. libro, & intellectus patibilis ab altero qua alterum, etiam si se intellectus intelligat quia cum sit potentia incorporea supra se conuersiua se intelligere potest qua alterum sed quomodo qua alterum explicabitur, & quomodo sit actio eius immanens hoc est in se recepta, & non in altero, nunc illa similitudo, vt sensus ad sensilia ita intellectus ad intellectilia non solum quo ad similitudinem receptionem, sed etiã quoad receptionem comprehensiuam cognitricem fit, & quo ad potentiam, quia nec sensus, nec intellectus est suum obiectum actu, ante cognitionem, tum fit illud per receptionem.

## Contex. XIII.

*Necesse ergo est, quia omnia intelligit impermixtum esse, vt prodidit Anaxagoras quo imperet, idest cognoscat, quia intus apparens alienum arcet, & intercludit, Quare non potest esse alia eius natura, quam hæc vna, quod sit potentiæ is intellectus, qui animæ uocatur. Dico autem intellectum, quo opinatur, & intelligit anima, & hic nihil est actu eorum quæ sunt ante intelligere.*



STATVIT intellectum patibilem scilicet passione cum interitu, atque sine organo, sed patibilem ab intellectili perfectiue non organice, vnde trahebatur eius definitio, vt esset quædam potentia passiua comprehensiua intellectilis per speciem eius non actum intellectile, sed potentia tale, quare cum sit capax omnium intellectilium, necesse est ergo, vt sit impermixtus, quod confirmat verbo Anaxagoræ de intellectu diuino dicens illum præesse chao, & confusæ moli ex omnibus rebus principio, & separatum ab eo vt imperet, & separet omnia, quod imperium trahit Arist. ad propositum cognoscendi, & dicit, idest vt cognoscat, & ob id separatum esse oportet, quia si intus esset, & permixtus non permitteret alia intelligi, & cognosci quum intus apparens arceat alienum, & iter adeundi intercludat, vt oculus in iccorarijs flauus non sinit rubea percipi, sed facit videri alia flaua. Sed dices vnde illa vox, ergo pendet. vt sit necesse immixtum esse intellectum quia omnia intelligit, Primum ex superiori contex. vnde habetur, quod intellectus omnia intelligat? Deinde si omnia intelligeret, cur immixtus, cũ sententia Anaxagoræ extorqueatur ad propositum, siquidem est de intellectu diuino segregante chaos, vt asserit Arist. primo phys libro, necnon de intellectu practico imperante, & operante, ac mouente chaos, & non intelligente, atque illud intus apparens prohibet extraneum potius contra præmissa obijceretur, quia intellecta quidditate leonis non posset intellectus intelligere alias, siquidem intus apparens arcet extraneum, & ita non omnia intelligeret. Ad hæc seriatim dicendum illam vocem, ergo, non sequi ex dictis in superiore contextu, sed ex hoc, quia omnia intelligit, ergo non est mixtus vlli, & omnia intelligere ex superiori contex. habetur, quia si est potentiã intellectile, cum omnia sint intellectilia, iure omnia intelligit si nõ tuus, saltem meus, & ille, & ille intellectus, atque singuli intelligũt omnia, sed obijcies intellectum humanum esse Dei æqualem intellectui, qui omnia intelligit. Dixeris non intelligi eodem modo a Deo, & nostro intellectu, neque infinitum actu, sicut seipsum intelligit Deus, & quidditatem suã, atque non pati intelligendo, sed agere, nec per species, sed per naturam suam cognoscere. Verum quomodo intellectus noster cognoscat, in processu erit explicatio, Ad secundum obiectum, cũ dicitur, & si omnia intelligit, cur immixtus? Respondebis, quia omnia intelligit esse immixtum contra Empedoclem, qui censuit animam nostram mixtam ex quatuor elementis, & terra terrena cognosceret, & aere, aerea, & igne ignea &c. contra quem primo libro, & secundo disputauit

author

author. Rursus contra Democritum, qui ex athomis conflauit animam, vt ex principijs omnia intelligeret, & denique contra omnes, qui miscent eam, Atque immixtus est corpori, quoniam nō forma ex semine orta, sed aliunde inuecta, quæ immixtio ex eo quod omnia intelligit propterea sequitur, quoniam intellectus intelligens quoque formas materiales corporeas, vt quidditatē ossis, carnis, &c. necesse est vt sit denudata ab omni forma tali, ergo etiam erit denudata a forma corporis omni, quare non est forma corporea, sed immixta, alioquin si mixta, non recipiet formas mixtas, quia intus apparens prohibet extraneum, quinimo eius passio esset cum interitu, vnde non potest esse forma in corpore scilicet ab eo emanans, & constituta per illud, sed solum perficiens aliunde aduenniens corpori, Hinc quoque in assertores mortalitatis animæ animaduerto, si immixta est anima nostra, neque ex mixtione resultans, vt Alexandrum quoque confutemus, neque superueniens mixtioni, quoniam non omnia intelligeret, ergo immortalis. siquidem quicquid interit merito contrariū interit, at vero immixtum calido, frigid. sicco, humido non habet contrarium, Et quanquam non infert immortalitatem immixtio, alioquin simplex elementum non interiret, attamen immixtio sine contrario, vt anima est concludit immortalitatem, sicut Arist. primo libro de cęlo hoc idem cęlum conclusit non interiturum, quia materiæ immixtum ad esse, & non esse, & caret contrario, Anima est huiusmodi, non materialis forma, & carens contrario, quale nam est hoc contrarium? Atque tertio immixtus est intellectus intellectilibus, quia si aliquod haberet non esset eius capax, nec illud potentia, sed actu, omne enim recipiens, qua recipiens est denudatum a natura rei receptæ qua recepta, aut recipienda, & idem intellectus se intelligens vno modo est intelligens, & alio intelligitur, vt erit euidens, iccirco non oportet, vt recipiens sit denudatum a natura speciei receptæ, quinimo eiusdem speciei capax est singulariū, vt mediocris albedinis maioris est capax, & tactus consistens in mediocritate caloris percipit excessum, neque excessus a medio specie differt, alioquin quot gradus caloris, tot species essent eiusdem caloris, quod absurdum atque accidit calori, vt sit maior & minor sæpe ob subiectum, ceu calor aquæ balnei minor, quam aeris, intensio remissio caloris, frigoris, siccitatis, humiditatis his qualitatibus accidunt, vt celeritas, tarditas motibus, & oculus coloratus recipit colores. Nisi intelligatur omne recipiens carere recepto tanquam ratione recipiendi se, a quo erit diuersum vel substantiā, vel quidditate, vel ratione vel gradu perfectionis, Et recipiens necesse est carere recepto, vel recipiendo, ne sit simul potentia ad illud, & actu habens illud, & ita potentia frustra, Verum adhuc dubium est, quia non sequitur caret forma intellectili corporea, ergo non est vis in corpore sic non bene concluditur sensus caret omni forma corporea sensili, ergo non est in corpore, aut cogitatiua capax omnium cogitabilium, & formarum corporearum, quas cognoscit, ergo non est in corpore, si addatur quod sensus, & cogitatiua recipiunt organice, & ideo sunt corporeæ formæ, & mixtæ, intellectus recipit non organice. Cum præterea extorqueri sententiam Anaxagoræ ad propositum supra obijciebatur depelles obiectionem verbum Anaxagoræ pertinere ad intellectum cognoscentem & operantem, Addebatur alia obiectio, quod illa ratio intus apparens prohibet alienum euertit præmissā, quia intellecta quidditate leonis non intelligeretur asia, cui dicendum, quod si illa quidditas leonis immixta esset intellectui, & non extra reciperetur, vtique prohiberet aditum alteri quidditati, ne cognosceretur, sed extra aduenit, & non est mixta secundum naturam, tam & si aliquod aliunde adueniens prohibet extraneum propterea quod lædit id, cui aduenit, vt fuluus color oculis arquatorum, & linguæ febrientium amaritudo, Cæterum aduerte oculos non esse vere coloratos, & vbi essent nihilominus oculi reciperent aliorum colores, quia distinguuntur vel specie, vel gradu vel colores eorum non sunt ratio recipiendi alios, distinguuntur autem specie, quia sunt colores oculorum animati, & cogniti aut recepti plerunque inanimatorum, atque tactus comprehendit alia calida, frigida, tanquam potentia existens in organo temperato animato, quod & nouit Simplicius interpres. Ex dictis ergo quod omnia intelligit his immixtus. colligitur natura huius intellectus, qui dicitur materialis, non quia sit materia, aut mixtus materiæ, sed vel ad similitudinē materię primæ recipientis formas rerum existentium, & si interest, quia materia recipit cum interitu contrariæ formæ, & hanc vel illam formam cum dimensione nec cognoscens, sed intellectus actus est non recipit cum interitu formæ alicuius, neque organice cum dimensione, sed cognoscens, & ideo differt quoque a sensu, qui apprehendit organice, vel dicitur materia apud Alexandrum quia subijcitur intellectui agenti, vel habitibus, vel operationi intelligendi, & speciebus. Colligitur ergo natura intellectus materialis, quæ consistat in potentia recipiendi spe-

cies intellectiles, & actiones, & sic potentia intellectile non actu tale contra Platonem. Et alios, qui intelligere volebant intellectum per similitudinem rei ad rem, & terra Empedocles terrena cognosci dicebat, sed per species similitudines rerum intelligit spirituales, Et est potentia receptiua vniuersalium, cum sit tamen actus corporis, quibus etiam differt a potentia materiæ capacis singularium, & quæ non est actus, & ideo quidam legunt hæc verba, Quare non potest eius alia esse natura, quam hæc vna quod sit potentiæ, quare non esse ipsius naturam nullam, cum sit actus corporis, licet hic actus sit potentia recipiendi intellectilia, Alexander legit, quare neque est eius vlla quædam natura, sed potentia, & aptitudo ad excipiendas formas, Non sicut tabella nuda, sed sicut illa carentia picturæ, quæ expositio omnino falsa est, siquidem illa carentia in aliquo est, igitur in anima intellectiice, cuius potentia vna est intellectus materialis, & non carentia, neque verum est carentia intelligit, sicut intellectus intelligit, nec illa promptitudo, & habilitas est potentia intellectile, quinimo tollitur habitu, & actu præsente intellectus autem perficitur, neque illa habilitas est capax formarum, & alia pleraque dici possunt, vnde potentia est in anima, quocirca subiungit, is intellectus, qui animæ vocatur pars, vel potentia, ne intelligatur intellectus diuinus, aut mens motrix orbis cœlestis, nec vllus separatus quicunque sit etiam dæmonum, & quia etiam phantasia est quidam intellectus, & intellectus agens, statim ad differentiam horum necțit. Dico autem intellectum, quo opinatur, & intelligit, rectius vertitur, & cogitat, seu ratiocinatur, phantasia non opinatur, nec ratiocinatur, nec intellectus agens qui est actu, & nō potentia intellectus, sed dices quomodo intellectus opinatur anima, si intellectus differt ab opinatrice facultate, & a cogitatiua vtraque organica? Nisi nexus opinatrici, & cogitatiue opinetur, & existimet, quinimo imaginatur, & sentit sed secundum se intelligit, sat tamen fuit Aristoteli docere quem intellectum diceret, eum nempe, qui esset potentia animæ rationalis illa, quæ copulata opinatrici opinetur, & cogitatrici cogitet, phantasia quia inferior opinatrice, cogitatrice non vtitur his, & ideo non dicitur phantasia opinari, nec cogitare, Nec par est seruus vtitur domino, intellectus autem copulatus his, etiam vtitur, & nihil est actu eorum, quæ sunt intellectilia ante intelligere, potentia duplex, vna ante receptas species rerum intellectiles, altera receptis ad actionem, intellectus primum est potentia, quæ nihil est actu intellectilium, siquidem nullam speciem, & habitum habet, antequam recipiat, idque contra opinionem Platonis, vt supra est dictum, Huc citandus est Auerhoes in iudicium, qui finxit nouum commentum, nec Pythagoreum, nec Socraticum, nec Aristotelicum de vno intellectu numero in omnibus hominibus, qui sit potentiæ capax omnium intellectilium vniuersaliter, & præsit humanæ speciei æternus cum illa, & si copuletur huic homini, & illi, atque huic phantasiæ, & illi, & intelligat per hæc, & illa phantasmata, & deficiat eius actio defectu phantasmatum, vnde æterna substantia est, sed actione merito suæ copulationis cum phantasmatibus deficit, &c. Sed quæso dic Auerh. an perpendisti hæc verba, his intellectus qui animæ vocatur, & adhuc, illa, dico intellectum, quo anima opinatur cogitat. Ille quidē intellectus vnus numero æternus non est animæ, neque quo anima opinatur, quia si est intelligentia non opinatur, nec id quo opinatur anima, Mirum videretur quod natura perferret intellectum illum perfectum actu sola commutatione cum phantasia cadere imperfectissimū, & potentia quicquid intelligit passiua, & mutari mutatione phantasmatum, & opinionum ita, vt agitaretur quam maxime infinitis phantasmatibus hominum, & imaginationibus innumerabilibus, atque falsis sæpissime. Vnde maiori parte temporis versaretur in falsitate, quā in veritate, sed cum videam illud esse plane suum commentum abhorrens ab Aristotele, qui credidit intellectus esse plures hominum, & plures animas intellectrices, quæ in diuidua corpora perficiant, & si communiter in hoc tertio naturam intellectus explicet, & bonorum animas, & voluntates differre a malorum ac malis in libris ethicorum, & politicorum, idest de moribus, & ciuilibus rebus, necnon in problematibus aliter effici intellectum humore melancholico, & aliter hunc alio, & alio morbo, necnon intellectum puerorum nondum affici phantasmatibus infantium scilicet, sed adulterum, & aliter scientium, & rudium, quare non est existimare Aristotelice vnum esse numero intellectum in hominibus, & si ob artem, & scientiam tradendam de vno communi disserat, sicut de omnibus disserere proposuisset, ob id non obstare argumenta Auerh. quæ persuadent vnum esse, quia si numeraretur numero singularium esset facultas corporea aut corpus id non sequi dicendum est, Numerari enim potest, vt singuli intellectus sint in singulis hominibus, vt animæ, nec ob id corpora sunt, nec vires in corpore, quia ani-

mæ rationales non e semine procreantur. sed a Deo cuilibet homini datur sua, ceu cuique sua sapientia datur & scientia, nec ob id est cor, vas illi, nec virtus in corpore, sed in anima. Numeratio ergo formarum non concludit corporeas esse, nisi oriantur e materia, cum triplex sit genus formarum. Vnum sane diuinarum sine ortu, aliud earum quæ oriuntur e materia, & conseruantur per eam, vt omne genus formarum caducarum, Tertium est formarum, quæ oriuntur non e materia, & hæ si numerentur, non ob id corporeæ sunt, sed incorporeæ, & æternæ. Nec obstat aliud quod subiungit Auerh. quod si numerantur animæ nostræ, essent intellectæ potentia, & ita cum sint intelligentes, etiam seipsas intelligent, & sic recipient seipsas, & cum idem se recipere nõ possit nisi diuisim, & non secundum idem, ergo erit quæcunque anima corporea, vt sensus, & certe non obstat quia intelliguntur animæ vniuersaliter, & sentiuntur per operationes suas, & aptæ sunt similitudines suas efficere in cogitatiua, & per vniuersales species intelligi, & quælibet anima intelligit aliam ope cogitatiuæ, & ex illa in se conuertitur, nec ob id corporeo modo nec diuisim, & demum esse vno numero intellectum si se intelliget idem erit intellectum, & intelligens, quod nisi diuisim efficeretur, ergo ratio æque contra Auerh. Nec obstat tertium, quia si animæ numerarentur, essent intellectæ, & nulla differentia foret inter illas in anima & extra animam, Hoc puerile est, quia in anima sunt vniuersaliter & extra numeratæ, & indiuiduæ, cum etiam a seipsis intelligantur vniuersaliter secundum naturam recipientium, & non receptorum, cui respõso si obijcias aliud quod hæc, vel illa anima non recipit, nisi hanc, & illam formam indiuiduam, verum est si esset organica, & dependens a materia quo ad esse, sed quælibet anima intellectiua nõ est organica in proprio organo & si est in corpore organico entelechia, tamen non dependet ab eo quo ad esse, & conseruari, quia non e semine orta est, ideo recipere potest vniuersaliter, maxime opera intellectus agentis, de quo postea, Quare quot corpora indiuidua, tot animæ intellectiuæ comprehensiuæ vniuersalium, & intellectus est potentia vna animæ intellectiuæ passiua comprehensiua specierum intellectilium, & intellectionis quæ potentia non est carentia, vt Alexãder ait, sed qualitas animæ rationalis comprehensiua, qua anima dicitur intelligere, & opinari si iuncta fuerit opinioni, & hactenus hæc.

## Contex. XIIII.

*Quare rationi consentaneum est, vt nec mixtus corpori sit. Nam qualitate præditus esset calidus, uel frigidus, vel etiam instrumentum aliquod esset, sicut sensitiuo, Nunc uero nullum est. Ac recte illi aiunt, qui animam asserunt locum specierum, non totam tamen, sed intellectiuam, nec actu, sed potentia. Quod uero nõ perinde est impatibilitas intellectus, ac sensus constat ex sensu, & organis. Sensus enim non potest sentire valde sensibilia, ut ingentem sonum, neque odores vehementes, & colores videre & odorari, At uero intellectus cum intelligit excellens intellectile non minus intelligit infima, sed magis, Nam sensitiuum non sine corpore est, intellectus autem separabilis.*




OLLIGIT item ex eo quod intellectus est impatibilis passione interitus, & quod est immixtus rebus intellectilibus, quarum nulla est ante intelligere, nisi per receptionem specierum, rationi consentaneum esse, vt nec mixtus sit corpori contra Empedoclem, qui cecinit animam commixtam ex elementis, cõ traque alios dicentes illam esse corpus, velut aerem, ignem, aut aquam &c. ga si non est mixtus corpori, multo magis nec corpus est, Quinimo contra Alexandrum asserentem animam esse formam superadditam mixtioni, vt concentus superuenit temperamento vocum, vel sonorum, quoniam si non est ipsum temperamentum, attamen illa superueniens forma ex temperamento oritur, Decet ergo si non est mixtus corpori intellectus, vt nec ex mixtione oriatur, alioquin ex massa seminali mixta duceret originem, contra videlicet Arist. 3. cap. secundi libri de partu animalium, sed videamus rationem Aristotelis nunc hypotheticam, Si esset intellectus corpori mixtus, aliqua corporis mixti qualitate esset præditus, vel contineretur aliquo instrumento corporeo, sed neutro modo & illi communicatio cum corpore, ergo non est mixtus, Enersio consequenti. declaratur, primum non esse prædi-

tum intellectum qualitate corporis,quia non est calidus,nec frigidus,nec siccus,mollis, asper,humidus,omne corpus ex his facultatibus miscetur primo libro de generatione & omne temperamentum vel excessu calidum,vel frigidum,vel siccum,vel humidum, vel calidum siccum, calidum humidum, vel frigidum humidum simul,vel frigidum siccū, quare si simplex esset corpus intellectus,vel ex horum excessu aliquid plane esset alicuius horum qualitatis particeps, & non est,quia nec calidus,nec gelidus intellectus est,Et quia quis diceret etiam sensum nō esse calidum, nec frigidum,attamen facultatem esse corpoream,icciro docet etiam non esse mixtum corpori, vt sensus interior,vel exterior quoniam sunt corporei sensus ob organa,in quibus sunt, sed antequam doceat intellectum non habere organum laudat veteres,Platonem, qui animam dixere locum formarum specierum, ideatum, non totam, aut quod vult animam esse quoddam totum ex partibus essentialibus vegetali,seu concupiscibili,& sensitiua, aut irascibili, & intellectiua nos totum potestatiuum ex potentijs asseruimus,sed intellectiuam, non actu contra Platonem asserētem actu habere omnes habitus,& species animam, attamen potentia, quia potest recipere, & hoc modo laudat dici animam locum specierum, & non mixtum corpori Plato ideas in mente Dei opificis tanquam exemplaria condendi posuit,in natura tanquam rationes formales, in anima tanquam notitias,& species vniuersales sciendi, & metaphorice animam vocauit locum specierum cū non sit,siquidem locus non fit species locati, & anima fit intellectile per speciem, sed iam quarto libro physico,decretum est locum non esse formam,laudatur hactenus locus illa animarum,quia locus est separatus a corpore locato, & quia potest tum vnum recipere vel eius partes,tum aliud, & ita intellectus est capax specierum tum harum, tum illarum, & ob id quædam scit, & quædam ignorat,atque separatus a corpore tanquam ab organo, cum dupliciter misceri possit aut secundum esse,aut tanquam vtens organo,vt primum docuit, secundum docet neque vti corpore tanquam subiecto in quo,vel cui assistat,sicut cogitatiua,imaginatiua, memoria,sensus communis,& proprius,& ostenditur euidentia agendi,seu patiendi, vnde differentiam etiam impatibilitatis sensus,& intellectus explicat, siquidem intellectus est impatibilis organo, & subiecto, sed sensus & si impatibilis secundum interitum quoad ab excellenti sensili non læditur, tamen afficitur affecto sensorio,vt affecto oculo visus,idque constat, quoniam auditus non potest ingentem sonum ferre,quia organum læditur,nec odoratus excessum odoris, nec visus lucem solis diu,& maximos colores,quoniam sic afficiuntur organa, vt sensus læsi non possint postea infirmiora sensilia percipere, ob id obtutu fixo in solem postea oculus alia videre non potest, aut videtur videre omnia lucida,quocirca Plato persuasit tum aciem oculi cōuerti ad aquam & ablui oculos donec resipiscat illa simmetria oculi,& vis cernendi,contra autem accidit intellectui, qui vbi difficilia,& alia intellectilia atq; abstrusa capit,facilius capit inferiora, & minus ardua, quare sensus est facultas organica nec metam patiendi in organo superare potest,intellectus quia separabilis non obligatur his legibus,& icciro perfectior redditur altioribus perspectis, Cogitatiua læso organo medio ventriculo cerebri afficitur, memoria postremo imaginatiua primoribus, vel corde apud Arist. Vnde error Galeni apud Auerh.quia ille censuit argumento in secunda figura ex omnibus affirmatiuis cogitatiuam esse intellectū.Intellectus intelligit,cogitatiua intelligit, ergo cogitatiua intellectus,forma argumenti mala, & si Auerh. & hoc modo facit argūi. Intellectus attribuitur homini,cogitatiua attribuitur homini, ergo cogitatiua intellectus, plane peccat forma,& re,non enim eodem modo attribuitur cogitatiua,& intellectus, illa enim est inseparabilis ab organo,intellectus separabilis. Verumtamen non legi in Gal. hanc rationē, & si ille author secundo libro de locis affectis prodat animam intellectiuā cogitare,reminisci,intelligere,eligere, summa ergo est,vt intellectus nō sit mixtus corpori,nec virtus,seu potētia in organo, quare subiecto, & organo separabilis, Obijcies animam intellectiuam esse entelechiam corporis organici Obijcies Platonem in Alcibiade asseruisse animam nostram vti corpore tanquam instrumento. Obijcies vti phantasmatę corporeo,quia necesse est intelligentem phantasmata speculari,Et phātasma est in phantasia organica,Obijcies ex primo de anima intellectum quod ad actionem interire quodam marcescente interius. hoc est phantasia læsa, Obijcies intellectum esse in homine, aut ergo sicut entelechia,& præfectio,& ita est in subiecto,aut sicut nauta naue vtitur & ita vt organo vtitur corpore,obijcies si anima intellectiua actu sit intellectile cum intelligat calidum,frigidum,ergo fit illud, Adhæc dicendum quo ordine obiecta sunt. Ego non inficior animam intellectricem entelechiam corpori organici, & illud perficere,verum separatam qua ratione non dependat ex eo quo adesse, & conseruari,quia deforis venit, quare non est forma educta ex materia,

teria, neque ex semine. Quoad Platonem dices interesse inter nos & illum, quia in Timæo illa prodidit animas hominum conditas in astris, hincque delabi suo fato in corpora est adesse, vt nau tam, naui, nos a Deo accedere homini dicimus quæ perficiat corpus humanum & sit entelechia corporis organici, sed non quo ad esse dependeat, & conseruetur a corpore organico in actione sua præcipua intelligere. Quoad phantasma dixeris intellectum indigere phantasmate, sed ob id non est subiecta corporea, & intelligentia motrix orbis indiget sphęra in mouendo, nihilominus nō vis est corporea, quinimo agēs intellectus esset virtus corporea, quia æget phantasmate, quod facit actu intellectile, & artifex æget lima malleo, attamen separabilis est, quia non est in eo subiectiue. Quoad affectum intellectus marcescente phantasia apparet, quod sit separatus, & si actio eius intereat defectu phantasmatis, aut quia copulatus illi. Quoad aliud iam decretum est animam entelechiam corporis nihilominus separabilem & separatam, quod non dependet ex eo in esse, & conseruatione, vt sensitiua, & omnis organica, Ad vltimum obiectum fit anima calida per similitudinem spiritalem & spiritali modo, & non afficitur calore, afficeretur autem si ad Empedoclis carmen mixta esset, & per similitudinem rei ad rem, vt duo oua, duo gemini, fieret intellectile, sed fit solum per similitudinem, & imaginem spiritalem intellectile, cum ipse intellectus sit incorporeus, & recipiat secundum naturam recipientis, & non rei receptæ. Cæterum adhuc in Alexandrum, & omnes putantes de mente Aristot. mortalem animam nostri generis, Ea viri quotquot estis audiatis consentaneum rationi, vt intellectus sit non mixtus corpori neq; calidus, nec gelidus, nec organicus, nec affici excessu intellectilis & tandem omnino impatibilem corporeo affectu. Omne tale propterea est immortale quia caret causis interitus, Causæ mortis est qualitas actiua vel passiua contraria causa mortis in animante defectus calidi innati, & consumptio humidi primigenij vel violentia, Anima nostra nullam qualitatem patibilem habet nullumque calorem natiuum, neque consistit organi simetria, cur non & immortalis? Cedite ergo, quia sententia Arist. est vt sit immortalis ex omnibus hactenus dictis in hoc capite, vt prętercam silentio nunc rationes Socratis in phedone, & de pulchro Platonis, & alibi.

## Contex. XV.

*Cum vero singula fit, tum sicut sciens dicitur, qui est secundum actum, Hoc vero euenit quādo per seipsum potest operari. Atque tum est quodammodo potentia sed non perinde, atque erat ante addiscere, & inuenire. Quinetiam tum potest seipsum intelligere.*



E Intellectu materiali iam in habitu, & in actu per habitum sermo est, cum supra descripserit eum, quod erat quædam potentia patibilis sine interitu cōprehensiua non organica ad excipiendas formas intellectilium, vt tabula nuda, nec esse hoc idest intellectile per speciē antequam intelligat, & admittat species intellectiles, ob id de eodem agit quatenus admisit has species, quo tempore dicitur intellectus habitu, non mera potentia, ob id duplex eius potētia est, vna ad habitum, & species, alia ad operationem, ut puer ante grammaticen est in prima potentia ad habitum illum, vt consecutus est, cessat illa potentia, & alia nascitur ad operationem, hoc est contemplandi grammaticā, & vti scribendo, vel docendo. Huiusmodi intellectus non est, nisi in doctis, & cognoscentibus, sed illa prima potentia homini data est, non alijs animalibus vt male Alexander credidit, & iccirco pueri ex se omnes homines patres vocant naturali hac potentia, sed adultiores discernunt, & quendam habitum agnoscunt. Dicit ergo de habitu intellectus materialis, qui singula diuisim intellectilia fit omnia quidem simul vel nullus hominum intellectus fit vel omnes omnium simul fiunt. omnia simul intellecta, vel raro in senectute sed crediderim tam breui spatio viuendi humano generi concesso, & hoc quidem dimidio somno, & quieti impertito intellectum materialem non posse effici omnia intellecta, cum tamen naturale desiderium sit omnia consequi. Hinc ne fraudetur desiderium, & ille ardor, necesse est, vt post mortem hominis remanens intelligat, sed pro statu isto ut fit singula tum non est adhuc potētia mera negans habitus & species intellectiles, sed sicut sciens dicitur scilicet habitu, cui non deest nisi operari cum voluerit per seipsum, sine opera magistri.

sensus

sensus externi,& imaginatritis, si opus fuerit, sola memoria utetur,& ob id tum cessat illa potentia prima,& suboritur secunda velut habentis scientiam qui possit operari,& hæc potentia differt a prima, quia est potentia actiua, prima erat passiua, & edit operationem per habitum, ut artifex ante perceptionm artis nudus erat potentia ad suscipiendam artem,& rationem efficiendi, vt obtinuit etiam adeptus est facultatem efficiendi. Hoc pauci aduertere, cum tamen aduertere debuissent, siquidem prima potentia est materialis,& recipiendi, secunda sequitur formã, & actiua est, Ergo differt intellectus materialis ab intellectu in habitu, Ille patitur,& potest recipere, hic potest agere iam actu perfectus, si ergo quis petierit quid est intellectus in habitu dixeris eundem intellectum perfectum habitibus,& speciebus, quibus facultas est operari,& intelligere, Nec refert si dicatur recipiens operationem, quia qua materialis recipit, qua in habitu agere potest, sed quomodo fieri possit in habitu, & quomodo actu operans illustrius erit expressa natura agentis intellectus interea eo modo describatur intellectus in habitu, cui si addatur etiam illud quod Arist. subdit, Atque tum est quodammodo potentia operandi actiua dum non operatur secundum adeptum habitum, sed non perinde, atque erat ante addiscere,& inuenire, planum erit, quod distincta erit potentia, siquidem illa ante disciplinam,& inuentionem, vt est in Memnone Platonis potentia est passiua,& post habitum, & res intellectas est potentia actiua, quamquam in eo conueniant, quod passiua est cum negatione,& illa actiua cum negatione, sed passiua negat habitum esse tum, potentia actiua negat tum operationem, Differt item intellectus in habitu a materiali, quia ille potest se intelligere, iste nequaquam, Verum hę differentiæ, sunt eiusdem a seipso vno modo,& alio modo, sicut idem pars differt a seipso quando est in potentia, vt robur habeat ad ambulandum,& quando iam habet robur,& potest ambulare,& quando iam ambulat sic idem intellectus potentiæ differt a seipso, vt potentia recipiendi species,& cum iam habet,& non operatur,& cũ operatur, icc irco cuiusdam diuerse, descriptiones afferuntur Alexander Aphrodiseus cap. de intellectu in habitu hæc vero confirmat, omisit secundam potentiam dici actiuam nõ passiuam sequentem vtpote formam,& habitum adeptum ab intellectu materiali, qui fit singula vniuersalia Nam intellectus est vniuersalium primo, & secundum se, sed coniunctus cogitatius est singularium, Alexander item narrat intellectum in habitu se intelligere per accidens, & species intellectus, si enim fit singula,& hæc intelligit, ergo se quoque intelligit, sed de hac intellectione erit sermo, nunc si Alexander credidit intellectum in habitu non esse aliud, quam perfectionem intellectus materialis ob compræhensas formas vniuersales quæ sunt idem intellectus in habitu errat, quinimo intellectus in habitu nihil aliud esse quam quid constitutum ex intellectu materiali, & habitibus ceu formis intellectus vniuersalibus primũ substãtiarũ, & per eas sensu cooperante accidentalibus,& singularibus, proinde vt de origine intellectus materialis supra reliquit scriptum, quod substantia animæ nobis gnignitur, cum ędimur in lucem, cui tanquam tabulæ, rasæ innata est habilitas,& promptitudo ad pingendum, ita ad intelligendum, quæ promptitudo est intellectus materialis, ita etiam de origine intellectus in habitu asserit innasci postea ex assiduo intuitu rerum sensilium, & sensuum functionibus quandam phantasiam,& quædam phantasmata vnde datur facultas capiendi vniuersales formas, quas cogitatiua adultior facta sæpe uisis,& eruditior tum intellectus innascitur, ex frequenti consideratione fit habitus,& ita intellectus est in habitu,& sicut sciens habens scientiam,& potestatem vtendi ea. Parcat Alexander, quia hoc totum est dogma platonicum in Memnone, ( præterea nunc dici cogitatiuam intellectum, quia omnino id falsum ) illa organica, minime intellectus organicus,& non Aristotelicum qualem asserit intellectum agentem,& hunc esse causam intelligendi,& habitum in ipso intellectu materiali, ut erit compertum, quoniam si ex assiduo sensuum, & phantasiæ cogitationum officio oritetur comprehensio vniuersalium, plane non opus esset intellectu agente. Quare ad eum locum reseruetur oratio, sat est Alexandrum errare grauissime.

Caput

## Caput iiij. tertij libri tradit quomodo intellectus fiat singula abstrahendo species a rebus.

### Contex. XVI.

*CUm autem aliud sit magnitudo, aliud magnitudinis esse, & aliud aqua, & aquæ esse, & in alijs itidem multis, sed non in omnibus, & in nonnullis enim idem est esse carnis, & carnem, atque cum alio, vel aliter se habente iudicat intellectus. Nam caro non sine materia, sed velut simum hoc in hoc, merito sensitiuo calidum, & frigidum indicat, & quorum ratio est quædam caro alio videlicet separabili, vel sicut inflexa linea se habet ad seipsam quando extenditur. Nam etiam carni esse differunt.*



VISA hæc oratio obscurior interpretibus occasio fuit dissentiendi, & pene digladiandi de proposito Aristo. elis. Ne nunc cumulem eorum dissensiones dixerim doceri quomodo intellectus fiat singula intellectilia, cum multiplex sit intellectile. Vnum abstractum a materia opera intellectus, & hoc dupliciter aut quia suapte natura separabile, vt mathematicum rerum generis, quæ sunt in materia, sed suapte natura separabiles ingenij ope 2. libro phisicorum. altero modo abstractum a materia excellentia intellectus agentis præcipua, vt genus formarum naturalium, quæ non possunt ex se a materia separari sicut Aristo. 2. libro citato prodidit id latere eos, qui ideas faciunt, cum separent formas naturales, quæ minime separari possunt, & illa separatio non est sicut hæc intellectus agentis qui denudat phantasmata a materialibus conditionibus, & facit ea actu intellecta, sed erat separatio secundum rem, quia ideas a suis singularibus abstrahebant, alterum intellectile est particulare vt hic Socrates, philander &c. cogitatiua facultate maxime perceptum, Tertium Intellectum potius actu genus rerum diuinarum, Dei, & mentium, Quartum accidens est, His præmissis vult explicare quod supra dixit quomodo intellectus in habitu est singula intellectilia, Illud præmittendum quod intelligitur plane esse forma, & forma, & quæ sit quidditas rei primam substantiæ, & deinde aliarũ categoriarum Hinc est, quod intellectus noster naturaliter desiderat de vnaquoque re cognoscere quid sit, & postea cur sit, Hoc etiam vulgarium cupiditate constet nedum eruditorum studio, & cum a sensilibus qualitatibus manabant species, & similitudines sensilium, ut a colore imago coloris in sensu, & soni in aure similitudo, ita a forma specifica & quidditate proficiscitur species intellectilis recepta ope intellectus agentis ab intellectu materiali, cuius illa est habitus vt ergo declaretur natura intellectilis primum, deinde differentia pro ponitur distinctio formæ, & quidditatis qua forma est, & qua in materia, & ita qua forma est dicitur quoddam commune, est vniuersale postea accedente opera intellectus agentis, velut humanitas est quidditas hominis cuique singularis homini communis, accedente intellectus agentis ope fit actu vniuersalis. Quomodo autem accedat hæc opera intellectus agentis postea, nũc, qua forma est communis, qua in materia hac vel illa singulare, & distinctum per materiam. Vnde apud Aristo. forma tripliciter se habet materialis in materia sua multiplicata, in singularibus, in ipso intellectu, in propria materia est singularis, in ipsis indiuiduis communis, & in potentia vniuersalis, fit actu vniuersalis ab intellectu agente, vt sit in materia apprehenditur a phãtasia, in subiectis singularibus a cogitatiua, vt vniuersalis ab intellectu potentiæ, Verum phantasia non apprehendit eam In singularibus, quia inferior potentia non capit modo quo superior, nec cogitatiua percipit vt vniuersalis, quo scilicet modo apprehenditur ab Intellectu, sed contra fit, superior intellectus coniunctus cogitatiuæ compræhendit eam in singularibus, & coniunctus phantasiæ, & sensui eandem percipit in materia cuius similitudo est apud sensum, & phantasma apud phantasiam,

ſiam, his bene a te (mi lector) notatis facile hunc contextum callueris. Accipe ergo primum diuiſionem formæ qua forma, & qua in materia. Cum autem aliud ſit magnitudo in mathematicis exemplum, quia magnitudo facile eſt ratione ſeparabilis a materia. 2. lib. phyſ. & pro magnitudine intelliges quidditatem eius, quia magnitudo eſt ſua quidditas, & eſſentia expreſſa per diffinitionem, aliud magnitudinis eſſe, prout videlicet eſt in materia ſubiecta. Vnde aliud eſt eſſe rei, aliud eſſentia, hoc in materia, illa eſt in pluribus. Et quoniam exemplum eſt in mathematicis, ne quis credat id facile dici ob naturam magnitudinis ſeparabilem, addit ſecundum exemplum de formis phyſicis inſeparabilibus a materia dicens & aliud aqua, ideſt forma, & quidditas aquæ, & aquæ eſſe, vt eſt forma in materia, & in aliis itidem multis mathematicis, & phyſicis rebus, ſed non in omnibus, quia in nonnullis Deo ſubſtantijs abſtractis idem eſt eſſe carnis, & carnem exemplo naturalium pro diuinis hoc eſt quidditas, & eſſe idem eſt, ſiquidem non ſunt formæ in materia, nec pro diuerſitate materiæ multiplicatur, de quo in duodecimo metaphyſ. nunc in iſtis eſſentia & eſſe idem, & quidditas, & eſſe illarum, ob id idem in illis intelligens, intellectum, intellectio, ſicut etiam intellectus agens eſt, cum ergo triplex intellectile poſuerit, ſubnectit quo ad operationem intellectus, & receptionem, atque cognitionem, & iudicium eundem diſcernere vel alia facultate carnis eſſe, ideſt formam in materia, & ob id ſingularem, & alia carnem, ideſt ipſam formam communem, & quidditatem. Quod ne ex eo negetur cum ex dictis in cap. 7. ſecundi libri ſupra vnum eſſe debent, quod iudicat duo diuerſa, & facit differentiam inter ea, vt de ſenſu communi, ſiquidem facile eſt, vt vnus dicat hoc, & alius aliud, ſed dicere differentiam duorum ad idē pertinet, & ideo non oportet altero, & altero iudicare, ſed eodem, iccirco ſubdit idem iudicare veluti aliter, & aliter ſe habens, quare hæc duo quidditas rei, & eſſe in materia ab eodem intellectu poſſunt apprehendi dummodo ſe habeat aliter, atque aliter, quia idem eodem modo qua idem non poteſt duo diuerſa obiecta diſcernere, & maxime cum neque eius vis ad vnum ſe extendat. Carnis eſſe apprehenditur ſenſu exteriori per qualitatem, per talem ſubſtantiam a cogitatiua, ſed caro & quidditas communis apprehenditur ab intellectu ope agentis intelligentiæ, & ob id addit atque cum alio, vel aliter ſe habente iudicat intellectus. Nam caro ſine materia non, ſed velut ſimum hoc ſingulare, ideſt hæc qualitas ſingularis ſimitas in hoc naſo, vel nare, e quibus collegit, merito ſenſitiuo calidum. & frigidum iudicat hoc eſt ſenſui tangendi applicatus, ſed quorum ratio eſt quædam caro ideſt quidditatem carnis, & formam alio videlicet ſeparabili, intellectu, qui eſt formæ communis carnis, vtque illa in ſingulis carnibus eſt. Quare intellectus iunctus phantaſiæ intelligit accidentia, iunctus cogitatiuæ intelligit indiuidua decem generum, & Socratem, Philandrum, Franciſcum de georgijs, &c. atque facit differentiam inter Socratem, & hominem, atque leonem, necnon facit hanc orationem Cicero eſt homo. Intellectus igitur diuerſis ancillis ſuis potentijs cognitricibus iunctus diuerſa intelligit, perſe autem formas communes ſubſtantiæ, & quidditates, quarum ſimilitudines format appellatas vniuerſales. Et quoniam idem eſſe etiam poteſt ſolus, qui iudicet inquit ſaltem alio modo, exemplo lineæ flexæ, quæ eadem eſt cum in rectum porrigitur, & vna alio modo eſt flexa & extenſa, ob id flexa ſi percutiat aerem reddit ſonum, quia vna pars percutiens, & alia percuſſa eſt, itaque intellectus idem ad intellectum agentem conuerſus principijs demonſtrationum confiſus colligit demonſtrationem, flexus ad opinionem dialecticum facit de probabilibus ſillogiſmum flexus item ad phantaſiam clerichum fingit, & flexus ad cogitatiuam cognoſcit ſingularia & hereas agenti intellectui quoque diuinas percipit mentes, & cogitatione ſeparat mathematicas res a materijs, quare fit ſingula intellectus apprehenſione eorum per ſpecies, intellectus item applicatione ſui ad agentem intelligit materialia, applicatione ad ſenſus materialia, quare per intellectum agentem eſt omnia fieri intellecta, & per ſenſum omnia ſenſilia intelligendo, vt quoque dicendum eſt ſuo loco, & per cogitatiuam formam hanc in materia ſingularem. Nam intellectus etiam carnis eſſe diſcernit, ergo cogitatiua vtitur comprehenſiua ſingularium, & quoniam exemplis formarum phyſicarum dedit modum cognoſcendi formas naturales, & quidditates, idem facit in mathematicis. Hactenus intellectus noſter comprehendit merito ope agentis intellectus formas, & quidditas perſe, per cogitatiuam & ſenſus has in materia, & cum materia.

Con-

## Contex. XVII.

*RVrsum item in his, quæ in abstractione sunt, ipsum utpote rectum, tanquam simum. Nam cum ipso continuo est, sed quod quid est esse, si aliud est rectum & recto esse alio. Si enim dualitas, alio ergo, vel aliter habente iudicat, ergo & omnino, vt a materia separabiles, sic & quæ sunt circa intellectum.*



QVONIAM forma materialis intelligitur, & per se, & vt in materia per sensum, & intelligo formam naturalem in materia, a qua non potest separari & vt inseparabilis intelligitur, ne des locum ideis, quas Aristotel. confutat, idem dicit de forma mathematica, quæ differt a naturali, quia suapte natura est separabilis per cogitationem a materia, licet quoad esse non possit esse sine materia. Accidentia sunt, & cōmuniter esse non possunt sine materia, licet sine hac, vel illa. Figura enim trianguli in ære, in tabella, in papyro ita habet tres angulos æquales duobus rectis in vna, sicut in alia materia, & ob id ostenditur illa passio inesse triangulo proinde, ac sine materia esset. Forma naturalis propriam sequitur materiam, nec forma carnis potest esse, nisi in carne, & ossis in osse, quare quidditas rei naturalis alio modo intelligitur quam quidditas rerum mathematicarum, & simili modo. Nam naturales formæ duos modos habēt, quibus percipiantur. Vnum quo communiter, & vniuersaliter. Alterum, quo in materia sunt, primo modo ope intellectus agentis. Secundo, applicatione intellectus ad sensus, Mathematicæ vero formæ tres modos habent; duos similes prędictis formarum naturalium, & tertium qua suapte natura separabiles sunt cogitatione a materia, Arist. nunc duos modos primos adhibet, siquidem mathematica, & abstracta, & in materia cognoscuntur diuersis facultatibus imaginatricę in materia quando intellectus ei copulatur, & separata intellectus agentis opera, de qua postea. Rursum item in his mathematicis, quæ in abstractione sunt, vt quantitates geometricæ, arithmeticæ, & prospectiue, & astronomiæ, qua geometricę, non qua in motu versantur. Tum enim sunt naturales, & non sunt in abstractionę. Exempla ipsum vtpote rectum, tanquam simum, ambo sunt in materia. Nam rectum est cum ipso cōtinuo, & hoc pro materia vsurpatur recti, quia proxima est, & ambo intelliguntur abstracta, quo ad quid est esse, hoc est quidditas eorum abstracta intelligitur, & communiter, atque vniuersaliter, cum intellectus agens abstrahendo rectitudinem, & simitatem vtranque faciat speciem intellectilem vniuersalem, quam recipit intellectus materialis, & fit in habitu, sed cum vtroque modo rectum intelligatur vt in materia, & abstractum, subditur, quod vel alia facultate in materia percipitur, & alia abstractum. Si aliud est rectum, & recto esse, alio, idest intellectus intelligit alteri potentiæ iunctus, vt phantasiæ intelligit rectum esse in materia hoc, vel illud, & alio qua rectū & quidditas communis, quia ope agentis intellectus. Et probat aliter intelligi rectum qua rectū, & recto esse, quia duo hæc sunt, & diuersa, ergo vel altera potentia, vel eadem aliter se habente, dicit. Si ergo dualitas, idest si duo sunt rectum & recta esse, alio ergo idest diuersis facultatibus, vel aliter se habente iudicat, vt se conuertit ad intellectum agentem formam, quidditatem vniuersalem abstractam a materia intellectus materialis cognoscit. Conuersus autem ad phantasiā & cogitatiuam eandem in materia deprehendit, ergo & omnino a materia separabilis intelligit quidditatem, vbi forte tertium modum adducit quo percipiuntur res mathematicæ, & qua scilicet suapte natura separabiles sunt. Nisi ob istum modum potius dixerit eas intelligi omnino separabiles, & non solum suapte natura separabiles a materia. Sic & quæ sunt circa intellectū, quæ verba obscura malis interpretibus dederunt occasionē aberrandi, iccirco vult dicere summā horū verborū, quæ hactenus fecit a principio capitis quarti, videlicet quod intellectus fit singula intellectilia materialia, & species intellectæ siue sint naturales, siue mathematicæ quatenus abstractę per opus agentis intellectus, & quatenus in materia sunt opera sensuū, & diuina quatenus intellectus, quia illa sunt omnino sine materia, de quo alias, nunc quidditas, & forma substātialis est primū obiectū intellectus, & nihil intelligitur, nisi ob talē formam, vel quod sit talis forma, nec ens, nec quicquid est quia hæc cōmunissima sunt formæ, & vniuersalia cōmunia, quod persuadetur ex eo quod nihil est aptum similitudinē sui efficere in intellectu, nisi forma. Vt enim pictura sumitur

mitur a figura rerum, ita species intellectilis a forma communi, quæ sit vel generica, vel specifica, ita, vt quoque accidentia sint formæ. Cæterum quia supra dicebat author intellectum fieri singula intellecta, tumque in habitu esse, & subiunxit intellectum seipsum intelligere, vbi expediuit quomodo fiat actu intellecta, dubitat quomodo sine passione, & sui mutatione id fieri possit, & deinde dubitat quomodo se intelligat, attende.

## Contex. XVIII.

*Dubitarit quispiam, si intellectus est quid simplex, expersque passionis, nec cum vlla re habet commune quicquam, sicut Anaxag. dicit quomodo intelliget, si intelligere est aliquod pati. Quod si est aliquid commune vtriusque hoc sane agere, illud autem pati videtur. Præterea si & ipse intellectilis, vel etiam alijs intellectus inerit si non secundum aliud sit ipse intellectilis, & ita vnum aliquod specie intellectile, vel mixtum quid habebit, qualem faciat ipsum intellectile, sicut alia.*



VBITATIO prima in decretū illud quod intellectus fit singula recipiēdo & patiēdo, vnde intelligere est quoddā pati, hæc est quia si ex dictis intellectus est simplex. Nam asserebatur immixtus, nec corpus, nec potentia in organo, necnon impatibilis, seu expers passionis cū interitu, & organice, vt supra est dictū, adde & tertiū iam conclusum, nec cū vlla re habet quicquā commune ex cōfirmatione quoq; Anaxagoræ, quæ tria supradicta fuerunt, quomodo ergo intelliget, & fiet intelligendo singula, si intelligere est quoddam pati, quasi dicat: pugnant hæc dicta inter se intellectum expertem passionis, & intelligere, quia intelligere est pati, ergo patitur, & non est expers patiendi, & adde tu quod est difficilius, si nihil habet commune cū re, quia separatus est, quomodo fit singula intellecta. Tum enim mixtus erit omnibus cognoscēdo, & quia quis diceret aliquod esse commune intellectili, & intellectui, mox subdit alterum agere, illud autē pati, quare patitur intellectus & non expers passionis. Secunda dubitatio, cū intellectus fiat singula intellectilia & se intelligit, ergo erit intellectilis, quod absurdum, quia idem erit intelligens, & intellectum, & intellectum intelligens, quare & intellecta ab ipso intelligente, ergo illis intellectus erit quod absurdissimum ex eo quod singulæ res erunt intelligentes. Quinimo si intelligentes se intelligent pari ratione, vt intellectus, & erit processus ad infinitum. Et cum quis diceret fortasse vno modo intelligere illum, & alio esse intellectile obijcit dicens accidere igitur illi, vt alijs intellectis, vt sit vnum intellectile specie, & forma vniuersaliter, vel quia mixtum sit materię & ita per sensum, & cogitatiuam percipiatur, at vero dictum fuit illum non esse mixtum. Addidit Auerr. quod non displicuit etiam concludi posse intellectum non intelligere, quia si fit intellecta, & plura non intelligunt, ergo nec ipse intelligere, sed ad has dubitationes lege quid respondeat author.

## Contex. XIX.

*Sed pati secundum quid commune prius est diuisum, siquidem intellectus est quodammodo intellectilia potentia, sed nullum actu priusquam intelligat, sic autem oportet vt in tabula, in qua nihil est actu depictum, quod quidem accidit intellectui. Atque idem est intellectilis, vt intellectilia. Nam in illis sine materia idem est intelligens, & quod intelligitur. Nam scientia contemplatiua idē est & scibile. Sed cur non semper intelligit, causa consideranda est, sed in habentibus materiam vnumquodque intellectile potentia est. Quare illis non inerit intellectus. Nam talium intellectus potentia est sine materia, sed ipse intellectilis rationem subibit.*



ILVIT dubitationes, & primam, quia idem intellectus est expers passionis, & patibilis, cū patiatur perfectiue, & non organice sine interitu, patibilis est ex eo quod nihil est actu eorū, quæ intelligit, ita, vt nihil habeat de passione nisi receptionē perfectiuā per species intelligibiles quarū nullā habet, vt tabula nuda picturis antequam pingatur

tur, ante intelligere, iccirco passio eius nõ est, nisi his formis perfici, & talis alteratio, mutatio est salutaris, & solũ perfectiua, alio modo impatibilis est, quia nõ interit aliquid. Quo ad secundã dubitationẽ respondet cũ intellectus intelligit se, tum esse intellectile, quinimo intellectũ, sed cuiusmodi sunt intellectus separati, qui ijdem sunt intelligentes, intellecti, & sua intellectio, sicut idem scientia, speculatio, sicut euenit illis, quæ sunt sine materia, cum ergo intellectus sit intellectile quale est sine materia, se intelliget, & tum est tale intellectile, cũ iam in habitu est, & actu incidit dubitatio cũ sit intellectile sine materia & actu cur nõ semper se intelligat, de qua alias cõsiderandum, nunc ad argumentũ dicit alia intellecta actu ab intellectu nõ intelligere, quia prius sunt intellectilia potentia, cũ sint in materia, quod si semper esset actu intellecta intelligerent, intellectus autẽ horum intellectilium potentia ipse est sine materia, & ita hac ratione erit intelligens, & intellectũ actu, vtq; forma sine materia intelligetur a se, & quia est potentia supra se cõuersiua. Credidit Alexander intellectũ se intelligere per species aliorũ, Aristoteles dicit se intelligere intellectũ, quia est sine materia intellectilis quare actu intellectile, & non potẽtia est, & quod actu tale est se potest intelligere & maxime cũ fuerit in habitu, & actu. Hinc falsus deprehenditur Alexander, qui censuit intellectũ materialẽ esse habilitatẽ quandã, quã si intelligit non esse potentiã animæ intellectiuæ separatæ a materia, errat, quia habilitas nõ dicit priuationẽ solam, sed qualitatem in substantia, & debet dici potentia, quia si patitur ante receptũ habitum, tamen actus est cum substantia animæ ipsius corporis organici, vt dictum est, contra quem multis inuehitur Auerh. sed his clarior est contex. legito.

## *Digressio de speciebus intellectilibus quæ sint & de ipso intelligere, cuius sit causa atque si species possunt esse in intellectu sine intellectione.*



AVERHOES arabs Manumethanæ sectæ multa corrupit in philosophia, & præter illud cõmentum de vno intellectu numero in omnibus hominibus addidit aliud de quarto genere rerũ existimans intellectũ materialẽ nõ formã, nõ materiã, nõ ex his cõpositũ sed quartũ genus entis, quod est pura potẽtia intellectiliũ. Desciuit a se iste homo siquidẽ hæc substãtia intellectus est actus, &c. forma, vt ipse fatetur, ergo est in vno genere formarũ, & maxime, quia ille censet hunc intellectũ coeternũ speciei humanæ assistentẽ, cui videtur tribuere essentiã, & existentiã propriã, quare nõ est pura potẽtia in genere intellectiliũ. Nec defendi potest ex eo quod quartũ genus entis posuit cõsiderans intellectũ coniunctũ phantasmatibus, & homini, siquidẽ interest asserere naturã eius quarti generis, & quo ad copulationẽ accidentẽ ei talẽ asserere. Quare inter alia errata hoc sit aliud. Nã intellectus est potẽtia naturalis animæ intellectiuæ, & si potẽtia sæpe vsurpetur pro ipsa substantia intelligẽte, sed tamẽ innata est potẽtia substãtiæ, quæ est actus, & forma qualitas, quæ dicitur recipere vsurpata pro ipsa anima intellectiua potente hac potẽtia recipere species intellectiles, & secundũ eas intelligere. Quare videndũ est an ista receptio prima specierũ sit intellectio, an quid aliud? Et certe specierũ receptio intellectiliũ est intellectio, quia Arist. sic appellat pati ab intellectili intelligere semper supra, tuũ sit reuisere cont. supra, quæ intellectio prima differt a secunda post receptas species, cũ iam in habitu est intellectus, & potest cũ vult intelligere, & contẽplari secundũ illũ habitũ, & se intelligere, & intellectio sui differt ab alijs intellectionibus, sicut vnaqueq; ab alia pro diuersitate obiectorũ non pro diuersitate intellectus, qui est idẽ capax omniũ intellectionũ, & pro diuersis modis intelligendi atq; multiplicatur intellectiones ab habitu intellectuali differentes numero circa idẽ obiectũ velut magister habẽs grãmaticẽ potest eandẽ docere secundũ diuersas intellectiones numero eandẽ disciplinã hunc puerũ, & illũ, & sæpe pro capacitate auditorũ, vt eadẽ oratio audita Demosth. in cõsessu Athenis alio modo fuit exaudita a Rhodiensibus. Quare intellectiones differunt penes obiecta, & diuersos modos, & diuersas capacitates intelligẽtiũ, sed prima receptio, & intellectio est specierũ intellectiliũ. Et dicuntur intellectiles ab obiecto, & a potẽtia intellectu ad differentiã specierũ sensiliũ. Quocirca aduertẽdũ q sicut qualitas sensilis est apta edere sui similitudinẽ in sensu, ita apta est forma cõmunis maxime substãtiæ edere speciẽ intellectilẽ in ipso intellectu. Dico cõem, quia particularis

& singularis est apta gignere speciē sui in cogitatiua. Hæc species igitur sensilis est similitudo, & imago rei sensilis spiritalis, primū in medio, deinde in sensorio, denique in sensu proprio, & cōmuni impressa. Et talis forma, seu species recte dicitur similitudo, effigies rei sensilis, quia Arist. exemplo docuit de forma sigilli, quæ remanet in cera sine materia ferrea, vel aurea &c. quinimo longe spiritualis recipitur species in medio, & adhuc spiritualius in sensorio, & sensu, velut si fiat vestigiū pedis prius in creta molli, mox in luto, deinde in niue, semper pro captu materiæ tenuius erit vestigiū, ita spiritualius species sensilis in medio, sensorio, & sensu. Vnde hęc recipiunt speciē sensilem ecu coloris, & non fiunt colorata, quia nō est mutatio rei ad rē, sed rei ad suā similitudinē, vt quoque vtar exēplo alio Aristotelico de speculo, quale admittit figurā faciei, & coloris, nec fit figuratū, & coloratū, quinimo recedēte facie, & imago deficit, quia innata est permanere præsentia qui dē obiecti, & recedere eius recessu; ideo lene speculū est, sicut etiam vmbra faciei videtur in aqua, sed in sensu remanent species, vnde somnia fiunt, vbi ergo sensus externus his speciebus impressus fuit, cōmunis sensus afficitur aliquāto spiritualius, & exactius propter iudiciū eius, vnde eadē species sensilis, & similitudo se offert phantasiæ, & apprehenditur per modū recipientis, quod est phātasia, & fit phantasma, vnde tertius ordo obiecti, & facultatū est quartū superior semper spiritualius recipit, phātasia vbi accepit phantasma seruiens cogitatiuæ exhibet phātasma accidētis, quia sensus nū capiunt formas substātiarū, tum cogitatiua recipit a phātasmate cogitabile ex accidēti præcipue proprio, vt ex risu viso, & percepto qua motus sensile cōmune suapte natura cogitat, & quodā ratione particulari ducitur ad formā ridētis particularē, singularēve, qua est in materia, & risus causam, & ita apprehēdit singularē substantiā, quā nullus sensus ante percepit, & fit quartus ordo rerū apprehensarū, & facultatū, sed nō sine ingenti dubitatione, videlicet quomodo sensile propriū, vel cōmune per species suas inducat speciē substātiæ singularis, & formę in materia, siquidē nihil agit vltra suā speciē, & omne aptū sit sui similitudinē, & nō alterius reddere, alioquin color sic speciē coloris, vt dulcis redderet. Atque semper notitia accidētis præcederet notitiā substātię & singulariū cognitionē illā vniuersaliū, cū sæpe substantiæ notitia faciat propria accidentia cognoscere. Quinetiā Arist. primo lib. innotescere substātias dixit ex accidētibus visis phātasiæ pluribus, vel omnibus, & nō notis cogitatiuæ, atque asseruit necesse esse phantasmata speculātri intelligentē & nō cogitabilia. Nisi cogitatiua quia superior facultas id habeat, vt disposita per inferiores potentias, & sua obiecta possit formare cognitionē substātiæ particularis, & ideo accidēs propriū disponit, nec efficit speciē substātiæ, nec eius species fit illa substātiæ quod nō est mirū, & sensus cognoscit, & recipit spiritualiter simulacrū rei suapte natura iā per mediū, & sensoriū apte præparatū, quare accidēs nō agit vltra suā speciē etiā si id est verū solū de efficiētibus perfectis vniuocis, simili modo accidētis proprij notitia tanquā disponēs præcedit, sed postea sequitur quoties perfecte cōcluditur per substātiā. Vnde ortu, & imperfecte præcedit, sed perfecte sequitur. Quod item Arist. ex phātasmatibus accidentiū innotescere substātias dixit, id vere remote, sed propinque ex cogitabilius fit dispositio ad notitiā formæ singularis cōiunctæ accidētibus. Quare in quarto ordine cognitio formæ in materia singularis fit, cuius idolū, & similitudinē retinens memoria tāquā rei iā cogitatæ recordatur, iccirco memoria ēt est singulariū formarū, & accidentiū cū seruet phātasmata, & cogitabilia & fit quintus ordo, sensuū interiorū exteriorū de quo ordine ēt sermo est in Auerh. in cōmē. de memoria, reminiscētia, & si primū ordinē reponat in re sensili, & dimittat illū sensuū exteriorū, ꝙ maxime erratū est siquidē eo enumerato sex ordines essent. Cū ergo cognita sit substātia particularis, & hęc, & illa, quia eadē ratione singularia cognoscuntur omnia, accedit facultas intellectus possibilis antedictis superior, cui solū est naturaliter apprehēdere cōia & vniuersalia, ob id cōprehendens hāc, & illā formā participare quodā cōmuni in quo cōueniunt, vt formā Socratis, formā Philādri, formā Laurētij hāc, & illā in quidditate hominis, & humanitate propēsus redditur ad intelligēdā eā substātiā cōem, & quidditatē, quæ cū sit inuoluta phantasmatibus, & cogitabilibus nō pōt nisi reddatur purior accipi ab intellectu, ob id agens intellectus superior potētia separat illā cōem naturā a phātasmatibus, & cogitabilibus quodāmodo, & cōficit actu vniuersalē, quę apprehēditur ab intellectu potētiæ, & apprehēsa ei nomē dat, velut hominis nomē, humanitati, & reponit eā in suis singularibus & prędicari facit de illis, æque de alijs speciebus spiritualissimis facit, & generibus. postremo intellectus factus in habitu cōdit, & fingit ipse sua opera, & notionēs quas appellāt secūdas intētiones, & vocat spēs, genera, differētias &c. Hic ordo, & hæc via laudabilior est, & cōiter approbatur. Vnde apparet quid sit species intellectilis cū sit imago, & similitudo vniuersalis formæ cōmunis existētis in singularibus & hac, vel illa materia

ria ſpiritualis, & abſtracta opera intellectus agẽtis impreſſiua intellectus materialis tãquã quædã eius pfectio & qualitas efficiẽs intellictionẽ cũ intellectu a quo poſtea fit nomẽ de plurib. dicẽdũ, & prædicãdũ, vel ſubijciẽdũ. Quare differt ab intellectione eius opatione, cũ intellectio ſit effectus ſpecies concauſa illius, ſiquidem perficiens intellectum edit actionem reſpondentem ſibi præcipue, vt grammatica appræhenſa intellectu non generat intellectionem Aſtrologici habitus ſed intellectionem ſecundum grammaticam, & ob id ſpecies iſta vel eſt materia intellectionis vel efficiens, vel ipſamet intellectio, cum non ſit intellectio ex ratione adducta, & item ex eo, quod ſpecies remanet abeunte, & deficiente intellectione, ac hæc eſt actio, vel paſſio, ſed ſpecies habitus, & qualitas, nec materia, quia eſt ipſe intellectus, ergo eſt efficiens reddens intellectum, qui erat materialis agentem ſecum ad intellectionem, itaque nec phantaſma, nec intellectus agens, nec cogitabile proximum principium afficiens intellectionis eſt niſi remotum. Sed duo dubia reſtant. Vnum de phantaſmate quid faciat ad intellectionem, ſiquidem neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari, Alterum quomodo intellectus compræhendat accidentia vniuerſalia quantitatem, qualitatem & cætera decem chategoriarum maxime, quod ſenſus capit accidentia, & intellectus ſubſtantias, potes addere tertium dubium, quia intellectus in habitu recipit intellectionem, ergo non agit eam, & ſi agit vbi eſt ſubiectum recipiens eam, cum non ſit aliud, quam intellectus, ergo ſi ageret & pateretur etiam ſimul, quod abſurdum. De primo dubio dicendum phantaſma ieciroo conferre ad intellectionem, quia confert ad ſpeciem efficiendam intellectilem remote, quatenus diſponit cogitatiuam ad cognitionem formæ indiuidualis, vnde elicitur ſpecies intellectilis, & hoc modo intelliges neceſſe eſt Intelligentem phantaſmata ſpeculari, Ad ſecundum dubium dices compræhendi ſpecies Intellectiles accidentium per phantaſmata, & ideo ſunt quidam qui fatentur ſine opera cogitatiuæ accidentia communia facta vniuerſalia ope intellectus agentis percipi, & ſi ſubſtantias nequeat intelligere materiales ſine cogitatiua, ſed dices accidentia igitur ab intellectu cognoſcuntur, quinimo ſed non ſicut ſubſtantiæ iam dictum eſt mathematica intelligi ab intellectu, & quidditates eorum, Equidem ſubſtantiæ compræhenduntur tanquam primæ quidditates, & formæ, ſine quibus accidentium formę non poſſunt intelligi, Quo ad tertium ſecus eſt de actionibus tranſeuntibus in exteriorem materiam, vt calor eſt cauſa calefactionis in alio, vt ligno, non autem in ſe, ſecus etiam de actionibus immanentibus, quæ remanent in eodem agente vno modo, & patiente alio, Nam intellectio recipitur ab intellectu qua materialis, qui agit qua intellectus in habitu, & ideo non idem eſt eodem modo recipiens, & agens, Hinc patet error eorum, qui ſentiunt ſpeciem intellectilem eſſe habitum intellectus recipiendi intellectionem, quia intellectus in habitu agit operationem, & non patitur, alioquin ſpecies illa eſſet vna alia potentia ſuperaddita potentię intellectus materialis ad operationem, & intellectionem excipiẽdam, quod abſurdum, ſiquidem per eandem potentiam intellectus recipit ſpeciem, & intellectionẽ quare ſpecies eſt habitus operandi ſigno, quod per eam intellectus format intentiones ſecundas velut genus, ſpeciem & ſimilia, Non enim intellectus agens format eas, quia non requiritur actio abſtrahendi a phantaſmatibus cum primæ intentiones ſint abſtractæ, nec phantaſma efficit, proxime ergo intellectus in habitu eſt genitor ſecundarum intentionum, poſtremo Ariſtotel. Indicauit ſpecies remanere in Ipſo intellectu ſine Intellectione, ſiquidem intellectus in habitu eſt vti ſciens, qui non operatur, Atque Interpretes vocant in habitu intellectum, & non actu operantem, ergo ſpecies remanent ſine intellectione ſubſequente propterea quod præcedens receptio ſpecierum dicitur quædam intellectio, ſine qua non eſt ſpecies in ipſo intellectu. Vnde vulgus appellat intelligentes doctos, etiam ſi non intelligant, nec operatur in eo tempore. Fortaſſe mirum videbitur cur in ſomno cum vacant operationes intellectus in habitu non operatur, nec ſomniamus per ſpecies intellectiles. Reſpondebis in vigilia, & ſomno perſiſtere ſpecies Intellectiles in ipſo intellectu, & non effici ſomnia de illis, quia eſt opus phantaſiæ, non intellectus ſomnium, At vero dices ſomniari concluſiones, diſputationes de rebus vniuerſalibus, vt accidit aliquibus, & mihi ſæpe, Niſi hæc omnia ſint ſpecies in memoria, & phantaſia, Verum de his alias, nunc fuit neceſſe (mi lector) hæc conſcribi, vt eruditior ſis, quoniam ſi bene animo tecum perpenderis, fatebere tu quidem hæc conſcribi oportuiſſe.

## *Tertij libri caput quintum de intellectu agente.*

### Contex. XX.

*CVM uero in omni natura vt aliquid extat, quod est cuique generi materia, idque propterea quod est omnia potestate, & alterum, quod est causa, atque efficiens ex eo, quod omnia facit, ceu cuiusmodi ars ad materiam se habet, necesse etiam est, vt in anima hæ sint differentiæ, Quidam porro est intellectus eiusmodi ex eo, quod omnia fit, & quidam ex eo, quod omnia efficit, uelut quidam habitus ceu lumen, Quodam enim modo & lumen potentia colores efficit actu colores, Et is intellectus separabilis est, nec mixtus, & impatibilis, cum sit substantia actu. Semper enim efficiens præstantius patiente, necnon principium ipsa materia.*



PERAEPRETIVM erat constituto intellectu potentiæ, & expressa eius facultate, & natura, qui pateretur perfici sine organo, quique facultate posset omnem intellectilem rem admittere, & nulli admixtus esset, sed abiunctus, vt omnia cognosceret, etiamque euadere per habitum specierum intellectilium similitudine omnia intellectilia siue in materia essent, siue cogitatione separabilia, siue ex sua natura intellecta, diuina quidem seque intelligere, ita reddere potestatem agentem, efficientem quæ responderet illi omnia faciedo intellectilia actu cuius facultatem, officium, naturam seriatim hic cõtex. exponit. Huic nomẽ iam vulgatum est in foro philosophorũ intellectus agẽtis, Hanc potestatẽ animæ diuinam & excellentem caue putes cum Auerhoe quandam esse substantiam æternam intelligentem caue putes Deum esse cum Alexandro, caue putes esse colchodeam infimam mẽtium diuinarum, aut aliquẽ dęmonẽ, quia horum nihil pertinet ad substantiam animæ nec pars animæ est, vt principio tertij capitis prodidit Arist. Atque cur de Deo nunc sermo qua intellectus agens suscipitur. Interesset quidem magis sapientis in metaphysicis orationem hac de re facere. Et quamquam numen ipsum Dei optimi Maximi omnia facere possit, haud tamen implicandum est leuissimis negocijs, vt nulla demonstratio confici possit, quin lumen agentis intellectus adsit, Quinimo lumine Dei omnia principia scientiarum affirmarentur, quandoquidem omnia lumine agentis intellectus stabiliri soleant, sed crede mihi metaphys. doctrina, & Theologorum fulciuntur lumine diuino cum impar sit lumen naturale lumini illi a Deo infuso, sed quoque illud repellit Alexandrum, quia patienti suum proprium agentem reddere oportet, & non communissimum, qui Deus est maxime, quare intellectui potentiæ in anima nostra respondeat agens intellectus proprius ex anima nostra idque contextus ostendit affirmans vt in omni natura propria hac, & illa est quod omnia patitur, in genere corporeo materia, & quod omnia agit, sol & proprium agens, ita in natura animæ proprium patiens asserebatur intellectus potentiæ, debet etiam tradi proprium agens. Nec omnia absolutæ velim intelligas, sed ea, & eiusmodi, quæ patiens ferre suo modo potest, Quid ergo habes Alexander aliud, quo putes nunc intellectũ agentem Deum esse, nisi quia omnia potest agere, adde cuiusmodi hoc verbum omnia percipi debet, nempe intellectilia actu, ad quæ erat potentia intellectus materialis, & sustulisti sane ac labefactasti tuum dogma, cum Deus ille maximus omnia possit absolutæ, & quæ etiam homo intelligere non posset præ imbecillitate ingenij. Cætera vero quod sit impatibilis hic intellectus, immixtus, separatus actu sciens, seque cognoscens etiam intellectui potentiæ adiudicata fuere, sed de Alexandro satis, conuerto me ad Auerhoem, qui vnum intellectum agẽtem omnino impatibilem & non perfectum alijs intellectis, neque egentem phantasmatibus intelligendo, sed unam substantiam esse intelligentem, & intellectam actu atque intellectionem, qui præsideat intellectui vni numero in omnibus hominibus, quod quidem videri debet dogma Auerhois, non Arist. siquidem hi dicat necesse has differentias in anima esse, quare intellectus agens est aliquid animæ, & non intelligentia separata, Ac mirum quod natura statuisset talem intelligentiam solum ad intellectionem intellectus potentiæ opportunam, quæ sit perse subsistens, & separata ab

huma-

humana anima, Deinde illud constat intellectionem hominis immanentem esse, quare si separati essent ambo intellectus ab anima, intellectio non esset immanens, sed in separatis, Quinetiam anima non saperet, nec cognosceret per al quid sui, & particulam communem contex. supra xi. Atque ex duobus separatis numero, & substantia, vt sunt ambo intellectus vnum effici principiũ intelligendi in homine non satis constat, iccirco falluntur qui putant substantiam animæ intellectiuæ conflatã ex intellectu agente, & intellectu potentiæ, tanquam ex vno potentia, altero actu, quia anima nostra est actus simplicissimus perficiens corpus humanum, Adde si quædam substantia componeretur ex istis duabus substantijs intelligentibus cum actio sequitur formam intellectio nostra sequeretur intellectum agentem & ita semper esset actu homo intelligens, Simili modo reiiciendus est Marinus affirmans intellectum agentem quendam intellectum dęmonis, & alij colchodeæ non audiendi, quia est vna potentia animæ intellectiuæ actiua intellectus agens, quæ salutaris qualitas cum substantia ipsa animæ est intelligens intellecta, & id est in fine, & cum fuerit perfectus habitus scientiarum, attamen hæc potentia actiua qualitas semper operatur illustrando vt lumen facit colores actu mouentes ita substantia intellectiua cum hac potentia facit actu species intellectiles, & mouere intellectum materialem, & intelligere donec in habitu fuerit, tum idem intellectus per habitum operatur, & ob id Arist. docet hanc potentiam esse actiuam respondentem potentiæ passiuæ in eadem natura animæ, argumento a simili, mox tradit officiũ eius, & naturam denique & si Philoponus decem colligit suo loco exponenda, & pluribus agat in opiniones enumeratas, nunc argumentum a simili est. Vt in omni natura, vbi scilicet est aliquid in suo genere materia ex eo dicta materia, quod est omnia recipienda in eodem genere potestate, ne frustra sit, cum se ad actum redigere non possit, alterum quoque quod sit causa efficiens est, propterea quod potest efficere actu illa, & vno verbo potentiæ passiuæ suum correlatiuum potentia actiua correspondet quinto, & nono metaphysicorum, idque non solum in physicis, sed etiã in artificialibus, si materia est lecticæ lignum aptum, & lecticarius opifex est, si infirmus, & medicus saltem natura, ita etiam in anima esse has differentias, & potẽtiam qua intellectiua anima omnia possit intelligere, & facultatem, quæ faciat intelligi singula, Quare triplex natura physica, artificialis, & intellectiua simili se habet modo, Aduerte in anima intellectus patibilem, & agentem appellari differentias, quo scilicet verbo Alexand. Aueth. Marinus potuissent desistere a suis opinionibus. Et reuera vtrique intellectus sunt duæ qualitates animæ. Vna per quam potest recipere oĩa intellectilia, alia vero, qua potest agere omnia. Subiungit officium eius agẽtis inquiens illũ efficere omnia intellectilia actu, quæ materialis intellectus potest recipere, Addit quomodo agat exemplo luminis ad colores, & habitus ad subiectum illi, Et habitus quidem est intellectus materialis, quo ille assuescit intelligere, cum per species intellectiles iam receptas præsit eidem, suoque lumine facit assuescere primis principijs, & dignitatibus primis scientiarum, quæ sua virtute continent omnia scienda & lumen est phantasmatibus, in quibus etiam agit, lumen autem non agebat in coloribus, nec quo ad esse eorum, vt sunt, quia etiam sine luce in tenebris sunt qualitates corporum, & superficierum, neque quo ad esse spirituale, sed solum quo ad actionem immutandi sensus, ex eo, quod mutare nequeunt sensus, nisi in lucido interuallo, vt ergo colores per medium diaphanum illustratum actu moueant visum, lumen necessarium est, sic intellectus, vt phantasmata, & cogitabilia materialia non apta mouere intellectum materialem neque agere in illo, opus eis fuit hoc agente, qui hæc materialia faciat actu mouere intellectum potentiæ, & ex vi segreget species intellectiles, quare vt lumen est, atque vt efficiens specierum intellectilium, Hinc colligitur etiam intellectus agens necessarius, quia non vt sensile efficiebat sensum, ita phãtasma facit intellectionem siquidem sensile, velut color sine agente sensu præsentia luminis sic medium diaphanum afficere poterat, vt sui speciem spiritalem per medium ad sensorium, & ad sensum tandem perduceret semper spiritualius, sed phantasma, atque forma materialis in cogitatiua per se non poterat edere speciem Intellectilem, nisi adstitisset agens, qui elaboraret has species, & nudaret ab omni materiata conditione sic, vt intellectus potentiæ admitteret, non quia vel qualitas corporea, vel substantia materialis edere non queat simulachrum sui sed quia phantasma, & forma materialis hęc, & illa in cogitatiua non possunt edere talem similitudinem vniuersalem, Iccirco intellectus agens cognoscens in se omnes formas elicit ex hoc vel illo phantasmate, & ex hac, vel illa forma substantiali communem, & hanc sic perficit vt actu sit intellectu, & vniuersalis, quam recipit Intellectus potentiæ, icciro errauit Aueth. & fuit causa errandi aliis reputans phantasma, & formam singularem effici speciem ab intellectu agente, & ita traduci

phantasma

phantasma de ordine in ordinē, quare idē phantasma esset efficiēs intellectionē, & subiectū actionis agentis. Vtrunque vniuersalia fiunt, & non sunt æterna in intellectu secundum Platonem tametsi formæ communes in suis materijs æternæ sint apud Arist. Postremo explicatur huius natura huius intellectus agentis, quod est separabilis, qua ratione differt a diuino, qui est separatus omnino, Equidem separabilis est a corpore, & si non a substantia animæ & minime subiecto ab intellectu potentiæ, quæ est in eadem natura animæ tamen actione seiungitur, conuenit enim cum intellectu materiali, vt sit separabilis a corpore, & denudatus a formis intellectilibus, ne se reciperet, aut prohibeat alias intelligi, æque agens intellectus nudatur a formis quas format, alioquin & in se ageret, aut non omnes formas efficeret actu intellectiles, quæ sint potentia intellegibilis. Rursus idem intellectus est non mixtus corpori, nec organo, nec formis potentia intellectilibus, quas actu facit intellectas, Quod si inferior potentia intellectus materialis non mixtus est, quanto magis superior agens, Rursus est impatibilis omni genere passionis cum eius operatio nulla sit receptio, si enim in se consideratur idem & intelligens intellectum, intellectio, si vero qua refertur ad intellectum materialem est habitus, & forma, si ad formas intellectiles est agens, & omne quod agit, qua actu agit, Hæc impatibilitas differt ab illa sensus, quia & si hic non patitur, cum interitu, tamen organice afficitur, cuiusmodi non patiebatur intellectus materialis, quid tamē patitur perfectiue, & est potentia patibilis sed agens intellectus neque cum interitu, neque organice, neque perfectiue afficitur, sed solum est pura actio, ob id reddens causam author cur sit impatibilis omnino subdit, cum sit substantia actu, idest cum sit potentia in substantia mere actu, omnis enim receptio passio animæ intellectiuæ est per cognitionem ab externis intellectilibus, alioquin est simplicissimus actus omnium formarum in subiecto, qua receptione sublata, & potentia non remanet nisi actu cognoscens, & tum dicitur intellectus agens, & ita sine passione omni remanet, & solum agit, & actio dicitur imanens, & solum habet mouere voluntatem, quæ non fertur in bonum nisi apprehensum & approbatum, & si aliquando inhærens voluntas iudicio cogitatiuæ, & imaginationi, & concupiscentiæ aberret a vero bono, & male agat specie visi, & apparentis boni. Hæc moneo etiam, atque etiam perlegi, vt assequatur lector veram philosophiam. Denique cōprobat communi ratione author agentem intellectum separabilem, immixtum, impatibilē actu operantem, quia omne efficiens qua efficit est præstantius patiente, necnon principium ipsa materia & maxime quando actio est eadem substantiæ, & formæ vicem obtinet, & patiens sit materia, vel vice materiæ.

## Contex. XXI.

*Atque scientia actu est idem, quod res nec non quo ad potestatem in vno prior est tempore, sed omnino nec tempore, Neque tum intelligit, tum non intelligit. Separatus vero est id solum, quod est, & id solum immortale, ac perpetuum. Verum non recordamur, quia hoc est impatibile, sed patibilis intellectus interitui obnoxius, & sine hoc nihil intelligit.*



SVPRA de intellectu agente, nunc de adepto, vel in actu operante, qui est idem intellectus potentiæ cum intellectus agens perficit illum, vel cum habitibus completur, & operatur. Interest autem inter intellectum agentem, & hunc actu, & actu quidem per agentem, & actu completum habitibus, siquidem intellectus actu est intellectus materialis factus actu vel ab agente intellectu, vel ab habitibus. Intellectus vero agens semper est actus ipse, & non quid actu tametsi plerique censeāt etiamnum agit de eodem agente. Hic cōtext. arduus est interpretibus, & fuit causa Auerhoi, vt sentiret vnum numero intellectum hominibus æternum potentiæ, & alterum agentem, & illum in habitu aliquādo per mutatione phantasmatum deficere, qui Auerh. narrat opiniones Alexandri, & si non legerit eius commentarios, Themistij, & suam. Et reuera Alexandri sentētiam diuinat, qui in sua paraphrasi secius multo ait. Credidit intellectum agentem Deum primam causam essendi aliis intellectis ita, vt quicquid intelligitur ob Dei actionem intelligatur, & hunc intellectum deforis accedere humanæ animæ, cuius potestas dicta intellectus materialis, & habilitas ab eo perficitur, tumque

perfecta intelligit illum, & fit ille similitudine, sicut scientia est res scita, alioquin simpliciter intellectus noster Deus tum esset, quod absurdum, sed intelligendo ipsum intellectum agentem Deū est quodammodo res intellecta, quæ æterna, & immortalis est, Vnde intellectus agens Deus res intellecta immortalis, & æternus est, ac solus separatus neque nunc intelligit, nunc non intelligit, sed semper, & deforis accedit homini, & si prior est in vno indiuiduo quoad indiuiduum intellectus, qui est habilitas, quam agens intellectus, tamen hic intellectus æternus simpliciter est prior, neque in tempore, sed æternitate ipsa, Verum humanus intellectus patibilis deficit, interitque. De reminiscentia nihil memorauit Alexander, qui non est consecutus mentem authoris, Accessit propius Themistius, & Plutarchus, & Simplicius longe melius, ob id sermo nunc est de intellectu nostro actu facto vel ob intellectū agēte, vel ꝓpter habitus adeptus, Vtroq; modo proportione est ipsa scientia, quæ reuera nihil aliud est, quā res scita & res scita est ipsa scientia, non autē sciendа, sic intellectus cum habet adeptum intellectum agentem, hoc est cum iam est actu sciens, est res scita, qua scita est, hoc est ipsa res intellecta, & ob id est etiam intellectus agens, & habitus cuiusque notitiæ, Hic intellectus, quia innascitur potestate prior est in eo, cui innascitur tibi, mihi, Socrati Philandro &c. Sed absolute qua deforis a Deo, seu diuinitus accedit nec tempore prior est, adde res scita. quia semper intelligit, nec modo percipit modo non, quia datur a Deo perfectus, & semper percipit, & is solus est separatus, quia non ex materia, & semine parentum oritur ob id immortalis, ac perpetuus in futurum. Cæterum si datur diuinitus & deforis perfectus hic intellectus homini, cur cum datur non recordamur præteritorum vt Plato volebat quod accedente intellectu perfecto & sciente nobis contingeret reminisci, respondet quia reminiscentia præsupponit obliuionem, hic ergo intellectus deforis datus est impatibilis non patitur obliuionem, sed obiicies cur ipsi recordamur, respondet id nobis aduenire ob cogitatiuam, quæ est intellectus patibilis, & interitui obnoxius signo, quod affecto organo afficitur, sine quo intellectu patibili, & cogitatiua nihil intelligit intellectus ille datus nobis rerum sensilium, cum ergo memoria & reminiscentia sint habitus sensifice potestatis obnoxiæ interitui, ideo patimur obliuionem, & reminiscimur, intellectus autem nobis dati deforis obliuio, memoria reminiscentia non sunt affectus, Hæc mens Aristotelis, Qui vt nos adduxit ad intellectum actu datū deforis, de eius duplici actione faciet orationem.

## *Digreßio de intellectu actu, & de illo potentia, deque agente, in habitu, & patibili, quem cogitatiua appellant.*




REPETO verba authoris proxime supra difficillima captu, & iccirco necesse est immorari. Non dubium, quia ex verbis authoris hactenus perspicuum sit duas esse animæ differentias, quas Auerhoes substantias æternas sic censuit, vt vna esset materia alterius, & illam potentiæ intellectū, hanc agētem voces, Addidere interpretes intellectū in habitu, quem æternum Themist. Theophrastus ponunt, Auerh. subiectum ortui, & interitui secundum phantasmata, Alexander intellectum materialem reputauit habilitatem animæ humanæ propensæ ad intelligendum, & intellectum agentem Deum, Addidit intellectum in habitu, cum obtinet humana anima species intellectiles rerum, & ex se potest contemplari, Simplicius reputat has differentias animæ duas substantias eius, vnam, quæ est capax intellectilium, Alteram, quæ ex sua substantia intelligit. Plutarchus duas potentias animæ. Ego sentio duas potentias esse in eodem subiecto, quod est anima per quas eadem anima recipit, & agit, iccirco duæ sunt differentiæ ob duo diuersa officia. Et cum dicitur intellectus patitur intelligendo sic interpretandum est anima intellectiua per intellectum potentia patitur, & cum asseritur intellectus agit, idest anima ipsa per potentiam agendi agit, neque idem eodem modo, & secundum idem agit, & patitur, sicut eadem manus contrahit pugnum, & palmam extendit per diuersas vires, nec ob id facultas contrahendi est, eadem ipsi extendenti, Quare vna essentia animæ afformans corpus humanum continet facultates vegetalis, sensitricis, ita continet intellectuales, & motrices, sed intellectuales nūc

præmanibus duas expressas videmus, quarum illa in potestate cuique innascitur prius cum tota essentia animæ nostræ deforis accedentis, & postea eidem aduenit intellectus agens, non qui non fuerit etiam cum anima accedente, sed qui operabatur cum intellectus potentia intelligere cepisset, quia quo ad essentiam suam in subiecto vna potentia non est prior alia, nisi perfectione, & actione, & passione, & quod recipit prius est agente, maxime cum innatum sit homini addiscere, & cognoscere ex nouis similitudinibus rerum, & nouis habitibus, non autem ex abditis in anima, vt Plato censuit, cum vero anima humana per intellectum potentia nouit, & habitus adepta est operante etiam intellectu agente ob ineptitudinem plurimum intellectilium, quæ vt lumen colores facit actu intellecta, tum potest operari per eos habitus adstante intellectu agente & fit actu intelligens, nec modo intelligit, modo non intelligit, quia iam habet habitus, sed vbi velit homo, quia & hæc actio humanæ libertati subiecta est semper intelligit, atque hoc modo impatibilis, immortalis, æternus est, & si homo aliquando non reminiscitur licet sit intellectus in habitu, causa est, quia egrotat aliqua vis vt memoria, cogitatiua, sine qua non potest homo reminisci, & cum hæc actio reminiscendi fit ex obliuione præcedente tripliciter fit aut obliuio more Platonis habituum abditorum in anima, aut eorum, quæ in corpore animus non meminit, aut post mortem, nunc sermo est de reminiscentia habituum abditorum in anima, & præteritorum, quos animus in corpore nouit, ob id Arist. quæsiuit cum intellectus humanus est in habitu, & actu adstante intellectu agente æternus, immortalis cur non reminiscimur habituum abditorum in anima more Platonis aut cur sæpe num est in corpore non reminiscimur. Respondet Arist. quia intellectus iste non cadit in obliuionem quia impatibilis, sed si homo cadit in obliuionem nō merito huius intellectus, sed facultatis cogitatiuæ patibilis, præsertim cum rerum materialium obliuiscitur, quarum cogitatiua singularium est capax. Vnde addidi, & ego cum nonnullis duos intellectus, vnum in habitu, alterum in actu cuius actiones duas prosequitur Arist. quas vt explicet intellectilia primo distinguit.

## *Tertij libri Caput sextum de duplici actione intellectus actu.*

### Contex. XXII.

*I Ndiuisilium porro intellectio in his consistit, in quibus non falsitas, At in quibus falsitas, & veritas inest, in eisdem compositio quædam inest intellectorum perinde, ac vnum sint, vt Empedocles cecinit. Multorum certe capita mirabile dictum, ceruice absque fuerint exorta in luminis aura, illa tamen dulcis post hoc concordia iungit, Sic etiam hæc separata componi solent ceu incommensurabile, & diameter. Quod si eorum, quæ fuere, vel erunt compositio fit, etiam tempus intelligitur, & additur, Nam falsitas in compositione semper consistit, si enim album, non album esse dicat, tum ipsum non album componit, Euenit etiam diuisionem omnia dicere, sed falsitas, aut veritas non solum consistit in hoc cleon est albus, sed in his etiam cleon erat, vel erit albus, Quod autem singulos conceptus componit vnumque facit est ipse intellectus.*


DE duplici actione intellectus in actu facturus author proponit antea intellectilia. Actio vna simplex simplicium terminorum appræhensio, Altera composita affirmans vel negans aliquid de aliquo. Tertiam ratiocinandi tacet, an mancus sit Arist? Minime, quia in libris dialecticæ de ratiocinatione disputatum est, & cum ipsa ratiocinatio sit quædam collectio compositorum facile patebit expræssa actione composita, Orditur ab intellectilibus, vt pote notioribus, quorum quædam vocat indiuisilia, vt termini cantionum sunt & in mente conceptus, in voce quidem voces literatę significantes, & consignificantes, & scripta, Inquit indiuisilium porro intellectio, siquidem intellectus actu intelligit simplicia per terminos, vt per hominem naturam humanam, & colorem per vocem hanc, &c. Horum incomplexorum intellectio versatur in his, vt 10. chategoriæ in quibus non falsi-

tas

tas, ergo nec veritas illi opposita. quia circa idem versantur opposita, sed bina veritas, & falsitas, Vna est partiũ orationis, cũ quælibet sign ficat rẽ, quæ existit, vt significat, & est vocis, vel conceptus, aut scripti adæquatio ad rẽ, quo iure diuisit Plato in cratyllo nomina in vera, & falsa, & iuxta ethymologiã græci nominis Alethia significat diuinã entis lationẽ, cuiusmodi veritas est nõ nisi relatio significãtis nominis, & verbi ad rẽ ipsam, vt cũ dicit homo nil aliud significet nisi humanã naturã, quod si significaret Rhinocerontẽ falsum esset nomen, ideirco recte Plato orationẽ verã ex veris nominibus conflari dixit, & falsam ex falsis. Altera est veritas superueniens cõpositioni nominum, & verborum, quæ proprie dicitur, itidem & falsitas, ceu homo est, vera, sed Socrates Atheniensis est, falsa, quia obijt cum ergo asseritur indiuisilibus, & simplicibus terminis non in esse falsitatẽ sermo est de falsitate orationis addito verbo, vbi nec veritas est huic respondens mendacio, sed prima esse potest, cuius rei causa tanto per Cratyllus disseruit in dialogo de recte nominum ratione. Annectitur ob id in quibus sit secundo modo veritas, vel falsitas. Ac quibus falsitas, & veritas inest, in eisdem compositio quædam est intellectorum perinde, ac vnum sint ipsa nomina, & verba atque subiectum, & prædicatum. Vnum quidem fiunt merito verbi copulantis primo libro de interpretatione cap. de verbo, quam compositionem similem illi con fictæ ab Empedocle narrat author, cũm litis imperio multa capita sine ceruice separata condita prius fuerint, & prodierint ex illo sphæro, seu congerie rerum confusa in lucem, deinde imperio concordiæ iuncta fuere capita ceruicibus, & non pedibus, & suo quamque partem loco digestam, ita euenit terminis simplicibus, & componantur, & separentur cum minime sint apti, ceu incommensurabile, & diameter componuntur in geometria simul in hac oratione vera diameter est incommensurabilis lateri, quia nulla intercedit proportio vnius ad alterum, & cum hæc veritas, hæc falsitas consistant in compositione, & diuisione prædicati, cum subiecto verbum iungit, cuius quoque merito vera, & falsa oratio, & non solum merito nominum, vt prodidit Plato, sed falsitas merito nominum est, velut si dicatur album nõ album. falsitas merito verbi si dicatur Cleon albus erat, vel fuit, est. ceu Philander est, cũm obierit obrutus aquis. Quare veritas, & falsitas est in oratione nominum verborum, quorum compositionem intellectus actu edit, & diuisionem, idest negationem asserti de subiecto, atque tam affirmationem, quam negationẽ partire in veram, & falsam, & intellige nunc intellectum eundem in actu facere non solum intelligere compositionem, & diuisionem, quia tum intellectus est sicut artifex operum suorum. qui vt fabricauit tegulas, & trabes, componit ædificium, ita hæc intellectualis faber intellectos terminos componit, & eiusdem est dissoluere, iuxta illud libro primo priorum terminus, est in quem dissoluitur propositio sine apposito, siue diuisio esse. Cætera in libris dialecticæ & organo nostro. Aduerte item veritatem, falsitatem esse in rebus effectiue, in vocibus, scriptis, conceptibus interpretatiue, & in intellectu perfectiue.

## Contex. XXIII.

*INdiuisile autem duobus modis, vel potentia, vel actu cum sit, nil vetat intelligere ipsum indiuisile quando intelligit longitudinem, Nam indiuisilis actu est, & tempore indiuisili, simili modo & tempus diuisile, indiuisile est, vt longitudo dici ergo potest quid in vtroque dimidio cogitet, non potest autem nisi fuerit diuisa præter quam potentia, sed intelligens vtrunque dimidiorum, simul etiam tempus diuidit sed tunc velut magnitudines. Si autem ex vtrisque, & in tempore quod est in vtrisque. Ac indiuisile forma, & non secundum quantitatem, Hoc intelligit tempore indiuisili, ac indiuisili intellectione animæ, sed per accidens, & non quatenus illa diuisilia id in quo, & in quo tempore, sed quatenus indiuisilia sunt enim & in his quid indiuisile, sed fortasse non separabile, quod vnum facit tam tempus, quam longitudinem, idque in omni quidem continuo, & tempore, & longitudine similiter inest.*


ECVNDVM, & tertium significatum indiuisilis affert, hac de causa, vt doceatur quomodo intellectus actu non pure materialis, qui est potentia, & non artifex, vt est intellectus in habitu, & actu diuidat, & cōponat, atq; separata, & complexa faciat, & intelligat, cum intellectus sit sine diuisione re facta intelligere indiuisile potentia, cum separata in vnum conueniunt, Hæc enim tanquam diuisa, sed potentia vnum indiuisile, vt si partes lineæ separatæ vno medio continuentur, cum quantitas continua sit, cuius partes vniuntur vno, atq; si præteritum futurum tempora vno momento committātur, opposito modo fit indiuisile actu, ceu linea, longitudo pro quacunque quantitate nunc posita continua permanente, Hæc enim actu reipsa, & indiuidua, & ita intelligitur & si potestate diuidua etiam infinite. 3. lib. phys. & primo libro de cęlo, vt est quantitas continua permanens linea superficies, corpus, locus, ita etiam tempus, & motus quantitates fluentes actu, & potentia indiuisiles. se committuntur. 6. physico. libro, iccirco cum intelligitur linea actu indiuisa, vna & tempus indiuisile intelligitur cum simili modo tempus, & magnitudo quo ad diuisionem, & indiuisionem se habeant. Intellectus autem actu iunctus cogitatiuæ sine diuisione rei intelligit illam diuiduam potētia, quia diuidi potest nō autem actu, quia actu indiuisilem cogitat, in qua intellectione ope cogitatiuæ etiam tempus potentia diuisile intelligit, vtque intelligendo indiuiduam lineam diuisilem in duo media, & vnum separatum ab alio, ita etiā intelligit duo dimidia temporis velut magnitudines. Hæc quoad diuisionem indiuidui actu excogitatam, & intellectam, quæ intellectio pertinent ad Simplicium appræhensionem, contra euenit, si ex vtroque dimidio lineæ intelligatur constitutio eius, tum sane & temporis dimidia copulabuntur, sed illa lineæ tanquam rei permanentis, huius vero tanquā fluētis, itaque intellectus actu ope cogitatiua diuidit, & componit, sicut etiam ope cogitatiua dicit Socrates non est Philander aut non asinus, & hoc album non nigrum, vt sensus communis applicatus sensibus externis iudicet de illorum obiectis, ita intellectus iunctus suis ancillis compræhendit singularia, ac diuidit, & componit ea & si sit actu coniunctus, quia sermo nunc non est de intellectu materiali, vt censuit Auerh. quia hic non diuidit, nec componit, siquidem pura potentia est nec de intellectu agente apud Simplicium, sed intellectus actu, qui completus habitibus, & notitijs indiuisilium, & diuisilium dicit lineam indiuiduam actu, & potentia diuiduam, & intelligit reduci ad actū, scilicet diuisam & habere partes, quas denuo copulans intelligit indiuisam, & compositam. Hæ intellectiones sunt potentias eas facere, cuiusmodi non est pure intellectus materialis, nec intellectus agens non quia non possit efficere hęc, sed quia non est aptus ob suā excellētē naturā aliquid in potētia intelligere, cum sit sua intellectio tota actus, ergo impartibilis cognoscit indiuisili modo, sed cognoscit hæc intellectus actu; & aliquādo iunctus cogitatiuæ, aut imaginatiuæ præsertim cū formā in materia speculatur, Vnde tertia significatio indiuisilis est. de ipsa quidditate, & forma termino materiæ, quæ est indiuisilis, non de ideis, vt Simplicius arbitratur, quia hæ sunt separatæ, Atque Heraclyti ratio affirmans non esse scientiam, quia nulla veritas permanet e fluxu rerum mutabilium ita, vt non possit homo tam temporis momento proferre quid, quin illud elapsum sit, & inconstans, vt primo metaphysicorum Aristotel. & Plato in Theæteto narrant, Quare sermo est de formis materialibus, quæ fluunt, nec potest breui affirmari de illis constanter, quas dicit nunc Aristot. percipi vt indiuisiles tempore indiuisili, & intellectione momentanea ita, vt non posset veritas prolatione vocum elabi, quin percipiatur, Ac indiuisile est forma alio modo, quam secundum quantitatem modo prædicto actu, vel potentia, aut in sequenti, velut punctum in quantitate continua, aut vnitas in discreta, Hæc forma indiuisio si est in singulari materia indiuidui causa est, quia Socr. per suā singularem formā est Socr. si est autē in communi materia ceu humana natura adhuc indiuidua est, quia hanc materiam separat a qua libet alterius speciei, Vnde illud Aristotel. forma est per quam hoc aliquid, & vnum est. Quod si hæc materialis forma siue cogitatione appræhensa, siue intellectu, semper appræhenditur indiuisili tempore, ac indiuisili actione animæ, & ideo non potest mentiri intellectio sicut Heraclytus prodidit elabi veritatem in prolatione de rebus fluentibus, Verumenimuero hæc intellectio indiuisilis est ex accidenti, non quatenus ex eo, quod reipsa formæ materiales sunt in magnitudine continua, & tempore vtrisque diuiduis, sed quatenus magnitudo & tempus sunt indiuisilia, Et reuera sunt indiuisilia hęc maxime tamen diuisilia, quia In his est aliquod indiuisile, vt in magnitudine vnus terminus communis, ad

quem partes continuantur, & ea ratione est indiuisilis hic terminus quia vnus, & in tempore instans finis præteriti, initium futuri, quæ duo fortasse non reperiuntur separata, non ille terminus vnus a longitudine, seu magnitudine, non item instans a tempore, si quidem non est hoc separatum quod faciat molem, vel tempus, & si libro 4. phys. quoddam inst ins separatū tempore videtur Aristot. asseuerasse, quod putant vnitatem, & constantiam primę sphęrę, cuius motus cum solis cursu tempus est diuisum ab anima per tempus præteritum, & futurum. Vorumtamen illud instans non facit tempus, sed continet in suo cursu. Quod de mole, & temporę diximus, de omni continuo dicendum est, in quo est quid indiuisile, licet non separabile. Quare intellectus o Heraclite comprehendit indiuisibiliter, nec fugit veritas.

## Contex. XXIIII.

*Punctum item, omnisque diuisio, & quod hoc modo est indiuisile declaratur vt priuatio, similisque ratio in alijs. Nam hoc modo malum cognoscit, ac nigrum contraria namque quodammodo cognoscit. Equidem oportet vt sit potentia, quod cognoscit, & in ipso inesse. Quod si causarum alicui nullum est contrarium illa seipsam profecto cognoscit, atque actus est, & item separabilis.*




TRES significationes indiuisilium proposuit Arist. vt simplicem, & compositam rerum intellectionem intellectus in actu indicaret hactenus contra (opinor) Heracliti opinionem, & dictam in Theeteto Platonis quando ille quidem vetustissimus philosophus, nec verum, nec falsum intelligi, nec quicquam posse asseruit. Nunc duas adhuc significationes indiuidui maxime proprias adiungit, cum sit indiuiduum in vtraque quantitate continua punctum, cui nulla pars apud Euclidem, & in quantitate discreta vnitas, & in genere immaterialium formarum sit Deus, & mens queque diuina ac intellectus agens causæ rerum indiuiduæ substantiæ, incorporeę sine vlla diuisione omnino. Indiuisile igitur prima significatione harum, vt punctum, vnitas & quecunque diuisio, idest terminatio dimensionis ceu linea qua terminus superficiei indiuisilis, superficies qua terminus corporis cognoscitur priuatione vt quia punctus, & vnitas sine dimensione, & diuisione omnino sunt, & qua priuantur partibus, linea indiuisilis latitudine, cuius est terminus, superficies indiuisilis profunditate cuius est terminus, vtraque etiam cognoscuntur priuatione, vt linea priuata latitudine, superficies priuata profunditate, punctus priuatione omnis dimensionis. Dubitabis declarari ab Arist. primo libro de cęlo non per priuationem, sed per naturam lineæ, cum dixerit esse diuiduam ad vnum, & superficiem ad duo. Nisi nunc quoad significationem indiuisilis dicat author comprehendi vt priuationem, quo iure differt hæc significatio quarta a quinta, vbi indiuiduum omnino non priuatiue cognoscitur quæ cognitio, & pluribus alijs conuenit, siquidem malum, nigrum, & reliqua contraria priuatiue cognoscuntur, quia priuationes sunt boni, albi, & tenebræ lucis, & inane pleni. Aduerte tamen quod aliqua contraria sunt meræ priuationes, quæ nequeunt aliter cognosci, vt tenebræ lucis, interitus ortus. Quædam vero non simpliciter priuantia dicuntur, quia etiam sunt res vt nigredo, & reliqua similia contraria, quæ dignoscuntur etiam secundum suam naturam. Declarat priuatiue cognosci contraria, ceu nigrum per habitum albi ex eo quod cum habitum apprehendit potentia in eo est priuatio, vt in ente cognoscitur non ens, In vero falsum, siquidem plane dicit intellectus Philander non est id verum, quia obijt, statim cognoscit hoc falsum Philander est, si præterea cognoscit lineam diuiduam, plane nouerit quicquid caret longitudine indiuiduum esse, vt punctum. Cognoscens autem contraria priuatiua est vnum in se & potentia comprehenso habitu cognoscere priuationem habitus, quo iure differt intellectus actu etiam ab agente, & diuino, qui nihil intelligunt potentia, neque contrarium habent, ob id quinta significatio indiuisilis est, de causa omnino indiuisili secundum quantitatem, qua forma materialis item, & qua priuatio, cum causæ nihil sit contrarium nec priuatiuum, icirco omnino indiuisiliter cognoscitur & perse, & secundum accidens. Cum intellectus diuinus & agens noster non sint in tempore nulla falsitas quæ ad tempus pertineat illis accidit semper Deus est, fuit

silit, erit, & intellectus agens, & si falsitas audit ratione subiecti & predicati, ob prauitatem intelligentis, ceu siquis cleonem diceret Deum, aut intellectum agentem, & cum sint vtrique intellectus substantiæ meræ, actus puri ab omni materia liberi, & si perfectior Deus agente nostro intellectu, neque secundo modo, nec tertio, nec quarto indiuisilis intelliguntur, nec a nostro intellectu in actu, nec a seipsis. Vtrique intellectus agentes sunt. Deus omnium author rerum, intellectus agens omnium intellectilium, qua intellectilia sunt potentia intellecta, quare vtrique causæ dicuntur efficientur. Vtrique nihil contrarium nec Deo, nec intellectui agenti, siquidem æterni vtrique & immortales abiuncti ab omni potentia, & materia, nisi relatiuæ quædam contraria intellectus noster actu effingat, quoniã omni agenti patiens refertur contrariũ, sed hæc contrarietas in altero est extremorum apto recipere. Nullum intellectile non refertur ad agentem, & nihil in mundo non ad Deum, quinimo omnia sed nunc nullum contrarium priuans obijcitur his intellectis. Quinetiam vterque intellectus se cognoscit, & res cognita, quia actus est etiam cognoscit, & scientia res scita vna, & eadem est, atque cognitio, & quod est causa, vt alia semper intelligantur a tuo vel illo intellectu potentia in mundo æterno apud Aristotel. id se intelligit semper, quia intelligit suam actionem, & sua actio est sua natura & sua natura est intellectualis, itaque semper se intelligit, & se intelligentem & intellectilem ab intellectu materiali non sui causa, quia est actus purus sine potentiã, sed ob imbecillitatem materialis intellectus, qui est sicut tabula rasa ortu primo, & nullum habitum habet, iccirco Deus & agens intellectus lumini similes sunt, qua le actu lustrat, & perse lucem affert, & splendorem, attamen ægris oculis, aut imbecillis non facile admittitur, quare vtrique intellectus se intelligunt, & se intellectiles actus puros a materiali intellectu defectu... Rursus ambo intellectus separabiles actus sunt, quinimo separati ab omni materia, corporis affectu, & conditione imperfecta. Quare indiuisiliter omninn intelligunt isti intellectus se, & intelliguntur a nostro actu quoties intelliguntur, & si ad hos se habet, sicut oculus noctuæ ad lucem solis, non difficultate actuum simplicium & suapte natura intellectorum, sed imbecillitatis intellectus materialis idest animæ humanæ informantis corpus, quo impeditur, vt declarant ipsa temperamenta corporum, sed de intellectilibus simplicibus indiuisilibus, & prima intellectus actu actione hæc, sequitur de veritate & falsitate duplici & simplicium, & compositorum, sed de hac ad differentiam veritatis, & falsitatis in simplicibus sermo fit, lege.

## Contex. XXV.

*Est item locutio cuiusdam de aliquo, vt affirmatio, atque omnis est vera, aut falsa, sed intellectus non omnis, sed verus est ipsius quid est, quatenus quid est, nec quidpiam de aliquo dicat. Verum vt visio proprij ipsius est vera, si vero album hominem dicas esse, aut non, vera non semper est, hic se habent ea, quæ sine materia sunt. Sententia autem actu est idem, quod res, sed quæ est potentia in uno prior est tempor(e) simpliciter uero neq; tempore. Quæcunque enim fiunt omnia ex eo quod est actu sunt.*



ICTVRVS quomodo intellectus actu semper verus est comprehendens separata a materia simplici quidem apprehensione, & cum intellectus actu est idem quod res ipsa, vt est & ob id non accidit falsitas, repetit, quæ principio capitis dixerat de duplici veritate & falsitate, & quomodo se habeat duo intellectus materialis, & quod est agens. Repetit ergo dicens. Est item locutio phasis grecæ, quam alij dictionem, alij propositionem vertunt. Cuiusdam de aliquo prædicati de subiecto, vt affirmatio, quinetiam negatio alicuius ab aliquo. Diuiditur. Atque omnis est vera, aut falsa. Vera si dicat vt est, falsa si dicat quod non est, æque negatiua falsa si negat quod est vera si negat quod non est. Sed intellectus non omnis est verus, & falsus, quia aliquando est verus sic, vt non sit falsus, sicut cum percipit diffinitionem essentialem rei, qua definitionem, quæ & si aliquo modo complexa, atque composita est ex genere, & differentia, tamen non affirmat aliquid de aliquo, qua est definitio, sed cum definito affirmatur de eodem, & hoc modo primo posteriorum vocabatur quædam positio, & propositio immediata, sed a definito separata velut animal rationale sine homine definito

nec

nec quidpiam dicit de aliquo cuiusmodi in libro etiam de interpraetatione dictum est, & ob id additur quatenus quid est, & non tanquam praedicatum de subiecto definito & in primo modo dicendi perse vbi pars definitionis, aut definitio asseritur de definito perse & secundum quod ipsum. Et quoniam existente definitione vera, & recte tradita intellectus non est falsus, sed verus, docet qua veritate sit verus, scilicet pro conformitate signi ad significatum, cuiusmodi asserebatur verus visus, ac vera visio circa proprium sensile visile lumen, aut colorem, quia non decipitur, & si haec visio circa sensilia ex accidenti, & communia non semper vera est exemplo, vt circa album hominem, aut nigrum hominem vel arborem eminus non semper vera est visio. His repetitis, & propositis ad rem accedit, & inquit hic se habent ea, quae sine materia sunt, idest intellectilia, & non intellectus potentia ipsa vel materialis, vti male Auerh. neque intellectus actu quatenus intelligentes, sed quatenus intellectu actu, qui intellectus sunt intellecta sine materia nec formae in corpore vt dependentes quoad esse a corpore, vel organo. Hi ergo intellectus quatenus intellecta actu, & eorum quidditates cognoscuntur vere, nec intellectus actu errat circa talia quo ad simplicem apprehensionem, propterea quod intellectus actu fit ipsa res intellecta sicut supra cont. xxi. decretum est, vt scientia actu nihil est nisi res scita, & ne putes intellectum in sui ortu habere omnes species abditas rerum cum Platone subditur, quod haec scientia in vno, vt Socrate, Philandro, Cicerone est prior tempore potentia, quia intellectus potest hanc scientiam vnus consequi, quia non habet, sed simpliciter haec scientia, & talis intellectio non est prior tempore in vniuerso genere hominum aeterno apud Aristotel. & ideo scientia intellectus agentis, & diuinarum rerum simpliciter quo ad hunc & illum, & singulos intellectus non est prior tempore, quia semper est id quod traducit intellectum potentia ad actum, & ita res intellecta fit semper.

## *Tertij libri caput septimum de secunda operatione intellectus actu ex similitudine sensus & deque intellectione abstractorum.*

### Contex. XXVI.

*VIdetur sensile sensiterium ex potentia ad actum adducere. Non enim patitur neque alteratur. Quare haec est alia species motus. Nam motus est actus imperfecti, sed actus simpliciter alius est, qui perfecti, sentire ergo est simile ipsi dicere solum, ab intelligere. Cum autem sensus iucundum, aut molestum discernit; tum prosequitur, aut fugit quasi affirmet, aut neget. Quinetiam delectari, dolere est operari sensitrice medietate ad bonum, aut malum, vel id genus, & fuga, & appetitio actu hoc, & non alterum appetitiuum, & fugax, neque interse, neque a sensitiuo, sed quoad esse diuersum. Verum animae ratiocinatrici phantasmata sunt, velut sensilia, sed quando bonum, vel malum affirmabit, vel negabit, fugit, vel prosequitur. Iccirco nunquam anima sine phantasmate intelligit.*



AGNA controuersia de intentione scriptoris. Sunt qui putant differentiã scribi inter intellectum practicum, & Theoreticum. Hallucinantur pace sua quia de intellectu practico disputabit multis, & ibi docebit differentiam. Nunc intercipi breuem sermonem, & non perfectum, non credibile, maxime, quia non consonat praedictis, iccirco si continuandus sermo est, profecto persequitur author docere quomodo vnus intellectus sit, & hic actu, qui cognoscit verum, & falsum, & componit affirmans, & negans, nec plures esse intellectus, quorũ vnus verum, & alter falsum, sicut alter sensus dulce, alter album cognoscit, quinimo verum, & falsum esse vt album, & nigrum eiusdem obiecti, iccirco pertinere ad vnum intellectum actu qui itẽ affirmet, aut neget sicut sensus fugit, aut prosequitur iucundum, & molestum. Aeque bonum & malum ab vna cõprehenduntur cogitatiua ratiocinante de singularibus per species, quas phantasmata appellant. Et cõprehensis speciebus

boni

boni,& mali eadem inducit appetitum fugere,vel prosequi. Quare ita vt vnus sensus opposita cognoscit,& appetitum mouet ad fugam, vel prosecutionem, vtque cogitatiua bonum & malum percipit,& fugere, aut prosequi voluntatem,seu cupidinem inducunt ita intellectus verum & falsum vnus cognoscit, & affirmat,ac negat. Verumtamē intellectus sic vnus est re ipsa cognoscēs tamen verum alia ratione cognoscit verum,alia falsum,sicut alia ratione album,alia nigrū, & similiter bonū & malum.Hæc summa est consilij præsentis, præmittit quædā de proportione sensus ad intellectum, vt facilius ad similitudines accedat. Inquit. Videtur sensile sensorium idest sensum in sensorio ad actum adducere,vt dictum est secundo lib. Reducitur actu sensus quoties sentit,& cognoscit obiecta,ex his prome non asserendum sensum agētem,quia sensile sufficit ad actum sensum adferre,& sanè sine passione,& alteratione cum interitu,cum sola sit perfectio. Vnde alius motus est hic,quia perfecti est,sed ille 3.phys.multipliciter quid sit traditus est actus imperfecti,qua mobile contendit ad perfectionē cum interitu alterius. Actio igitur sentiendi abest ab interitu,& similis est ipsi dictioni soli,& intellectioni vbi nulla est iactura,& interitus. Quare affirmatio,intellectio,sensio sunt perfectiones solum,de quibus sæpe supra: His præpositis accedit ad primā similitudinē intellectus cū sensu in percipiendis oppositis. Et existimo accipi appetitum sequentē sensum tactus & forte omnē sensum,qui appetitus a sensu solum ratione differt, subiecto autem idem,& hic sensus appetendi cum iocundū,aut molestum voluptatē, & dolore discernit vnus est,qui quasi affirmando,aut negando(hæc dicuntur scopum asserendi quomodo intellectus idem actu affirmet)tum prosequitur,& fugit. Vt ergo idem appetitus sensitiuus capit molestum,& delectabile,atq; discernit,& mox prosequendum,fugiendū indicat,ita idem intellectus verum,& falsum cognoscit,& subinde affirmat,aut negat,& non plures.Secunda item similitudo est sensus interioris cogitatiuę,quæ vna prosequi,aut fugere dictat cōprehendens per phātasmata bonum hoc,& malum,quæ eadē est subiecto cum sensitiuo,& si ratione ab eo discrepet. Ait. Quinetiam delectari,dolere est operari sensitrice mediocritate ad bonum, vel malum, & id genus,mediocritas comprehendit excessus,& defectus,quæ vna est,& non plures comprehendētes delectari,dolere bonum,& malum & fugam dictent,& prosecutionem,quare hæc cogitatiua vna est,nec differt a sensitiuo re nisi rationē sicut supra sępe fuit dictū libro secundo, & principio tertij,nec appetitus boni differt ab appetitu mali re, & subiecto quia vna est facultas, sed ratione differunt. Si quidem appetitus boni prosequi dicit,alter secus. Nempe malum fugiēdum. Et quoniam hęc vna facultas est cogitatiua ratiocinatrix & dictans prosequi,& fugere mouetur quidem a phantasmatibus rerum,vt sensus a sensilibus,& ideo anima nunquam sine phantasmatibus intelligit,quia requiruntur præsentia obiecta,quæ moueant saltem,vt instrumenta, aut dispositiones,aut secundaria,& proxima agentia cum cōmunis efficiens sit intellectus agens. Hæc vna facultas cum affirmat hoc bonū prosequendum,hoc malum vitandū,aut negat, tum vel cupiditas sensitrix,vel voluntas prosequitur,vel fugit. Vna est ergo facultas dijudicans,licet diuersa ratione vnum prosequi,& alterum vitandum dictet,æque intellectus actu vnus est cōprehensor veri, & falsi,atq; affirmans,& negans. Quod etiam atque etiam processus lectionis indicabit lege.

## Contex. XXVII.

*ATque sit & hic,ut ibi. Nam aer pupillam talem efficit,sed ipsa est aliud,& auditus simili modo. Ipsum uero ultimū unum quidē est,& medietas una sed ipsius plures rationes,qua scilicet dijudicat, atq; discernit calidum a dulci differre,de quo dictum etiam prius est,& nunc etiam dicendum. Est.n. unum quid ipsum, atq; ita unum ut terminus. Atq; hac ipsa unum sunt aut similitudine rationis,aut numero,quem habent ad utrumque ut illa inter se se habent. Quid ergo interest dubitare quonam pacto discernit quæ sub eodem genere collocantur,aut contraria,uelut album nigrū? Sit ergo ut est a,quod est albū ad,b,quod est nigrū,sic,C,ad D,quare ut se mutuo inter se habent,ita & alternato ordine facere licet,ergo si,c,d,sunt unū hæc ipsa se habebūt perinde, atq; a,b,ut sint idem,& unum,& si non eādem habent rationem. Atq; eadem ratio si,a, sit dulce, & b, album.*



PRAETEREA alia similitudine vtitur sensus cōmunis,qui vnus re ipsa iudicat opposita,& diuersa,vt dulce amarum,atq; dulce albū, & si applicatus diuersis sensibus externis hæc apprehendat,ita intellectus actu verum,& falsum percipit vnus diuersa ratione ob id repetit quomodo sit vnū per eadem, quæ supra libro secundo de sensu cōmuni decreuit. Addit non suo marte inuentū,quod illa obiecta dulce album,atq; nigrū & albū similitudine

similitudine proportionis, aut numero ad vtrumq; vt illa se habent interse sunt vnum. Equidem similitudine proportionis, vt sicut centrũ ad suas lineas ita sensus cõmunis ad sensus proprios, aut item numero, quia centrum est vnũ, & lineę prodeuntes ab eo plures, quoniã centrũ vt terminus linearũ illarũ vnus est. Nam oẽs dicuntur terminari ad centrũ, quare & ipsę lineæ sunt quodãmodo vnum quoad ratione terminandi, licet plures alia ratione, sic colloca in corde sensum cõmunẽ qui vnus est in medio, ad quẽ sensus proprij terminant, & sensiliũ actiones, quo iure sensus cõmunis est vnus subiecto, & plures ratione, cum aliter applicatus visiui iudicet, aliter applicatus gustui, & sic de alijs, vt centrũ vnũ subiecto, sed alia ratione terminat tractũ ad orientẽ, vt terra in medio mundi, alia ad occidentẽ ad meridiẽ, septentriones, & si tractus illi sint vnũ quoad terrã vnã. Quare & sensus vnus subiecto cõprehendit obiecta plura sensuũ exteriorum, & hæc obiecta, & actiones diuersæ ratione sunt vnũ, & idem quoad vnũ terminum subiecto sensum cõem. Quocirca descendit in reprehensione Platonis in Theęteo dicens quid ergo interest dubitare, cum ille dubitet in Theæteto de his & lege hunc ibi dialogum sumpto lectionis principio hinc. Vtrum quæ dicit; quæ videm us id oculos esse &c. vsque eo. In his perspicue patuit aliud sensum, aliud scientiã esse. Nã noueris quomodo dubitet Plato Socraticus, ob id Arist. reprehendit dubitationẽ dicens si sensus cõis est unus numero, & actiones sensuum propriorũ eędem illo vno termino, quid refert dubitare quomodo diuersa, contrariaq; sub eodẽ genere discernat exẽplo velut album, nigrũ cõtraria sub eodẽ genere coloris, & album dulce diuersa, quia ista sunt quodãmodo vnũ quo ad cognosci, & iudicari, & eadẽ sensu vno cõmuni iudice, ergo siue diuersa siue desperata, contraria, & vtcunq; sunt vnũ, & terminantur ad vnũ, quod ostẽdit cõmutata proportione vt, a, sit albũ, & c. nigrũ duo cõtraria sub eodẽ genere, sicut hęc interse se habent quo ad vnã sensionẽ sensus cõis, & proprij, ita se habente, c, idest dulce, & d, amarũ, cõmutata proportione vt, a, ad, c, idest albũ ad dulce, ita &, b, nigrũ ad, d, amarũ. Quare si, c, d, sunt vnum quoad sensum commun ẽ, etiã a, b, & a, c, & b, d, sunt vnum, non ergo oportebat Platonẽ dubitare quomodo simile dissimile, idẽ & alterum sint vnum ab vno cognita sensu. Et ne sola mutatione commutata argumentũ effici posse cogites, inquit, idẽ sequi etiã conuersa ratione vt, a, sit dulce &, b, albũ. Quinimo in omni genere argumentandi a proportione, & ratione idẽ concludentur, de quibus formulis habes in Geometria de proportionibus multiplicis, & submultiplicis quantitatis. Huc pertinet hic sermo quod sicut sensus vnus cõmunis diuersorũ, & contrariorũ est vnus iudex, & illi cognita eodem sunt subiecto, ita vnus intellectus iudex veri, & falsi, & hæc eadem subiecto, & si differant ratione.

## Contex. XXVIII.

*INtellectiuum ergo species ipsas in phantasmatibus intelligit, & in illis ipsum definit prosequendum, & fugiendum, & extra sensum quando in phantasmatibus fuerit, mouetur velut sentiens fugiendum, quod ignis mouetur videndo communi cognoscit hostem adesse, & quando est in phantasmatibus anima, vel conceptibus perinde, ac uidens ratiocinatur ex præsentibus de futuris deliberans. Et cum dixerit quod ibi est voluptas, vel dolor, tum inde fugit, vel eo prosequitur. Et omnino euenit identeuiq; actioni. Verum autem & falsum in eodem genere cum bono, & malo collocantur, & si simpliciter, & quadam ratione differunt.*

SIMILITVDO triplex supra habita fuit de vno sensu proprio percipiente contraria eiusdem obiecti vt nigrum, calidum coloris visu, & amarum, dulce gustatu, & de cogitatiua iudicante hoc bonum prosequendum, & malum fugiendum, ac de sensu communi iudicante contraria, & diuersa dulce, & album differre, quæ facultates singulæ sunt, vt quęq; vna contraria, & diuersa capiat, quæ vna est subiecto licet alia, & alia ratione contraria capiat, quæ etiã contraria quodãmodo vnum subiecto iudicante, licet ratione diuersa, quæ triplex similitudo spectabat ad docendum quomodo vnus intellectus actu cognosceret verum, falsum, & affirmaret, negaret, nunc quarta similitudo intellectus practici est & si de eo erit oratio, tamen vsurpatur similitudo, & non quomodo differat ille a contemplatiuo intellectu, vt nonnulli male putarunt. Cogitatiua igitur facultas cognoscens hoc bonum, hoc malum ex phãtasmatibus in phantasia operante tum phantasia etiam, atq; sensu externo, siue non operante modo phantasmata, sua species sint rerum in phantasia, vel cogitatiua dicit hoc bonum prosequendum, illud malum fugiendum. Gemino exemplo vtitur. Et primo quando mouet cogitatiua ex

phantasmatibus operante sensu externo, vt visu velut viso igne in arcibus, qui solet nuncius esse de accessu hostium, & piratarum in mari, vt hodie fit, tum communis sensus mouetur, ac phantasia, & cogitatiua & dicunt hostem fugiendum. Et secundo exemplo quando nec sensus proprius nec communis operatur, sed solum phantasmata sunt in phantasia & cogitatiua, quinimo intellectus potentiæ cum voluntati pręnunciat conceptus in ipso cum fuerint tum vel cogitatiua de particularibus fugiendis, vel prosequendis, vel intellectus de vniuersalibus vt videns ratiocinatur ex præsentibus de futuris, ceu pisistratus nunc tirannus premit Rempu. etiam Dionysius premet. Nunc Turcæ mari potentes minoribus stipendiis, potentiores erunt maioribus. Et cum cogitatiua dixerit ibi dolorē subscribet fugiendo, & si voluptatē dixerit prosequendā. Et idē euenit cuiq; actioni omnino etiā si intellectus mouerit voluntatem. Quare vna cogitatiua iudicat hoc bonū, hoc malum, & hæc sunt idē subiecto cognoscente, vnusq; intellectus practicus dicit bonum communiter prosequendū; & malum vitandū. Hic similitudinibus quatuor absolutis accedit author ad suum propositum dicens vnū intellectum actu cognoscere verū, & falsum, & hæc duo esse in eodē genere cū bono & malo, siquidē falsum vitandum & malū est, & verū bonum prosequendum & hæc sunt idem subiecto cognoscente intellectu, & si simpliciter qua talia, & quadā ratione discrepant verū, & falsum, ac bonum, & malum, atque verum & bonum, & falsum ac malū, & sicut supra erat commutata proportio, a, b, c, d, de albo, nigro dulci amaro ita fieri potest de vero, falso, bono, & malo, & cum ratio cōmutata pertineat ad vnū cognoscentē, ita ad vnum intellectum actu. Vnde intellectus idem cognoscit plura, & infinita potentia sub vna voce vniuersali.

## Contex. XXIX.

*QVa dicuntur abstracta intelligit perinde, ac non simum, qua simum non separatim, sed qua cauum, ubi intelligat actu quid sine carne, in qua intelligebat in esse concauum, sic mathematica uelut separata intelligit, quando intelligit illa. Et omnino intellectus actu est res ipsa intelligendo. An uero aliquid separatorum possit intelligere a magnitudine non separatus, necne considerandum est postea.*



QVOMODO intellectus intelligeret simplicia, & composita, & quomodo illa essent cognita, siue diuersa, siue contraria, siue bonum, malumque, siue verum, & falsum, & quod esset idem vnus intellectus, qui actu comprehenderet hæc licet diuersus ratione, eadem diuersa ratione perciperet supra est explicatum, nunc quomodo abstracta vel mathematica, vel diuina intelligantur ab intellectu actu exponit, sed modum dat intelligendi abstracta mathematica exēplo simi, & cōcaui. Addit quomodo intellectus actu est res ipse, quare nos bene interpretati sumus semper sermonē fuisse a cont. xxj. vsq; ad id loci de intellectu actu. Vnde Græci, & Auerh. male siue de intellectu agente, siue de materiali supra dixerint fuisse sermonem. Ecce in conclusione dicendi de intellectione intellectiliū sermonum referri ad intellectum actu, postremo dubitat, an intellectus noster intelligat formas reipsa separatas a materia, Deum, mentes motrices orbium, intellectum agentem, & animam humanam non dependentem a corpore quod informat a Deo infusa, & illapsa, de qua dubitatione postea considerandum dicit, sed vbi id aptius tractabitur, cum duodecimo sapientiæ libro de intellectu diuinarum mentium, & Dei solum agatur? Aliqui dicunt in primo libro de partibus animaliū, sed falluntur, quia ibi mouet dubitationē nunquid de intellectu pertineat ad physicum agere simpliciter. Ac si in eo libro physici negotij ægisset, cur non potius hoc loco? Philoponus asserit ex dictis solutā, cum diceabatur intellectus se abstractum a corpore intelligere, aberrat hic vir, quoniā tradit postea considerandū, ergo non antea dissoluit, Themistius argumento conuincit magis deberi intelligi substantias illas, quia si formas materiales abstractas mathematicas intelligit multo magis ea capit, quæ sunt suapte natura abstracta, & maxime intellectilia, quod ab Alexandro accipiens in sermone suo de intellectu agente fassus est. Vterque immemores tamen sententiæ Arist. 2. lib. metaphys. quando dicunt se habere perinde intellectū nostrū ad ea, quæ sunt manifesta in natura, vt oculus noctuę ad lucē solis, quare multo minus intellectilia præsertim quo ad quid est, quoniā quoad si est facile deprehenduntur esse motibus, & ordine vniuersi &c. Auerh. autem, & nonnulli dant operam

hoc

hoc loco explicandæ dubitationi huic, ne intellectus coniunctus corpori possit quoad est coniunctus intelligere substantias separatas. Hæc quæstio nobis difficilior occurrit, qui non solum intellectum coniunctum corpori fatemur, sed etiam plures esse, & informare corpora, & si separati dicuntur, quia non e semine oriuntur, sed deforis diuinitus infunduntur corporibus. Aduerte elici ex his verbis, non a magnitudine separatus quod quandoque est separatus, & tum intelligere substantias separatas.

## *Necessaria digreßio de officio animæ humanæ, quæ etiam asserit tot esse quot homines singulares, hasq; intelligere diuina & humana ortas. a Deo nunquam interituram.*



NIGMA Pythagoreũ de compositione animæ mundanæ in Timeo ex numeris, & interuallis, vnde Xenocrates trãstulit candẽ ad animũ nostri generis, & definiuerat illũ esse numerũ seipsum mouentẽ id veri habuit anima nostra alioqui simplicẽ formã, cõpositam esse ex his, quæ non mutant simplicẽ eius statũ, siue sit constituta ex numero quinario motu, quiete, vno, codẽ, altero, siue ex harmoniaci numeris, & longitudine, latitudine, altitudine, quæ omnia primus liber euoluit in recensendis priscorum opinionibus. Compositũ animã Democritus, Leucippus cũ Epicuro & athomis dixere. Empedocles ex quatuor elemẽtis, Aristoxenus musicus ex concentibus, & alij alio modo. Vnde etiã Socrates, Plato. Arist. Stoici, Chrysippus, possidonius animã nostrã simplicẽ, sed conflatã ex partibus, aut facultatibus diuersis quo ad varia officia animati. Quocirca animã humanã fatemur ipsi constare potentijs, quæ non cõponunt essentiã animæ simplicem formã, entelechiã, sed sunt in ea tanquã qualitates perficientes illã ad diuersa exercitia peragẽda, ob id organa in eodem corpore fabricauit natura, multiplici structura, vt eadẽ anima per diuersas facultates in diuersis locis, & instrumentis obiret diuersa munera, quibus facile deprehensum est animam esse afformantem corpus, & vtentem eodem. Nec sufficere illã partitionem de anima inseparabili, & separabili tanquã nauta naui assistente; cũ tertiũ sit genus animæ quæ afformat, & vtitur eodem, quinimo omnis anima perficiens assistit etiã vtens per facultates diuersis organis. Verum non omnino separata est vt figulus a rota, sed eo separata, quia in suis origine non e materia, neq; e semine, sed substantia foris accedens diuinitus, cui operatio propria non est cõis corpori, nisi quatenus continet facultates præcedentiũ formarum, vegetalis, & sensitricis, vt cogitatiuæ, quæ formæ ex parentibus, e semine educuntur, & constituuntur, & dependent quo ad esse, & conseruationem ab eo, & materia, sed quo ad quosdã facultates nihil habet commune cum corpore neq; tanquã subiecto, neq; tanquã organo, ob id anima nostri generis media forma est inter diuinas mẽtes motrices sphærarũ, & animas vegetaliũ, ac animaliũ, siquidem mentes diuinæ penitus liberæ a materia cœlesti nec perficiunt, sed assistunt orbibus ad mentẽ authoris. Animæ autẽ plantarum, brutorum e seminẽ oriuntur, & a materia constituuntur perficiendo, & vtendo organis. Anima nostri generis non a materia oritur, nec per eã permanet, sed perficit solum deforis accedens, & vtitur facultatibus inferiorũ animarũ, & organis, in quibus nõ est nisi perficiendo, secus est facultas sensus in organo dependet ab eo in conseruatione, & vtitur eodẽ. Quod vero Arist. non de intellectu agente lib. 2. de partu animaliũ dicat deforis illũ accedere sicut Alexander censuit argumento illud est, quia loquitur ibi vel scribit de origine formarum & animarũ, ergo etiã de origine animæ nostræ, quam deforis aduenire inquit. Et demiramur Alexandrũ habitũ interpretem doctiorẽ, qui non legerat totum illud caput, cũ ibi author quæsiuerit, an formæ præcedant fabricã constituti, an subsequantur, & diluit affirmans subsequi, atq; deforis accedere animã corpori nostro diuinitus, & non antecedere, ergo res noua est anima & non æterna, quare nec intellectus agens, qui maxime Deus est apud Alexandrũ. Nam præcedit, & nõ subsequitur, siquidẽ æternus. Quinetiam in eodẽ capite de fœtu loquitur, cuius vnam partem separabilẽ dicit, vbi diuina pars cõprehenditur, & talis est mens, Deus autẽ & intellectus agens non cõ-

prehendit ea parte. Quinimo vocauit Arist. intellectũ agentẽ animæ partẽ. De intellectu agente
Deo nihil hoc loco, quod cõuincitur argumẽto, si enim dubitatur nunc, ne intellectus noster ma
gnitudini copulatus abstractas substantias intelligat, nec dubitatio dissoluitur, sed differtur, ergo
nõ de Deo hic sermo est, qui sit intellectus agens, alioquin iam præfinitũ esset quid Deus agens in
tellectus, & ita cognitus, non ergo dubitandum erat, ne intelligeretur quoad intellectus humano
corpori adiunctus esset. Quare sermo Arist. in libris de partu animaliũ pertinet ad essentiã animæ
rationalis, quo iure etiam refellitur Auerh. de illo vno intellectu separato in omnibus hominibus
siquidem præcederet, & non accederet ille, cũ sit æternus, at mens deforis noua accedit, & talis est
ortus eius, cum in eo capite de ortu animarum disseratur, colligi ergo est ortum animæ nostræ ac
cessum deforis, quæ cum perficiat partem separabilem seminis continet facultates communes, &
proprias, nimirum cõmunes vegetalis nutricem, auctricem, genitricẽ cum viribus annexis a me-
dicis vsitatis, cõmunes item sensitricis sensus quinque, & cõmunem, ac phantasiam, memoriam,
sed proprias cogitatricem, reminiscentiam intellectum potentiæ, in habitu, in actu agentem, &
practicum cum irascibili, cupiditate, voluntate, quibus varia obijt munera. Animæ porrò nostri
generis officium primum est accedens afformare, & perficere corpus humanũ ita, vt ab eo nõ per
ficiatur, & constituatur ad esse, & conseruatur. Sed vt accessit separata a semine, & corpore, ita
redire possit sine corpore. At vegetalis, sensitrix animæ, cogitatiua e semine oriuntur, & intereũt
interitu corporis, quia perficiunt ita, vt perficiantur, & ob id facultates earum in anima nostra or-
ganis destinatæ suis vna cum illis afficiuntur, quocirca Arist. primo libro decreuit innasci nobis
substantiam animæ, & marcescente quodam intra corrumpi, non quia substantia afficiatur, sed vis
ea, quæ phantasia vocatur, quam continet, simili modo affecto oculo ægrotat vis illa, & anima di
citur affici attributa affectione ob potentiam, non autem afficitur reipsa officia ergo varia sunt, &
facultates diuersę, sed propria cogitandi reminiscendi, intelligendi, & agendi. Hanc animam per
ficere corpus humanum, & non adsistere possumus multis argumẽtis decernere; & quia est actus,
& forma, ergo format, per quam formationẽ quid sit homo redditur, & ita per sui perfectionem
homo est animal rationale, & differt a cęteris. Adde & quia homo est vnũ non per assistentẽ ente-
lechia, alioquin & corpus humanũ sine ea subsisteret, siquidem quãdo duo sunt sic iuncta, vt vnũ
perse separatũ, & aliud erit perse separatũ, quare corpus humanum subsisteret sine anima huma-
na. Nã cernitur nauta naui adiunctus, vt vtraq; separata sunt aliquando, sed corpus humanũ vi-
uens sine anima intellectrice nusquã reperies, iccirco informat, separabilis tamen. Et quia homo
differt a belluis intelligentia, hæc actio igitur homini propria est per formã sui propriã, quia for-
mæ est actio, vt materiæ passio. Atq; illud plane Aristotelicum est in Platonem, cui placuit in Al-
cibiadis dialogo animã esse substantiam vtentem humano corpore entelechiam esse intimã per-
fectionem, sicut multis exemplis docuit secundus liber; ergo dicere animam assistere corpori &
eo vti solum vel illud moderari dogma est Platonicum, non Aristotelicum, ob id dubitando di-
xit nondũ e definitione illa cõmuni cõpertum, an esset, sicut nauta naui aliqua anima separabilis
ꝙ in Platonẽ scripsit, & deniq; in processu animã nostrã principiũ quo primũ intelligimus perfe-
ctionẽ corporis voluit. Adde si anima, velut nauta naui assisteret corpori, & separabilis esset, de e-
ius immortalitate certi essemus, quia nõ in corpore, neq; perfectio eius, ergo si dubitãt quidã non
dubitandũ, in causa est, quia perficit corpus, & eius est intima perfectio, attamen nunquã interitu
ra, quia vt sæpissime dixi nõ est perfectio cõstituta e semine, sed accedit deforis, quo fundamento
doctissimus Thoma & perficere subiectum, & immortalem defendit. Non obstare huic asser-
tioni verba philosophi, qui scripsit in secundo volumine nihil prohibere quasdam separabiles es-
se, propterea quod nullius sunt actus, quoniam si ratio est, cur separabiles sint quia nullius actus,
cũ anima nostra sitʼ actus, & forma, ergo alicuius corporis humani, & si illud nõ asserit, sed dubi
tando promat. Nec obstat si dixerit intellectũ esse immixtũ corpori, & separatũ, quoniã nõ e ma-
teria oritur, & hoc modo est immixta & separata saltẽ ẽt mixtione elemẽtorũ, sed nõ perficiẽdo
corpus. Ac nõ obstat si vniuerse cõprehẽdat, & seipsam, & intellecta separata, & sit res ipsa scita se
parata, siquidẽ apta est cõprehẽdere vniuersaliter ex eo, ꝙ nõ est forma cõstituta in esse per mate
riã, se aliũde aduenit, & ob id supra se cõuertitur, seq; intelligit, necnõ intellecta separata ꝑcipit, &
res est ipsa scita, cũ ꝑ actionẽ suã sit apta separari, & res diuinas intelligere, de quo postea. Nec rur
sus obstat si dicat entelechia corporis organici, cuius si ꝑfectio est in organo erit, qa perficiẽdo nõ
depẽdet ab organo, vt reliquæ vires corporeæ sensificę. Atq; nõ obstat, si dicatur aduenienś aĩa
corpori reqrit definitas ꝑparationes, qbus euersis, & ipsa euertit, verũ illud, si aĩa ab illis præpara

tionibus

tionibus constitueretur, & quo ad esse dependeret, sed non constituitur. Nec rursus ille elenchus de vnita anima corpori perficiendo, an substantia sua sit vnum, an accidente, quoniam apud Arist. non est quærere. Sicut nec ex ære, & figura, cum perficiat anima aliquid, & sit actus, & corpus humanum potentia, Nec impedit illud, quod formæ perficiens sit dependens a materia, & constituatur, quia nō omnis forma perficiens eiusmodi est, cum sit anima nostra media inter substantias separatas omnino, & materiales omnino, Nam perficit, neque omnino materialis est, quinimo in recessu suo post mortem hominis si desit perficere, non ob id ipsa interit, sed corpus ipsum, & animal, quia recessit perfectio continens illud, & quia ipsum corpus suo defectu desit informari, Ac non obstat quod si anima perficeret corpus humanum extenderetur per omne corpus, quia per potentias suas extenditur ipsa indiuidua, & incorporea, vt centrum extenditur vnū indiuisile per lineas, quarum omnium illud est vnus terminus, æque vna substantia animæ in corde vel cerebro indiuidua extenditur per facultates sensificas, & motrices ceu per tactum, & appetitum, atque ita non simul quiescit, & mouetur, quandoquidem per diuersas facultates quiescit, & moueatur ex accidenti non perse. Nec ratio Auerh. concludit affirmans, si anima intellectiua perficeret, & esset indiuidua, quia materialis, atque ita non perficeret vniuersaliter, quinetiam nō posset intelligi a se, nisi esset intellectilis potentia, cum omnis forma materialis sit intellectilis potentia, siquidem iam deliberauimus animam nostram mediam formam perficere, sed non constitui a perfecto, ideo quia alterum genus est formarum materialium, ob id vniuerse intelligit, & a se actu, &c Quare ne longior sit oratio media hæc forma perficit, & non perficitur a subiecto, iccirco immaterialis hoc modo est, & diuisa contra omnes alias formas materiales, indiuiduas, intellectas potentia, quia accedit extrinsecus ortu proprio sic, vt nunc est, & ante non fuit secundum dispositiones præcedentes in corpore, & ideo Bessarion vir philosophus non nouit hunc ortum esse apud Arist. cum illum accessum animæ extrinsecus non nisi quandam creationem esse intelligat, quæ aduersatur dogmati Aristotelico, Quinimo si secum bene animo hunc ortum excogitasset naturalem inuenisset ratione non agentis Dei, sed ratione subiecti præparati, & organis aptis naturaliter in vtero constituti, quare infusio est, & non simpliciter creatio, quæ omnino ex nihilo fit, cum iam corpus humanum sit formatum in vtero, & extrinsecus accedat in maribus apud Hipp. post 36. dies, & in fœmellis post 42. Quanquam Arist. dicat diuinitus animam accedere, attamen quoddam separabile in semine præparari dixit, in quo inest mens, intellectiuaque anima, Ergo recte D. Thomas sensit Aristotelice animam informare corpus, quia Arist. cap. 3. libri secundi de partu animalium asserit partem seminis separari in qua est anima intellectiua, & quoddam diuinum, si est in ea parte separabili, ergo non sicut accidens, sed sicut forma, & perficiens, Quare anima nostra a Deo infunditur humano corpori præparato, quod anima infusa perficit, & facit hominem intelligere, Hæc de officijs animæ. Restat de multitudine dicere, cum cuique homini suā animam Pythagoras, Socr. Plato plane affirmarint, idem autumasse Aristotelem docebo in commentū Auerrois cōtra oēs leges cōtra oēm philosophiā moralē, & naturalē de vno intellectu in omnibus hominibus æterno sic, vt nunquam inceperit, neque defuturus sit, sed ante confirmavero opinionem Pythagoræ, & aliorum de hac animarum humanarum multitudine, quandoquidem velit nolit Auerh. cogatur cuique propriam animam attribuere, quæ format, Hanc ait cogitatricem, & cuique suam homini inesse, nos dicimus intellectricem, cui inseruit cogitatiua particularium facultas ratiocinatrix, sed plures animas intellectrices primum hoc argumentum concludit, quia quisque hominum est per formam, quæ operationem illi præcipuam conficiat, ergo cum hominum quisque intelligat merito formæ suæ, vt operatio sua differt ab operatione alterius numero, iure igitur aliam animam quisque habebit ab altero, alioquin idem tuum, & meum esset intelligere, æqualisque doctrina, & cognitio ignorantis, & docti. Nec illa præstat responsio Auerh. qui dicat intellectum vnum numero exercere diuersas intellectiones, quia aliter copulatur docti phantasmatibus, & aliter ignorantis, quasi diuersæ cogitatiuæ, phantasiæ, & phantasmata actiones intelligendi multiplicent, non autem diuersitas animarum, contra quam respōsionem illud obijciendum, siquidem eadem obiecta easdem actiones conficiunt, & diuersa quidē diuersas, sed cum plerunque phantasmata præceptoris, & discipuli conueniant, cum sit eadem doctrina, & disciplina subiecto, vt libro tertio phis. asseritur, ergo erunt eædem intellectiones, quare non multiplicantur intellectiones ob phātasmata, Præterea multa intelligunt homines sine phātasmatibus vt diuina, quæ non cadunt in sensum, nec in phantasiam, & primis principijs assentiūt per intellectum agentem, ergo non eorum intellectiones diuersæ erunt de his ob phantasmata,

Et illud mirum, cur cum intellectus ille vnus habeat propriam intellectionem se cōpulando homini non suam communicet operationem absque phantasmatibus, Quinimo idem intellectus vel intelligit Socr. Philandrum intelligere ob sua phantasmata diuersa aliter, vel non intelligit, hoc sm affirmari nō potest, quia si intelligimus per eū nos diuersis phantasmatibus intelligere diuersa, & ille intelligit, quare erit simul sapiēs, & stultus, Nā sapiēs cū intelligeret p phātasmata vera, stultus qn intelligeret p phātasmata huius vel illius chymeras, Geriones, & similia, quæ illi imaginātur, & nō sunt. Hoc absurdū nō accidit nobis ponētibus diuersas animas intellectuales, Quinēt mirū quod ille vnus intellectus nobilior cogitatiua subijciat̄ phantasmatibus, & cogitationibus hominum. Adde aliam rationē concludentem plures hominibus animas intellectuales; quia vt D. Thomas ait saltem duo indiuidua ob vnum intellectum numero essent vnum in operando etiam si a diuersis phantasmatibus mouerentur, quia duo per vnam formam agunt, ergo quo ad illam formam per vnum modum operandi intelligerent, quare satius est cuilibet suam animam asserere, Atque si species prædicaretur de pluribus numero differentibus, cum sit ea homo intelligens rationalis, certe quique homines sunt intelligentes si eodem intellectio, quisque erit vna species, quia totum intellectum vnum numero habet, si diuersos ergo quisque suum intellectum habet, Russus intellectus practici multi sunt, & voluntates sequentes illos, ergo & intellectus theoretici multi, cum intellectus practicus non aliud sit, quam Theoreticus, nisi quia qua Theoreticus non concupiscibili, irascibili iungitur, sed velut practicus, quare cum plures sint practici intellectus in hominibus, vt constat ex diuersis negotijs, & operibus, plures etiam erunt Intellectus speculatiui, Equid clarius est ex vitijs, & virtutibus hoc, cum alij improbe vitam degant, alij probe, & studiose, Sed iam vides sectatores Auerh. paratos tueri commentum illud de vno intellectu in omnibus hominibus æterno, qui coniungitur hominibus secundum phantasmata, & assistit soli speciei humanæ, nec efformat, iccirco velut nauta naui præsidet, & moderatur actus humanos, ob id hic & ille homo non similiter intelligit, quia aliam atque aliam imaginatricem vim habet, & diuersa phantasmata, itaque miser, & infęlix homo, cum sola assistentia gaudeat illius intellectus, & hac potiatur exiguo vitæ spacio, Equidem sunt, qui etiam belluas regi volunt instinctu naturæ, qui est assistentis colchodeæ, Nec sat homini est obtinuisse cogitatricem animam interituram sensitricem, quia homo non excederet gradum animalis, cum ipsa sit sensitrix, Accedit quod Aristo. nusquam de hoc vno intellectu verbum fecit, sed plures esse indicauit ex affectionibus, quibus præuerti solent intellectus hominum, cum aliter affici intellectus melancholicorum, & aliter intellectus biliosorum, & intellectus huius quodam intrinsecus marcescente, Atque nunquam approbasset suum intellectum esse eundem eorum, qui ideas introduxissent, quia phantasmata sua non tantum potuissent, vt phantastice sustulisset ideas, cum ita dici oporteret, si vnus intellectus numero diuersis applicatus phantasmatibus variat intellectiones, Quinimo hic vnus intellectus non perciperet substantias, cum phantasmata sint accidentium, alioquin phantasia reciperet substantiarum species, sed nullus sensus ad quidditatem substantiæ peruenit, Quod si dicatur ope cogitatiuæ substantias cognoscere cum solas indiuiduas cognoscat, hic intellectus nō nouerit vniuersales, Adde si hic vnus esset intellectus numero in omnibus hominibus vni alio, & alio modo alteri iunctus ob diuersa phātasmata, hic intelligeret semper rem intellectam, quia est æternus, & sæpe idem intellexit, nisi abeuntibus, & corruptis phātasmatibus ammitteret ille notitiam rerum per illa, quare obliuisci, ammittere, reminisci, recuperare infinities idem cōtingeret ei, & sic in summa esset miseria, quia cōtinuo agitaretur, sic Arist. libro 2. de cęlo asserebat contra eos, qui cęlum æterno motu vi, & labore Athlantis sustineri dicebāt, quia sine quiete tāto negocio implicaretur, Quod si dixeris recedētibus phātasmatibus retineri species, & habitus, vt plane Arist. paulo supra declarauit, & credibile quidem, quoniam si sensus phantasiam in somnis retinet, cur nō superior intellectus? ergo habet species apud se rerum, quid opus est igitur applicari phantasmatibus tuis, vel meis, nisi faciat te, vel me intelligere, quod quidem melius est asserere, si dicamus homines intellectu proprio intelligere, & nō applicatione illius ad phātasmata tui, vel mei, Quare intellectio nil aliud erit, quam applicatio eius intellectus ad phātasmata. Adde hunc modum euertere intellectum agentem, quoniam si applicando se phātasmatibus ille intellectus Socr. Philādrum facit intelligere quidditates substātiarum nō opus est agēte, cum tamē infinito olim tempore infinities copulatus phātasmatibus ille intellectus iam callere debeat omnes habitus & hos communicare homini absque eo, quod a phātasmatibus moueatur, si enim intellectus in habitu est qui fit singula intellecta, & seruatis speciebus operatur sine applicatione ad phātas-

mata

mata satis enim fuit applicuisse, & inde obtinuisse species, cur semp orto homini applicatur quasi nūquam didicerit, & rudis simul, & doctus, atque varijs opinionibus hominum pro multiplici phantasmatum varietate implicitus tum falsus tum verus, tum a se dissidens, tum sibi cōsentiens, Ecquid nō dixerim de isto intellectu, si phasmatibus, visionibus, imaginationibus hominum subijcitur, & multiplices intellectiones ad eas subit, Quinetiam infinitæ numero essent intentiones seu intellectiones in eo cum infiniti homines sint, in quorum vnoquoque multæ imaginationes insunt, quare cōduplicaretur infinitas, quod si iam dudum calluit habitus, hos nō nuper debuit recipere, quia intus apparens prohibet externum, & omne recipiens caret recipiendo, icirco laudabatur Anaxagoras qui mētem separauit, vt omnia cognosceret, & icirco si ad aliquorum phantasmatum nouitatem intellectus nouos habitus acquirat, vt nec annis ducētum inuētio bōbardarum, & artis imprimēdi & similium ad vsum humani generis extiterit, tamē dicitur intellectus potest ad omnia potētia, quare ille intellectus nō potest habere quosdam habitus, & quosdā nequaquam siquidem potestate est omnia intellectilia, Vnde non est dogma Aristotelicum, & eo magis, quod Platonice potius asserit illud hūc intellectum nō denudatum a primis propositionibus, quæ æternæ sunt in ipso intellectu licet aliter ab isto, & illo percipiatur, & accommodetur vsibus, Hæc est sentētia Platonis in Memnone, qui solum sensibus, vel magistro reuocātur habitus animi. Si æternæ sunt propositiones in ipso intellectu nō ergo est potētia omnia intellectilia, quinimo actu habēs illa prima principia potestate omnes sciētias habet, quia velut in seminibus sparsis fructus insunt; quare intellectus habet actu, & nō potētia semina omnium habituum, Nec obstat si dicatur nō posse cuique homini suum esse intellectum, quia tum forma inhærens foret, atque extenderetur ad molis extēsionem, quale argumētum quidam de Agandauo tam præpotes credidit, vt nisi miraculo aliter esse nō possit, quasi spiritus in corde innatus corporeus apud libellum de motionibus animalium sine extēsione sui nō præsideat solum gubernaculis apud Arist. sed nō vidit ille animæ nostræ medium genus esse formarum, quæ constituunt, & perficiunt subiectum non constitutæ ab eo, icirco non extenditur anima nostra, sed in corde est cum suo ministro spiritu apud Arist. & perficit omne corpus per potentias sensitrices, vegetales, quare nō extenditur. Nec obijciendum illud, si nostra anima perficeret corpus quo ad esse, forma esset indiuidua, materialis, & ideo intellecta potētia, quia desiderat agētem intellectum, qui faceret actu intellectum, Quinimo eget agēte, vt illustretur, eiusque ope assertis primis principijs ratiocinetur, intelligat, & quod corpus perficit nō ita exacte se capit, vt separata post mortem. Nec illud opponendum, quod si plures intellectus, & nō vnus illorum quisque non comprehenderet vniuersaliter, siquidem quisque cōstituit, & nō cōstituitur a subiecto, icirco liber est materia eo modo, & talis forma potest apprehendere vniuersaliter, secus si forma esset intellectus, quæ cōstituatur sub iecto, Nec addendum illud, quod mihi arduum semper visum est, cum intellectus extrinsecus aduenit, an sit vnus numero antequam perficiat, an vero e corpore fit vnus numero, si vnus antequam perficiat, quid prohibet etiam, vt sit assistēs vnus numero omnibus, si vero accedēs, & perficiēs cōstituitur vnus ex vno corpore, ergo pēdet a materia, & cōstituitur per corpus hoc, vel illud, Nisi sit vnus intellectus editus diuinitus, qui adhuc sit proprius, & vnus magis ob talem corporis organici dispositionem, & temperiem perficiēdo solum, & nō quia cōstituatur ab eo quoque cōstituēs, postremo nō possunt intellectus multiplices fateri, quin ortum habeāt, & interitū, nos secus dicimus ortos esse nō interituros, & omne quod oritur occidit si e materia, & potentia eius oriatur per modum agētis, qui nō potest sine semine, & materia aliquid efficere, sed anima oritur diuinitus, & accedit corpori iam absoluto in vtero parētis, icirco alio modo oritur, & ita vt accedit, etiam recedere potest sui agētis voluntate secundum Aristotelem, vt nūc cuiusque animæ nostræ immortalitatem asseramus & probemus explosis sentētijs Alexādri, Galeni, qui animū nasci ex mixtura, tēperieque corporum putarūt aut superuenire ex illis commixtis, vt taceam plebeos quosdam, qui horum opiniones sectātur, & obijciūt cum Bessarione totam illam disputationem Arist. de mūdi æternitate cōtra Platonem in nostram sententiam, siquidem nouerat author Platonem in Timæo Socraticum ex Pythagorea doctrina fassum mundum a Deo cōditum, nō interiturum, nisi pro voluntate opificis, attamen ille multis argumētis oppugnauit, & in vniuersum, ne quis censeret solum ad hominem disputasse, conuerti voluit caducum, & ortū simul, & perpetuum, atque ingenitum ita, vt quicquid ortum intereat, & quicquid non interit nō gigni, Quinetiam quod semper est ex vna parte semper fuisse, Et vno verbo omnes rationes ibi adductas potes conuertere in hanc sententiam de ortu humanæ animæ, quæ sit in posterum sempiterna.

piterna. Has repetere longum esset, mihi sat est docuisse lectorem, si desiderat contra animi immortalitatem disputare, inde argumenta haurire, & promere, quæ omnia nostrum fundamentũ labefactat, siquidem anima nostra oritur, sed non e materia, neque constituitur per eam, icci rco in posterum sempiterna erit, At Aristoteles imposuit Platoni mundum sic conditum a Deo, vt eius natura penderet a materia, & constitueretur per eam icci rco ibi parem potentiam adesse, & non esse statuit, & ob id mundum interiturum non interiturum duo cõtradicentia colligit, quinimo naturam contingentis conuerti in naturam necessariam postquam Deus molitus est mũdũ e materia, qua potest non esse, si porro semper foret, quod potest non esse semper esset, quod absurdum est, at nos dicimus animam non e materia constare, & icci rco in se non habere vnde esse non possit in posterum, nec illud concludit aliquando non fuit ante accessum ad corpus, ergo potest etiam cum est non esse, quia in se non habet materiam, qua possit non esse, at obiicies saltẽ poterit non esse vt ea quæ non fuerunt & postea sunt sicut tempus futurum nondum est, cum erit etiam poterit non esse, Respondebis animam non esse accidens, neque rem elabentem, & fluxibilem ob id suam naturam habet independentem, nisi ab opifice suo, & icci rco non poterit vllo modo non esse, & si desinat defectu corporis non sui informare post mortem, Et ne plura si fundamentum firmiter iacet, euertat omnia illa argumenta Aristotelis de æternitate mundi contra Platonem quasi contra immortalitatem animæ minimæ valitura, attamen nonnulli mẽtem authoris putant tenuisse illam mortalem addicti leuissimis argumentis, Alij saltem nil certi illũ de immortalitate statuisse, Nos censemus contra Alexandrum, Gal. Scotum, Agnadauensem, Auerh. Gaetanum, Pomponacium secuti Socratem in Phædro, in Apologia sua, decimo de Repub. Platon. in Timæo, & alibi cum Platone, Plotino. Zamblico, Plutarcho, Olympiodoro, Hammonio Maiore, minore, Simplicio, Philopono, Theophrasto, Porphyrio primum animam diuinitus edicam immortalem, Deinde cum diuo Thoma. Suessano, Bessarione id plane Aristotelice assertum esse sic vt Socr. Plato Arist. sentiant eandem immortalem, & si diuersis argumentis id doceant, & persuadeant. Verumenimuero antea refellendi sunt aduersarij, & primus Alexãder Aphrodiseus ex definitione cõmuni animæ vniuoca colligit intellectualẽ non posse esse sine corpore, cuius est entelechia, & perfectio, terminus, siquidem essentiale illi est, vt sit corporis entelechia, & essentia, separata igitur nullius est corporis actus, ergo non anima est, cui argumẽto dicito primum diffinitionem illam non vniuocam, & vbi esset vniuoca id duntaxat videretur quoad perficiendum corpus, & vtendum organis eius, & facultatibus, ob id separari potest, quia non dependet a materia corporis quoad esse, vt aliæ animæ brutorum. Addunt pro Alexandro aliud, inseparabilem videlicet essentiam ab eo, cuius est essentia anima igitur inseparabilis est a corpore, cuius est ratio, & quid erat esse libro secundo, sed nos addito dicimus inseparabilem pro statu isto quoad perficit corpus, attamen separabilem, quia non constituitur per corpus, nec organum eius, Annectunt item formam nostram sequi temperamẽtum corporis, & affici perturbationibus, ergo sicut sensus visus affecto oculo læditur & interit, etiam animus noster in phrenesi, delirio coafficitur Annexo dicendumest; quod aberrat siquidem læduntur potentiæ sensificæ ministræ animæ phantasia, cogitatiua, nec ob id animus afficitur passionibus cum interitu, vt Arist. primo libro prodidit, & perpetuo in tertio. Vulgi opinio facile decipitur ex affectis facultatibus arbitrãdo essentiam incorpoream lædi, Nam nec a corpore, nec ab organo constituitur, & quoad esse depẽdet. Verum hallucinari facile fuit Alexandro credenti animam nostram esse superadditam mixtioni, temperamentoque immemor verbi Arist. qui primo libro dixit innasci nobis substãtiam animæ, ne cauilletur Alexãder dictum de intellectu agẽte, quem Deum inquit. Huius substãtia nõ innascitur nobis. Immemor verbi sæpe supra citati cap. 3. libri secundi de partu animalium, vbi deforis accedere dixit, ob id Cicero credidit Arist. tenuisse e quinta essentia cœlesti animam fingi Aristotelice, Adhuc alij sumpto patrocinio asserunt animam animare, atque esse animalis cum interit hoc opus animandi non est anima vt sit in separatione animæ a corpore, Dicendum, quod anima est etiam functo officio, quia nullo alio fungitur, & retinet illam prærogatiuam, Neque oberit illud animam nostri generis esse, qua homo est hoc aliquid si deficit hoc aliquid, merito causæ deficientis, quia hoc argumentum non concludit nisi quod recessu animæ, vel potius corporis ab anima desinit esse hoc aliquid corpus humanum. Addunt si remansere hominum infinitorum animas mundo externo, iam ergo extant animæ infinitæ, & ociosæ quidem, quia nihil agunt. Additioni huic oppone infinitum numerum esse posse, cui addi semper potest, quia tale infinitum non est actu, sed potentia, cum semper est aliquid addendum, & semper addetur si sem-

piter-

piternus est mundus, quare potentia est infinitum, idque admittitur ab Aristotele libro 3. physicorum. Illud me magis angit de ocio illarum animarum, nisi apud philosophum ante actæ vitæ præmia tanquam milites emeriti in vita contemplatiua versentur, quod Arist. primo ethicorum in ea quæstione perardua de continua fęlicitate approbat quærens nunquid fęlicitas humana continua esse debeat ita, vt ne exiguo quidem spacio interpolletur. Tandem in hoc vitę curriculo negat fęlicitatem continuam, ob id quærit vbi nam sit continua beatitudo? Respondet in alio statu post mortem, addubitat ilico, quia saltem parentes, & animi dolent afflictis rebus viuentium amicorum, & filiorum, sed dubitationem arcet, quia in illo statu ita gaudent etiam bonis viuentium, vt dolere nequeant aduersis, Quamobrem & esse animas defunctorum, & cognoscere nostra plane fatetur author, nec est, vt cauilleris tum Aristotelem probabiliter loqui in sermone de moribus ob vulgi opinionem, quia in tāta quęstione diluenda de continua fęlicitate, cuius causa omnes libros auscultatorios, diuinos, morales edidit, vt ex omni parte si posset redderetur homo fęlix non adduxisset illud exotericum, & vulgare, Quod si ad componendos mores illud asseruisset, & ea in parte laudes ob id meretur, tu saltem qui pertinaciter mortalitati faues animi contra omnes bonos animi mores te geris, & tuam perfidiam, improbitatem accusas, Neque mos est Aristotelis sic ludere suos labores, & vulgi more loqui, sed certe sapiētis, Praterea illud de actione animi pendente a phantasmate obiecto corporeo, quia necesse est intelligentem phantasmata speculari, quoniam anima non habet operationem propriam, iccirco non contingit ei separari, hoc est manere separatam a corpore, dilues argumentum, quale præstantissimum putant non perpendentes bene animo doctrinam Aristotelicam, Dicendum primo Aristot. loqui libro primo dubitando sicut liber ille plenus est dubitationibus, quia illa dubitatio est in Socratem dicentem in phædone sibi non fore grauem mortem, quia quoad vixit in extasi plurimum vixit, intellectum separatum habens a negotijs & passionibus corporis, & ideo hortabatur philosophandū esse cum philosophia sit meditatio mortis. hoc est mentem separare ab affectibus, ob id Aristot. loquitur de statu isto quod si anima habet propriam operationem potest separari etiam in corpore consistens propriā operationē exercēdo, nec sermo est de futuro statu, de quo ēt si sermo haberetur, pfecto dicimus inesse operationē propriā animæ, nec obstat obijci a phātasmate pēdere, quia ēt illa intellectus agentis cū trāsfert res de ordine in ordinem, vt lux colores, ita pendet a phātasmatibus, nec ob id tollit, quin sit ppria intellectui agēti sine eius interitu, Neq; asseritur sic ppria actio animæ, q̄ nō depēdeat ob obiecto, sed sic propria, quæ non cōicetur corpori vt subiecto, & organo a quo constituatur ad esse, & sui conseruationē ob id Arist. lib. 2. de partu animaliū dixit animam de foris intellectualem accedere, & nihil habere commune cum corpore subiecto, vel organo, vt supra decreuimus in hoc libro, Nouerat Arist. accedentem animam ad corpus humanū ne frustra accedat illud perficere, eodemque vsurum, sed ita tamen, vt nihil cum corpore suæ naturæ communicet, & actionis, quæ a corpore recipiatur, vt fit in sensibus, & vegetalibus facultatibus, Nouerat item egere phantasmatibus tanquam motoribus, sed nihil imprimentibus, nisi species ope intellectus agentis, quæ impressio est salutaris, & non cum interitu impressi, ob id nō possum non demirari istos, qui animam extingui cum corpore arbitrantur propterea quod depēdet eius actio a corporeo phātasmate, quo deficiēte deficit actio, & ita substātia, quæ sine actione esse non potest, primum Arist. primo libro innasci substātiam animæ prodidit, nec ob interire marcescente aliquo interius, hoc est deficiēte phātasmate, quare nec actio interit propria. Neque rursus illud, cuius præsentia patitur intellectus passione perfectiua, vt fit in sensibus sine interitu, sui absentia inducit interitum, quia non est aptum inferre alterum contrarium præsentia sua, nec si remoueatur efficiet illum, iccirco remoto phantasmate poterit actio permanere, sicut remotis sensilibus, & in somno vinctis sensibus somnia fiunt, quanto magis facultas incorporea apud se habens species rerum abscedētibus phātasmatibus poterit vti contemplatione. Quinimo si cicatrix remanet in cadauere, cur non in animo habitus remanebunt altius impressi, Et sine phātasmatibus supra dixit Arist. nos intelligere, tametsi necesse est, & quidem necesse est intelligentem phātasmata speculari saltem principio quorum absentia remanent habitus in anima, & ita intelligere poterit maxime quando iam adepta fuerit intellectum agentem, sed dices quid de animabus infantium quæ recedunt sine habitibus? Respondebis eas animas intelligere lumine intellectus agentis, & propria vti intellectione. Quinimo sicut Auerh. in illo vnico intellectu asserebat intellectionem propriam primorum principiorum sibi competere, & copulatum tuis, meis phantasmatibus conferre potentiam mihi, tibi intelligendi, etiam anima nostra quoad est in corpore

phantasmata speculatur, sed separata non speculatur ea in propria actione; & iccirco nec reminiscitur reminiscentia in parte sensitiua, sed ea sane, quæ est intellectus, cum separatus post mortem vim obtineat omnium facultatum longe excellentius, quam cum erit in corpore intelligendo, & quatenus seruiunt intellectui. Nec Aristotel. dicit. Non reminisci post mortem, sed solum non reminisci aut recordari in cont. xxi. Vnde perperam illi addunt post mortem, cum sermo sit de reminiscentia Platonico more, & donec sumus in hoc statu. Non reperies, neque græce, neque in veris translationibus illud verbum (post mortem) quod dedit ansam multis aberrandi, vt liberemus res errore docebimus animum immortalem ex ortu, ex natura sua, ex actionibus, ex argumentis, ex authoribus præclaris, ex legibus, moribus. Quare ex ortu, cum accedat deforis non ab efficiente physico, qui physice se gesserit, sed sicut artifex quasi, qui formam efficit, & infundit in materiam subiectam iam præparatam, & absolutam, Vnde physice mere corpus humanum fabricatur in vtero parentis aptissimum a genitore, & sole, cum homo, & sol perecent humanum corpus, & facultates animales ac cogitatricem, reminiscentiam. Sed anima intellectiua accedit aliunde, & diuinitus, ac perficit illud corpus, non quæ ex quinta essentia cœlesti condita sit neq; ab astro, vt Plato Pythagoreus in Timæo, sed a Deo; & primo motore, in quo actu sunt rerum formæ, sicut potentia in materia prima vel perficiendi vel ex ea oriendi, & per eam constituendi, quare cum a perpetuo fiat diuinitus efficiente non erit obnoxia interitui, quia caret materia vnde orta sit. Non enim e semininibus prodit. Hæc testati sumus ex verbis Arist. 2. libro de partu animalium non semel, & confirmauimus ex libro primo huius historiæ cum dicit innascitur substantia animæ, nec interit marcescere aliquo intus. Secundo ex natura animi immortalis ostenditur, quia est actus incorporeus cui nil contrarium non solum, quia mera substantia est, sed quia accedit sine interitu alicuius alterius formæ contrariæ solum perficiendo corpus iam constructum aptissime. Hinc illa oritur demonstratio primo libro de cœlo Aristotel. Quod caret materia in sui constitutione, & contrario id æternum sine ortu physico, & interitu, sed anima intellectiua caret materia, cum sit purus actus immixtus, & separatus etiam ab organo a quo dependeat, vt assertum est supra, caret item contrario. Non enim frigida, calida, vda, sicca, mollis, dura &c. ergo immortalis est & in posterum æterna. Nec obstat quia acceperit esse postquam non fuerat, siquidem non accepit esse e materia, sed ab opifice, vt perficeret materiam, & perstaret in posterum. Et quamquam accedat ei in perficiendo, vt sit potentia omnia intellectilia, tamen accedit etiam vt sit actu omnia intellectilia per intellectum agentem, verumtamen hæc potentia non est ad esse, sed ad cognitionem, alioquin est forma, actus perfectio, substantia simplex, & essentia. Quocirca vtere etiam argumento Platonis Socratici in phędro. Quod per se agitatur, idest viuit immortale. Animus a se agitatur hoc est seipso viuit. Quonam alio? ergo immortalis. Mors enim vitæ per se non est contraria, sed viuenti alterius vita vbi illa recesserit. Anima enim est causa cuique viuenti esse, & viuere, ergo vita est, alioquin si per aliam vitam viueret, abire esset ad infinitum. Verum enimuero hanc vitam non illi æternam, quæ aliquando non cœperit esse, sed quæ illam acceperit semper futuram. Tertio ab actionibus propriis sine corpore, ceu intelligere vniuersaliter. Hæc actio propria animæ intellectiuæ, cum nulli facultati aliæ nec corpori sit communicata. Nec ob est asserere in hac intellectione dependere a phantasmatibus, quia solum instrumenta sunt phantasmata nec edere possunt vniuersalia. Editio pertinet ad intellectum agentem, & intellectum actu. Quinimo phantasmata non repręsentant substantias vniuersales, & si conferant ad cognoscendum quid est primo libro. Equidem imagines pictæ reuocant ad memoriam substantias indiuiduas, non efficiunt tamen illarum species in cogitatiua, sed ipsa est, quæ comprehendit singulares inuitata imaginibus. Aeque intellectus agens format vniuersalia, & intellectus potentiæ recipit conferentibus phantasmatibus nonnihil, & mouentibus quodammodo. Quare cum actio intelligendi vniuersalia sit propria intellectiue non communicata corpori immortalis erit, & recedens habebit eam cognitionem, quam obtinuit in corpore. Vnde etiam quoad perficit corpus separata est propriam habens operationem. Nam & lumen in medio ab oculo separatum perficit oculum. Adde actiones voluntatis liberas velle, & nolle proprias animæ cum non dependeant a phantasmatibus, siquidem aliter voluntas imperat sępe, quam phantasmata indicant, & obstat etiam indicantibus, ob id homo est agens liberum nono metaphy. & secundo libro de interpretatione. Quamquam intellectus practicus moueatur phantasmatibus, tamen liber est. & sæpe repugnant, hæc libertas est actio animi propria, vt velle mori repugnante. Natura, nolle edere nolle respirare, quare actio propria animo libertas, alio-

quin

quin actus, & opera hominum nec vituperarentur, nec laudarētur, nisi libera facultate prodirent. Hæc actio velit nolit quicunque est propria animo, & in corpore, & recessu a corpore. Accedit rerum diuinarum cognitio lumine intellectus agentis, & diuino partu, vbi non habent locum phantasmata. Quarto argumentis, siquidem non patitur in corpore animus cum interitu, & quicquid interit, patitur, ergo non perit. Rursus quicquid est quo ad se expers mixturæ sine qualitatibus actiuis patibilibus non interit. Animus traditur in hoc tertio immixtus, separatus nec calidus, nec frigidus &c. quinimo etiam separatus ab omni intellectili, vt omnia cognoscat, itaque quoadse immixtus est phantasmatibus, cum & ipsum phantasma sit intellectile. Nam de eo in libris differuntur, ergo anima intellectiua est omnino separata, & subiecto, organo, & phantasmate, quare quoad sui naturam est immortalis. Et hæc ratio optima ex verbis Arist. deprompta, & in eos maxime, qui ex quo anima intelligens dependet a phantasmate nullam propriam actionem illi tribuunt, satis est separatam esse a corpore, & ab organo, & a phantasmate, & omni intellectili, vt possit omnia intelligere, quia est omnia fieri per naturam, & anima est omnia vel per sensum sensilia, vel per intellectum intellectilia. Adde collocemus animam infantis antequā vtatur phantasia, & phantasmatibus asserente authore in libello de somnijs vbi infantes negat somniare, quia non mouentur phantasmatibus, cum somnium non sit nisi phantasma, tum anima non dependet a corpore subiecto, nec ab organo quia immixta est, & minime a phantasmate, & tamen est actus purus & immortalis esse debet. Præterea anima intellectiua duo habet, intellectum potentiæ, intellectum agentem, & vtrique intellectus (vt visum est) immixti, separati a subiecto, ab organo, ab obiectis ergo essentia quoque immixta separata, & si illi eterni hoc est immortales, & essentia eodem modo. Vnde ex toto tertij libri fere processu habemus animam immortalem. Quinimo duodecimo metaphysicorum vbi causam formalem simul cum re formata esse, & non esse statuit, intellectiuam excipit, quæ remanet reformata, perdita, & corrupta, alias vero animas nequaquam, sermo est de formis informantibus, non de deo vt falso Alexander existimauit. Atque secundo libro supra hanc animam nostram alterum genus animæ separari tanquam perpetuum a caduco tradidit, & alia scripta Aristotel. cogere, & simul referre possem, quę testantur animam immortalem. Authores rerum plurimi immortalitatem celebrant. Et melius aliquid esse post mortem, quam nihil esse & in totum corrui & extingui. Pythagoras omnis philosophiæ parens agnouit immortalitatem. Tacto nunc illam animi transmigrationem ex vno in aliud corpus, quod enigmatice dictum est, vt doceret de mala vita date pęnas animas. Alcmeo Crotoniata immortalē credidit. Parmenides eleates, Stoicus, ac Plato, & antea Socrates in philosophia summi idem confessi sunt. Heu mihi si ex studijs optimarum artium nihil lucratus essem, & qui semper arsi desiderio immortalitatis sic fraudarer, Epicurus dudum dedit pęnas sui dogmatis. Potuissem conterere vitam in voluptatibus, & viuere sine tot vigilijs, laboribus in scribendis commentarijs, & conuertendis voluminibus e græcis in latinam phrasim. Par enim est conditio morientium, itaque dicente Socrate in Phedone soli improbi, homicidæ, auari &c. lucrarentur in morte propterea quod corporeis illecebris, & suis cupiditatibus expleuere voluntatem. Alij vero studiosi, modestæ vitæ, boni, & eximijs virtutibus egregij nihil adepti essent. Mors enim animi extinguit omnia. Ergo cum Epicuro liceat Alexandro, Galeno, & alijs dicere edamus bibamus cras moriemur ita, vt & anima extinguatur Alexander sui pace non fuit moralis philosophus, nec nouit decimum librum ethicorum Arist. de felicitate, & fine optimo, maximo, prestantissimo, qui deus est, quem assequi in hac vita mortalium nemo potest feliciter, ergo alius status est, in quo oportet fine supremo numine gaudere. Quocirca responde tu, si potes ad hoc argumentum, ego quidem demonstratiuum sentio. Desiderium generale non fraudandum præcipue inditum nobis natura quæ nihil facit frustra libro primo de cęlo. Quicunque desiderat felicitatem, & hanc nemo in hoc statu continuam consequi potest primo libro de motibus, ergo ne fraudetur desiderium alibi obtinenda, & vbi nisi in statu futuro? Adde omnia fieri ab homine Dei & sui gratia. Primum finem attingere Deum animus immortalis non mortalis potest. Rursus quid est mors? Nisi solutio animæ a corpore, vel vtriusque ab altero recessus, anima a seipsa solui non potest, neque recedere, ergo non potest mori. Quod si extingui eam putas plane calorem facis animam, non autem essentiam quandam incorpoream simplicem. Atque mors est priuatio vitæ, aut vitæ animalis, aut vitæ animæ. Dices vtriusque vitæ concedere in morte & animalis est extinctio calidi innati circa cor, vt Arist. in libello de morte, & vita, vt deque spiratione, & animæ est dissolutio, in nihil, quare erit mors animæ reductio in nihil non autem corruptio, neq;

BBB 2 inte-

interitus, quia interitus vnius eſt generatio alterius in libris de generatione Ariſt. ſi anima interiret, ex eo interitu aliud gigneretur, ergo ſola reductio ad nihil eſt animi mors, quod Ariſtot. non agnouit vnquam in ſuis libris. Præterea ſi cum corpore tabeſceret animus, in ſenectute non ſapientiores homines eſſent, quare cum magis liberatur animus a corpore, ita prudentior euadit, ſignū immortalitatis quidem. Quid dices de diuinationibus, præſagijs, præſenſionibus vatum, & prophetarum ? Nonne hæc pertinent ad diuinitatem animæ, certo ego ſcio in clariſſimis inſomnijs me collocatum cum defunctis amicis, certo ſcio pleroſque qui meam læſiſſent famam, aut alio modo rebus nocuiſſet petijſſe veniam, quorum etiam nullum erat in ſenſu, & phantaſia phātaſma, quinimo nec putaſſem ab his affectus iniuria vlla & ne plura enumerentur, legeris Ariſt. de inſomnijs de diuinatione per ſomnia. Galenique optimi medici ſomnium vbi hortatus a patre, vt operam medicinæ daret, ſed ne videar id ad ſomnium redigere ſumes tu lector candidiſſime in manibus leges tantarum gratiam. Nulla certa tam fera, immanisque natio, quæ legibus non ſanciuerit animarum immortalem, ob id. Plato conatus eſt eam aſſerere decimo de Repub. vt id maximum ſit in Republica bene ordinanda, & componenda Deum colere, & ſperare bene actæ reipublice præmium in futurum. Quod vero etiam ad immortalitatem pertineat etiam cognitio Dei, & ſubſtantiarum ſeparatarum hinc ſumendum, cum etiam in hoc ſtatu animæ ſpeculemur eas, & cognoſcamus. Cum intellectilia partim ſint naturæ, & formæ phyſicæ, partim mathematicæ, partim mentes diuinæ, partim quæ accidunt, propriæ & communiter. (Semper forma eſt obiectum intellectus) omnis enim materia deprehenditur per analogiam ad formam. Atque comprehendi quicquid ob formam non ſolum artificum opera oſtendunt, cum in ſuis mentibus nihil habeant, quam formas, quarum gratia materia parant aptas, & conſtruunt, verū etiam omnis facultatis in nobis inſitæ cognitricis ordo, & ratio confirmat, quippe ſenſus externi, communis, interni ſolas rerum formas accipiant, & cognoſcant, ob id differunt inter ſe, quia phyſicæ formæ in materia cum ſint, niſi abiunctæ a materia intelliguntur, & ſentiuntur, ſed ſenſibus imprimuntur accidentium formæ ſingulares non omnino abiunctæ, a ſenſu communi aliquanto ſpiritualius, & ita deinceps ſemper ſpiritualius donec cogitatiua propria vi dignoſcit ſubſtantias particulares, vnde intellectus motus ope agentis intelligentiæ comprehendit formas vniuerſales & ſubſtantias, & definitiones rerum, ſeparatur phyſicæ formæ vniuerſales ope intelligentiæ vt diximus, quia intellectus potentiæ oblatis phantaſmatibus in cogitatiua & indiuiduis ſubſtantijs non capit vniuerſales, niſi editæ ſint, iccirco agens intelligentia abſtrahit omnino a ſingularibus, & facit communem, & vniuerſalem formam, vt lux actu colores facit viſos, intellectilem, hanc poſtea intellectus potentiæ percipit. Mathematicæ formæ accidunt, iamque cogitatione ſeparatæ, quoniam ſuapte natura ſeparari cogitatione poſſunt, & ſi re ipſa ſunt in materia, facilius abiunguntur a materia opera intelligentiæ memoratæ, attamen, vt fiant vniuerſales ſeiungi debent a materia. Diuinæ formæ ſunt ſeparatæ re ipſa, iccirco facilius ſuapte natura intellectiles ſunt niſi imbecillitas ingenij noſtri, & vſus tritus e phantaſmatibus oblatis impedirent quominus facile percipiantur, de quarum apprehenſione mouit Ariſtotel. dubium, an intelligi queant quoad intellectus in corpore eſt, & diſtulit ſolutionem, quam nullibi ex libris vulgatis eius attulit.

Sperabat forte diluendum eſſe in alio vitæ ſtatu, vbi exquiſitius hanc rem decernere poſſet, vel lumine intelligentiæ impulſus, & forte diuinitus reliquit Theologiæ poſt ſapientiam Grecorum hoc munus præuidens animo, niſi reuelatione id exacte conſequi non poſſe. Plato Socraticus, & Parmenides, Pythagoras ante omnes experti ſunt Dei notitiam tradere quantum ſcilicet lumen naturale indicare potuit. Et in quinque quæſtionibus generalibus ſi eſt, quid eſt, quia eſt, propter quid eſt, & quot ſunt Plato Socraticus ſe exercuit. Decimo legum docuit Deum eſſe, & Ariſtotel. octauo phyſicorum libro ſuppeditauit modum confirmandi Deum eſſe ex motu æterno cęleſti, & duodecimo metaphy. conſtituit vnum eſſe, nec plures. Vnde duas quæſtiones ſi eſt, & quot ſunt explicarunt. De quæſtione quia eſt multa attributa Deo inuenere. Prouidentiam rerum omnium contra Epicurum. Democritum in libris de Repub. in Phædone, in decimo legū dialogo, & in Timæo, ac paſſim. Ariſtoteles itidem primo de cęlo, duodecimo ſapientiæ, & paſſim, qui & octauo libro phyſ. Deum expreſſit ſubſtantiam non in magnitudine, ſed immaterialem ſempiternam in medio circulo operantem motricem, & finem, ac duodecimo metaphyſ. intellectum ſimpliciſſimum ſe intelligentem, & ſe intelligendo operantem ſubſtantiamq; ſuam intellectualem, intellectionemque eſſe, cauſamque rerum effectricem, finalem, formalem eſſe necnon omnibus prouidentem. Et decimo ethicorum ſummum finem aſſeruit iuratque optimum

mum, præstantissimum, maxime expetendum &c. Et quoad quæstionem hanc quia est multa attributa inueneris passim in omni fere dialogo Platonis, & in omni philosophia naturali, mora li, ciuilique & diuina. Quoad quæstionem propter quid nullam inuenies, quia Deus non habet causam cur sit, & quare sit id vel illud, nisi propter quid moueat, condiderit mundum apud Platonem in Timęo. Nam quia bonus est, & nulli inuidet cuncta condidit. Et Arist. cur moueat semper reddidit, quia entia seu res nolunt male disponi, ergo vno principe prouisore, qui suo nu tu, & opere omnia in suo perenni cursu contineat, iccirco alię mentes motrices orbium cęlestiũ mouent suas sphęras, vt imitentur primum, & obsequantur ei, stentque fato, hoc est summo decreto primi mouentis, qui perscripsit omnibus ius, & legem fatalem, ne quid temere agatur, cum Deus, & natura nihil agat temere, iccirco Plato decimo de Rep. perscriptum fatum, hoc est legẽ immutabilem e mero nutu Dei sapientissimi, & præpotentis manantem tendidit in gremio naturæ demissam, iunxitque naturæ necessitatem, & orbibus cęlestibus ordinem spatia, interualla lumen, & cursum, quibus instrumentis cuncta perficerent cum proprijs agentibus, & solem in medio collocauit & cętera legeris, quæ omnia ad Dei cognitionem pertinere videntur, quinimo Socrates Pythagoreus, vt scias duce Pithagora omnem philosophiam ad nos manasse, vt illam monadem, vnitatem, illud vnum principium, numen, & Deum tueretur, semper vbique fere in suis dialogis eius mentionem fecit, cum neque aliquid auspicandum dixerit eo non inuocato, ob id etiam accusatus a criminatoribus iniquis testibus in iudicium vocatus maluit mori, quam desciscere ab hac veritate. Athenienses enim plures deos colebant ignari, quod monarchia melior status esset cum tamen Homerum celebrarent, qui primo Illiadis monarchiam laudauit. Vno Deo cuncta regi, & contineri Pithagoras, Soc. Parmenides, Xenophon Colophonius, Anaxagoras Plato Arist. constituerũt, ob id Anaxagoras qui peridem summum suo tempore oratorem instituit ludens Athenienses, qui solem adorassent tanquam Deum his dixit, quid putatis solem esse, nisi ferrum candens? ob id exulauit decreto magistratus, oratione Periclis reuocatus redire recusauit affirmans vbique Deum esse, ac lares, & pęnates bonis suos esse. Hoc tempore iacent literæ, algent, frigent, ęstuāt auaritia maiorum, sed redeat sermo ad diuinarum rerum notitiam, an intellectus noster valeat in hoc statu eas cognoscere. Quidam non posse cognosci contendunt primo argumento, quod cognitio fit similitudine rei cognitę ad cognoscentem. Diuinæ res omnino abstractæ sunt a corpore, ergo etiam intellectus noster absolutus a corpore omnino esse debet, ergo in corpore cum sit, non intelligit eas. Nisi hoc argumentum fallat hominem, quia ad notitiam rerum non desideratur similitudo rei vt est cognitę ad cognoscentem, siquidem sat est, vt res cognita per suam similitudinem cognoscatur, vt homo per speciem sui, & leo, non enim lapis in anima, sed eius imago, neque cum intelligit intellectus lapidem fit lapis, alioquin cum intelligeretur Deus intellectus esset deus, & quot intellectus humani, tot dij forent, absurdum sane. Quare similitudines receptæ ab intellectu sunt, per quas res cognoscuntur. Vnde illud quærendum, an Deus sit imago, & species recepta ab intellectu, a quo abstracta sit, per quam intelligatur Deus, & ob id quæstio magna est, quia nõ potest quid abstractius Deo esse, & spiritualius, & cum intellectus noster in corpore sit potentia omnia intellectilia per species eorum, quia Deus non est in anima, vt nec lapis, quomodo igitur intelligetur Deus, & maxime si Deus potentia intellectilis esset, sibi necessarius esset intellectus agens, qui faceret actu intelligi, vt lux actu colores videri efficit, quæ omnia absurda sunt, sed ex altera parte philosophi deum cognouerunt & de eo multa scripserunt, quomodo ergo si non intelligitur ab intellectu in corpore philosophi multa de eo dem conscripsere lumine naturali? Taceo Theologos, qui confisi lumine diuino, & reuellatione plurima tractauerunt, & longe maiora, & occultiora, quam philosophi, vt est videre in libris eorum, quos si legeris non poteris non admirari Christi Dei summam clementiam, summam pietatem, qui redemit & docuit nos tanta secreta diuinæ voluntatis, & naturæ, sed de his alibi, nunc ad munus philosophi reuertamur, qui imbecillitatem luminis sui, & ingenij ex hoc argumento coacti fateantur, siquidem respondent Deum cognosci per phantasmata & species aliarum rerum, ceu per motum æternum, per ordinem vniuersi, per abstractionem intellectus nostri, quæ cognitio debilis, atque perinde est, ac si quis se intueatur in speculo, quinimo etiam minus, quoniam illa cognitio esset, ac si quis videns canem dicat, adest dominus. Cedo o philosophi ex ordine vniuersi, ex motu constantissimo, ex similibus deueniri ad Dei notitiam, cedo etiam quædam attributa Deo competere, sed quæ cognitio hæc est vestra de Deo? Dicatis necesse est, talis, & tanta est quantum promittit, & exhibet lumen naturale. Vnde Theologiam laudetis oportet, &

approbatis


approbatis, quæ lumine maiori nixa, & reuelatione fulcta Christo Deo duce tot de dei essentia, de potestate, operibus tractat, quot nulla vnquam aliorum studia tradiderunt. Cęterum neque e phantasmatibus aliorum cognoscitur Deus, vel Dei quid est, Alexander credidit intelligi eas vbi agens intellectus fuerit iunctus intellectui in habitu iam cognitis alijs rebus, sed hoc nihil aliud est, quam intellectum agētem se intelligere, quem Deum ille dicit, aut per species aliorum, quod confutatum est, Themistius confugit ad naturam Dei maxime intellectilem, & iccirco facile sine phantasmatibus intelligitur, verum arduum est ea intelligi ad quæ se habet intellectus noster vt oculus noctuæ ad lucem solis, iccirco sicut simmetriam sensus oculorum corrumpit solis lumen, ita infinitum intellectile, vt deus est excedit nimium mediocritatem intellectus nostri finiti, & maxime quidditas Dei, quam intelligi pro statu intellectus in corpore. d. Thomas negat, & si comprehendit Deum esse. Nam ex quo anima nostra format, & perficit corpus eodem impeditur ad tantam intelligentiam quid sit Deus. Nec obijciendum in diuum Thomā, quia si intellectus cognoscit Deum esse, & esse Dei atque essentiam, & quid sit idem, ergo etiam intellectus quid Deus est apprehendit, & eius essentiam. Huic obiecto in promptu est responsum, siquidem esse, & essentia idem est, sed esse explicatum, & esse non idem omnino, ob id explicatum esse per definitionem potest ignorari, & si absolute esse scitur. In alijs vero quod forma est in materia esse, & essentia differunt, & multo magis esse explicatum & esse simpliciter discrepant, Socrates tamen in Phædone quid Dei intelligi posse diceret, quoniam & si intellectus est in corpore, tamen potest separari vsu, & excrutatione philosophica, vt in exstasi, & quando viuit mente sola, & in contemplatione sapiens, sed redeamus ad d. Thomam in quem Agandauus ait in suis quæstionibus tertij libri de anima non posse impediri animam nostram corpore, quod naturaliter perficit, quin suam nobilissimam operationem exerceat, & eo magis, quod non est essentia dependēs a corpore quoad esse, vt aliæ animæ. Quinimo cum requiratur vis exacta & mera ad percipiendum substantiam Dei, qualiscunque corporea imperfectio impedit, & ob id si excellentia intellectilia percipiuntur, multo magis alia non excellentia, contra accidit sensibus ob organa, quæ corrumpuntur ab excellentia obiectorum. Et ne longior sim sentio Dei naturam infinitam modo infinito nisi a Deo cognosci, sed cognosci infinitam, & separatam, atque abstractam affirmo pro captu intellectus nostri & ope intellectus agētis, siquidē innatū est intellectui abstracta cognoscere & ideo semper abstrahere nititur, quo exercitio assuetus etiā facillime abstracta Deum, & diuinas mentes concipit, quia iam abstractę sunt a materia. Dubitat tamen Arist. de intellectu in corpore an cognoscat eas ob alterum vsum, quo ille in corpore per phantasmata cognoscit. Deus autem non habet phantasmata, nec per species cognoscitur sui, nec eius essentiæ, quare quæstio, & dubitatio opportuna est, quia si dixisset an intellectus noscat separata, forte incurreret in reprehensionem, cum sit ei omnia cognoscere, sed nunquid in magnitudine cum sit eas queat comprehendere, propterea quod solet plurimum niti phantasmatibus. Socrates citato loco supra in Phædone concedit intellectum in corpore ita abstrahi, vt suapte natura diuina contempletur, & cognoscat. Quare dubitatio est Aristotelica ob verba Socratis sume in manibus Phædonem, & noueris. Habes igitur ex his animam intellectricem afformare corpus nostrum, a quo non constituitur quoad esse, totque animas intellectrices, esse quot homines, has item ortas diuinitus, & immortales. Demum cognoscere diuina.

## *Tertij libri caput octauum de summa eorum, quæ dicta sunt.*

### Contex. XXX.

*Nunc autem, quæ de anima decernimus summatim colligemus dicendo animam esse quodammodo omnia quę sunt. Quæcunque enim sunt aut sensilia, aut intellectilia dicuntur, Est autem scientia scibilia quodam sane modo, sensus vero sensilia, sed quo pacto id fiat, quærere oportet. Diuiditur autem scientia, & sensus rerum partitione. Quæ potentia est ad ea, quæ sunt potentia, quæ actu ad ea, quæ actu. Anima autem partim sensitiuum*

*num, partim scientiæ capax potentia sunt, sed huius scibile, illius sensile. Necesse est ergo uel ipsa, vel formas esse, sed ipsa esse non possunt, siquidem lapis non est in anima, sed eius forma. Quare anima est sicut manus. Hæc enim est instrumentum instrumentorum, ita intellectus forma formarum, & sensus forma sensilium.*



VONIAM distulit supra quæstionem illam, an intellectus in corpore nosceret substantias diuinas omnino a materia abiunctas, nunc repetit summatim quomodo intelligat physicas, & mathematicas formas. Recte ob id Simplicius interpres animaduertit nunc summam non cogi eorum, quæ toto opere de anima conclusa sunt. Auerhoes arbitratus summam colligi de facultatibus comprehensiuis, & ne confutentur multi ipse prior contextus verborum docet, quasi dicat. An vero aliquid separatorum possit intelligere a magnitudine nō separatus, necne, considerandum est postea, nunc autem quæ de anima decreuimus hoc est de duplici comphehensione animæ humanæ summatim colligamus, adde quo decernamus quemadmodum anima nostra intelligat formas naturales, & mathematichas & maxime, quia diximus intellectum fieri omnia, atque intellectum actu esse res intellectas, vt scientia est res scitæ, & ob id subnectit dicendo animum esse quodam modo omnia, quæ sunt, nunc sermo non est de rebus diuinis. Partitur res in sensiles, quæ vtpote cadunt in sensus & aptæ sunt eos mouere, sensile est quod mouere potest sensum, & fieri in his, qualis est sensus. Nomen relatiuum ad sensum qui potest fieri actu tale, quale sensile a quo patitur, iccirco sensus est facultas capax formarum sensilium sine materia, vt cera formæ sigilli sine plumbo, & quauis materia, partitur etiam in res intellectiles, quæ mouere possunt intellectum, quarum formas recipit intellectus potentiæ vniuersales. Hac partitione præmissa addit author scietiam, seu intellectum esse scibilia, intellectilia non simpliciter, sed quodam modo. Nec deus est omnia simpliciter, non enim lapis, leo, &c. sed cuncta est secundu m causam & eminenter, ac potestate, addit & sensum esse sensilia, sed cum id vno modo sit falsum, alio verum, quærendum esse proponitur quomodo verum. Secat igitur sensilia potentia, & actu, vnde & sensus potentia, & actu. Quatuor sunt & apte respondent sensilia potentia ad sensitiuum potentia, non autem sensile actu ad sensitiuum potentia, nec sensus actu ad sensile potentia, eodem modo actu sensile ad sensitiuum actu. Quatuor item occurrunt scibile potentia scientiam, seu intellectum potentia, & scitu actu cum scientia actu quæ si alternatim commutentur non cohærent, cum porro intellectus actu fit res intellecta, & sensus sensile caue putes effici tale quale est in materia, alioquin sensus visus & sensorium mille coloribus esset colorarum, itaque fit actu similitudo coloris spiritualis ne opineris vt figuram a cera quoque recipi similitudinem coloris a sensu. Vtimur tamen exemplo, quale aptius esset illud de re visa in speculo, nisi quod illa extēsa est pro mole speculi, secus in sensorio, & sensu, typus, & imago, spectrū inest, caue itidē putes admitti ab intellectu formā ipsam, communem, sed speciem eius vniuersalem ope intellectus agentis editam. Quare sensus est omnes sensiles rerum sensilium similitudines, & intellectus potentiæ omnes formæ vniuersales intellectilium, quia nec lapis, nec leo, nec quod vis aliorum actu intellectu est in anima. Hoc enim fatuum est, sed formæ, & imagines sunt intellectiles. Quare his modis sensus omnia sensilia, & intellectus omnia intellectilia dicuntur, & cum nil sit quin sensile, vel intellectile existat, ergo anima est omnia, sicut manus est instrumentum omnium instrumentorum non solum quia inseruit reliquis corporis instrumentis, & partibus, vt chirurgi norunt, sed etiam quia omni genere vtitur Instrumentorum, ascia, securi, acu, fibula, & cæteris. Quare vt illa ad omnia se habet instrumēta, ita se habet ad omnes formas, vt sit intellectus forma intellectilium formarum capax, & sensus sensilium. Comparatio itaque non asserit animā esse instrumentū, sed quemadmodū illa omnium instrumentorū est ministra ita anima admouens manū est omnia intellectilia, & c. caue dicas iccirco omnia referri ad Intellectū, & sensum, & nihil absolutū, cum omnia qua solū sensilia & intellectilia referuntur, alio modo sunt absoluta secundū suā naturā. Animaduerte q̄ si nō omnia intellectilia sint in suo, vel meo intellectu, tamen in omnibus omnia vel sunt, vel erunt, vel fuerunt. An vnus intellectus omnia scire queat? Quinimo potest. Si enim infinita scit in propositione vniuersali velut homo est animal, nihil obstat, quinetiam omnia noscat. Hæbrei ne Adamo omnem scientiam, in Deucalione nostri collocant. Verum diuisæ sunt celestes charites musæque & gratiæ.

Contex.

## Contex. XXXI.

*Sed quoniam nulla res est sine magnitudine sensili separata, sicut cernitur, profecto in sensilibus formis sunt intellectiles, & quæ seiunctæ, & abstracta dicuntur, necnon quacunque sensilium habitus, & affectus. Quocirca qui nihil sentit, is nec didicerit, neque nouerit. Ac quando contemplatur necesse est simul aliquod phantasma speculari. Nam phantasmata perinde, ac sensilia sunt, sed sine materia. Verum imaginatio aliud est ab affirmatione, & negatione, est enim verum, & falsum in connexione conceptuum mentis, sed primæ notitiæ quonam differunt ita, vt non sint ipsa phantasmata. An ne hæ quidem phantasmata sunt, sed non sine phantasmatibus.*



QVATVOR genera intellectilium. Vnum diuinarum rerum, de quo nihil impræsentia, aliud rerum physicarum, moralium, ciuilium &c. Tertium mathematicarum, quæ versantur in abstractione quadam. Quartum secundarum intentionum, quas vocant vniuersalia post rem, de quibus nihil scripsit Aristotel. Et sane id mirum cum dialectica, rethorica, grammatica, poesis de his rebus agāt. Iccirco authorem mancum arguunt, nunc de intellectilibus secūdo, & tertio modo sermo est, Iampridem diximus formas intelligi rerum, quæ reuera sunt in magnitudine sensili, vel sunt ipsæ magnitudines naturales quidem, vt termini corporum physicorum, & motuum interualla, ac loci, Mathematicæ ratione separatæ. An numeri sint in magnitudine? Responde bis quinimo pro ea ratione, quatenus memorantur, vt dicuntur duæ dimensiones, tres &c. Ex hoc loco constat verbum authoris non esse de substantijs abstractis, nec de secundis conceptibus intellectus, quia sine magnitudine sunt nec forte de operibus animi, virtutibus scilicet, & moribus, nisi quia hi affectus dependent a corpore, cum ergo sint formæ in magnitudine, & formæ intellectiles potentia, qua intellectiles non actu intellectæ sunt in formis sensilibus, siuo sint habitus affectusque, siue mathematicæ. Formę sensiles intelliguntur non solum phantasmata, sed etiam a sensu communi apprehensæ, sed dices quomodo intellectiles formæ sunt in sensilibus. Nimirum, vt communes naturæ in singularibus nondum abstractæ, & vniuersales ope intellectus agentis, quæ singularia apprehenduntur a cogitatiua, sed ab alijs sensibus eorum accidentia, ita, vt deficientibus sensibus nulla sit scientia sensilium, & materialium formarum, ob id si nihil vidit vnquam cęcus natus, nihil de lumine, & coloribus didicerit, & nouerit, nisi verba audiens. Et quamquam supra expressi modum intelligendi formas materiales siue substantiæ sint, siue accidentia non pigebit recitare quoniam breuiter admodum, & inuolute author se expediuit, narrās intellectiles formas esse in phantasmatibus, seu visis, & hæc in sensilibus formis. Compertum est intellectilia esse partim accidentia, partim substantias, sensus non percipit substantias, ergo accidentia sola, quorum species sensiles in sensibus euadunt phantasmata, & cogitata, quæ ope agentis intellectus fiunt vniuersalis cum essent communia solum in pluribus, vt risibilitas in singulis hominibus, sed non asseritur de illis, nisi fiat actu vniuersalis ope intelligentię agentis, tum est in multis, & asseritur de multis, vt risibile de singulis hominibus, sed hic ordo facilis est, quia species sensilis accidentis ad sensum proprium, inde ad communem, mox ad phantasiam. Deinde ad cogitatiuam, & memoriam, reminiscentiam, hinc ad intellectum semper spiritualior facta, & communior inuenta fit vniuersalis, sed arduum est quomodo formæ substantiarum sint in formis sensilibus, quas substantias non capit sensus, & ob id per formas sensiles oportet intelligere non solum phantasmata, sed etiam cogitabilia. Iam decreuimus quomodo cogitatiua facultas impulsa à phantasmatibus accidentium ipsa cogitas formas substantiales in singularibus, e quibus cum intellectus capiat esse quandam communem substantiam formalem in singularibus & ab ea moueri ob singulares in cogitatiua nec recipere valet nisi eadem communis fiat spiritualior, & vniuersalis, iccirco intellectus agens separat illam ab appenditijs singularibus, & facit vniuersalem, quam intellectus potentiæ recipit. Vnde phantasmata conferunt ad eliciendas formas indiuiduales, & quibus forma communis apparet, & ob id annectitur. Ac quando contemplatur intellectus necesse est simul aliquod phantasma speculari, quia phantasma fit vniuersale si accidens est, vel confert ad notitiam substantiæ, vt dictum est. Probat contemplari oportere phantasmata,


quia

quia sunt velut sensilia externa; a quibus differt, quia sunt sine materia, sensilia quidem sunt in materia cum moueat, cum recipiuntur a sensibus plana sunt sine materia, quia omnis sensus est capax sensilium sine materia, sed tamen cum appenditijs nonullis materiæ insunt in sensibus, quibus amotis fiunt phantasmata, & hæc euadunt cogitata, & inde vniuersalia fiunt, sed dices intellecta ergo sunt ipsa phantasmata, atqui intellectus affirmat verum, negat falsum, affirmatio, negatio veritas talis, & falsitas non sunt phantasmata, cum sint connexiones, conceptuum. Affirmatio est conceptuum connexio, & negatio simili modo ob id subiungit ita esse, sed illam connexionem effici ex simplicibus notitijs, & conceptibus, quæ sunt phantasmata ante, aut si non phantasmata saltem non sine phantasmatibus oriuntur, quia reuera conceptus sunt qualitates, & opera intellectus vtriusque potentiæ, & agentis, sed dici possunt accidentium conceptus quodammodo phantasmata, sed substantiarum conceptus velut substantiæ secundæ sunt quodammodo cogitata, e quibus communis forma deprehenditur, & vniuersalis ope Intellectus agentis. Tu vero considerabis hunc modum, quia Aristoteles sic perpetuo sentit de intellectione accidentium, & substantiarum, & omnis alia sententia est merum commentum secundum Aristotelem, cui sat fuit refellere Socratem in Phædone Platonis, qui intellectum sic separat, vt sine phantasmatibus intelligat in illa sua ecstasi, & alta meditatione rerum, iccirco philosophiam meditationem mortis, idest status in quo solum philosophus mente viuit, & nihil habet commune cum corpore. Hæc de intellectu Theoretico, deque eius natura, facultatibus, actionibus, intellectus potentia, actu, & cum est in habitu, & in actu hactenus.

## *Tertia sectio de intellectu practico & caput primum de eodem, quæ sit pars animæ &c. seu de principio motiuo.*

### Contex. XXXII.

*Quoniam constitutæ fuerunt duæ potentiæ animæ, quæ sunt animalium. Vna iudicandi, quod est opus cogitatiuæ, ac sensus, & altera mouendi motu ad locum de sensu quidem, & intellectu tot perscripta sunt, sed de ipso mouente quid sit animæ considerandum venit. Vtrum sit vna eius aliqua pars separabilis magnitudine vel ratione, an tota anima? Et si sit pars aliqua, an propria quædam præter dictas consuetas, atque commemoratas, an quippiam harum vnum. habet statim dubitationem, & quomodo dicendæ sunt partes animæ, & quot.*



ARRIPIT occasionem dicendi de intellectu practico, seu de appetitu rationali, seu de voluntate & si potius crediderim communius proponi de principio mouendi, quia non solum de illo, quod est in homine, sed etiam de altero quod est in brutis, cum & ipsa moueantur ad locum, vel circa locum. Quare non solum de intellectu practico, qui duntaxat hominibus congruit, sed etiam de quocunque principio motiuo animalis expectanda est oratio. Quatuor sumes ex hoc cont. occasionem dicendi, quia cum de parte animæ iudicatiua, ceu de sensu, cogitatiua, intellectu hactenus scriptũ sit, restat sermo de altera parte motrice luce clarius est animalia moueri, & quodam principio mouentur, quia omne quod motu cietur, diuiditur in partem motricem, & partem motam, cum nihil idem eodem modo se moueat septimo, octauoque phys. & libellis de motu, incessuque animalium, ac prisci motu, & sensum omne animatum separauit ab inanimato, sed errabant non solũ, quod vegetalem omiserant animam, veruntamen quod animata moueri quo motu anima agitaretur dicerent, sed hęc dudum primo libro confutata fuere, in secundo meminit principij mouendi, hoc nunc prosequitur, occasio dicendi in his. Quoniam constitutæ fuerunt duæ potentię animæ, quę sunt animalium communiter omnium sensus, & motiua. In homine cogitatiua quidam intellectus, vt apud Græcos etiam imaginatiua, & ipse intellectus ad officium iudicandi, cũ

ergo de iudicatricibus facultatibus pertractatum ſit, reſtat de mouendi principio inueſtigare quid ſit animæ. Nunc non explicatur omne principium mouendi, ceu nec elementorum, nec mixtorum quinimo nec cuiuſque animati, ceu non cęli, nec mundi, ſed caducorum, quæ vel volant vel ſerpunt, vel progrediuntur, vel natant, vel incedunt communiter. Hactenus vnum, alterum proponitur, ne ſit hoc principium mouendi aliqua pars animæ ſeparabilis magnitudine, an ratione, ſicut de intellectu Theoretico dicebatur in ſecunda ſectione ſupra, ſed intellige an ſeparabilis ſit magnitudine a iudicatiua parte, ideſt loco, & organo in corpore, & quia in anguillis, & indeciſis, ceu lacertis, ſerpentibus plane videntur in eadem parte deciſa ſimul ſenſus, & motus, vt etiam refert Alexander quibuſdam caput abſciſſum aliquandiu motum, & loquutum fuiſſe. Et Galenus ablatis viſceribus ab immolandis hoſtijs adhuc motum, & ſenſum in illis. Quinimo ſenſus tactus fuſus eſt per omne corpus & motus vna cum illo per omnes muſculos, ſiquidem nerui vndique fuſi ſunt delatiui motus, & ſenſus tactus præcipue, & muſculi ſimili modo vbique extrinſecus, vt Galenus de motu muſcolorum duos libros ſcripſerat affirmans, quare ſimul mole ſenſus vbique & motus ſunt, ob id additur an ſint ſaltem ratione ſeparati ſenſus, & motus principium; vel tota anima id ſit. Verum quia tota non eſt, cum ſit etiam iudicatiua, ergo eſt pars, iccirco tertium quæritur, & ſi ſit pars aliqua, an quædam propria huic mouendi muneri præſcripta præter dictu conſuetas ab antiquis, atque commemoratas ſecundo libro cum gradus animalium citabat & eorum principia, an ſi non ęſt alia præter conſuetas ſaltem ſit quippiam harum memoratarum vnum, ſtatim habet dubitationem, & quartum prępонitur, & quomodo dicendæ ſunt partes animæ, & quot. Hoc vltimum commune eſt omnibus facultatibus animæ, ideo Alexander Aphrodiſęus caput facit de numero potentiarum an finitæ, vel infinitæ ſint. Aduerte Platonem in Timæo locis diſcluſiſſe rationem capite, iraſcibilem præcordijs, concupiſcibilem ſubter præcordijs, quod dogma ſtoici approbarunt. Legeris tu Tuſculanas Ciceronis quæſtiones, & Galeni prima volumina de decretis Hippoc. Platonis. Aduerte item nunc moueri dubitationem quomodo partes animæ dicendæ ſint, & ideo quomodo anima ſit totum, cum particula referatur ad totum, de qua dubitatione dudum author debuit eſſe ſollicitus, cum ſępe vocarit facultates animæ partes Simplicius interpres qui vidis omiſſam explicationem huius quæſtionis, ſicut ſuperioribus libris etiam neglecta fuit paucis explicat, partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantias affirmans ex chategoria prima de ſubſtantijs. Et partes ſunt quoad in toto ſunt non ſeparatę Dicuntur partes item cōtinui locis diſcluſæ. Dicuntur item partes non ſeparatæ loco, & ſubiecto, vt calor & leuitas in igne ſola ratione differentes, quibus expreſſis ait Ariſtoteles dicere partes animæ incorporeas ratione ſeparatas non loco. Ego diuiſerim partem, & totum in quantitate in eſſentia, in vniuerſalitate, in poteſtate, definitione, totidem modis pars quanta, vt ſemipes pedis, pars eſſentiæ, vt materia, forma, pars vniuerſalis, ſpecies generis, pars potentiæ vt ſenſus oculorum potentia parſque animæ ſenſitricis, pars definitionis genus, & differentia. Hæc ex quinto libro metaphy. elicies capite de parte, & toto, nunc partus animæ Platonicæ dicuntur eſſentiales, Ariſtotelicę potentiæ, cum anima incorporea ſimplex nullas alias partes obtineat niſi facultates pro diuerſis muneribus, & quia etiam Plato 4. & ſexto de Rep. non magni referre dixit an voces partes, vel potentias iccirco prætcrijt decretum de appellandis facultatibus, & ſecundum dubium tractat, quot videlicet ſint partes animæ vt refellat Platonem de numero. lege.

## Contex. XXXIII.

*Nam quodammodo infinitæ videntur, & alio modo ſolum quas aiunt quidam aſſerentes rationalem, iraſcibilem, cupiditatem, ſed alij rationalem, irrationalem affirmant, attamen ex differentijs, quibus has diriмunt alia apparent, quæ magis diſtant, quam hæ, de quibus in præſentia dictum eſt, ceu nutrix, quæ omnibus plantis, & animalibus ineſt. Ac ſenſitrix, quæ neque rationalis, neque irrationalis ab aliquo poneretur. Praterea imaginatrix, quæ in eo quod eſt ab omnibus eſt diuerſa, & cui harum ſit eadem, vel a qua diuerſa multam habet dubitationem modo quis ſeparatas animæ partes ponat. Adde, appetendi uis videtur ratione, & potentia diuerſa ab omnibus, & hanc ſeiungere, & dirimere abſurdum eſt. Nam in ratiocinatrice voluntas dicitur, & in ipſa irrationali cupiditas, ira. Quod ſi tria anima continet, in vnoquoque erit appetitus. At vero id, de quo præſens oratio quid ſit quod mouet ad locum animal inueſtigandum.*



EFELLERE Platonem Socraticum, qui tres solum partes animæ rationem iram, cupiditatem dirimit locis in homine quarto de Repub. duas solum rationalem, irrationalem arbitrati sunt, simul proponitur in eos, quod sunt quodammodo partes animæ infinitæ non numero. De his nulla cura. Iubebat Plato relinqui infinita numero; sed infinitæ dicuntur pro incertis numero quot sint si quidem quando omnes animalium omnium affectus meditabimur, qui diuersi a diuersis facultatibus prodeant, vt volatilium, natantium, incedentium, serpentium &c. sunt sane fere infiniti, at certe indefiniti, & incerti numero Hinc est, vt nos lateant propriæ differentiæ eorum. Quare vno modo infinitæ apparent, & alio tres, quas Plato Socraticus in libris de Repub. in Timæo, & passim asserit. Rationalem in capite. Irascibilem in præcordijs. Cupiditatem subter præcordia, sed alij duo genera afferunt harum partium seu facultatum. Rationalis, irrationalis, contra quos obijciuntur hęc. Primum, quia ex differentijs traditis trium partium prædictarum vel duarum apparent aliæ magis distantes, ceu nutrix principium alendi plantis, & animalibus communis, non est vna trium, neque duarum cum sit in plantis, in quibus nullus sensus, nec vlla irrationalis facultas, nec ira, nec cupiditas, nec ratio, quo iure maxime differt ab his, & magis, quam illæ interse tres, vel duæ præmissæ, & cum sint vegetalis animæ tres potentiæ genitrix auctrix, altrix, & his ancillæ alteratrix segregatrix, retentrix, assimilatrix, de quibus Galenus medicus in libris de naturalibus facultatibus, ac passim disserit, hæ omnes magis distant a numeratis viribus, quam interse illæ, quas præterire silentio non fuit. Hæ non cognoscunt, nec sequuntur aliquam cognitionem, sicut irrationales, & cupido atque ira, ratio vel cognoscunt, vel sequuntur notitiam. Irascibilis enim est vis appetendi vltionem, sequitur hæc cognitionem offensæ, & inimici, æstu sanguinis ob id mouetur, cupido est vis appetendi alimentum, vel Venerem sequitur in animali cognitionem saltem sensus tactus in maioribus animalibus phantasiam, cogitatiuam, intellectum. Ratio est facultas dignoscendi verum a falso, & intellectilia, & ratiocinandi initium. Vnde rationalas potentiæ dicuntur, quæ vel seruiunt, vel parent rationi, irrationales autem, quæ repugnant rationali sequentes cognitionem sensus, & phantasię. Ex his igitur constat, nutricem, & vegetalem vita ab illis maxime diuersam, cum non consentiat neque in cognitione præcedente, quam sequuntur ira, cupido, irrationalis facultas, cum ergo aliæ appareant quam tres, quam duæ, non erunt tres solæ nec duæ. Secundo addit sensum contra asserentes duas solum rationalem, irrationalem qui sensus nec quoad se rationis compos, nec irrationalis non absolute tamen, sed ab aliquo poneretur, cum sit medius, & seruiat rationi, atque irrationalibus facultatibus velut irę, cupiditati, phantasiæ falsæ, & de chymeris, quare differt ab vtraque. Verum irrationale bifariam. Aut expers rationis, aut repugnans rationi, sensus in se rationis expers, quo iure animalia ab homine differentia dicuntur irrationalia, & in homine sepe repugnat rationi, & pręualet ita, vt vitia committantur. Tertio adducitur facultas imaginandi dissidens ab omnibus recitatis. Imaginatiua differt a cupiditate, quia non est appetitus, itidem an irascibili, sed iudicatiua. Et a ratione differt, quia non ratiocinatur, & a rationali eadem de causa, & ab irrationali, quia daret aliquando rationi. Quod si alicui harum est eadem, ceu sensui, quia sensus interior dicitur, aut irrationalis, cum a ratione dissidet, tamen dubium est quomodo eadem sit, & quomodo diuersa sit ab omnibus, tametsi ex decretis in capite supra de phantasia dignosci potest discrimen, suspicio tamen est, ne sit eadem sensui, cum sit motus factus a sensu imaginatio, atque corporea, & sensus. Simili modo cum ratione videtur conuenire, quia vsitatur ab ea ad intellectionem rerum. Quarto item affertur appetitus ratione, idest definitione, & potestate ab omnibus differens. Nimirum a rationali, quia non iudicat, & ab irrationali, quia sequitur cognitionē. Nihil appetit non cognitū appetendū in appetentibus animalib. Ergo alia est definitio appetitus a rationibus aliorū quinctā potestas operandi, quæ sequitur imaginationem, & intellectū, a quibus dirimeret omnino absurdum est. Nam in ratiocinatrice, intellectuque appetitus voluntas dicitur, quæ eligit, deliberat, imperat agēda, & in parte irrationali cupiditas, ira apud Platonem. Vnde sequitur, vt appetitus sit quid commune tribus partibus animæ. Rationi, cupiditati, iræ. Nam quæque harum est appetitus in ratione voluntas, in irascibili iracundia, in cupiditate cōcupiscentia. Hæ omnes sunt appetitus. Cęterum de his in ethicis, apudque Ciceronem de finibus malorum bonorumque in dialogis Platonis in libris Gal. de decretis. Hippoc. Plat. nunc de principio mouendi ad locum in animalibus.

## Contex. XXXIIII.

*Nam motum argumenti, diminutionis, qui omnibus inest non esse hunc patet, alioquin quæ gignuntur, & vim alendi habent, mouere ad locum viderentur, sed de respiratione expiratione de somno, vigilia postea considerandum, siquidem hæc non paruam habent dubitationem, sed de motu secundum locum quo progrediendi animal mouetur, considerandum est. Atq; apertum est non esse altricem vim, siquidem motus semper alicuius gratia fit, & cum imaginatione, uel appetitu, cum nihil moueatur non appetens, vel fugiens, nisi vi moueatur. Ac si plantæ hoc ducerentur motu, etiam obtinerent aliquod instrumentum ad hunc motum.*


OSTENDIT motum qui secundum locum non esse incrementum, & diminutionē, nec de his sermonē esse, & scopum sicut nec de inspiratione, respiratione, somno, vigilia, de quibus alias considerandū promittit hac ratione, quia non exiguis implicita sunt hæc dubitationibus, libellos de somno, vigilia cōscripsit, de insomnijs de diuinatione per somniū, & alios de spiratione. Attigit hos nūc motus, quia vidētur locales, id quoq; 1. libro de cōmuni ortu tradidit sed minime sunt, quia ad molē maiorē accretio, ad minorē diminutio, quos terminos sequitur locus vel maior, vel minor ex accidēti. Verū hoc est nunc argumentū Arist. ex quo omnia animata augētur, diminuuntur, si hi motus ad locū omnia talia mouerētur ad locū, id absurdū, plantæ, stirpes non feruntur ad locū nec progrediuntur, hęrent fixæ radicibusq;. Attigit itē inspirationē, respirationē, quia ingressu aeris attracti fit inspiratio, egressu respiratio, qui ingressus egressus motus locales sunt, quinimo authores sunt etiā diastolis cordis, hoc est dilatationis, & systolis hoc est cōtradictionis, qui sunt motus locales, sed vtrunq; sint, nō dicuntur motus progressiui, neq; animales ad omnē differentiā, sed naturales forte, tametsi in uestra electione cōsistent, & voluntate, nunc sermo de motu progressiuo. Attigit itē somnū, & vigiliam qui affectus fiunt vaporibus sublatis ad cerebrū, vel ad cor, iccirco vidētur motus locales, tametsi nō progressiui motus sint, qui proprijs organis perficiantur, cū præterea somnus author quoties, nec ad vigiliā sequatur progressus semper. Quare etiā si locales motus essent de his nō est oratio, sed de progressiuo, cuius sit principiū. Hic cōficitur vel alis, in volatilibus, vel serpēdo, vt vermes, serpētes, vel natatione, vel alijs modis, de quibus in libellis de motu, incessu agitur. Aduerte tamen apud Arist. libello de motu animaliū tres motus esse, voluntarios cū electione, & libertate agendi, non agēdi inuoluntarios, vt cor metu improuiso agitatur, & pudenda erigunt specie puellæ & nō voluntarios somnū, vigiliā, inspirationē, respirationē, sistolem diastolem pulmonū cordis, arteriarū, & similes, quos nō voluntarios appellat, propterea quod sine phantasia & appetitu necessitate sola viuendi fiunt. Verū de his nō parua quæstio, & alius sermo de motibus partiū. Reliquū hoc principium mouendi, & agēdi non esse vim vegetalē, nec vllam eius facultatē persuadet author quatuor argumētis. Primo, quia motus localis fit alicuius gratia semper. Natura nil temere edit. Et organa nō frustra cōdita. Quinimo omnis motus ad finē tendit. 2. lib. phys. ergo ab agēte propter finē agitur motus, sed vegetalis nullū finē præfixit motui suo ad locū quoniā is finis esset ad alimentū adipiscendū, sed alimentū est sibi cōiunctū & atrahit per radices similes ori animantiū fixas visceribus terrę, ergo talis facultas nō est principiū motus progressiui. Secundo argumento. Quilibet motus progrediēdi fit imaginatione, vel appetitu vtilis, & boni ꝙ prosequitur, aut vitādæ noxę quā fugit, idq; patet fere in omnibus animalibus, & in homine, qui experitur nō se incipere motū, nisi phātasia alicuius, vel cupiditate, sed nutritiua vis, aut vegetalis nō vtitur imaginatione; neq; appetitu comite cognitionis, ergo nō est principiū eius motus. Ridiculū est, & fabula dicere plātas imaginari. Tertio argumēto, quicquid progreditur vel appetitu aliqd prosequit, aut fugit. Vegetalis nō prosequit, nec fugit, signo ꝙ nō arcēt se e locis suis, ergo nō est initiū ꝓgressus. Quarto, si vis vegetalis tale initiū foret, plātis dedisset progressū, & organa progrediēdi, vt alijs dedit sed nullū organū habent progrediendi, ergo nec progressū cōtulit, nec ipsa est principiū eius ne frustra sit principiū. Dices vegetalem in plantis nō esse initium illius motus sed in animalibus. Huic dicto opponitur, quia duo principia prima non subordinata eiusdē operis esse nō possunt, si tactus sensus cū appetitu in uilioribus animalibus est initiū maxime primū talis motus, nō erit vegetalis. Et maxime, quia quādo illa viget maxime in somno, signo cōcoctionis, & nutritionis tū

maxime

maxime animal quiescit motu ad locum. Tria tibi annotanda, primum additum est in contextu, nisi vi moueatur. quod intelligit Simplicius propter ea animalia quæ præter voluntatem suã mouentur. & dat voluntatem belluis, nisi intelligat appetitum loco voluntatis, quæ in solis hominibus inest, cum trahuntur boues ad carnificem inuiti progrediuntur, & feræ a canibus, vt lepores, & pisces retibus, & falconibus aues, Alterum annotandum vermes, quinimo apes sine imaginatione volare dicente Aristot. libro de historia animalium quinto cap. de apibus, Nisi moueantur imperfecta animalia Zoophyta motu dilatationis, & constrictionis, & apes phantasia imperfecta, confusa, sed non perfecta in maioribus viuentibus. Tertium sagax natura cuique motui propria procurauit organa, & facultates. Homini pedes, & manus pares seu binas dedit natura sine alis, & pinnis, attamen anseribus, anatis, & fulicibus & similibus concessit pedes & alas, quod essent animalia pedestria, & volatilia, Piscibus non pedes finxit, quoniam non pedestres, sed pinnas dedit, & alas quibusdam quod natarent, & volarent per summa æquoris, Rostrum delphinis, & balenis, quia in summis tempestatibus maris emersa ad superficiem respirarent. Et generatim cum omnis motus ad locum componatur ex pulsu, & tractu, & quicquid mouetur a dextro sumat initium vel aperto, vel occulto, & nitatur quadam parte immota, & firma, ac deprimente, & depressa, necnon quaternis notis sanguine prædita agitentur motu summo, imo, dextro, læuo, in quibus partibus animalis organa sunt ad motum, de quibus alias.

## Contex. XXXV.

*Simili modo nec sensitiuum, cum sint multa animalia sensu quidem prædita, sed tamen manent, suntque perpetuo immobilia, si ergo nec quicquam facit frustra natura, nec aliquid ex necessarijs relinquit, præterquam in manus, & imperfectis, verum hæc eiusmodi animalia perfecta, nec manca sunt, Non esse manca, signum est, quia gignunt, summumque habent incrementum, & diminutionem. Quare haberent etiam instrumentarias partes progrediendi, Quinetiam nec intellectiuum, aut qui intellectus dicitur, est qui mouet, Nam contemplatiuus nihil agendum intelligit nec quidpiam fugiendum, prosequendum statuit. At vero motus semper est fugientis, vel prosequentis aliquid, Quinimo neque quando aliquid eiusmodi contemplatus, iam iubet fugere, vel prosequi, sed quando sæpe cogitat aliquid timendum, vel iocundum non iubet vero timere, cor mouetur, si autem iocundum, alia quædam pars est. Præterea præcipiente intellectu, ac dicente cogitatione aliquid fugere, vel persequi non mouetur, sed secundum cupiditatem operatur, vt incontinentes, iã & omnino videmus, quod qui artem medicam habet, non medetur, ac si aliquid aliud sit, quod habet potestatem faciendi secundum scientiam, Cæterum nec appetitus est author huius motus, Nam temperantes licet appetant, & desiderent, tamen non faciunt illa quorum appetitum habent, sed sequuntur intellectum.*



OCET nec sensum, nec intellectum cõtemplatiuum, nec actiuum, effectiuumq; nec appetitũ esse hoc principium motus progressiui. Nõ esse sensum tale principium ostendit hoc argumento, quia si sensus esset illud, vbi esset ille, mouerentur ad locum, sed quædam animalia Zoophyta ancipitis vitæ plantæ, & animalis habent sensum, nec cientur ad locum motu, quia manẽt perpetuo immobilia, vt affixa lapidibus ergo sensus nõ est progressus author Ostreas, & similia habere sensum tactus, & gustus, vt purpuræ, buccini, ex his compertum, quod hiant, & sentiunt, quæ ingrediuntur, iccirco natura cancrorum auida pastus inter forcipem branchiarum saxulum gerunt quod relinquunt inter spondas, & margines ostrearum, ne claudantur, ob id ingressi illi secure depascuntur mollem substantiã ostrearum, & si quidã putent hiare ostreas cũ dormiunt, iccirco clanculum agere cancros saxulum gerentes, vt intercludat quo securi sint ad vescendum, alioquin sæpe capiuntur ab ostreis, Atque sentire ostreas compertum est ex motu suo contractionis, quoniam in eo motu noxam sentiendo se contrahunt, iccirco auulsores notarunt cum euellunt eas contrahi quodammodo, quos motus dilatandi, & contrahendi ostrearum negabit Aristot. esse motus progressiuos. atque hiare, & concludi, attamen locales motus, sicut & cor in sistole, diastole nõ progrediuntur. Quod

autem

autem immobilia sint, ex his patet quia desunt instrumenta progredeundi, ceu pedes, aut flexus serpendi, vt in serpentibus aut pinnæ in piscibus, quæ animalia cum sint perfecta, non manca deberent habere instrumenta mouendi, non habent autem, ergo nec motu cientur, cur vero non habeant, in causa est, quod sæpe in suis libris Arist. sumit naturam nihil frustra agere, nec prætermittere quod necessarium est, nisi in mancis, sicut manus sine quinto digito, & imperfectis, velut infantes ante vsum dentium, vel Veneris, si ergo natura non deficit in necessarijs non certe defecisset in his animalibus tradens instrumenta opportuna ad motum, Et ne obijcias hæc esse manca, & mutila imperfectaque animalia, mox persuadet ea esse perfecta, siquidem vsque ad metum incrementi sui accrescunt, & generant, sicut plantæ hoc modo decisi rami denuo inserti in plantas euadunt, sic ostreæ non alias ostreas gignunt, sed relinquunt humorem quendam e quo nascitur ostreæ, & mucæ vermiculos edunt, vnde similis proles oritur, & phœnix in vermem deficit, vnde renascitur proles, Quare cum hæc Zoophyta sint, animalia perfecta in sua specie, licet imperfecta quoad naturam animalis communem, vt talpa si caret oculis, quia non caret, sub cute quadam condidit natura prouida ne lacesseret eos puluis, cum animal per loca intra recessus terræ progredi deberet perfecta in sua specie, alioquin imperfecta quo ad naturam generis, quod recte notauit Simplicius deceptus tamen quod talpa careat oculis, quinimo habet ea arte, & ratione conditos, qua dixi, nec non Arist. in libello de histo. animalium eas habere oculos prodidit, ergo Zoophyta deberent habere instrumenta ad talem motum, Non habent, itaque nec mouentur, Quandam confusam habent imaginationem, & appetitum ad pastum signo, quod hiant, carent memoria, Addunt argumentum quod concludit sensum non esse progressus initium, quia sensus præsens non futurum comprehendit, sed initur motus causa fugiendi, aut prosequendi, ergo sensus non huius motus author, Addunt item clausis oculis moueri homines, quinimo cęcos, surdos ambulare, ergo non sensus author motus huius. Vt igitur docui sensum non principium motus huius, simili modo ostendit nec intellectum contemplatiuum solum sine appetitu. Ridicula illa diuisio intellectus in contemplatiuum sine instrumento, & cum instrumento, & actiuum apud Philoponum, quia omnis intellectus qua talis est sine instrumento, Dicit. Quinetiam nec intellectiuum. Argumentum. Principium mouendi agendum quid iubet, aut incitat, fugiendum, vel prosequendum, sed intellectus contemplatiuus nihil decernit vitandum, prosequendum siquidem quoad contemplatur nihil agit, nec agi iubet, nec effici, nunc proprie actio intelligitur pro actionibus moralibus, & effectionibus, cum virtutes & vitia actus propriæ dicantur, & actiones sed effectiones artificum opera, ceu ædificatoris, agricolæ, & similium intellectus contemplatiuus contemplando neque agit actiones morales, neque operā artificum, ergo non est principiū talis motus. Apud me confirmatur argumentum ibi. Quinimo neque quando &c. Propterea quod contemplando etiam vitanda, prosequenda, tum non iubet fugere, aut prosequi, cum sæpe cogitet homo aliquid metuendum vel iucundum, nec tum ratio iubet timere, nisi cor moueatur inspecto hoste, & sanguis in corde perturbetur sic, vt spiritus vitalis, vel innatus apud Arist. in libello de motionibus animalium ad interiora confugiat, & si iucundum contemplatur alia pars mouetur, idest iecur apud Philoponum in præcipuis venereis cogitationibus, aut pudenda, Verumtamen parcat Philoponus alia pars intelligitur cordis, ex quo duas habet partes leuam vnde arteriarum initium est, & ibi gignitur sanguis arterialis biliosior, qui metui, iræ contentionibus est aptus, altera pars est cordis dextra ad medium pectus quam vena caua intrat, vbi sanguis dulcior aptus iucunditati, gaudio, oblectationibus, & venereis voluptatibus, Voluptas ergo in hac parte exercetur diffuso spiritu, qui influit ad venas emulgentes, & ad renes, inde ad vasa spermatica, testes, & pennem, vnde motu incitata cogitatio perficit &c. Quare intellectus contemplatiuus in contemplando non mouet quinimo ad verbum Platonis animus sedendo fit docilior. Atque declarat argumento nec solum intellectum practicum in actione versantem solum esse principium mouendi ibi, Præterea præcipiente intellectu, cum mandet aliquando, & dicat vitandā incontinentiam, & meretricem, & quid deterius, nec ob id incontinens paret mandato, sed resistit, reluctatur, & committit fornicationem, aut adulterium, incęstum, sacrilegium, & deterius mollitiem, & abusum ita, vt irritum, & inane sit mandatum, quo casu vincitur intellectus, & permittit, vel consentit incontinentiæ. Hinc omnia vitia, & errores, quare si cupido aliter mouet & operatur, quam intellectus practicus dictat, non ergo ille erit initium motus, id confirmatur exēplo medici habentis artē practicā medendi, qui tamē recusat mederi, si esset intellectus practicus agendi author, certe medicus mederet alicui, non medetur autē, quia cogitationi suæ, & volunta-

ti non

ti non videt repugnat ergo illi ob aliā facultatē quæ secus facere iubere pōt. ergo ille intellectus nō est initiū motus huius agēdi, efficiendi mouendi ad locū. Postremo docet nec solum appetitū esse illud initium. Argumento, quia appetitus sequitur, vt temperantis aliquid, velut parsimoniam, viuendique rationem, nihilominus nec parcus est, nec viuit temperate, vt hodie plures, qui promittunt, spondent genus temperantiæ, nihilominus contendunt potius videri, quam reuera tales esse, promittunt ægri abstinendum, & parendum iussis medicorum, attamen non stant imparatis, cupiunt imperata facere, sed non faciunt, ergo est alia vis ab appetitu, quæ hos impellit ad intemperantiam, & illa est voluntas cum cupiditate sensili, aut intellectus adeptus tum concupiscentiæ, Quare confert in epilogum principium progressus, nec vegetalis, nec sensitrix, nec imaginatrix, nec cogitatrix, nec intellectus contemplatiuus, nec practicus, nec appetitus solus, Vnde indagandum quid sit.

## *Tertia sectionis in tertio libro de anima caput secundum de principio progrediendi motus.*

### Contex. XXXVI.

*Ceterum videntur hæc duo appetitus, vel intellectus, quæ moueant, modo quis ponat imaginationem aliquam intelligentiam, siquidem multa sine scientia sequuntur imaginationes, & in alijs animalibus nec intelligentia, nec ratiocinatio est, sed imaginatio, ergo hæc ambo sunt motiua secundum locum appetitus, & intellectus. Et intellectus, qui alicuius gratia ratiocinatur, & actiuus est, qui differt a contemplatiuo fine. Et omnis appetitus est alicuius gratia, cuius enim rei appetitus est principium actiui intellectus, sed extremum actionis principium. Quare rationi consentaneum est hæc duo videri mouentia appetitum, & cogitationem actiuā, Appetitus enim mouet, & ob id cogitatio mouet, quia eius principium est appetitus ob id quando mouet imaginatio, non sine appetitu mouet. Iam vero vnum est aliquid quod mouet primum, appetitus, Quod si duo intellectus, & appetitus mouerent, secundum aliquam communem formam mouerent. Nunc autem intellectus quidem non uidetur mouere sine appetitu. Nam voluntas est appetitus, Quando secundum ratiocinationem mouetur, etiam secundum voluntatem fertur, sed appetitus mouet sine ratiocinatione. Nam cupiditas est quidam appetitus, omnis ergo intellectus rectus est, appetitus autem, & imaginatio recta, & non recta, & iccirco quod est appetendum semper mouet, sed hoc existit bonum, vel apparens bonum non quoduis, sed bonum agendum, & hoc bonum potest aliter contingere. Talem ergo facultatem, quę appetitus appellatur mouere clarum est.*

INITIO huius capitis sicut pollicitus fuit ab exordio superioris, vbi quid nā sit principium motus animalis fanciuit, quid sit persequitur referre. Et videtur ex memoratis superesse vel intellectus, vel appetitus, vel potius vterque simul, & neuter solus. Verum nomen intellectus vsurpatur etiam pro cogitatrice, imaginatrice saltem eorum placito, qui imaginari, sentire asserebant intelligere. Necessariam imaginatricem facultatem huic motui ostendit, propterea quod multa animalia secuta imaginationes citra scientiam, sicut plerique hominum ignari impelluntur ad horum motuum genera, Protagoras magnus sophista credidit ita esse sicut videbatur homini imaginanti. Et hodie viuunt per multi imaginationibus quæ & si absurdæ, ementitæ, stultæ sunt, tamen mouent, citantque homines ad agendum, & efficiendum, Phantasia confusa etiam Zoophytis data est, altior cæteris, perfecta homini, vt pote ancilla intellectus, a quo si differt, quia reuera differt ex dudum conclusis tria

erunt principia mouentia, imaginatio intellectus, appetitus, cuius nomen commune complectitur irascibilem, cupiditatem, voluntatem. Taceo appetitum naturalem sine comite vel præcedente cognitione in materia, in mere physicis rebus. Rursus confirmatur imaginatio quoddam principium mouendi, siquidem in alijs animalibus ab homine nec in Elephante est intelligentia, ratiocinatio, sed imaginatio vice intellectus in nobis quare vbi imaginatio vsurpetur pro intellectu quoad recipiendum species, & agnoscendum duo erunt simul principium motus ad locum, Appetitus, & intellectus prout conueniunt in vnam rationem mouendi, Exponit hunc intellectum esse actiuum, qui differt a contemplatiuo fine, omnis intellectus ratiocinatur alicuius gratia, & contemplatiuus dum contemplatur fine suo potitur, contemplatione, Actiuus autem pro fine habet opus, actionem rem ipsam terminum motus, Ergo fines differunt dupliciter. primo quia opus effectum, vel actus in mortalibus est non ipsa effectio, neque actio, sed finis contemplatiui est ipsa contemplatio rei. Secundo, quia finis huius est in motu finis illius est post motum, Hinc arripuit Galenus medicus in libello de constitutione artis, & alibi duo esse genera artium. Vnum earum, quæ non relinquunt aliquid post actionem, ceu contemplatiuæ, & ars saltandi, canendi, aliud earum, quæ relinquunt post operationem aliquid, vt ædificatrix, medicina. Sed cum vterque intellectus agat ad finem, etiam appetitus agit ad finem, & motus est omnis ad finem. sed interest, quod finis speculatiui, aut cogitationis, & imaginationis est principium agendi ob alium finem, ceu speculor ædificium quemadmodum fabricandum, idque dissoluo vsque ad fundamenta, & lapides, qui finis est cogitationis, inde actio, vel operatio incipit donec absoluatur ędificium, quale est finis operationis, Rursus præuidet leo canem edendum si intra montes conscendat, ibi sistit imaginatio finem, tum appetitu motus leo recta tendit e sylua ad montes, aggreditur canem deuorat, Quare motus principia duo videntur intellectus, & appetitus. Hæc habes vsque eo. Iam vero vnum est aliquod, si animaduertis, iccirco mouere cogitationem, imaginationem animal, quia appetitus eam impellit, & principium est cogitandi imaginandi. Reliquum quia debet esse vnum principium mouendi, subiungitur quod nisi appetitus sit primum mouens, sed duo simul appetitus, & intellectus, vel imaginatio, profecto hæc duo conuenire debent in vnam communem formam, seu rationem mouendi, sed hæc communis forma non est, iccirco vnus primum mouet, appetitus, qui mouere potest sine intellectu, & imaginatione, vt voluntas impellit sine ratiocinatione homines, & dicunt sit pro ratione voluntas, vt Tyranni hodie, quibus abundat populus aiunt, sic volumus, sic iubemus, Hæc sunt onera ciui, & populo, Hæc lex mea, pectus meum, meaque voluntas, qui resisterit reus erit lęsæ maiestatis. Appetitus ergo, & voluntas mouent, sed econtra cogitatio intellectus non mouent sine voluntate in homine, & cupiditate in brutis, ergo primum mouens est appetitus, Quando igitur duo mouentia sic habent vt vnum sine altero non possit mouere, & illud alterum sine ipso mouet primum & proprium mouens est istud, vt si manus potest appræhendere sine manubrio, & id non sine illa, certe manus erit primus appræhensor, æque intellectus, & appetitus se habent, quandoquidem primum mouens appetus sine intellectu mouent, sed intellectus non sine illo, vt euidens est, quod vero appetitus citat mota aliquem sine intellectu dirigente illud constat, quod intemperati explent sua desideria aliter dictante sæpe intellectu, qui vellet temperantiam, vt ægri norma iubet dięțam seruare, at cupiditate incensus contemnit normam, id ergo constat. Sed adhuc alio argumento id probetur, quia intellectus semper rectus de se quo ad scilicet potiendum suo fine, & vero, spectat enim semper ad verum, si falsus est accidit, quia coniunctus est imaginationi, cupiditati, quæ a recto quoue deuiant quare cum impellatur homo ad agenda non recta, mouetur appetitu non recto & ementita imaginatione, quam & appetitum mouet appetendum siue bonum reuera sit, siue apparens bonum non quoduis, sed agendum, idest non bonum, vt Deus per contemplationem comparandum, aut bonum fictum, & visum de quo nulla actio, sed bonum operationibus prosequendum, quale potest aliter euenire, iccirco consilia, deliberationes fiunt, Quare appetitus est siue voluntas, siue cupiditas primum mouens.

Contex.

## Contex. XXXVII.

*VErum apud eos, qui animæ partes diuidunt, si secundum facultates secant, & separant, permultæ fiunt, Nutrix sensitrix, appetens, intellectrix, consultrix. Hæ enim pluribus inter se dissident, quam cupiditas, & irascibilis, Equidem appetitus quoque contrarij interse accidunt, quando ratio, & cupiditas sunt contrariæ, idque planum in his, quæ habent sensum temporis. Intellectus propter futurum ad diuersum trahi iubet, Cupiditas ob iucundum. Nam iucundum iam apparet, etiam simpliciter iucundum, & bonum simpliciter, quia futurũ non videt. Specie quidem vnum erit, quod mouet appetitiuum, quà appetitiuum, Primum quidem omnium appetitus, siquidem hoc mouet, & si non moueatur, quod intellectu sit conceptum, uel imaginatione compræhēsum, sed numero plura sunt, quæ mouent, & quia tria sunt. vnum quidem mouet, secundum quo mouent, & tertium quod mouetur, sed quod mouet duplex, hoc quidem immobile, illud vero mouet, & mouetur, Immobile autem est bonum agendum. Quod vero mouet, & mouetur appetitus, Mouetur enim quatenus appetit, siquidem appetitus est quidam motus, vel operatio, Quod autem mouetur est animal, Quo autem mouet instrumentum appetitus, & hoc est corporeum.*



IN Platonem Socraticum quarto de Repub. dialogo rursus inuadit, qui omisit numerare alias facultates præter irascibilem, cupiditatem, rationem, cum sit nutrix, sensitrix, appetens, intellectrix, consultrix. Sed reuera Aristo. quod lecto dialogo illo noueris calumniose se gerit, non solum quia tres illas debuit tantum persequi eo loco, vbi erat sermo de regenda Republ. vnde mores primum proficiscuntur, sicut etiam idem Arist. fecit in ethicis, sed quoniam etiã meminit nutritiuæ verbis his de siti, & fame. Sic inquit. Cum hęc ita se habeant speciem aliquam cupiditatum dicemus, & manifestissimas omnium cupiditates sitim, & famem, &c. Atque lege inde, Vtrum tres in se species has habeat, vsque ad finem dialogi plures inuenies commemorari partes, & facultates. Nutrix pertinet ad alimentum facultas vegetalis. Sensitrix ad cognitionem sensilis patibilis facultas perfectiua receptrix specierum sine materia. Appetens facultas est communis vegetali sensitrici, intellectui analogicæ, cum prius de appetitu rationali, & voluntate dicitur, Hæc facultas est mobilis a bono vero, vel viso mouens animal ad agendum intellectrix facultas potestate intellectile. Consultrix facultas eligendi ea, quæ ad bonũ referuntur meliora, Hæ facultates pluribus differunt interse, quam cupiditas & irascibilis, igitur refellitur Plato, qui debuisset pro summis capitibus facultatum ponere istas, & non illas, aut has duas generales rationem, & appetitum, quem nomine cupiditatis intelliges, propterea quod ponenda erant illa capita facultatum, quæ magis differunt, hæc sunt ratio. Appetitus, quia sunt maxime communia, vt constat in illis, quæ sentiunt tempus, & cognoscunt, in hominibus id cõstat, Nam alia animalia solum sensu gubernata non sentiũt tempus, labuntur in tempore & senescũt, quod non percipiunt saltem certum, & definitum tempus, ob id non numerant menses, lustra, annos, horas, de quibus in commentarijs nostris de cęlo, libro quidem secundo fuse diximus, Nec quia hirundo, formica, apes parant nidos, aluearia, cibos pręsentiunt futurum, sed præsentia commoda attendunt. Formicæ condunt granum ad præsentem vsum, Hirundo nidum, apes Aduenaria. Signo quod etiam existentibus his nihilominus conuehunt materiam ad struenda illa sic edoctæ. Et leo quoad vulneris æstum dolentem senit non aggreditur denuo vrsum. Tametsi magna præ se ferant inditia prouidentiæ ad futurum, memoriæ ad præterita, & prudentiæ cognitionis ad præsentia. Crediderim sentiri ab irrationalibus quæ sunt in tempore æstum, gelu, vdũ, siccum, & similia, sed non tempus, si est numerus motus secundum prius, & posterius lib. quarto physicorum. Actio numerandi competit intelligentiæ, sed de his alibi, nunc apparet contrarietas rationis, & appetitus interse cum ob futurum incommodum ratio iubet, ne quid fiat, cui non obtemperat appetitus cupiditas ob præsentem voluptatem, & instans commodum, & simpliciter bonum, & iccirco aliter agit, quam suadet ratio, vt febriens siti maceratus bibit etiam suadente medico, ne bibat. Affectus plurimum possunt in rationem non ita tamen, vt ipsa non sit domina secundum naturam, ac libera, & quæ possit coercere, & compescere intemperantiæ actus, alioquin iussa nulla essent, & præcepta. Apud Aristot. libro secundo de interpretatione, nonoque metaphys. Homo est dominus suarum actionum, & potentia rationalis libera,

DDD &si

& si apud Platonem magni refert esse sponte malum iniquum, & cupiditati pronum aliquid facere. Vnumque rationis voluntas compescit & cohibet, cum reniti etiam possit cœlestibus influxibus, & declinare a malo voluntatis liberæ imperio. Præclare id semper Plato in dialogis statuit, sed præclarius Socrates aduersus Physeonomum Zoilum, qui cum e signis faciei vellet philosopho ipsi quandam notam pederasticæ inurere, respondit se pronum, attamen abstinere, Hoc erat insigne virtutis obniti affectui immoderato, & præter naturam, Hoc homini datum, & donatum est a superis, vt sit in sua potestate. iccirco nullus principatus melior illo, vbi monarcha subditos relinquit in sua potestate seruatis legibus ad vsum communem, & nullus prior, quam vbi Tyrannus imperat, & suam voluntatem pro legibus habet, Verum de his in politicis, De republ. de moribus, de legibus Plato Socraticus, & Aristot. Pythagoreus. Cæterum quia sicut supra monuit author vnum debet esse principium mouendi, ob id specie vnum dicit, idest genere appetitiuum, hoc est appetibile, siquidem hoc appetitu appræhenso fit appetitiuum, idest motiuum postea animalis. Adiungitur qua appetitiuum, qua appetibile alias conditiones habet, etenim & intellectile est, & cogitabile, sed non qua tale mouet appetitum, sed qua appetibile, quale est primum quod mouet, & non mouetur etiam si fuerit conceptum intellectu, vel imaginatione, Appetibile concipitur imaginatione in brutis, vbi non intellectus noster, sed concipitur intellectu, & imaginatione vtroque in homine, & tum conceptum actu est mouens animal, Voluntas intellectus idem subiecto, ratione differunt, itidem appetitus imaginatio in belluis, vt statuit author vnum mouens genere appetibile iam apprehensum appetitu, distinguit tria esse, & addit quartum quo mouet instrumentum. Primum mouet, & non mouetur qua tale, vt appetibile bonum, vel verum, vel visum qua agendum hoc est actione, & opere consequendum. Secundum est quod mouet, & mouetur, vt appetitus motus ab appetibili, mouet animal, Equidem mouetur qua appetit, & appetitus est motus, vel operatio. idest ipsa appetitio, Quod tertium mouetur, & non mouet, animal est, Quomet est instrumentum corporeum ad differentiam incorporeorum, Nam communiter quicquid quo aliquid agitur instrumentum dici solet, Exemplum, scamnum fabricandum mouet artificem, Hic mouetur & mouet lignum, hoc autem solum mouetur, instrumentum manus, & securis, ascia, Hæc Aristoteles, quæ desiderant lucem maiorem, nunc de differentijs nutricis, sensitricis, appetitricis, consultricis, intellectricis ex Alexandri paraphrase excerpes hæc. Nutrix a sensitrice differt sex fere. In plantis illa sine sensitrice primum, secundo a primordijs ortus inest altrix cum calore natiuo, At vero sensitrix postea aduenit structis organis. Tertio semper altrix operatur etiã in somno, sensus tum vacat externus. Quarto altrix agit, operatur, sensitrix iudicialis, & cognitrix. Quinto vbique partium altrix & in capillis, pilis, vnguibus, ossibus, non autem sensitrix in his. Sexto altrix sine sensu esse potest, non autem sensus sine altrice, Quare subiecto differunt altrix sensitrix, ac ratione, si quidem illa est principium alendi primum, hæc sentiendi, atque functione, cum inde fessa actione vsque ad rogum, & vitæ supremum alat illa, hæc non semper sentiat. Simili modo abest sensitrix a motrice, Hęc agendi initium, sensitrix solum iudicandi, Ac functionibus dissident, quia prior est sentiendi actio functione appetitus, qui sequitur motiones sensuum, & imaginationis, Et aliquando est sensus, vbi nihil desideratur, Denique appetitus causa agendi, operandi, sensus patibilis est iudicatorius, & gratia appetitus, siquidem priores facultates sunt gratia posteriorum, & hæ posteriores ortu sunt maiores prioribus, quas etiam continent. iccirco priores adiunctis posterioribus fiunt perfectiores, ob id sensus in homine ob annexum rationis meliores dicuntur in belluis, & si sensus vt sensus pollentiores quidam sint in eis, vt odoratus in cane, & visus in lynce, aquila. Differt item appetitus a consultrice, quia in multis inest ille animalibus, consilium in homine solo. Atque appetitus non ratiocinatur, consultrix. deliberatio præcedente iudiciaria cognitione velut concludens est, vt porro conclusio est in ratiocinatrice, ita consilium actionem decernit, & concludit. Intellectrix non mouet, non agit, sed contemplatur, qua ratione differt a seipsa practica, & actiua, & ab ipso appetitu, Hæc de differentijs, Restat definire quid appetibile, vel expetendum est sane bonum visum, vel uerum, si iucundum prosequimur, si triste, fugimus, declinamus. Et sæpe appetimus declinare non sua gratia a malo, sed propter bonum, Hoc ergo est primum mouens appetibile, Aduerte quod imaginatio vice appetibilis sæpe mouet appetitum ad prosequendum, vel vitandum. Appetitus est facultas vel prosequendi, vel declinandi. Appetitio est motus, vel operatio facultatis ab appetibili aptæ consequi, vel vitare appetendum. Sed

duplex est motus naturalis, preter naturam, Et naturalis mere, & animalis, atque naturalis motu vel simplex, vel mixtus, Animalis multiplex, sed ad propositū nostrum voluntarius, inuoluntarius, non voluntarius, sicut Aristot. in libello de motionibus animalium tradidit, velut voluntarius est, qui fit, & fieri non potest toties, quoties voluntas, & appetitus fugit, aut prosequitur. Est igitur motus ille in potestate nostra, non necessarius, Motus non voluntarij, ceu respiratio, somnus, Motus inuoluntarij, qui accidunt preter finem, & opera ad finem, vt motus cordis, & imaginatione puellę extensio pennis. Appetitus ergo mouet animal, mouetur ab appetibili, animal motum, appetibile mouens solum, appetitus mouet & mouetur, quæ motio animalis excitat sępe alterationes in corpore, corde, spiritu innato vel vehiculo, vel vicario, vel instrumento animæ, de quo mox dixero.

## Contex. XXXVIII.

*ICcirco in communibus corporis, & animæ operibus de ipso considerā dum est, nunc autem, vt summatim dicā quod mouet instrumentarie est vbi principium, & finis idem velut ossiū cardo. cum hoc sit gibberosum, hoc cauum, & hoc finis, illud principium, & hoc quidem quiescit, illud vero mouet, cum sint diuersa ratione, & magnitudine inseparabilia, Nam omnia impulsu, & tractu mouentur, Quamobrem oportet sicut in circulo manere aliquid, & hinc motum incipere, omnino igitur, vt dictum est, qua appetitiuum animal, ipsius est ea ratione motiuum, Sed appetitiuum non sine imaginatione, omnis autem imaginatio aut ratiocinatrix, aut sensitiua, Huius ergo alia quoq; animalia partē habent. Considerandū autē et de imperfectis, quid est quod mouet, quibus solū tactus est sensus, vtrū in his cōtingat inesse imaginatio, & cupiditas, necne. Videtur tristitia, & voluptas inesse, quod si hæc, et necesse est, ut insit cupiditas, sed imaginatio quō inesse? Nunquid quē admodū & mouetur indefinite, & hæc insunt quidā, & indefinitorū. Sensitiua ergo imaginatio, vt dictū est, et in alijs inest animalibus, sed consultoria in ratiocinantibus, siquidē rationis est opus vtrum hoc, vel aliud fecerit, ac necesse est vno semper metiri, maius enim persequitur. potest itaque vnum ex pluribus uisis facere, inde causa est, quod non videtur habere opinionem, quia eam, quæ est ex ratiocinatione non habet, sed hæc illam, Quare appetitus non habet consultatoriam vim, Nam vincit aliquando, & mouet voluntatem, & aliquando illā hunc, sicut pila appetitus appetitum cum sit intemperantia, Natura semper superior est princeps, imperat, & mouet, vt iam tribus motibus moueatur scientia autem praditum non mouetur, sed manet, & quia hæc eius est, quod uniuersale existimatio, & ratio, illa vero eius, quod est singulare. Nam illa dicit oportere talem talia facere, Hæc uero quod hoc tale, ego autem talis, Iam hæc mouet opinio non vniuersalis, uel potius ambæ, sed illa quidem quiescens magis, hæc uero non.*



QVATVOR enumerauit appetibile mouens immotum, vt bonum, vt finis, vt iucundum, vel fugiendum secundum. appetitum facultatem motum, & mouentem, Tertium animal motum non mouens quartum instrumētum, quale circumscribit in primis, & in libello de motione animalium plane asseruit spiritum innatum in corde vnum, & non plures, quem calidū innatum appellant, Medici spiritum animalem, sed locatum in cerebro vbi principatus animæ & non in corde, vt Aristot. putat. Aduerte primum animam non suo motu mouere corpus quia non mouetur per se, attamen mouet corpus per suas facultates, & instrumenta siquidem ipsa est entelechia, & causa efficiens suorum motuum secundo libro supra, verumenimuero in motu progressiuo, actioneque nec corpus est quod mouetur, nec anima, sed totum animal, iccirco hic motus est communis animæ, & corpori simul, & neutri per se, proinde de instrumento corporeo spiritu pollicetur se agere in libris de communibus operibus animæ, & corporis, etiam si insint vni per alterum, quos falso Philoponus putat libros de historia animalium, sed potius vt recte Simplicius fatetur de motionibus animalium, vbi tractat communia opera, sicut promisit principio de sensu & sensili, & vbi etiam de his est sermo. Attende item animam conferri ad corpus cuius est entelechia, & ad obiecta facultatum suarum, primo modo est perfectio, & sensitrix mouet, secundo est imperfecta, & mouetur ab obiectis alteratione salutari, sine interitu, quæ motio non est ad locum, ob id animal appetens mouetur ab ipso bono, etiam aliquando viso non motu locali, sed alterati-

uo saluari sine interitu,& perficitur,& motus iste ab appetibili non est localis, quando vero appetitus mouet animal est vere motus localis, non ergo quo motu mouetur mouet, sed altero, primo mouetur, vt a finē moueri solent, secundo efficientur mouet, Animal autem vtroque motu, & ab appetibili, & ab appetitu mouetur, & in vtroque eget instrumento, cum cietur ab appetibili per appetitum eget spiritu, qui terminat appetitionem, & fit initium mouendi animal, nam spiritus vicarius animæ impulsus excitat cor, & per neruos vel ipse defluit, vel vim transmittit ad musculos,& pedes,alas,pinnas, & partes instrumentales motuum. Hoc proinde instrumenti genus corporeum est e substantia sanguinis subtiliore enatum subditum ortui,interitui,& affectionibus cordis, In metu contrahitur, in gaudio dilatatur,in spe obtusus, in ira acutus &c. Confert hoc genus instrumenti quo ad motum animalis cum triplici, cum gigglysmo, cum motui ex impulsu,& tractu,cum centro circuli. Ginglysmos est cum ossa ingredientia cōiunguntur parte giborosa,& conuexa cum parte caua ossium admittentium, vt fit in vertebris spinæ,& humeris cubitus alligantur huiusmodi. Hic spiritus dicitur instrumentum motus localis vel fusi per neruos, vel virtutis eius diffusæ,qui vel est in corde principio, & fine omnium actionum animalis, vel ipse est finis, & initium, sed quomodo cor sit principium facile patet apud apud Aristot.in libris de partibus animalium,siquidem cor primum nasci dicit, cui demandatū est dispensatio,& munus reliquæ conficiendæ fabricæ in vtero,& patet alterato corde,vt temone nauis accidere multas mutationes, sicut Aristor. libello de motionibus animalium tradidit, patet esse finem, quia omnis actio facultatum ad cor transmittitur vbi est omnis facultas apud philosophum, secus apud Medicos, ob id cor est finis & principium, Atque mouetur impulsu, & tractu idem manens, & vnius est principium, alterius finis, Atque simile centro circuli est quod manet,& inde principium mouendi est, quiescit enim motu locali, eius tamen est initium tanquam summum instrumentum, Aut potes intelligere instrumentum spiritum ipsum quidem subiecto cum appetitu,sed differt ratione ambo enim in corde, & hic spiritus est finis, & principium,vt cauum ossis,& connexum idem eius monis, atque vt tractus monis idem ad se principium trahens,& finis est,& principium ilico a se pellens, & in circulo itidem, quare vno modo principium,alio modo finis idem, cum præterea spiritus natura facile se contrahat, & ita trahat ad se,necnon diducat,& dilatet, & ita propellit in quibus motibus semper est aliquid manens, & aliquid mouens,cum omnis motus indigeat quiescente externo,interno. Cauū enim manet qua ratione locat,neq; egredi caput gibberosum finit,mouet autem, quatenus secum trahit illud. Et in tractu ad se,idem quod est a se manet, & cum impellit a se mouet, & in circulo pars posterior impellit priorem,quæ etiam subsequētem ad se trahit, de quibus alias,nunc omnino appetibile actu mouet animal ea ratione moto scilicet instrumento spiritu,qui per neruos delapsus vt motu animal, etiam mouens musculos, sicut Gal.in duobus libris de motu musculorum tradidit, Appetibile autē actu,seu appetitiuum non sine imaginatione mouet, siue imaginatio sit ancilla ratiocinatrici intelligentię in hominibus, siue pręsit sensui in belluis, quoniā hāc facultatē etiā alia animalia perfecta habent. Proculdubio leo mouetur cū imaginatione aggrediūdi vrsum,quē deuoraturus sit,aut canē, & lupus ouē,& bouē,quē vt prosternet se luto, & onere cōplet. Legeris octauū librū de hist.animal.Si cognoscere cupis artes,& dolos animaliū, & q̄uo imaginatione,& appetitu moueantur.Et quia hanc imaginatiuā Zoophyta imperfecta animalia non habere vidētur,ob id q̄uo moueantur quærit author.His cōstat datū sensum tangēdi, quia tacta se cōtrahūt, & se dilatāt iucūdo,an in his sit imaginatio,& cupiditas saltē alimēti, & prolis. & si de cupiditate ad motū sermo sit.Vt secūdo lib.fecit,in illis colligit inesse cupiditatē,appetitū,quia habēt sensum iucūdi,& noxæ signo cōtractionis,& dilatationis quæ nō sunt motiones ēt fętus in vtero do nec ille viuit vita plātæ sicut Alexāder cap.de vi impulsoria scripsit. Vbi est sensus tristis, & iucundus,ibi cupiditas in illis sensus est iucundus,& tristis,ergo appetitus est, quare palā est appetitus, sed non patet q̄uo imaginatio sit? ob id distinguit triplicem imaginatricem, Vnam indefinitam, sicut motus imperfectorum animalium est indefinitus, & ambiguus vtrū sit contractio,& dilatatio corū,sicut frigēte cęlo nimiū squalent plantę quasi spasmo contractæ tabescāt,& dilatatio,ve lut extensio ramorū,& ampliatio. Quocirca nō essent motus locales, sed ex altera parte moueri videntur,quia hiant,aperiuntur,& expectant nō minus,vt aranei muscas in contextu telæ suæ siquid natando squillæ,aut vdi ingrediatur,quo tempore clauduntur. Quare motu locali potiri videtur,sed ita obscure,& incerto,quia nō e locis suis alio egrediuntur,vt cupiditas appetitus,imaginatio indefinitę insint, Alia imaginatiua est definita,sensibus præsidet in brutis, quia motus corū

sunt

sunt definiti, & certi, vt apum, quibus non est imaginatio ratiocinatrix propria homini vt formicarum, equorum, luporum &c. Appetitus in his cum magnitudine est sensitiua. Tertia imaginatio consultoria dicitur, ancilla rationi, & voluntati, quæ sola concessa fuit homini, cui soli ratio, & soli consiliũ, quale cũ sit de eligẽdo, nõ eligẽdo atq; de deliberatione hoc gerẽdi, aut nõ gerẽdi, aut aliud exequẽdi nõ est opus sensus, sed rationis, quæ sola discurrit, & affirmat, negat, itaque vno hoc argumento concluditur non esse in brutis imaginatio consultatoria, præcipue adde quia de futuris sæpe fit consilium rationi addictum ex imaginatione seruiente. Adde consilium de contingentibus quæ esse, & non esse possint, ad quæ sensus imaginatio brutorum non extenditur. Consilium non est de his, quæ fieri non possunt, vt scalæ hærent cęlo, neque de necessarijs inevitabilibus, solem oriri a diluculo, & scandere meridiem, hominemque esse animal, neque de his, quæ humano sensui sunt omnino ignota, & de quibus nulla imaginatio, neque de rebus speculabilibus, qua speculabilia & si sit consilium de suspiciendo studio eorum necne, neque consilium de præteritis, facta enim infecta esse nõ possunt, & hoc solo Deus priuatur dicebat Agathon facere facta non esse facta, poterat quidem impedire quominus efficerentur, neque consilium est de vniuersalibus perpetuis, neque de quibus vbi est finis necessarius, sed de his, quibus potest non accidere finis, & fraudari exitu possunt. Quocirca motus cęlestes non appetitu imaginatorio fiunt, quia necessarij, & semper in fine sunt. Non consultant, neque sensum habent, cuiusmodi nos neque perficiuntur sensilium formis, & iampridem in commentarijs libri secundi de cęlo nostris de his reperies decretum. Quare consilium non est in cęlo, neque in belluis, sed in his ob imperfectionem sensus, ibi ob perfectionem intellectus, qui futura ac præsentia habet, & quibus nihil imminet discriminis, aut accessurũ est quid magis perfectũ. In statu sunt firmo, & felici, nihil deest nihil expectandum, sed quoad belluas nõ præuident ratiocinando, & ideo in illis sola imaginatio sensoria est, non consultoria. Homo mouetur imaginatione, vt bellua mouetur & ratione qua homo, cuiusmodi consilium suscipitur, & ob id alio argumento ibi ac necesse est semper vno metiri docet non in esse belluis consultoriam, quippe cum ipse consultor proponat vnum, vel plura ad vnum, quo metitur reliqua. Semper finem intendit, & generatim est id vtile, honorificum, & cum vnum sit altero vtilius, & honestius inspecta temporum occasione, atque præuisis temporum momentis, iecirco præfert sępe maius, & hoc exequitur efficere. Vnde e pluribus visis delegit vnum, & secernit, quæ opera nulli belluarum competunt, quare nec consilium. Belluæ ad vnum impelluntur, quale iucundum est, aut euitandum, semper noxam fugiunt, & iucundum sequuntur. Consultor plerunque iucunda aspernatur, & honestum præponit, intemperans obediens sensibus, & imaginationi iucundi sæpe spernit honestum. Cęterum quia collocauit in brutis imaginationem non consultoriam binis argumentis infert corrollarium sensitiuam imaginationem in illis non sequi, aut pręcedere opinionem, quia opinio sequitur consultoriam ex ratione, quæ habet opinionem, & illam sequitur, vt constat in orationibus Demosthenis deliberatiuis & Ciceronis pręcipue. Iamblicus quandam opinionem fingit in brutis, sed commẽtum est quia appetitus illorum non sequitur opinionem, quinimo in nobis præceps vt temperamentis non sequitur opinionem, quia non paret rationi, & ob id subiungit conclusionem, quod appetitus sequens sensum, imaginationem solam sine ratione non habet consultoriam vim. Hinc illud adagium appetitus non quærit sapidum quid, ad animum refertur, quia appetitus profusus non quęrit consilium, nec expectat rationem hortantem, labitur præceps, & hoc probat, dicens quia appetitus vincit aliquando, & mouet voluntatem, quam ante opprimit, vel præoccupat, quam intellectus secus agendum moueat. Simplicius recte inquit si imaginatio sensu mouetur, vt intemperantis, & appetitus cupit adulterium si vincit turpe est, & erratum graue, voluntas vincitur, & si resistit. Vnde voluntas tribus vtitur. Aut resistit, non cedit sensui inique operanti, & imaginationi, aut cedit, aut superat, cum superat a ratione directa bonum effici, & malum declinat, si cedit, error & graue delictum, si resistit non consentiẽs, & appetitus nihilominus committit adhuc error est, quia debet voluntas a ratione adducta semper intendere bonum, hinc est, vt Socrates in libris de Repub. Platonis, & de legibus peccatum dicit esse mortem animi, & id voluntarium omne. Hinc apparet vt in pugna appetitus humani sensificæque imaginationis cum voluntate aliquando superet, aliquando superetur, vt fit in pilę ludo, non in spheris cęlestibus, vt Philoponus inquit. In ludo pilæ proijcitur pila aliquando ita, vt proijciens vincat, aliquando alter recipiens sic propellit, vt vincat, aliquando nec vnus, nec alter vincit, sed signant locum donec alter vincat, ita fit, vt vincat voluntas ratione fulta ad bonum appetitu victo, contra fit, vt vincat appeti-

tus

tus incontinentis. Tertio, vt cohibitus sic supersedeat, nihilque mali machinetur, aut perperam agat. Quare voluntas tribus agitur motibus cum bene vincit, cum vincitur, cum nec vincit, nec vincitur, sed compescit, & comprimit appetitum, & hoc facere potest, quia natura superior sem per potentior, & imperat ac mouet, hinc omne peccatum voluntarium, quia si nõ vincit, saltem cohibere deberet, cum possit, quia voluntas superior est cęteris animæ facultatibus. Postremo quia imaginatio erat consultoria ratiocinatrix, & cognitum voluntas imperat, ne quis putet rationem esse principium mouendi, seu intellectum actu præditum scientia binis argumentis docet illam non esse principium, sed quodammodo conferet, principium autem est appetitus cum imaginatione, & opinione mouendi, qui concludit, & ex conclusione sequitur actio. Primum argumentum. Quod est præditum scientia non mouetur, qua tale, quinimo manet, quia contemplatio quietem optat itineris, & molestiarum, negociorum, vt Plato Socraticus in phædone, iccirco Thales Milesius suspiciens in cęlum intentus incidit in foueam casu, ergo intellectus speculatiuus non est principium mouendi. Secundum, intellectus in vniuersalibus versatur, principium agendi in singularibus, ergo intellectus non principium agendi. Hinc Galenus in arte par ua medendi operationem medici a scientia separauit, itidem primo c. ad Glauconem. Quomodo autem conueniat intellectus Theoreticus ad motum, agendumque exponitur, siquidem ille quasi immanens propositioni vniuersali dicit omnem philosophantem vere colendum, sed imaginatio, cogitatione subdit Socratem vere philosophantem, ambæ simul intellectiua & imaginatio, aut cogitatio, quæ ambo simul intellectus practicus est concludunt, ergo Socratem colendum, qua appetitus impulsus colere iubet Socratem, vnde Theages ad Socratem confugit, Crito eius studiosissimus. Et quoniam proposito singularis est duplex aut de particularibus agendis, vt de educando hoc eruditione, aut de persona hac vel illa, vt de Philandro educando, ob id, vtrunque attigit dicens. Hæc vero cogitatiuo facit sub ea maiore omnem philosophantem colendum hanc minorem de tali re, idest de hoc philosophia Socr. aut de persona, quia ego talis. Scilicet Socrates est talis philosophus verus. Conclusio ergo Socr. colendus non fit ab intellectu, vel opinione vniuersali, nec a sola cogitatiua, sed potius ab vtrisque diuerso tamen modo quia vniuersalis propositio non mouet, sed quiescit potius, perfectio intellectus, & si aliquomodo concurrat ad motum, iccirco dixit sed illa magis quiescens, sed cogitatiua, imaginatio non quiescit, nec permanet, signo, quod sub illa maiore applicat varias singulares, non Socratem solum, sed etiam Pythagoram, Aristillum, Anaxagoram & alios, quare non permanet, cum etiam opinionem mutare possit de eodem, iccirco quo mouet est magis initium mouendi, & si appetitus habita conclusione seu voluntas statim assurgit, & operatur, quare principium mouendi in brutis est appetitus sequens imaginationem, qualem quicq; habet, homo vero imaginationem sequitur, & intellectum, & ratiocinando sæpe intellectus maiorem proponit, cogitatio minorem, vterque conclusionem, mox voluntas actionem efficit, vt omni febri humidum intellectus dicit, Tertiana inuasio hæc febris est a cogitatiua, conclusio simul ab vtroque intellectu, & cogitatiua colligitur, ergo ei humidum adhibendum. Voluntas subdit adhibeatur. Quare intellectus practicus est connexio quadam ex intellectu Theoretico, cogitatiua cum voluntate, qui est principium mouendi in hominibus, in brutis connexio vel ipsa connexa imaginatio, & appetitus sensitiuus.

## *Caput tertium libri tertij de sensibus non necessarijs, & necessarijs ad motum & ad vitam, & ad bene esse.*

### Contex. XXXIX.

*Cæterum quicquid viuit habeat animam nutritiuam necesse est, & hanc ab ortu vsque ad interitum. Necesse est enim quod gignitur habere accretionem, summumque incrementum, & diminutionem, quæ habere sine nutrimento habere non possunt. Quare necesse est, vt sit vna nutrix facultas in cunctis, qua natura procre*

*atur*

*alitur, & intereunt. At sensum omnibus viuentibus inesse non necesse est. Neque quoduis simplex corpus habere sensum conuenit tangendi, sine quo nullum animal existere potest. Neque item, quæ non sunt formarum susceptiua sit materia.*



XPLICATVRVS author qui sensus necessarij vitæ, & opportuni motui progressiuo, primum duas conclusiones profert. Vnam cunctis viuentibus in scripturis vim altricem esse necessariam vsque ad supremum vitæ diem, & hãc probat argumento, quod quicquid gignitur crescit, & diminuitur, huic necessarium sit alimentum, quando ex eo semen, & materia prolis oriatur, & materia suppeditetur accretioni, & subtracta diminutioni cum defectu calidi innati, sed quicquid viuit mortale tamen propter cęlestia æterna apud Arist. gignitur, crescit vsq; ad summum, deinde decrescit, ergo cuiq; mortali necessarium alimentum, & ob id virtus altrix cũ suo instrumento calore natiuo, vt in libello de morte, vita, de spiratione Arist. prodidit. Secunda conclusio est, non omnibus viuentibus necesse sensum tangendi inesse, duplici argumento probatur. Primo, quia simplex corpus, vel simplici redundant terrestri maxime non conuenit is sensus, qui non solum siccum gelidum sentit, sed etiam humidum, calidũ, cum sensus tangendi sit simmetria quatuor qualitatum, sed plantæ sunt corpora maxime terrestria quia ex nutrimentis eiusmodi aluntur, iccirco si ex quibus nutriuntur, ex eisdem constant maxime terrestres sunt, ergo non habent sensum illum in simmetriam percipientem omnes excessus qualitatum simplicium caloris, frigoris, humidi, sicci. Tanta est temperamenti inhabilitas stirpiũ plantarum, vt prodendum fuisse veteres asserere ceu Empedocl. Anaxag. Platonem, vt est primo libro de plantis nuper reperto Arist. eas habere sensum, multo minus metalla, Mercurium, æs, sulphur argentum, stannum, & id genus intra viscera terræ orta habent sensum, quinimo nec altricem, & si augeatur non intrinsece, & calore innato, sed additione materiæ secundum alteram dimensionum, & non vndique ex omni diametro accrescunt, vt viuentia. Altero vtitur argumento quoad animam, siquidem nulla facultas vegetalis animæ recipit species rerum sensilium sine materia, non calorem, non gelu, non humidum, non siccum, iccirco algoribus, æstibus nimijs tabescit, squallent, intereunt, vt Theophrastus de plantis & causis expressit, & vero, ac Plinius, Columella de agricultura benemeriti, quod si reciperent has species rerum, non afficerentur sæpe, neque interirent. Tactus animalium recipit species, iccirco non afficiuntur moleste, nisi excellant nimium qualitates, quare cum plantæ non recipiant sine materia sensilia, nullum sensum habẽt. Excessus item afficiunt corpus, & non tactum ipsum, quia sensorium simmetriam cum corrumpunt. Duo in contex. obseruanda, primum, quod omnibus viuentibus altrix est necessaria ex eo quia vita consistit in fluxu, calor semper depascitur, petit ergo materiam sui conseruandi, & animatum restaurari, refici, alioquin de vita deficit, ob id nunquam ferias fere nec in somno, & in vigilia, signo, quod calor instrumẽtum eius semper fungitur officio suo, & donec vita suppetit, quia vita non est aliud nisi permansio caloris innati, & officij altricis, vt Arist. prodidit libello de spiratione. Aliud obseruabis quicque animatum habere certum incrementũ, tametsi nobis obseruatum est cuiusque animalis, at certe illud hominis vsque ad annos xxv. ex Aristotelis libro de partibus animalium, post incrementum sequitur diminutio. Quæritur nunquid postquam cępit animal augeri continue augeatur vsque ad summum, & ita diminui, & sisit medius status vbi flos ætatis nec crescit, nec minuitur. Quod primum accretio non est motus continuus, sed solus cęlestis vniformis præsertim cum pluribus intermediis quietibus & alterationibus fiat, si enim vnum esset alimentum a principio vsque ad finem accretionis, forte diceretur vnus continuus motus, sed cum quotidie alimenta mutentur mutatis anni temporibus, non poterit dici vnus motus cõtinuus, & maxime, quia aliquando plus consumitur, quam quod restaurationi additum, aut minus insumitur, & plus reficitur. Quinetiam plus conuertitur his qui teneræ ætatis in alimentum. Plurimum enim habent calidi innati, quam cum iam ad ætatem iuuenilem accedunt. Quare nõ est motus continuus illa accretio, sed fit per minima, æque dicendum de diminutione. De tertio an sit status medius? Quinimo, quia inter duos motus contrarios intercipitur quies media. Accretio, diminutio motus contrarij, ergo media quies, alioquin in eodem momẽto temporis summum esset incrementum, & diminutum, quoniam si non est medius status, accretio terminatur ad aliquid, summum, quæritur si tum cessat accretio, sine diminutione, ergo si cessat datur medius status, si non cessat, quin succedat diminutio, ergo erit tum aliquid diminutum ita, vt in eo

dem

dem moment. sit summum, & id diminutum, quare non erit summum. Collige ergo statum me dium, & recte a medicis distingui ætates, & vnam esse iuuentutem in medio statu vbi calor nec addat, nec minuat, sed æque fortis sufficiat ad restaurandum. Hæc hactenus.

## Contex. XL.

*Sed animal sensum habeat oportet, si nihil frustra facit natura. Nam alicuius gratia omnia sunt, quæ sunt natura, aut euenta erunt, quæ sunt alicuius gratia. Nisi enim omne corpus ambulatorium sensum obtineret, interiret, nec consequeretur finem, quod est opus naturæ. Nam quomodo nutriuntur? Equidem alimentum his, quæ manent, semper adest in locis, vnde producuntur. Ac non potest corpus habere animam, & intellectum iudicatiuum, & sensum non habeat, nisi perpetuo maneat, & subditum sit ortui. Atque nec illud ingenitum. Cur enim non habebit? An animæ melius, vel corpori? Nunc autem neutrum. Equidem illa non magis intelliget, & hoc nihilo magis erit propter illud. Nullum ergo corpus, nisi perpetuo maneat anima potitur sine sensu.*



LIA conclusio præmittitur in hunc modum. Animal sensum habeat oportet, quam duplici argumento docet. Primo, nisi animal haberet sensum frustra prodiret in vitam, hoc absurdum quia natura nil facit frustra. 2. libro phys. etiã omnia sunt edita finis gratia, quando equidem euenta, ceu post salutem finem bona custodia in sex rebus non naturalibus, robur validius & id genus, hæc sequuntur finem, ad quem referuntur licet minus, quam præcedentia finem. Quod vero frustra prodirent in vitam animal ambulatorium maxime ex eo apparet, quod non diu viueret, quod est opus naturæ. Non viueret autem quia non cognosceret quo sibi progrediendum ad cibum capessendum, nec salutares a noxis discerneret, vnde facile interiret, ob id dicit. Quomodo nutriuntur? sine sensu cognoscerite calidum, siccum, humidum, gelidum. Periret fame, atque siti, si in hos affectus posset incidere sine sensu, sed neque potest, qua re datus est sensus ad alimentum tactus, & alij quoque adsunt ad bene esse, sed dices nonne plantæ diu viuunt sine sensibus? & corpora cęlestia? Respondet ad primum plantis suppeditari alimentum vbi infixæ sunt radices similes ori, & ob id non mouentur, sed animalibus progressiuis sensus necessarius, vt quia quærere habent pastus, dignoscant vtiles a lædentibus. At repucabis ostheas habere coniuncta alimenta, & omnia, quæ hærent saxis, & fimo maritimo. Dixerim ambigua esse hæc in vita, & reuera habere sensum tangendi obscurum, qui tamen discernit salutarẽ ab inutili. Secundo argumento, vel potius tertia conclusione. Nullum animal habens intellectum iudicatiuum caret sensu, nisi perpetuo sit immobile, attamen genitum, & ne dicatur illud in genitum, vt dęmonum, nunc non est sermo de corporibus cęlestibus, quia hæc non sunt immobilia semper, quinimo semper in motu, & sola intelligentia circunferuntur, tametsi Plato dedit sensum his alia ratione, quam caducis arbitratus in Timæo nulli dari intellectum sine sensu, ob id mundum animal magnum sensu, & intelligentia præditum censet. Vt cunque sane hoc animal etiam si ingenitum esset non careret sensu habens intellectum practicum, quod probatur, dic tu cur non habebit? Si enim non haberet, vel id accideret, quia melius est corpori, vel animę non habere, sed neutrum est. Non quidem ob animam melius, siquidem non magis intelliget, quasi sensus sit impedimento, vt nobis videtur esse ad intellectionem substantiarum separatarum, donec intellectus est copulatus illis & in magnitudine, iccirco æque intelliget anima cum sensu, neque melius est corpori sensu carere, quia nihilo magis illud corpus immobile ingenitum, vel genitum erit propter intellectum iudicatiuum. Quare nullum corpus potitur anima sine sensu si mouetur, & non perpetuo manet. Aduerte Aristotel. finxisse illud corpus immobile vel genitum, vel ingenitum, quia 6. phys. omne corpus est mobile. Aduerte item hanc rationem vltimam adductam ex abundanti, & ob id in sua permansit conclusione nulli animali dari animam sine sensu præcipue ambulatorio.

## Contex. XLI.

*Atque si sensu potitur, habeat corpus vel simplex, vel mixtum oportet, sed simplex esse non potest, alioquin tactum non haberet, sed hunc habeat necesse est. Hoc autem ex his erit clarum, siquidem animal est corpus animatum, & omne corpus tactile est, ac tactile sensu tactus sensile, ergo necesse est corpus animalis esse tactiuum si seruandum est animal. Alij vero sensus per alia sentiunt, ut odoratus, auditus, visus. Quod uero tangit, si sensum non habet, non poterit hoc fugere, illud capere, si porro id est, fieri non potest, vt seruetur animal. Quapropter gustus est quidam tactus. Est enim nutrimenti, sed nutrimentum est corpus tactile sonus uero, & color, ac odor non nutrit, nec auget, nec diminuit, ob id gustum esse quendam tactum necesse est, eo quod sit tactilis, & nutrimenti sensus. Hi ergo sunt animali necessarij, ac palam est non posse existere animal sine tactu. Alij autem vt bene sint, sed non cuilibet generi animalium, sed quibusdam, ut ambulatorio inesse necesse est.*



PERSVADERE vult tactum necessarium animalibus, & ob eum gustatũ etiam, reliquosque sensus ad bene esse, vbicunque sint, sed ambulatorio animalium generi, seu progressorio, vt quoque natatilia, volatilia, serpentia amplectamur necesse est, vt insint. Hæc tria necessario seriatim exponenda, sumit bipertito omne corpus sensu tactus præditum vel simplex, vel mixtum esse, sed non potest esse simplex, ergo mixtum, quod non simplex, quia aliter non haberet sensum tactus, at necesse est, vt habeat, quod ostenditur. Argumento omne tactile dijudicatur tactu, omne corpus tactile est quia calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle, asperum &c. ergo omne corpus dijudicatur tactu, quem habeat animal, vt se tueatur ab hostibus, & aduersis, & salutaria prosequatur, aliter inscium incurreret in perniciosa suæ vitæ, vt seruetur incolume tangat oportet, & dignoscat aduersa, & secunda vitæ. Ergo tactus necessarius vitæ actiuæ, & motui ob id natura constituit tactum excellentem in homine, & præsertim in manu, & indice manus sicut Arist. prodidit in lib. de partibus animalium, & Gal. secundo de temperamentis libro, & quo hic sensus esset vnus, qui certior redderetur non per media, & procul sensilia percipit, sed connato medio carne, sicut alij sensus odoratus, auditus, visus, qui sępe decipiuntur ob interualla, & media præcipue alterata, at sensus tangendi annexum habet medium. Aliud argumentum concludere potest necessarium tactum progressui animalium, quoniam ille sensus eunti necessarius qui noscat fugienda, & percipienda quo seruetur. Hic tactus est. Dices non sensu, sed appetitu prosequimur bonum, & declinamus a malo, vt sępe supra assertum est. Nisi appetitus sequatur cognitionem tactus, sine quo non recusaret, neque perciperet. Atque sensus tactus alendo animali necessarius, sicut secundo libro decretum est, attamen hac ratione persuadet gustum esse necessarium, & infert quia tactus est necessarius, etiam gustus erit, siquidem gustus est quidam tactus argumento, sensus nutrimenti est tactus, quia nutrimentum est corpus tactile, sed gustus ast etiam quidam sensus alimenti dignoscens quid sapit, & non sapit, quid amarum, oleosum &c. vnde sensus communis auertitur a lętalibus, & conuertitur ad salutaria alimenta tactilia, & proinde animal prosequitur, aut fugit, ergo gustus est quidam tactus. Quod vero gustus sit sensus quidam alimenti, ostenditur, siquidem gustu nutritur animal. Adagium, quod sapit nutrit, atque augetur, & diminuitur, actiones quidem hæ altricis facultatis, & alimenti, ergo est sensus gustus alimenti. Secus odor nõ nutrit, nisi quod olet, inuitat animalia ad escam, & cibum odor quidam, non omnis, velut odor florum, rosarum, qui potius supprimit appetitum, de quibus in libello de sensu, & sensili nec sonus, nisi signum hominibus horæ prandendi, & cenandi, & color. Hæc obiecta sensuum non satiant, neque sitim, & famem explent, conferunt nonnihil ex accidenti, sapor autem, & tactile pertinent ad alimentum, sed illud dubium, an alimur substantijs an qualitatibus? Si substantijs cum nullus sensus comprehendat substantiam nullus ergo sensus est alimenti, si vero alimur qualitatibus, & accidentibus quæ sensus percipiunt, hoc mirabile est, quod qualitates augeant, diminuãt &c. Nisi alamur substantijs, quarum accidentia dignoscuntur sensibus, sed non mere substantijs alimur, sed tactilibus, gustatilibus. Ego uero quicquid dicant Aristotel. & scriptores, sentio alimenti sensum esse gustum, tactum vero iudicem calidi, sicci, humidi, gelidi non qua alimento-

EEE rum

rum vires, ſed qua ſalutaria, aut offenſæ alioquin quoties tangeremus aleremur calido, frigido, &c. ob id non Plinius male omnibus animalibus tribuens guſtum, ſiquidem omnia aluntur, & oſtreæ guſtum habent infiniti generis animalia. Decernitur concluſio, vt hi duo ſenſus tactus, & guſtus ſint animalibus neceſſarij, neque conſiſtere animal vllum ſine tactu. Hic naſcitur ex temperamento calidi, ſicci, frig. & humidi. Daturque ad dignotionem ſalutaris caloris, & noxæ ac cęterorum ſimiliter. Adde aliud obijciendum, quod ſi vis altrix communis plantis ineſt in animalibus, & alia eſt a ſenſibus & eius officium eſt alere, cur hoc demandatur ſenſui tactus, & guſtui. Et fętus in vtero viuens vitam plantæ primum ſine ſenſu tactus alitur augetur, & ſine guſtu. Niſi tactus, & guſtus contineant poteſtate altricem, & eius ancillas, ſecunda in hoc contex. concluſio annectitur, alios ſenſus videlicet ad bene eſſe conferre, non autem neceſſarios. Et conferunt præcipue animalibus, quæ mouentur ad locum. Auditu ſtrepitus ſæpe lupos fugiunt oues, & lepores vocem canis, & gemitus, querulæ voces matres aduocant natorum. Odor fugat ſępe aculenta, & rodentia animalia, oculi in fronte prænunciant euntibus occurſus, quare ad bene eſſe profunt vt taceam in hominibus quomodo ſint auxiliares ad capeſſendas diſciplinas.

## Contex. XLII.

*SI enim ſeruandum eſt animal non ſolum oportet tangens ſentire, ſed etiam eminus: Hoc fuerit, ſi per id, quod intercedit ſenſitiuum fuerit propterea quod a ſenſili patitur, & mouetur ab illo. Vt enim quod loco mouet donec mutat, agit, & quod truſit alterum facit, vt quoque trudat, ſic eſt per medium motus. Quinetiam quid primum mouet trudit non truſum, & vltimum ſolum truditur, cum non trudat, ſed intermedium vtrunque. At vero multa intermedia, ſic in alteratione hoc excepto, quod in eodem loco manentia alterantur, quemadmodum ſi in ceram tinxerit quiſpiam, mouetur donec tinxit, lapis autem nihil, ſed aqua quidem valde longe, & aer plurimum mouetur, ac patitur, ſi maneat, & vnus ſit, & ob id de reuerberatione, melius quam viſum exeuntem reuerberari, aerem pati a colore, & figura donec unus ſit. In plano, & leni unus eſt, & ideo rurſus quoque viſum mouet, ut ſi ſignum in cera tranſmiſſum ſit uſque ad finem.*



XPLICATVR quomodo ſenſus ad bene eſſe eminus per intermedia dignoſcant ſalutaria & hoſtilia, vt ſeruetur animal, ne incidat in detrimēta, & perniciosa. Sunt ſicut nuncij, & oculi in fronte velut in arce ſiti ad detegenda omnia, ſpeculatores quidem concluſio, animal non ſolum tangendo ſentire oportuiſſe, vt ſit in guſtu, & tactu ob annexum medium, ſed etiam procul per intermedium, quale aptum ſit affici a ſenſili velut per aerem, & aquam, non per ignem, & terram, aut alia non apta pati a ſenſili, neque tranſmittere ſpeciem ad ſenſorium. Aer, aqua facile imprimuntur vndique, & ne ſint oppoſitis ſæpe eodem modo fere mouentibus ſenſilibus impedimento, quia intus apparens prohibet extraneum vt imprimant, eiuſmodi ſunt media, vt dimittant ſpecies, & reciprocent facile, atque hęc duo media cohęrent facile ſenſorijs, & penetrant, tentant omnem locum, & nihil vacuum deſerunt. Quare hęc duo idonea ad recipiendas ſpecies ab obiectis quomodo tranſmittant ad ſenſoria narrat author ſimilitudine motuum impellentium, & expulſionis. Vt impellens agit ſemper donec loco mouet ceu ſi trudit aliquid, illud aliud trudit alterum donec abſoluatur motus, & truſum ſit quid non trudens, ob id primum trudens non truditur ab alio. Non eſſe primum, & vltimum truſum non trudit, alioquin non foret vltimum ergo medium eſt quod truditur, & trudit, Media multa ſunt, ſed nulla aptiora ſenſilibus admouendum aere, & aqua dictis de cauſis paulo ſupra. Ita accidit alterationi maxime ſenſuum, niſi quod aliquando alterantur res ſine motu ad locum manentia, vt aqua gelaſcit, & gelu denſatur in vaſe hyberno tempore, quare ſenſile alterat non alteratum, medium ipſum, quale alteratum alterat ſenſorium, mox ſenſum nec ceſſat antequam feriat ſenſum, qui impreſſus ſpecie obiecti dignoſcit, & appetitus aſſurgit ad accipiendum, & declinandum. Vt exemplo ſimili, ceu de clauo, qui trudit alium, donec truſus ſit, ita altero exponit quomodo in medio apto ſenſile agit, & medium aptum ſit & agat, & patiatur. Inquit ſi quis in ceram tinxerit, cera vtitur ad declarandam materiam intermedij aptam, quia recipit formam ſigilli ſine argento, vel auro, ita media aer, & aqua ſpecies ſenſilium admittunt, ob id addidit lapidem ad exprimendam ineptitudinem medij, quod non imprimitur, vt terra, ignis, & ſimilia. Non ceſſat tingere donec abſoluatur tinctura ceræ. Norunt hanc artem pingendæ ceræ artifices hodie qui diuerſas facere elaborā


co-

coloribus. Cæterum affert aquam & aerem apta media, & aptior est aer transmittendi speciem ad sensum modo sit in fractus vnus continuus, vt in capite de auditu dicebatur. Vnus est aer inter lenia, & plana conclusus, non autem inter aspera, scabra, mentibus referta, in quibus distrahitur, & dispergitur. Hic aer vnus & quoad videndum, & audiendum, & odorandum. Nam aptior est ad patiendum, agendum, & mouendum, patitur a sensili, agit in sensorium, transmittit species facilius, quia mobilior aqua. Quocirca non patitur ab ipso visu, & sensorio more Platonis, vt egrediatur a visu ad aerem, & reuerberetur, vt fit in speculo, sed potius a sensili patitur colore proprio, & figura velut a cōmuni, vt signum in cera mouet aerē, qui aer trudit aliū donec ad finē perueniat, idest ad sensum. Habes ex his quomodo sensus sensilia procul dignoscant per media, & ita animalia antequā incidant in hostilia præuident, & salutaria. Sed duo attende. Vnū quod aduersatur author prospectiuis, qui repercussione, & reflexione aiunt effici visum. Quinimo sibimet repugnat tertio metheorū in cap. de iride vbi videri per repercussionē, & refractionē fatetur. Ac quid de speculo, plane ex reuerberatione apparet illa imago? Quinetiā sensus agit in medio, & non sensile, cū oculi anus, & menstruatæ mulieris inficiant aerem, & specula. Ac visus basilisci referente Auicenna cap. de Venenis, perdit inspicientē. Deinde ex his non habemus a philosopho an species in medio transmittatur in parte trusa, & hæc trudens postea in alia donec ad sensum perueniat, aut prima impressa sic trudat aliam, vt illa aliam donec ipsa impressa accedat ad sensorium, aut impressa sit media, quæ impressio diffundatur vsque ad circunferentiam, vt fit in iactu lapidis in aquam. Nam aqua diffunditur per circulos donec cesset vis, quem modū Auerh. supra secundo libro laudauit, sed ad hæc dicendum est, & primum ad perspectiuos, qui contenti sunt dicere quomodo per lineas visiles cernatur, nec aspiciunt ad rei naturam, satis est ostendisse modum proprium suæ arti. Veritas autem apud indagatorem naturæ manet, & iccirco Arist. aliquando ad id quod prospectiua sancit respiciens quoad eum modū vtitur visione extramittendo, vt ab oculis lineares prodeant visiones ad rem visam. Quod speculum plane cernitur facies tanquam obiectum mouens aerē inter speculum, & oculum, deinde ferit speculum tersum lene, quia aptū est repercutere rectū maxime, & icciro repercutitur aer ad visum, vt fit in echo & sic cernitur sui imago. Infici aerem & specula ab oculi menstruatæ admittit Arist. libello de insomnijs, & maxime specula noua nitida non alias maculata, quia puriora facilius commaculantur, & dificilius absterguntur quam antiqua, sed non a visu qua splendens, & coloratus colore non vero sed ex mixtione lucidi cum opaco resultans visus color, sed qua venulæ plene vaporibus sanguinis tum conturbati menstruatæ, & ebullientis inficiunt per eos fumos, & vapores. Aeque de visu basilici ob virus vaporum exeuntium ab oculis cōtaminantur animalia, & tabescunt. Reliquum si stemus dictis similibus in libello de insomnijs, & exēplis impressa species immittitur in alia parte aeris, & alia donec ad sensum quia ibi de proiectis inquit, quod aer proiectum impellit, & ad aliam partem traijcit donec absoluatur vis, & addit de calore, qui admissus ad alterum vicinum funditur, donec absoluatur, ita apparet in echo. Quare habes quomodo alij sensus eminus sensilia cognoscant, & indicent fugienda prosequenda.

## *Tertij libri, sectionisque tertiæ caput ultimum de corpore sensitiuo non simplici.*

### Contex. XLIII.

*Q*Vod item corpus animalis simplex non esse non possit, constat. Dico aute m vel igneum, vel aerem, sine tactu enim nullum habere sensum animal potest. Nam totum corpus animatum tactiuū est sicut dicebatur. Alia autem excepta terra sensoria fuerint. Atq; omnia quia per alterū sentiunt, sensum faciūt, & per ea quæ intermedia sunt. Tactus est, quia tangit, unde & nomen obtinuit. Atque alia sensoria tactu sentiunt, sed per alia, ipse autem solus per se, Quare eiusmodi elementorum nullum animalis erit corpus, Neque vero terreum, siquidem omnium tactus tactilium est, vt medietas, & capax est sensorium non solum earum differentiarum quotquot terræ sunt, verumetiam frigidi, calidi, & aliorum tactilium omnium, & ob id, nec ossibus, nec pilis, nec eiusmodi partibus sentimus, quia ex terra sunt, ac plantæ nullum habent sensum, quia ex terra sunt, sine tactu non potest esse alius sensus ullus, Hoc autem sensorium neque ex terra est, neque ex ullo alio elemento, Hinc clarum quod necesse est hoc solo sensu priuata animalia mori, Neque eum potest habere non animal, Nec quod est animal aliunde habere potest præter hunc.*

ECERNIT nullum corpus animalis ſimplex eſſe pluribus enumerandis argumentis. ceu non igneum, nec aereum, nec aqueum, nec terrenum ſimplex alioquin a prædominio oculus eſt aqueus apud Ariſt. igneus apud Platonem, Empedocl. auditorium aereum, odoratorium igneum, guſtatorium humidũ, tactorium ex quatuor. Primum argumentum, nullum animal habet corpus non tactiuum etiam vndique partium fuſum vbi nerui, vel vice neruorum ali qua ſunt. Hoc euidens in ſingulis animantibus exceptis partibus terreſtribus admodum, oſſ:b:is, pilis, &c. & omne animal ſenſu definitur ita, vt nullum ſenſum habeat animal ſine tactu vbi ergo tactus ibi mixtio, quia appræhendit omne genus qualitatis actiuæ & patibilis. Secundum argumentum, ibi. Alia autem. Quæcunque corpora ſenſoria mixta ſunt vbi ſenſus, ergo ſi ſenſoria mixta, non ſimplicia, ſenſoria mixta ſunt a prædominio talia, vt veteres dixere excepta terra, quæ non præpollet in aliquo ſenſorio. Tertium argumentum vbi tactus ex conclusis non eſt corpus ſimplex, ſed in omni animali etiam, ſi alij ſenſus ineſſent per tactum ſentiũt, ergo nullum animal corpus ſimplex. Verum ſenſus tactus per ſe tangendo ſentit ſolus, quia vicino medio propinquum eſt tactile, vnde etiam illi nomen impoſitum a tangendo, ſed alij ſenſus per media tangunt, vt dictum eſt hoc eſt ſenſoria tangendo media recipiũt, & ſenſus mouẽt, quare ſi omnis ſenſus abſoluitur tangendo ſaltem per aliud nullum corpus erit animalis ſimplex ex quo tactus non eſt, in corpore ſimplici. Hinc liquet elementa ſecundum extrema tangentia in mundo non eſſe omnino ſimplicia, cum etiam ſint mutuo reciprocantia alterationem, Quare nullum corpus animalis eſt ſimplex. Tertium hoc argumentum elice ex illis, Atque omnia, quia per alterum ſentiunt vſque eo. Neque verum terrenum. Quartum argumentum ibi docet neque corpus animalis eſſe terrenum, ſi obtinet tactum, & hic eſt medietas, id eſt in temperamento medio ineſt organi, non ſolum capiet qualitas terræ frigus, ſiccitatem ſed etiam caliditatem, humiditatem, quare ſenſorium eius non erit ſimplex terreſtre, quod confirmat ex eo, quod quanto ſicciora terrena ſunt magis, tanto minus ſentiunt. oſſa, pili, vngues, quod redundant terra in ſeipſis. non habent ſenſum, ſicut nec plantæ dicta de cauſa. Quare his quatuor argumentis decerne corpus animalis non eſſe ſimplex, Adde ali non ſimplici animal alimento, ergo nec nutritum ſimplex, Adde alia ſi placet. mihi ſat eſt notare in Platonem ſpiritus illos, & dæmones, quos ponit non eſſe corpora ſimplicia, aut non habere ſenſus ſimiles his mortalium, nec cœlum poteſt habere hos ſenſus apud Ariſt. niſi alia ratione, ſed ſufficit vita cœlo, quæ contineat vi & poteſtate omnes perfectiones inferiores, Cæterum addit in cunctis animalibus ineſſe tactum, vnumquodque animal ſenſu eſt, ſi vero nullus ſenſus eſt ſine tactu, ergo in quouis animali ineſt. ſenſorium tactus non eſt ex terra, neque ex vllo alio elemento ſeorſum, & ſeparatim. ſiue ſit ſpiritus, ſiue ſit etiã neruus, ſiue quid aliud, iam de hoc ſenſorio fuit decretum. Hinc corrollarium infert orbari poſſe animal ſuperſtes viſu, auditu, vel odoratu, vel guſtu, ſed tactu nullum priuari poteſt in vita, Quamprimum caret hoc ſenſu, excedit e vita, Quinimo ſi validi alij ſenſus eſſent hoc ſolo corrupto, & pereunte, animal extinguitur. Hinc prome argemencum is ſenſus obtinetur, quo conſtituto animal eſt, & quo conſumpto tollitur, ſed omne animal ſenſu illo præſente ſupereſt, eodem labefactato interit, ergo cuique animali viuenti neceſſarius tactus, vnde non animal, vt plantæ, vt metalla, vt mixta, elementa non poſſunt hunc habere, nec quod eſt animal alio ſenſu valet potiri ſine tactu, Hæc iampridem in ſecundo libro ſtabiliuimus. Repetuntur ad vſum mouendi, quia eius cognitio plurimum confert ad motum, ideo eo ſenſus tangit cognoſcens, & ſenſorium inſeruiẽs cognoſcenti ſenſui. Illud denuo ſe ſe offert quomodo ſine guſtu tactus ſit in animalibus alendis. Niſi quod prius tactus oritur guſtu & vltimo extinguitur ita vt ſit prior, & remaneat poſterior, Naſcitur tactus cum temperamento fuſo per omne corpus, & cum primo ortu neruorum. Guſtus autem non niſi formato ſenſorio guſtandi, vt lingua, aut proportionali. Sed illud mirum quomodo guſtus ſit quidam tactus cum organo, obiecto modo appræhendendi diuerſo, Equidẽ tactus fuſos habet neruos per omne corpus inſtrumenta, guſtatus eſt in quadam parte definita, obiectum tactus qualitas prima, obiectum guſtui ſapor, modus cognoſcendi alius quia nonniſi in humido percipit guſtus, Tactus in ſicco humido &c. Niſi ſit quidam tactus, quia tangendo guſtat, & vicinum ſaporem eſſe oportet. quem tangat cum nullo medio interiecto procul ſentiat. alioquin omnino guſtus differt a tactu nec compræhendit guſtus calorem, ſiccum, niſi qua ſubeſt tactus, & ob id videtur quaſi tactus quia in eodem ſubiecto, & organo videtur eſſe vis tangendi, & guſtandi in neruis linguæ circa apicem.

Contex.

## Contex. XLIIII.

*ET propterea alia quidem sensilia excessibus non corrumpunt animal, uelut sonus, color, odor, sed solum sensoria, nisi ex accidenti, ceu si cum sono sit trusio simul, & ictus, Et ab intuitu, & odore alia mouentur, quæ corrumpunt, Et porro sapor, quæ ei accidit esse tactile hac ratione corrumpit, sed tactilium excessus ut calidus, frigidus, durus perimit animal. Cuiusuis enim sensilis excessus perimit sensorium. Quare & tactile tactum. Hoc autem munere constitutum est, Nam sine tactu ostensum est non posse animal esse, Quamobrem tactilium excessus non solum corrumpit sensorium, sed etiam animal, quia hunc solum necesse est, ut habeant animalia, sed alios sensus habet anima ad bene esse, ut dictum est, ceu uisum, qui in aere, & aqua cernat, & omnino quia in perspicuo. & gustum propter iucundum, ac molestum, ut sentiat id quod est in nutrimento & appetat, & moueatur, Auditum autem ut aliquid etiam significet, & linguam, ut significet aliquid alteri*



PERSVADET sensum tactus animali necessarium, vt viuat & sit, quoniã quoad bene valet, & perstat continet animal viuens, vbi lacessitus sit, & sublatus animal tollit, & ideo toto corpore funditur, & vita animalis simul cum eo, lacessit vehemens calidum, gelu &c. & tollit vitam, sed alia sensilia excedentia non euertunt animal, sed sensorium suum nisi ex accidenti euerso sensorio animal concidat, vt sublata visio cum vehementi dolore perimit animal, Differt ergo tactile excellens ab alio sensili excedente, quia hoc labefactat sensorium, & animal perse, quia sensorium est vbique, sed alia sensilia suo excessu corrumpunt sensorium certum non vndique fusum, iccirco perse euertunt sensorium, & ex accidenti animal, patet ergo sensum tangendi esse sensum quo animal constituitur, sed quomodo ex accidenti alia excellentia sensilia euertant animalia docet exemplis vt si cum sono & tonitruo sit trusio, & ictus, ceu si percutiat quis caput resonet ictus letalis in temporibus. Et basiliscus intuitu corrumpit animal ob virus exiens ab oculis, & odore pestilens, sed dicet quis sapor veneni interficit, vt napalli, vt cicutæ &c. Respondet author saporem quã tactile est interficere animal velut qua gelidum, frigidum, ob id remedia conficiunt medici ad calida, frigida toxica, & venena siue bibita, siue illata, quare perse excessus tactilium solus absumit animal, Ex his ducitur argumentum concludens tactum in animalibus inesse, quia nihil interit læsione alterius, nisi sit in eo, sed totum animal interit afflicto tactu, eiusq; sensorio, ergo in animali inest tactus, Hic ergo sensus habet commune cum cæteris vt suum sensorium, & ipse lædantur excessu sensilium, & vltra, quod insigni læsione corruptus animal perse perdit, quod nullo alio sensui adest, & id ei competit, quia tactus est quo animal viuit, & est, sicut fuit supra perscriptum, Collige igitur hunc sensum animali necessarium, sed alios visum, odoratum, ad auditum ad bene esse & visum vt per diaphanum lucidum cernat, & præuideat iter, & alimentum ad quod peruenire oportet, & appetitus excitetur, ac gustum, vt suaue molestum iudicet nutrimentum, & animal appetitu appetat, & moueatur. Ecce his duobus verbis. & appetat, & moueatur indicat author quo multa sint repetita de tactu, & gustu, & alijs sensibus, Nempe vt sensuum notitia innuat appetitum excitari, & ita phantasia mota eundem esse initium mouendi, ob id auditum refert non ad audiendum, sed ad significandum aliquid quo incendatur cupido ad agendum aliquid, & ad motum. Matres vocibus natorum afficiuntur, & conuolant ad præstandam operã, & alimentum. Meminit linguę humanæ præsertim tanquam instrumenti communicandi conceptus animi, & significandi aliquid alteri non sibi solum, quod non inest etiam loquacibus psitaco &c. non enim edunt voces literatas ad significãdum alteri. Hæc de omni anima disseruimus ad Dei laudem & gloriam, cui soli gratias debemus non mortali vlli.

F I N I S.

*GRegorius Benuenutus Lucensis Philosophię Sacrę Theologię Doctor, Presbiter Miles SS. Mauritij & Lazari Eccellen. Doctoris Lucilli Philalthæi Executor Testamentarius Imprimi curauit, Ad Dei Opt. Max. Gloriam, & usum eruditorum.*

Errata primi libri

Pagina 3.linea 27. nutrix
pag.18.lin.24.genus pro generis
pag.19.lin.1.ente pro siue
pag.21.lin.10.hic pro hæc
eadem pag.lin.11.seriatim.
ead.pag.lin.23.maius pro minus
ead.pag.lin.21.pricti per punctū
pag.22.lin.8.exarte pro exacte
ead.pag.lin.47.multa pro nulla
pag.23.lin.2.refectis pro tertius
pag.24.lin.13.recessa pro recessu
ead.pag.lin.19.fuccessunt pro facescunt
ead.pag.lin.18.deficit nec
pag.26.lin.15.tenore pro terrore
pag.27.lin.11.fine pro sint
ead.pag.lin.39.dicto pro dicito
ead.pag.lin.41.& pro est
pag.28.lin.18.sint pro sine
ead.pag.lin.28.vterum pro verum.
pag.29.lin.26.ad pro an
ead.pag.lin.29.different pro differat
pag.30.lin.vlti.notum pro motum
pag.31.lin.39.& pro etiam
pag.35.lin.41.aliquot pro aliquas
pag.41 lin.9.dicitus pro dicitur
pag.42.lin.8.reliqua pro aliquam
ead.pag.lin.19.haberet pro habent
pag.43.lin.6.inferre pro referre
ead. pag.lin.24.aint pro animæ
ead.pag.lin 27.iræ deficit post ignorantiæ
ead.pag.lin.46.deficit post membri,proportio harmonia,& ita anima erit cuiusq; membri
pag.45.lin.13.deficit Nam post agente
ead.pag.lin.16.nostra deficit post anima
ead.pag.lin.24.talem pro tabem
ead.pag.lin.36.tale pro tabe

Secundi Libri.

pag.53.lin.29.genetricis abundat
pag.68.lin.15.visa pro vita
pag.70.lin.prima nullam pro nullum
pag.71.lin.10.docent pro doceat
pag.71.lin.49.alibi pro ali
pag.81.lin.8.senarabilis pro separabilis
pag.83.lin.37.tolitus pro tollitur
pag.83.lin.41.remanent pro remaneat
pag.85.lin.20 aiunt pro non ut
pag.88.lin.16.materiæ pro naturæ
pag.92.lin.14.vtrunque pro vnumque
pag.95.lin.2.rationibus intellectui pro notioribus intellectui
pag.98.lin.19.retratrice pro retentricem
pag.98.lin.20.sorum pto solum
pag.106.lin.22.secus nō fit pro sensus non sit
pag.107.lin.vlt.separare pro separatur
pag.109.lin.28.per post diffiniuntur
pag.113.lin.7.animas pro animæ
pag.113.lin.57.existere pro existeret
pag.119.lin.40.neui pro nerui
pag.121.lin.vlt.obiectius pro obiectiue
pag.125.lin.vlt.cognite pro cognitor
pag.129.lin.1.causa pro casu
pag.129.li.13.se abūdat, receperit, post aīarum
pag.137.lin.34.hoc pro ac deficit
pag.138.lin.33.auie pro auide
pag.142.lin.50.multis pro mulieris
pag.144.li.51.decremēti deficit post incremēti
pag.146.lin.17.facit pro facie
pag.146.lin.19.pronaturæ pro pronis
pag.148.lin.15.iuramenti pro incrementi
pag.156.lin.26.videant pro vocant
pag.148.lin.4.alimenta pro elementa
pag. 167.lin.vlt.alidcum pro calidum
pag.176.lin.46.acrea pro antea
pag.180.lin.27.suam pro sciantiam
pag.181.lin.32.alienatione pro alteratione
pag.187.lin.2.vtram pro veram
pag.198.lin.12.agenti pro agitati
pag.201.lin.19.potuit pro ponit
pag.206.lin.2.insunt pro visuve
pag.209.lin.vlt.refectus pro refertus
pag.222.lin.2.& 3.corpori pro corpora, & prospicua pro perspicuo
pag.223.lin.36.multos pro motus
pag.233.lin.8.deficit in post primo
pag.237.lin.26.colorem pro celerem
pag.239.lin.22.aducere pro adurere
pag.244.lin.18.colorem pro celerem
pag.253.lin.16, insensi esset pro insensi essent
pag.263.lin.13.pareat pro par erat
pag.274.lin.5.deficit quæ post sensilis
pag.276.lin.3.amarum deficit post vel
pag.277.lin.6.afferat pro essent
pag.284.lin.26.Opusculo de sensi. deficit post Aristotile
pag.284.lin.42.septem deficit ante species
pag.285.lin.3.animi pro amici
pag.285.lin.13.vere pro vene
pag.286.lin.25.vnam deficit post partem & lucis pro leuis
pag.291.lin.30.odore pro dolorem
pag.295. lin. 29. fragilitas, pro friabilitas & distinctione pro distractione
pag.297.lin.1.deficit inuisilis post visilis
pag.198.lin.3.deficit qua post sed
pag.301.lin.18.sententias pro sententia
pag.301.lin.7.illata pro illa
pag.304.lin.13.sensuum pro suum
pag.308.lin.11.caleant pro lateant

pag.313.lin.5.suauit pro suauia
pag.313.lin.6.conuentus pro concentus
pag.315.lin.14.sentit pro sensile


Tertij Libri.

pag.321.lin.17.situs pro fętus
pag.321.lin.33.mortales pro morales
pag.322.lin.1.id pro deque
pag.323.lin.2.hærent pro hærentia
pag.323.lin.penult.id deficit post fatear
pag.328.lin.50.litera pro libera
pag.329.lin.10 ne pro re
pag.338.lin.25.deficit grecæ post ceu
pag.325.lin.41.clericum pro elenchum
pag.357.lin.penult.omnia pro somnia
pag.362.lin.7.cantionum pro orationum
pag.366.lin.1.audit pro accidit
pag.366.lin.22.omnium pro omnino
pag.366.lin.4.tenporum sicpliciter pro tempore simpliciter
pag.376.lin.36.dilinio pro dilirio
pag.377.lin.7.animi pro amici
pag.377.lin.42.deficit id post ob
pag.381.lin.22.proinde pro perinde
pag.383.lin.14.deficit talis post fieri
pag.383.lin.antepen.ne pro ni
pag.387.lin.37.an pro ab
pag.387.lin.38.darent pro paret
pag.388.lin.1.argumenti pro augumenti
pag.388.lin.14.cōtradictionis pro cōtractionis
pag.389.lin.3.manus pro mancis
pag.393.lin.19.communia pro contraria
pag.394.lin.8.prior pro peior
pag.397.lin.2.magnitudine pro imaginatione
pag.397.lin.12.suspicies pro suscipiens
pag.398.lin.23.cogitatiuo pro cogitatio
pag.399.lin.3.fit pro fine

Reliqua deligens Lector facile corriget.

FINIS.

*Series Cartarum.*




* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.
AAA BBB CCC DDD EEE.

Omnes sunt quaterniones.

TAVRINI

*Apud hæredes Nicolai Beuilaqua.*

MDLXXIX

